JOHANNES DUNS SCOTUS · OPERA OMNIA XI. 2

JOHANNES DUNS SCOTUS

OPERA OMNIA

XI. 2

1969

GEORG OLMS VERLAGSBUCHHANDLUNG
HILDESHEIM

Die Originalvorlage für diesen Faksimiledruck ist im Besitz
der Niedersächsischen Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen.
Signatur: 2° Patr. Lat. 1842/3

Die falsche Paginierung sowie die teilweise
schlecht ausgedruckten Passagen der Originalvorlage
wurden beibehalten.

Reprografischer Nachdruck der Ausgabe Lyon 1639
Printed in Germany
Herstellung: fotokop W. Weihert, Darmstadt
Best.-Nr. 5101865

R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI,

DOCTORIS SVBTILIS,


ORDINIS MINORVM,

REPORTATA PARISIENSIA,

Annotationibus marginalibus, Doctorúmque celebriorum ante quamlibet Quæstionem citationibus exornata, & Scholijs per textum insertis illustrata, per R. P. F. HVGONEM CAVELLVM.

HAC VERO' EDITIONE AD VETVSTORVM exemplarium collationem recognita,& innumeris propè mendis expurgata, operâ R. P. F. LVCÆ VVADDINGI Hiberni.

TOMI VNDECIMI PARS SECVNDA.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXXIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

EIVSDEM
DOCTORIS SVBTILIS
QVARTVS LIBER REPORTATORVM Pariſienſium.

DISTINCTIO I.
De creatione, & Sacramentis in genere.

QVÆSTIO I.

Vtrùm poſſibile ſit aliquam creaturam habere aliquam cauſalitatem effectiuam, reſpectu alicuius effectus producendi per creationem?

Magiſter *hic cap. vlt.* Alenſ. 2. *p. q. 6. m. 2. a. 4.* D. Thom. 1. *p. q. 45. a. 5. & 4. d. 5 q. 1. a. 3.* D. Bonau. 2. *d. 1. art. 2. q. 1.* Dur. *ibi q. 4.* Rich. *ibid. a. 1 q. 4.* Aureol. *ibid. in q. proœm.* Henr. *quodl. 4. q. vlt.* Scot. *in Oxon. hic q. 1. & 7. Met. q. 7. 8. & 9.*

1. QVONIAM ante notitiam efficaciæ Sacramentorum, quam habent reſpectu gratiæ, neceſſarium eſt ſcire cauſalitatem effectiuam creaturæ, conceſſam ſibi reſpectu gratiæ, ideò incipiendo in hoc quarto ab efficacia, quam habent Sacramenta reſpectu gratiæ; quæro in vniuerſali: *An poſſibile ſit aliquam creaturam habere aliquam cauſalitatem effectiuam reſpectu alicuius effectus producendi per creationem.*

Argument. primum. Auguſtinus. Arguitur quòd ſic. Auguſtinus ſuper Ioan. Homil. 80. *Quanta eſt virtus aquæ, vt tangat corpus, & cor abluat*, ablutio à peccato non eſt ſine infuſione gratiæ; ergo aqua habet aliquam cauſalitatem reſpectu gratiæ in anima, quia ipſam abluit à peccato.

Secundum. Item, omnis effectus, qui non adæquat virtutem agentis ſuperioris, poteſt produci ab agente inferiori: gratia non adæquat virtutem cauſæ primæ, quia eſt accidens finitum, & ignobilius ſubſtantia, quæ poteſt creari, & ſic eſt nobilior omni accidente; ergo eius productio per creationem poteſt competere creaturæ. Maior probatur, quia ſi non poſſet talis effectus non adæquatus conuenire creaturæ, hoc eſſet quia excederet omnem virtutem finitam, & creatam, & cùm non ſit tale niſi infinitum, ſequitur quòd eſſet adæquatum virtuti infinitæ.

Tertium. Item, agens inſtrumentale poteſt in aliquod plus virtute principalis agentis, quàm in illud, in quod poteſt virtute propria; ſicut cauſa ſecunda plus poteſt in virtute cauſæ primæ, quàm in virtute propria, aliàs non eſſet inſtrumentum, nec cauſa ſecunda eſſet ordinata ad cauſam primam eſſentialiter; ſed omnem effectum naturaliter producibilem poteſt virtus creata naturaliter producere virtute propria; ergo & omnem ſupernaturaliter producibilem vt terminum creationis poteſt inquantùm eſt inſtrumentũ Dei.

2. Quartum. Antecedens probatur tripliciter. Item, agens creatum poteſt aliquid annihilare; ergo poteſt aliquid creare. Antecedens probatur tripliciter. Tum, quia agens creatum poteſt corrumpere formam naturaliter perficientem materiam totaliter, & ſecundùm totum, & ſecundùm partem; ergo & annihilare eam. Tum, quia culpa & gratia ſunt oppoſita incompoſſibilia; quia per culpam fit homo inimicus Deo, & per gratiam amicus, amicitia & inimicitia repugnant. Accipiendo ergo *efficere* communiter, & *efficere* poſitiuum & priuatiuum, quod poteſt efficere vnum oppoſitorum iſtorum, poteſt totaliter corrumpere aliud; voluntas creata poteſt vnum iſtorum in ſe producere, vt culpam; ergo poteſt aliud totaliter corrumpere, & ita poteſt gratiam annihilare. Tum tertiò, anima ex ſe poteſt habere in ſe deſperationem, & infidelitatem, & fieri infidelis; ergo poteſt corrumpere fidem, ergo & gratiam, quia fides formata non eſt ſine gratia, nec etiam ſpes; ſed eorum corruptio eſt annihilatio. Probatio conſequentiæ, quia æqualis virtutis eſt alicuius creatio, & eiuſdem annihilatio, quia eadem eſt diſtantia ab vno oppoſito ad aliud, & è conuerſo, quia 3. Phyſic. text. 21. *Eadem eſt via ab Athenis ad Thebas, & è conuerſo*: ergo æqualis virtus eſt quæ poteſt ſuper annihilationem, & ſuper creationem.

Æqualis diſtantia nihili ad aliquid, & è contra.

Reſpondetur primæ probationi antecedentis. Ad primam probationem antecedentis, dico quòd agens naturale non poteſt annihilare formam naturalem in materia, ſed tantùm corrumpere, poſt cuius corruptionem remanet illa forma in potentia materiæ, in quam reſoluitur: quod autem annihilatur, nullo modo manet, nec in ſe, nec in potentia materiæ.

Impugnatio reſponſionis. Contrà, quidquid eſt in potentia materiæ poteſt per agens naturale educi de potẽtia ad actum de materia: ſi ergo forma poſtquàm corrumpitur, remanet in potentia materiæ, poteſt educi de illa potentia; aut ergo illa forma poſtquàm corrumpitur, remanet eadem numero in potentia materiæ, aut eadem ſpecie; ſi remanet eadem

forma numero in potentia materiæ postquam corrumpitur, potest per agens naturale de illa potentia educi, & ita per agens naturale potest forma priùs corrupta eadem numero redire, & educi de nouo, quod est impossibile. Si dicas quòd non manet eadem forma numero post corruptionem, quæ præfuit, sed eadem specie tantùm, & alia numero, sequitur propositum, quòd prima forma per agens naturale sit simpliciter annihilata, quia ipsa secundùm se eadem numero non manet, nec in actu, nec in potentia materiæ, sed solùm in potentia agentis; quod non impedit aliquid esse annihilatum.

Arg. quintum. Augustinus.

Præterea, ad principale. Augustinus libro 83. quæstionum, quæst. 78. dicit; *Artifices ideò creare non possunt, quia agunt per corpus.* Si hæc consequentia sit bona, & præcisa, incorporalia, vt Angelus, vel anima, possunt ita se gratiam creare.

Sextum.

Item, Auctor de Causis propositione quarta, *prima rerum creatarum est esse, & non est ante ipsum creatum aliud.* Sed agens creatum potest coagere Deo producendo aliud secundùm *esse.* ergo & creare.

4. *Ratio ad oppositum.*

Contra, Augustinus super Genes. 7. cap. 21. *Angeli nullam omnino possunt creare naturam; solus enim Deus cuiuslibet naturæ tam magnæ, quàm paruæ creator est*, & si Angeli non possunt creare, multò magis nec aliqua alia creatura. Item Damascenus lib. 1. Orthod. cap. 18. *Qui dicunt Angelos posse creare, sunt omnes filij patris sui diaboli*, &c. Item Anselmus Monol. cap. 37. *sola diuina*, &c. Item Augustinus de ciu. 12. c. 24.

SCHOLIVM I.

Adducit Doctor primò rationes D. Thomæ, quibus intendit probare creaturam non posse creare, nec principaliter, nec instrumentaliter, quia terminus creationis est ipsum esse vt sic, quod soli Deo tanquam causæ vniuersali subest. Secundò, ponit rationem Henrici, & Richardi ad idem, quia inter terminum à quo *creationis, qui est* nihil, *&* ad quem, *qui est* aliquid, *est distantia infinita.* Tertiò, *ponit alias duas rationes Ægidij; primam, agens posterius, seu inferius supponit effectum agentis prioris, seu superioris. Secundam, nullum creatum agens est purus actus, quod, inquit, requiritur ad creandum.*

5. *Conclusio communis diuersis tamen rationibus probatur.*

REspondeo ad quæstionem, licèt omnes Doctores in conclusione conueniant, quòd scilicet nulla creatura habeat aliquam efficaciam respectu creationis gratiæ in anima, nec Magister aliter senserit, provt patet ipsum expendendo in litera, diuersi tamen diuersas rationes adducunt. Quidam enim hoc tenentes ostendunt quòd creatura non potest aliud producere in *esse* per creationem, nec vt agens principale, nec vt agens instrumentale, & secundarium, & ita nullo modo. Quòd non principaliter, siue vt agens principale, ostendunt sic. *Esse* est proprius effectus Dei, quod probatur ratione, & auctoritate. Ratione, quia effectus vniuersalissimus reducitur in causam vniuersalissimam, *esse* est effectus vniuersalissimus, quia *esse* & *ens* sunt illa, quæ primò occurrunt intellectui, sicut vniuersalissima & prima, propos. 4. de Causis. *Prima rerum creatarum est esse*; ergo habet reduci in Deum vt in causam vniuersalissimam; & ita creatio, quæ terminatur primò ad *esse*, est tantùm ipsius Dei.

Prima ratio D. Thomæ.

Nulla creatura vt causa principalis potest creare.

Auctoritate ostenditur sic: quod secundùm auctorem de Causis propos. 23. *Nulla Intelligentia, vel anima dat* esse, *nisi inquantum operatur operatione diuina*; ergo *esse* est proprius effectus Dei.

Neque vt instrumentalis.

Quòd verò nulla natura, nec creatura possit esse agens instrumentale effectus alicuius producendi per creationem, probatur: quia omne agens instrumentale dispositiuè agit ad terminum agentis principalis per aliquam actionem sibi propriam, vel per aliud sibi proprium; aliter frustrà adhiberetur instrumentum ad illud producendum, & non oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum, si naturaliter dispositiuè agerent ad terminum actionis agentis principalis, quia æquè posset in actionem suam agens principale per quodcunque instrumentum indifferenter.

An securis formam prioriam scindat.

Hoc idem declaratur per exemplum de securi, quæ per formam sibi propriam diuidit & scindit, quæ est dispositio immediatè ad formam statuæ, vel ciſtæ, quam intendit agens principale: sed nihil creatum potest dispositiuè agere ad terminum creationis, quod est *esse*, quod est etiam primò suppositum inter omnia alia, quia *esse* est primus effectus; ergo & ex hoc sequitur quòd inconueniens est dicere de aliquo corpore, quòd creet, quia secundùm eos, nullum corpus agit, nec in mouendo, & tangendo aliud, & ita necessariò præsupponit suæ actioni aliquod passum, quod potest tangi, vel moueri, termino creationis nihil præsupponitur; ergo, &c.

6. *Ratio secunda Henrici, & Ethic.*

Alij adducunt ad propositum alias rationes, quarum vna est ista: super distantiam infinitam non potest nisi virtus infinita: inter terminos creationis, qui sunt *esse* & *nihil*, est talis distantia; ergo super talem distantiã non potest virtus alicuius creaturæ, quia quælibet creatura est finita.

Confirmatur ista ratio; quia æqualis est distantia inter quæcunque contradictoria: sed gratia & non gratia sunt contradictoria, sicut ens & non ens; ergo æqualis est distantia inter hæc & illa; ergo virtus, quæ potest super vnam, potest super omnem; posse super omnem repugnat creaturæ; ergo & super aliquam.

Ratio tertia Ægidij.

Aliter ostenditur propositum sic: agens posterius præsupponit effectum agentis prioris, sic artifex in agendo artificium præsupponit effectum agentis naturaliter, & etiam agens naturale præsupponit effectum primi agentis, vt materiã primam: sed quodcunque agens creatum, quod est posterius ipso Deo in agendo, præsupponit effectum ipsius; sed præsupponere aliud suæ actioni non est creare illud, sed oppositum creationi, quia creatio est de nihilo; ergo, &c.

Quarta eiusdem.

Item, vnumquodque sicut se habet ad *esse*, ita ad *agere*; sed quodlibet creatum secundùm *esse* suum est mixtum cum potentia, & non purum: ergo & suum *agere*, & sua actio admixta est cum potentia; sed omnis entitas, vel actio admixta cum potentia, est cum mutatione & transmutatione 3. Physic. text. 9. quia *motus est actus entis in potentia.* ergo talis actio creaturæ non potest esse creatio, & per consequens nullum agens creatum potest creare.

Aristot.

SCHOLIVM II.

Rationes D. Thomæ refutat efficaciter; primò, ostendens duas propositiones, quas assumit, esse falsas, scilicet esse *simpliciter fieri à solo Deo, & hoc ipsum esse*

eſſe terminum creationis, & effectum vniuerſaliſſimum, ſoli Deo tribuendum. Reijcit etiam quod dicit de inſtrumento, & illius concurſu, optimè explicando quid ad rationem inſtrumenti requiratur; de quo in Oxon. hîc quæſt. 4. & d. 18. quæſt. 1. & d. quæſt. 5. & d. 13. quæſt. 1. ad 5. & in tract de Rerum princ. quæſt. 6. art. 2. Secundò, refellit rationem Henrici de infinita diſtantia, quia diſtantia tanta eſt, quantum eſt medium interiacens, vel ſi non eſt medium, quanta eſt entitas vnius extremi; & omne ens creabile oppoſitum nihilo eſt finitum, & ſic eius diſtantia à nihilo erit finita. Tertiò, refutat alias duas rationes Ægidij.

2. *Reijcitur 1. ratio D. Thomæ.*

IStæ rationes non videntur mihi concludere. Prima non: cùm enim dicit quòd *eſſe* eſt proprius effectus Dei, hoc eſt falſum; quia quodcunque agens, quod poteſt creare compoſitum, vel formam in materia, poteſt creare *eſſe* compoſiti, quia non eſt intelligibile formam eſſe in materia, & tamen quòd compoſitum non habeat *eſſe*; nam ſi *eſſe* eſſet aliquod accidens creatum à ſolo Deo, vt ipſi imaginantur, & Deus non neceſſitetur ad aliud creatum producendum, generatio compoſiti poſſet eſſe ad terminum ſuum, & tamen ſine *eſſe*, quod eſt impoſſibile, cùm generatio primò terminetur ad *eſſe*; ergo cuius cauſalitate eſt materia ſub forma, & forma etiam in materia, eiuſdem cauſalitate etiam compoſitum habet *eſſe*: ſed agens creatum habet cauſalitatem ſuper *eſſe* compoſiti: non eſt ergo *eſſe* effectus proprius Deo ſoli.

Confutatur eiuſdem rationis probatio.

Vniuerſale duplex in prædicãdo, & ſecundũ perfectionem.

Nec probatio primæ rationis iuſtum per hoc concludit, cùm enim dicit quòd effectus vniuerſaliſſimus habet reduci ad cauſam vniuerſaliſſimam, diſtinguo de duplici vniuerſali; quoddam enim eſt vniuerſale ſecundùm prædicationem, & communitatem; quoddam ſecundùm perfectionem, & continentiam virtualem. Quod dicitur vniuerſale ſecundùm cauſalitatem; & vtroque modo habet effectus vniuerſaliſſimus reduci ad cauſam vniuerſaliſſimam. Quando ergo dicitur in maiori, quòd *effectus vniuerſaliſſimus eſt à cauſa vniuerſaliſſima*; ſi intelligitur de vniuerſalitate cauſaliter, & virtualiter, ſic tantum valet, ac ſi diceretur quòd effectus nobiliſſimus, & maximè virtualiter eſt à cauſa nobiliſſima, & perfectiſſima in virtute, & ſic eſt maior vera, & iſto modo effectus vniuerſaliſſimus eſt primus Angelus, & nobilior creatura à Deo producta. Sed cùm dicitur in minore, quod *eſſe* eſt talis effectus vniuerſaliſſimus, ſecundùm virtutem, falſum eſt, quia *eſſe* non eſt nobiliſſimus effectus Dei, ſed imperfectiſſimus, quia per ſe includitur in effectu eius imperfectiſſimo; nihil enim eſt in vniuerſo ita imperfectum, quin includat *eſſe*, & omne agens quodcunque potens ſuper aliquod, poteſt ſuper *eſſe*: commune enim eſt ſecundùm ſe perfectis, & imperfectis. Si autem intelligatur maior, quòd effectus vniuerſaliſſimus prædicatione habet reduci in cauſam vniuerſaliſſimam prædicatione, hoc eſt falſum, quia effectus vniuerſalis prædicatione habet reduci in cauſam vniuerſaliſſimam prædicatione, & imperfectiſſimam, vt in plures cauſas, quia in omnes cauſas, & non in cauſam primam, vt eſt proprius effectus, quia eius proprius effectus eſt perfectiſſimus, iſte talis eſt imperfectiſſimus, nam quilibet effectus proprius aliquam perfectionem addit ſuper commune. Et iſto modo *eſſe*, quod per ſe includitur in omnibus effectibus, eſt effectus imperfectiſſimus; & ideò ſemper eſt fallacia æquiuocationis in argumento. Et ſi arguatur vniformiter vtrobique vniuerſalius in maiori pro vniuerſaliori ſecundùm perfectionem, vel difformiter ſumatur ratio vniuerſalis ex parte cauſæ, & effectus, tunc primo modo maior eſt vera, & minor falſa. Secundo modo maior eſt falſa, & minor vera, & ideò nihil ſequitur.

Author de cauſis nõ facit pro ipſis.

Quod etiam adducunt ex auctore de Cauſis, concludit contra eos, quia ſi intelligimus ſecundùm hunc auctorem quòd ens creatum non poteſt dare *eſſe*, niſi in virtute diuina; ergo ſecundùm eum poteſt dare *eſſe*, ſed virtute Dei, inquantùm ſcilicet recipit virtutem à Deo dandi *eſſe*. Et ita ſequitur quòd poteſt accipere virtutem creandi, cuius oppoſitum deberent probare.

8. *Refutatur alia probatio prima rationis.*

Quod verò dicunt de actione propria inſtrumenti, quæro de illa actione propria, an conueniat inſtrumento ſecundùm aliquid ſibi proprium? aut conuenit iſta actio ſecundùm formam propriam, aut ſecundùm quod eſt inſtrumentum motum à ſuperiore agente. Si primo modo, ergo virtus illius actionis propriæ eſt agens primum, & principale, & non inſtrumentum; quia virtus illius actionis nulli alij ſubordinatur, & omnis actio quæ conuenit alicui, vt principali agenti, non conuenit ſibi præcisè vt inſtrumento. Si verò iſta actio ſibi propriè non competat ſecundùm formam propriam, ſed ſecundùm quòd mouetur ab agente principali, ergo nulla actio conuenit ſibi propria inquantùm eſt inſtrumentum agentis principalis, niſi per accidens, & tale eſt ſeparabile. falſa eſt ergo illa maior, quòd omne agens inſtrumentale habet actionem propriam per aliud ſibi proprium, præter illam, quæ attribuitur agenti principali.

Inſtrumenta artis quid efficiant?

Et cùm probant de ſerra, quòd illius eſt propriè diuidere, vel ſecare, quæro à qua forma ſibi intrinſeca habet ſerra illam actionem ſibi propriam? Non à figura, vel quantitate eius, quæ ſunt magis intrinſecæ; quia quando inſtrumentum non habet talem figuram, vel talem quantitatem, non diuidit, quia neutrum eorum eſt forma actiua. Non figura, quia eſt de tertia ſpecie Qualitatis; nec quantitas, quia conſequitur primò principium paſſiuum.

Si etiam iſtæ formæ eſſent actiuæ, ſequeretur quòd Mathematicus cõſiderans quantũ, vel etiam figuram, vt quadrangulum, vel triangulum, non abſtraheret à motu, & actione, quod falſum eſt: diuidere ergo ſecundùm quòd actio, non eſt à ſerra. Si verò diuidere ſit motus localis, tunc ſerra non mouet actione, ſed mouetur paſſione à principali agente: quia enim duo corpora non poſſunt eſſe ſimul in eodem loco, ideò eorum ſimultas in eodem loco eſt eorum formalis repugnantia. Ideò ſicut in motu alterationis, & motu ad formam, agens eadem actione, qua facit vnam formam ineſſe, facit aliam abeſſe; ita in motu locali agens eadem actione, qua mouet vnum corpus in vnum locum, expellit aliud corpus ei incompoſſibile ab illo loco: eodem modo eſt de ſerra, & diuiſione: ſerra non habet diuidere ex ſe, ſed motus eius eſt à manu, & diuiſio conſequens motum, & ſunt duo effectus ordinatè agentis. Quod autem diuidit eſt manus mouens localiter primò ipſam ſerram, vt primum effectũ eius, & ſecundò, quia duo corpora non poſſunt eſſe ſimul, diuidit lignũ, ſecuris enim & ſerra, quia ſunt inſtrumenta acuta, ſunt facilè mobilia,

maximè ſecundùm motum grauitatis. Et ideò inquantùm ipſa mouentur actiuè ab artifice expellunt aliud corpus diuidendo, vel alio modo ſcindendo, vel copulando ſecundùm conuenientiam formæ artificialis, & ſecundùm quòd diuidere dirigitur ab artifice, mouendo ea. Non ergo ſerra, vel ſecuris agit effectiuè, ſed tantùm paſſiuè, ſecundùm quòd ab agente mouetur. Vnde eadem actione, per quam ſerra, vel ſecuris mouetur à manu, ipſa pariter diuidunt & ſeparant, & ſecundùm motu quòd velociùs mouentur à manu, vel maiori motu, ſecundùm hoc citiùs diuiduntur partes, vnde quia agens primò & immediatione effectus, facit effectiuè corpus in tali loco, deinde effectiuè remouetur aliud corpus ab illo loco, creditur vnum corpus agere in aliud, quod non eſt verum. Sic in propoſito eſt de ſecuri mota, & eius diuiſione.

9. *Reiicitur alia probatio deſumpta ex cauſa inſtrumentali.*

Item, ratio de inſtrumentali agente non concludit; quia maior eſt falſa: cùm enim dicit quòd agens inſtrumentale agit diſpoſitiuè per aliud ſibi proprium ad terminum principalis agentis: aut intelligit quòd ſic agat per aliud ſibi proprium, & non in virtute principalis agentis: aut intelligit quòd illud proprium, per quod ſic agit, ſit forma eius, per quam tamen non agit, nec in virtute alterius. Si primo modo, ergo non agit vt inſtrumentum; ſi ſecundo modo agat per aliud ſibi proprium, in virtute tamen alterius, vt principalis agentis, adhuc eſt propoſitio falſa, quia ſecundùm eos, agens inſtrumentale quandoque poteſt attingere ad effectum principalis agentis, quando non agit diſpoſitiuè: vt qualitas virtute ſubſtantiæ in inſtanti generationis inducit formam ſubſtantialem, nec tamen tunc agit diſpoſitiuè. Accidit enim ei inquantùm attingit effectum, & terminum principalis agentis, quòd priùs agat diſpoſitiuè; in inſtanti enim inductionis formæ ſubſtantialis agit ſecundùm eos; ergo non eſt neceſſe quòd ſit diſpoſitiua termini principalis agentis.

Quando inſtrumentum diſponit ad effectum principalem, & quando non.

Iſtud etiam apparet in artificialibus, nam artifex vtens pluribus inſtrumentis ad effectum aliquem artificialem producendum, ſi per vnum inſtrumentum agat diſpoſitiuè ad terminum principalis agentis, & per aliud inſtrumentum inducat formam termini principalis intenti ab agente principali, ibi inſtrumentum attingeret effectum, & terminum principalis agentis, etiamſi nunquam ageret diſpoſitiuè. Et ſi totum poſſet facere per vnum inſtrumentum, accidit quòd priùs ageret diſpoſitiuè. Nunquam enim attingit terminum, & effectum principalis agentis. Ita in agentibus per naturam, ſi agens naturale poſſet per inſtrumentalem actionem ſtatim inducere formam ſuam ſubſtantialem, quam intendit inducere, ſtatim induceret, licèt ſit inſtrumentaliter agens, nec priùs diſpoſuerit, & ideò quòd ſic agat diſpoſitione præuia, hoc accidit.

Per hoc patet ad exemplum eorum de ſecuri. Ideò enim priùs agit ſecuris diſpoſitiuè ad formam domus, quàm inducatur forma domus, & terminus principalis agentis, vt artificis, quia ibi ſunt multæ actiones ad inuicem ordinatæ, quarum vna diſponit ad aliam; ſed inquantùm attingit terminum principalis agentis, vt inſtrumentum eius, accidit quòd diſpoſitiuè agat; non enim ſic diſpoſitiuè agit, quia inſtrumentum, ſed quia eius actio ordinatur ad aliam, & præſupponitur illi.

Secunda etiam ratio principalis de diſtantia infinita non concludit; quia ibi nulla eſt diſtantia media inter extrema, ſicut eſt in genere Quantitatis, de media diſtantia inter duo puncta, vel duo loca, vel qualeſcunque terminos tales. Tanta præcisè eſt diſtantia inter illa extrema, quantum eſt extremum nobilius, vel exiſtens. Patet de diſtantia illa, quæ ponitur inter Deum & creaturam, quæ ponitur infinita ab omnibus; ſed inter extrema contradictionis nulla eſt media poſitiua diſtantia, quia contradictoria non habent medium; ergo tanta eſt diſtantia inter contradictoria, quantùm eſt extremum nobilius, vt inter terminos creationis *eſſe* & *non eſſe*; gratiæ & non gratiæ; extremum nobilius, vt *eſſe* gratiæ, eſt finitum; ergo & diſtantia inter illa erit finita. Et ideò licèt ſit æqualis incompoſſibilitas inter omnia contradictoria, non tamen æqualis diſtantia; quia non eſt æqualis omnium extremorum contradictionis. Dicitur enim diſtantia inter contradictoria infinita, id eſt, indeterminata, quia non determinat ſibi maximam, neque minimam. Sequitur oppoſitio contradictionis ad minimam oppoſitionem, quia non poteſt ita parum recedi ab vno contradictoriorum, quin ſtatim fiat ſub alio extremo. Permittit etiam diſtantiam maximam, quia ſi eſſet maior maxima poſſibili, adhuc contradictoria dicerentur diuiſim de illa.

10. *Reiicitur ſecunda ratio Henr.*

Diſtantia ſumitur à medio, vel ab extremo nobiliori.

Contradictoria diſtant in infinitum, explicatur.

Item, tertia ratio non concludit, cùm enim dicit quòd agens ſecundarium præſupponit effectum principalis agentis prioris, aut intelligit quòd præſupponit effectum prioris agentis, circa quem agat, vt quoddam ens ſubiectum, & tunc petitur concluſio ibi præmiſſa. Aut intelligit, quòd præſupponit aliquem effectum primi agentis, & ſic eſt verum, quia agens ſecundarium in agendo præſupponit ſe eſſe, quoniam ſecundùm ſe totum eſt effectus ipſius Dei, & tunc non ſequitur concluſio, iſto modo, præſuppoſito effectu primi agentis. Nec exemplum adductum multùm valet. Artifex enim præſupponit materiam, & effectum agentis naturalis, quia non inducit formam naturalem, ſed tantùm formam accidentalem, vt formam artificialem, & ideò præſupponit agens artificiale effectum agentis naturalis, quia eſt effectus ſecundarij, vt agentis naturalis.

11. *Tertia ratio petit principium.*

Quare artifex requirat ſubiectum in operando.

Quarta etiam ratio, cùm dicit quòd omnis actio agentis creati eſt mixta cum potentia, & non pura, non valet; quia ſi per iſtam impuritatem intelligat carentiam perfectæ actualitatis, quia deficit à perfecta actus ratione, potens in ſe deficere, licèt non habeat potentiam, ſcilicet partem eſſentialem ſibi intrinſecam; ſic concedo omnem creaturam eſſe impuram, quia cuilibet creaturæ deficit aliquis gradus entis potentialis, & poſſibilis ineſſe toti enti; ſed iſta impuritas, vel potentialitas non conuenit motui, vel mutationi; quia motus, vel mutatio non eſt niſi in entibus creatis mutabilibus, & corruptibilibus imperfectis, compoſitis ex actu, & potentia, tanquam ex partibus eſſentialibus intrinſecè. Si autem intelligat, quòd omnis creatio creaturæ eſt ſic mixta cum potentia impura, quia eſt actus entis imperfecti in potentia, ſecundùm quòd in potenia ad vlteriorem perfectionem in ſe habendam per motum, vel mutationem, petit quod debet probare; quia *eſſe* naturæ ſimplicis, vt Angeli, vel animæ, non eſt in potentia impura,

12. *Quarta ratio excludit propoſitum.*

puræ, & ideò non videtur niſi quòd iſtæ rationes neceſſariò concludant propoſitum.

SCHOLIVM III.

Præmiſſa creationis *duplici acceptione, adducit Doctor primò opinionem Auicennæ, aſſerentis primam Intelligentiam creare ſecundam, & ſecundam creare tertiam, & ſic deinceps vſque ad vltimam, à qua eſt anima orbis. Quid verò in hac re ſenſerit Philoſophus, fusè tractat Doctor in Oxon. d. 43. q. 2. de immortalitate animæ, & in tractatu de Rerum princip. quæſt. 9. hîc exiſtimat verius ſecundùm Philoſophum dicendum, quòd licèt poneret formam rationalem produci à Deo immediatè, non tamen creari, ſed totum ſimul mutari à* non eſſe *animato ad eſſe animatum, quia ſecundùm ipſum, ex nihilo nihil fit. circa iſta vide Doctorem in Oxon. 1. d. 8. q. vlt. à num. 5.*

12. *Reſpondet quæſtioni duplicem creationis acceptionem præmittendo.*

Reſpondeo ergo ad quæſtionem, quòd *creatio* dupliciter poteſt accipi: vno modo propriè, excludendo à creante omnem aliam cauſam concreantem, præter cauſam finalem, quæ mouet cauſam efficientem, & creantem ad creandum; & excludendo cauſam materialem, efficientem, ſecundariam, & formalem, quæ eſt pars rei; & ſic creatio eſt productio alicuius in *eſſe* ſine quacunque alia cauſa concreante primo creanti, excepta cauſalitate finis. Finis enim, vt dictum eſt, mouet efficientem ad agendum, & non poteſt ab eius actione excludi. Et iſto modo concedò quòd Deus ſolus creat. Licèt enim quodcunque aliud à Deo poſſet aliud producere de nihilo, neceſſariò tamen præſupponeret aliud agens in actione ſua, vt primam cauſam, & ita non eſt poſſibile iſto modo aliquam creaturam creare aliquid. Alio modo accipitur *creatio* ſolùm excludendo cauſam materialem concauſantem: & iſto modo creatio eſt productio alicuius de nihilo, quia de nulla materia, & hoc modo accipiendo eam, difficile eſt prohibere, quin poſſit creatio competere agenti creato reſpectu multorum, vt reſpectu formarum per ſe ſubſiſtentium, cuiuſmodi ſunt Angeli, ſi ſunt formæ ſimplices; & etiam reſpectu formarum, quæ non educuntur de potentia materiæ vt animæ intellectiuæ; ſiue reſpectu formarum accidentalium, vt ſunt, fides, ſpes, intelligere, velle & huiuſmodi.

13. *Auicennæ ſententia de productione Intelligentiarum, & animæ intellectiuæ.*

De primis autem formis ponit Auicen. 9. *Metaph. cap.* 4. quòd Intelligentia ſuperior creauit aliam Intelligentiam ſibi proximam, non quòd omnes Intelligentiæ ſint à primo immediatè productæ, vel creatæ; ſed quòd proxima primæ Intelligentiæ ſit à prima Intelligentia, & proxima ſecundæ Intelligentiæ ſit ab ipſa ſecunda, & proxima tertiæ à tertia, & ſic deinceps vſque ad vltimam, à qua eſt anima orbis. Ita quòd ſecundùm ipſum vnum tantùm ſit ab vno, quia quælibet agit naturaliter. Et ſi Ariſtoteles concors ſit cum eo in iſtis duabus propoſitionibus, ſcilicet quòd Intelligentiæ ſint productæ, & non ex ſe, & quòd ab aliquo non poſſit eſſe niſi vnum, idem poneret ipſe, quòd vna ſcilicet Intelligentia, crearetur ab alia, accipiendo *creationem* prout *eſſe* ipſius producti eſt per creationem, & ſequitur ſuum *non eſſe*, natura, & non durationem, vt Auicenna loquitur de creatione.

Creationem quomodo Philoſophi admittebant.

Formas corporales nec creare, nec creari poſſe omnes Philoſophi ſenſerunt.

De formis autem corporalibus concorditer ſenſerunt omnes Philoſophi, quòd non ſolùm non poſſunt creare, ſed etiam nec creari, quia omnes poſuerunt neceſſariò educi de potentia materiæ. Ordo autem cauſarum ſecundùm eos, eſt eſſentialis, ita quòd ſicut efficiens eſt cauſa neceſſaria in ſuo ordine cauſandi, ita & materia eſſet cauſa neceſſaria in ſuo ordine cauſandi, & ideò nulla forma corporalis poſſet eſſe in materia per eos, niſi per generationem.

Quid de anima rationali ſenſerit Ariſtoteles, dubium eſt.

De forma autem intellectiua quid Ariſtoteles de ea ſenſerit, eſt dubium; ſi enim poſuit eam eſſe formam naturalem corporis organici ſicut videtur ipſam ponere, 1. *Ethic.* & 4. *Ethic.* & 2. *de Anim.* quia poſuit felicitatem hominis conſiſtere in actu animæ intellectiuæ in ſpeculatione, & poſuit ipſam eſſe immortalem, & ſeparabilem à corpore, ſicut perpetuum à corruptibili; tunc neceſſe habuit eam concedere eſſe ab extrà, quia illa, quæ educitur de potentia materiæ, non ſic poſſet ſeparari; non tamen poneret eam creari, etiamſi ſit ab extrà. Nam circa animæ creationem ponimus duplicem mutationem, vnam à *non eſſe* animæ ad *eſſe* eius, aliam à non animato corpore, ad corpus animatum, ſecundùm quam mutatur corpus organicum animatum. Primam mutationem non ponit Ariſtoteles, ſed ſecundam tantùm, & ideò non concederet creationem, ſed poneret totum ſimul mutari à *non eſſe* animato ad *eſſe* animatum, licèt nihil animæ præfuiſſet: ſicut in forma corporali non mutatur forma à *non eſſe* ad *eſſe*, ſed totum compoſitum primò ſic mutatur, etiamſi nihil formæ præfuerit.

Cur Ariſt. negaret animam creari.

SCHOLIVM IV.

Fide potiùs, quàm ratione conuincente, tenet Doctor creaturam non poſſe creare; quod probat primò, quia Angelus non agit niſi intellectione vel volitione, quæ ſunt accidentia, quibus nequit creare ſubſtantiam; alioquin effectus excederet ſuam cauſam. Secundò, probat ſubſtantiam corpoream non poſſe creare, quia non per formam, cùm hæc ſupponat materiam; nec per materiam, quæ eſt omnium imperfectiſſima entitas. Tertiò, quòd cœlum non poſſit creare, probat ratione aliorum ex Philoſopho, quia mouens & motum debent eſſe ſimul, cùm actio eorum ſit in contractu; ſed corpus cœleſte non poteſt eſſe ſimul cum aliquo inferiori, nec agere per contractum illius. Hæc ratio non videtur Doctori probabilis, demum creaturam nihil poſſe creare Doctor concludit, & probat in Oxon. hîc à num. 28. auctoritate Sanctorum.

14. *Prima concluſio. Creatura ſpiritualis non poteſt creare ſubſtantiam.*

SEd nos Chriſtiani aliter ponimus: non enim ponimus vnum Angelum creare poſſe inferiorem Angelum ſecundùm viam Auicennæ. Sic nec etiam aliquam formam ſubſtantialem infimam. Probatio, omnis intellectio Angeli eſt accidens; ergo non poteſt creare ſubſtantiam. Probatio antecedentis, quicunque intellectus poteſt intelligere omne ens, quia ex quo primum obiectum intellectus cuiuſlibet eſt ens, quodlibet contentum ſub ente eſt per ſe eius obiectum: ſunt autem intelligibilia infinita, quæ perfectè poſſunt intelligi ab intellectu perfecto, vt ſingularia, quæ poſſunt eſſe, & multiplicari in infinitum; ſed impoſſibile eſt aliquam intellectionem vnam Angeli eſſe infinitorum intelligibilium indiſtinctè, niſi ſit infinita; ergo cùm diuerſis intelligat rationibus, diſtinctè diuerſa intelligit, & quælibet eſt ſibi accidens.

Aliter probatur illud antecedens. Angelus poteſt intelligere vnum intelligibile poſt aliud, & non omnia ſimul, quia intellectus habens virtutem ſimul intelligendi infinita eſt infinitus; ergo nulla intellectio eſt ſua ſubſtantia. Probatio conſequentiæ : omnis ſubſtantia ſecundùm ſe nobilior eſt quocunque accidente; ergo & nobilior omni intellectione: ſed impoſſibile eſt formam imperfectiorem & ignobiliorem eſſe principium formale producendi perfectius, tam in agentibus vniuocè, quàm æquiuocè. Patet inductione in omnibus; ergo ſi intellectio Angeli eſt accidens, non poteſt eſſe principium formale producendi aliquam formam ſubſtantialem. Et idem arguitur de actu volendi. Si autem ponatur alia potentia à potentia intellectiua, & volitiua in Angelo, vt potentia executiua, illa non poteſt in aliquem actum, niſi in virtute actus intellectus, vel voluntatis, quia omne agens agit propter finem, quem ſecundùm ſe cognoſcit, vel in quem dirigitur ab agente ſuperiore finem cognoſcente.

15. *Obijcitur contra probationem concluſionis.*

Contra iſtam rationem inſto, vt magis declaretur. A domo, quæ eſt in anima, fit domus in re extrà, ſecundùm Philoſophum 7. *Metaph. cap.* 5. & tamen domus extrà habet verius *eſſe*, quàm domus in anima, vel in artifice, quia domus in anima eſt ſecundùm ſe diminuta, quia ſecundùm *eſſe* cognitum non fit in re extrà; ergo falſum eſt, quod principium formale producendi aliud, non poteſt in aliud perfectius ſe. A ſimili ergo intellectione Angeli poteſt produci forma ſubſtantialis, etiamſi intellectio ponatur accidens.

Reſpondetur obiectioni. Creatura participatiuè nobilius eſſe habent in Deo quàm in ſeipſis.

Domus intra pro quanto participat eſſe ipſius cognitionis perfectior eſt ſeipſa.

Reſpondeo, quòd aliud eſt aliquid eſſe verius tale, & eſſe verius ſimpliciter, & non verius tale. Exemplum, lapis enim habet verius *eſſe* in mente diuina, quia nobilius, & perfectius, quàm in re extrà, quia ibi *eſſe* habet intellectum & cognitum; non tamen habet ibi *eſſe* verius ſui, vel *eſſe* lapidis, quam lapis extra. Aliter enim Deus verius eſſet lapis ſecundùm *eſſe* lapidis extrà, quia quicquid eſt in Deo eſt Deus. Eodem modo intellectio domus, quæ eſt domus in mente, ſecundùm quam fit domus extrà, habet *eſſe* verius, perfectius & nobilius, quàm domus extrà, quia eſt forma intellectualis, & immaterialis, & vt ſic poteſt eſſe principium producendi domum extrà, quamuis domus extrà verius habet *eſſe* ſui, vel *eſſe* domus, quando eſt extrà, quàm domus vt cognita, vel vt in mente; domus tamen in mente ſimpliciter nobilius *eſſe* habet in mente, quàm extrà, & ideò vt ſic poteſt eſſe principium producendi ipſam. Sic ergo patet de formis ſpiritualibus, vt anima & Angelo, quòd ſcilicet non poſſunt creare aliquam formam ſubſtantialem.

16. *Concluſio ſecunda. Agens materiale non poteſt formam ſubſtantialem creare.*

De formis autem corporalibus, dico quòd ſi materia, & forma non differrent realiter, ſed eſſent vna eſſentia, videtur neceſſariò eſſe dicendum quòd agens naturale poſſet totum compoſitum creare : forma enim, ſecundùm omnes, ſubeſt cauſalitati totaliter agentis. Si ergo compoſitum non ſit niſi ſola forma, totum compoſitum eſſet totaliter, cuius nihil præfuit, & per conſequens nihil crearetur. Dato enim quòd aliud præfuit, etiam forma non eſſet tota eſſentia compoſiti. Si autem materia ſit aliud ab eſſentia formæ, quod credo eſſe verum, quia aliter oporteret compoſitum eſſe compoſitum ex aliquo & nihilo, tunc dico quòd nullum agens naturale poteſt aliud totaliter ex nihilo producere, nec per conſequens creare. Quod probo ſic: quando aliud ſecundùm totam ſuam rationem præſupponit aliud, nihil eius poteſt producere aliquid illius, ſed formæ materialis ſecundùm totam rationem ſuam præſupponit materiam: ergo nihil eius poteſt producere aliquid materiæ; ſed qualis eſt ordo inter agentia ſecundùm ſe tota in communi, talis eſt ordo eorum in ſuis inferioribus vt indiuiduis, vt ſi albedo ſecundùm totam ſuam ſpeciem ſit prior nigredine, quodlibet indiuiduum albedinis eſt prius quolibet indiuiduo nigredinis, & per conſequens nullum indiuiduum nigredinis poteſt producere indiuiduum aliquod albedinis; ergo nec aliqua forma corporalis, vel materialis perficiens materiam, & eam naturaliter præſupponens poſſet eam producere.

Dubium.

Sed adhuc non eſt probatum quin cœlum poſſet producere de nouo iſta corporalia, & compoſita, & per conſequens creare, quia ipſum non eſt poſterius materia, nec præſupponit eam, vt videtur, ſicut aliæ formæ corporales.

Soluitur ad mentem aliorum.

Hîc dicitur quòd cœlum non poteſt totum producere, quia ſecundùm Philoſophum 7. *Phyſ. text.* 10. mouens & motum oportet eſſe ſimul, quia actio eorum eſt in actu; ſed corpus cœleſte non poteſt eſſe ſimul alicui inferiori, nec agere per contactum in aliquod inferius, niſi per medium alteratum, vt per lumen, & per alias qualitates, & impreſſiones actiuas, & ideò præſupponit id, quod debet alterari, & per conſequens non poteſt illud creare. Et hæc ratio aliquorum valeat quantum poteſt: non videtur mihi quòd adeò valeat De hoc aliàs *. Sed de anima intellectiua, quòd non poteſt creari à corpore, patet, quia eſt nobilior omni forma corporali, nec ab Angelo, vt priùs probatum eſt; ergo à ſolo Deo.

* *In 2. d. 9. q. 3. & d. 25.*

17. *Concluſio tertia. Gratia à ſolo Deo creatur.*

De gratia, quòd à ſolo Deo poſſit creari, ſic oſtenditur; Gratia eſt ratio formalis acceptationis animæ à Deo, & non eſt niſi Deus, quia nihil aliud efficit in anima, vt acceptetur tanquam digna vita æterna; ergo gratia ſolummodo eſt à Deo.

Item, gratia in mente ordinat animam ad Deum, vt ad finem vltimum; ſed primum agens, & vltimus finis inuicem ſibi correſpondent; illa ergo forma, quæ ſolùm, & maximè ordinat in vltimum finem, eſt ſolùm & maximè à primo agente; aliter non haberet ex ſe ordinare animam ad vltimum finem; gratia ergo à ſolo Deo creatur.

Auguſtinus.

Confirmatur per Auguſtinum, lib. 8. quæſt. 53. qui eodem modo arguit de veritate, dicens, *Deus per ſeipſum neminem decipit, eſt enim puræ veritatis, & iuſtitiæ, dignis tamen digna tribuens, quia hoc pertinet ad veritatem; & iuſtitiam, vt omnis præmietur pro meritis.* Et ſic patet propoſitum ſpecialibus rationibus, quoniam communes hoc non ſufficiunt oſtendere.

18. *Ad argum. principale reſponſio aliorum.*

Ad primam rationem dicunt illi de prima ratione ſuperiùs improbata, quòd agens inquantùm in Sacramento inducit aliquam diſpoſitionem reſpectu gratiæ, habet virtutem, vt corpus tangat, & cor abluat: ſed iſti videntur ſibi ipſis, in alia ratione ſuperiùs poſita, contradicere, per quam probant quòd nulla creatura poteſt diſpoſitiuè agere ad terminum creationis, hîc autem dicunt aquam inducere

in

in animam, quandam diſpoſitionem reſpectu gratiæ.

Dico autem quòd anima cor abluit diſpoſitiuè, vt patet in ſequentibus; ſic enim homo generans hominem, ſecundùm corpus perfectè organicum, quodammodo diſpoſitiuè agit ad inductionem vltimæ formæ hominis, quia ſic ſtatuit Deus, vt natura agente in vltimum, in quod poteſt Deus perficiat, & ſuppleat, quod deficit. Ita poteſt verè dici ſacramentum Baptiſmi diſpoſitiuè agere ad gratiam, quia ſic pepigit Deus cum Eccleſia, vt quandocunque eſſet tale ſignum efficaciter ſignans ſignatum, quod datur in Sacramento, Deus aſſiſteret ad dandum quod ſignum ſignificat.

19. *Ad ſecundũ.* Ad ſecundum argumentum principale, dico quòd nullus effectus finitus poteſt adæquari potentiæ Dei quantùm ad omnia, vt quantùm ad perfectionem, quia ſi eſſet effectus infinitus ſicut cauſa, & potentia eius eſſet infinita, tunc non eſſet effectus eius; ſed eſſet idem cum eo. Poteſt tamen aliquis effectus finitus adæquari potentiæ Dei infinitæ quantùm ad modum producendi, quia modus ille, quo producitur, competit ſoli Deo, & ita eſt gratia à ſolo Deo per creationem, & ita concedo quòd excedit omnem virtutem creatam iſte modus producendi aliquid de nihilo.

Ad tertium. Ad tertium, quando argumentatur quòd agens inſtrumentale plus poteſt in virtute principalis agentis, quàm in virtute propria; dico quòd illud *plus poſſe* poteſt intelligi benè & malè, quòd enim inſtrumentum, vel cauſa poteſt in aliquid, quod non eſt impoſſibile formæ inſtrumentali, etiam virtute cuiuſcumque agentis, vt cauſæ primæ, & principalis, hoc eſt impoſſibile, vt quòd Deus per calorem producat frigus, quia iſtæ formæ in ſe, & in ſuis qualitatibus formaliter ſibi inuicem repugnant. Vnde ſicut Deus non poteſt facere quòd frigidum manens frigidum, calefaciat, ita non poteſt facere quòd naturale virtute cuiuſcumque creet, vel producat effectum ſupernaturaliter; & ita *plus poſſe* malè intelligitur, ſi intelligitur quòd inſtrumentum virtute principalis agentis. & cauſa ſecunda virtute cauſæ primæ plus poſſunt, hoc eſt ab vtroque, ſcilicet cauſa principali & inſtrumentali; & cauſa prima & ſecunda ſimul, poſſet eſſe, & produci aliquid perfectiùs, quàm à ſolo inſtrumento, vel à ſola cauſa ſecunda, verum eſt. Nunc autem creare & producere aliquid ex nihilo repugnat cuilibet creaturæ, & ideò reſpectu creationis gratiæ nulla creatura poteſt eſſe inſtrumentum Dei.

20. *Ad quartum. Quid ſit annihilare.* Ad quartam rationem, quando arguitur quòd creatura poteſt gratiam annihilare, dico quòd *annihilare* non eſt agere aliquid, ſed eſt non conſeruare aliquid in *eſſe*, quod habuit: conſeruare autem, & non conſeruare, eſt proprium Deo; ergo & annihilare. Ad probationem antecedentis, cùm dicitur, potens producere vnũ oppoſitorum, etiam poteſt corrumpere aliud, verum eſt quando ſunt formaliter oppoſita; ſed ſi ſic ſubſumas, quòd peccatum, reſpectu cuius habet cauſa naturalis aliquam efficaciam, opponitur ſic gratiæ, demeritoriè verum eſt, quòd eſt cauſa corruptionis eius, ſed nullo modo formaliter. Quando enim anima auertit ſe à Deo, & conuertitur ad peccatum, facit demeritoriè quòd gratia in ea non conſeruetur à Deo, ſed annihiletur. Quemadmodum oculus auertens ſe à Sole facit quòd non illuminatur, non aliqua actione poſitiuè, ſed negatiuè: & ideò quando anima ſic ſe auertit à Deo per culpam, Deus non conſeruat gratiam, priùs tamen ſemper ſe auertit anima à Deo per culpam, quàm Deus auferat gratiam. Eodem modo dico ad probationem de fide, quia fides infuſa, & infidelitas non ſunt oppoſita formaliter, ſed tantùm demeritoriè, & ideò fidem infuſam non poteſt formaliter infidelitas corrumpere; poteſt tamen formaliter infidelitas corrumpere fidem acquiſitam, cui formaliter opponitur: non enim eſt inter peccatum mortale & gratiam, vel inter fidem infuſam, & infidelitatem formalis repugnantia, ſed tantùm demeritoria; poſſet enim Deus ſine contradictione creare gratiam in Diabolo, aut in anima exiſtente in peccato mortali, ex quo eſt quid abſolutum, nec requiritur forma contraria neceſſariò abiicienda.

Peccatum opponitur gratiæ demeritoriè non formaliter.

Habitus infuſi non corrumpuntur per actus cõtrarios phyſicè.

Gratia cum peccato eſſe poteſt de potentia abſoluta.

Ad authoritatem Auguſtini de 83. quæſtionibus quæſt. &c. *Ideò artifices non poſſunt creare, quia agunt per corpus*, dico quòd hæc eſt vna ratio, quare artifices non poſſunt creare, ſed non eſt præciſa, & tota ratio; ideò non ſequitur concluſio, quia in cauſis præciſis benè tenet talis modus arguendi, ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis, & negatio eſt cauſa negationis.

21. *Ad quintum.*

Ad illud Authoris de Cauſis, dico quòd ſic eſt intelligenda illa propoſitio quarta, quòd prima perfectio in rebus creatis ordine originis, & naturæ eſt *eſſe*, ſed non ordine perfectionis: ſi enim *eſſe* eſſet vnus actus datus à Deo poſt formam ſubſtantialem, tanquam accidens ei, vt alij imaginantur, non video quomodo eſſet prima perfectio in rebus creatis, nec quomodo eſſet primus terminus creationis, & effectus propius Deo.

Ad ſextum. Prima perfectio rerum creatarum eſt eſſe, explicatur.

QVÆSTIO II.

Vtrùm hæc ſit per ſe eſſentialis definitio Sacramenti, quòd eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma?

Auguſt. 10. *Ciuit. cap.* 5. Iſidor. 6. *Etymol. cap.* 28. Hugo Victorin. *de Sacram. part.* 9. *cap.* 1. Alenſ. 4. *part. quæſt.* 1. *memb.* 4. *& quæſt.* 8. *m.* 2. D. Thom. *hic quæſt.* 1. *&* 3. D. Bonauent. *ibid. dub.* 2. *literali.* Richard. *art.* 1. *quæſt* 1. Aureol. *quæſt.* 2. *art* 2. Durand. *quæſt.* 1. Suar. 3. *part. tom.* 3. *diſp.* 1. *ſect.* 4. Vaſquez 3. *part. diſp.* 127. Scotus *in Oxon. hic quæſt.* 2.

ARGVITVR quòd non. Definitio non eſt niſi illius quod eſt per ſe vnum. Patet 7. *Metaph. text. cap.* 16. Homo albus *ibidem* ſecundùm eum, non poteſt definiri, Sacramentum non eſt aliquid per ſe vnum; ergo eius non eſt aliqua vna definitio; ergo prædicta definitio non valet. Minor patet per Auguſtinum ſuper Ioann. Homil. 88. & ponitur 1. quæſt. 2. cap. *Detrahe*, & habetur in litera diſt. 3. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, verbum eſt eſſentialiter ſucceſſiuum, quia eſt in continua prolatione, elementum, vt aqua, & permanens; ex ſucceſſiuo, & permanente non fit vnum; ergo Sacramentum non eſt per ſe vnum.

1. *Argum. primum.*

Item, Sacramentum eſt forma, aut ergo forma exemplaris, aut forma informans? non forma exemplaris, quia forma exemplaris non mutat id, cuius eſt; vt exemplatum, ſed è conuerſo; Sacramentum autem magis mutat gratiam, quàm è

Secundum.

conuerso. ergo non est eius exemplar. Nec forma informans; patet, quia verba non informant aquam, vt manifestum est; ergo, &c.

Tertium. Item, verbum requiritur in omnibus Sacramentis; quòd non est visibile. non ergo est vniuersaliter visibilis forma; sed audibilis.

Quartum. Item, vnius rei vna est definitio: sed Sacramentum definitur per Augustinum 10. de Ciuitate, cap. 5. quòd *est Sacra rei signum*, vt patet in litera, non ergo hæc est eius definitio.

Contrà. Oppositum patet in litera, & de Consecr. dist. 2. *sacrificium.*

SCHOLIVM I.

Ostendit hîc possibilitatem Sacramenti, declarando Deum posse creare in anima aliquem effectum inuisibilem, per quem homo ordinaretur ad gloriam, & esset Dei amicus; ad quem effectum significandum potuit Deus instituere aliquod signum, quod illud efficaciter repræsentaret, & esset Sacramentum. Pro cuius declaratione adducit signi definitionem, & præmissis eius tribus diuisionibus declarat quale ex illis sit Sacramentum, & ponit congruitatem institutionis Sacramenti.

2. Diuidit quæstionem in tres articulos. REspondeo ad quæstionem, declarando hîc tria, quæ sunt necessariò videnda. Primò, est videndum de re significata per Sacramentum, cui attribuenda est definitio. Secundò, videndum est si talis res posset habere definitionem. Tertiò, an definitio illius rei importatæ per Sacramentum, sit ista prædicta, quæ est *inuisibilis gratiæ*, &c.

Articulus primus. Circa primum, præmitto quòd Deus potest aliquem effectum inuisibilem creare in anima, per quem ordinetur homo ad salutem, & sit amicus Dei: homo enim modò multis defectibus est subiugatus, quia enim homo ille, qui incidit in latrones, à rectitudine ordinis ad Deum potest multipliciter deuiare, quia *proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua*, vt scribitur in Genes. cap. 5. ideò indiget aliquo beneficio Samaritani, & aliquo effectu inuisibili, per quem, & perueniat ad salutem, & acceptetur à Deo, vt amicus eius. Ad istum ergo effectum inuisibilem in anima significandum efficaciter, potest Deus instituere aliquod signum, quod illud efficaciter repræsentet: quia etiam nos hoc possumus. Nam & nos significantes voluntates nostras de aliquo esse firmas, & in aliquo firmari, statuimus, & facimus signa, quæ illas certitudinaliter & efficaciter repræsentant. Patet in sponsionibus, fideiussionibus, iuramentis, & huiusmodi pactionibus. Non solùm autem potest statuere huiusmodi signum, vt acceptetur sibi aliquis, sed congruebat ei talia signa instituere, vt homo lapsus in peccatum ignorantiæ instruatur quoad intellectum, per visibilia credere, & cognoscere inuisibilia, & excitetur quoad effectum obliquata malitia ad deuotiùs illum effectum inuisibilis gratiæ admittendum.

Institutio Sacramẽtorum, & finis clarè ostenditur.

3. Signum duo importat. Istud autem sic à Deo institutum duo importat, scilicet respectum ad signatum, quod signat, & ad fundamentum, in quo est respectus huius signi. Vnde signum dicitur respectiuè ad aliquod signatum, vt pater ad filium; & est etiam alicuius necessariò vt fundamenti, sicut patet per eius definitionem, quam Magister assignat in litera, *Est*, inquit, *signum res aliqua, præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se faciens in cognitionem venire.* Et cùm signum hoc duo importet, vel necessariò requirat, scilicet fundamentum & relationem, ex hoc sequitur quòd ex parte vtriusque potest distingui. Ex parte autem relationis, quam importat signum, distinguitur signum primò in signum naturale, quod naturaliter significat, & importat relationem realem ad signata, tum etiam, in signum ad placitum tantùm, & non naturale, quod importat relationem rationis, vt sunt voces, & nutus Monachorum, quia ista possunt significare alia, sicut ista, si placeret institutionibus, &c.

Definitio signi.

Prima signi diuisio in naturale, & ad placitum.

Alia est diuisio signi in signum, quod semper habet suum signatum secum, quantùm est ex parte sui, & tale signum est verum, & efficax, sicut Eclipsis est signum efficax interpositionis terræ inter Solem & Lunam; & ita est similiter de aliis signis naturalibus. Aliud est signum, quod non habet suum signatum secum, cuiusmodi signum est propositio, quam proferimus, quia non est in potestate nostra quòd tale signum, vt propositio secum habeat rem, quam significat, & hoc signum non est semper verum, sed aliquando falsum.

Secũda signi diuisio in efficax, & inefficax.

Tertia etiam est diuisio signi in signum rememoratiuum respectu præteriti; & in prognosticum respectu futuri; & in signum demonstratiuum respectu præsentis.

Tertia signi diuisio.

4. Quale sit hoc signũ à Deo institutum?

Ad propositum, dico quòd signum institutum à Deo ad significandam gratiam, non est signum naturale, quia tale signum non posset esse verum quantùm est ex parte sui, sine signato ex natura rei, quia oritur ex natura rerum; sed gratiam Sacramentum non habet vt signatum ex natura rei, sed ex institutione. Nec est signum falsum, quia tunc, vel frustrà statueretur, quia nullus illi signo crederet; vel si credatur illi signo, quòd significet gratiam, & gratia non datur, nec correspondet signatum; ergo Deus illo signo deciperet homines. Est ergo signum verum habens secum semper quantùm est ex parte sui suum signatum, vt gratiam, quam significat, aliquando tamen non habet secum id, quod significat, vt gratiam inuisibilem, quia aliquando tale signum potest adhiberi nolenti, vel fictè accedenti, vt Sacramentum Baptismi; & tunc non necessariò habet secum, quod signat propter impedimentum, non sui, quia quantùm est ex se semper habet secum gratiam inuisibilem, quam significat; sed propter impedimentum ipsius recipientis. Istud enim signum ita est verum, & efficax, licèt ad placitum, quòd semper habet secum, quod signat, & non quòd quandoque non ineat, sed semper quod ineat quantùm est ex se; & ideò signanter dicitur in eius definitione, quòd *præter speciem, quam ingerit sensibus*, hoc signum, *aliquid aliud facit quantùm est ex se in cognitionem venire*, & est efficax signum ad actionem, quia quæ signa non sunt actiua, non sunt Sacramenta, vnde quantùm est ex se, est signum verum, & non æquiuocum respectu gratiæ, si sit dispositio, vel non indispositio in recipiente Sacramentum, vel istud signum. Nec est etiam signum rememoratiuum, vel prognosticum, quia illa sunt quantùm est ex se, sine illo, quod significant, signatũ vtriusque est non ens, sed est signum demonstratiuum quantùm ad tertium.

5. Diuersa possunt esse signa ex parte fundamenti.

Quantùm etiam ad suum fundamentum, potest signum multipliciter diuidi. Potest enim hoc signum institui in vno sensibili vnius sensus, vt in re visibili, aut audibili; vel aliquo huiusmodi, sicut in suo fundamento; vel in pluribus sensibilibus

libus multorum ſenſuum; vel in multis ſenſibilibus eiuſdem ſenſus; vt oratio longa, in qua ſunt multa ſenſibilia, & multæ dictiones fundantes iſtam relationem importatam per huiuſmodi ſignum, poteſt ſignum inſtitui in vno ſenſibili, vel pluribus, vt dictum eſt.

Item, illa ſenſibilia plura, vel vnum, in quo inſtituitur Sacramentum, vel ſignum, vel habent conuenientiam naturalem ad ſignandum ipſum ſignatum, cuiuſmodi ſunt nomina Hebræa, impoſita ab Adam, qui impoſuit rebus ſecundùm conuenientias earum naturales ad res, vt creditur; vel ſecundùm conuenientiam ad placitum, vt hæc vox *homo* ſignificat naturam humanam ad placitum, nam naturaliter non plus rem vnam, quàm aliam ſignificat, & ſecundùm hoc dico quòd Deus Sacramentum inſtituit, vt eſſet ſignum ex inſtituente ad placitum, verum, & efficax, & demonſtratiuum in vno ſenſibili, & viſibili, vel audibili, vel in pluribus habentibus ſimilitudinem naturalem ad ſignatum, vt ablutio exterior, quæ eſt Sacramentum Baptiſmi, & fit in aqua, & verbis, ſignificat ablutionem animæ interiorem. Similiter in Euchariſtia ſenſibilis panis exterior, qui naturaliter nutrit, ſignificat animæ nutritionem, & refectionem interiorem, vel in vno ſenſibili non habente ſimilitudinem naturalem ad ſignatum, vt patet in Matrimonio, vbi tantùm ſunt verba, quæ ſignant interiorem conſenſum animorum tantùm ad placitum. Congruum ergo fuit Deum inſtituere aliquod ſignum ſenſibile, ſignificans ex inſtitutione veraciter, & demonſtratiuè gratiam inuiſibilem in vno ſenſibili, vel pluribus habente, vel habentibus conuenientiam naturalem, vel ad placitum cum ipſo ſignato, & hæc eſt deſcriptio, & definitio Sacramenti data de re, quam ſignificat hoc nomen *Sacramentum*. Dicitur autem magis *viſibilis forma*, quàm audibilis, propter nobilitatem ſenſus viſus ad omnes alios ſenſus, qui quodammodo eſt omnis ſenſus, ſicut homo eſt quodammodo omnis creatura, propter naturalem conuenientiam cum omnibus: & ideò ponitur in definitione Sacramenti loco omnium ſenſibilium.

Conuenienter inſtituta ſunt à Deo ſigna ſenſibilia, vt eſſent Sacramenta.

Cur ſpecialiter in definitione Sacramenti ponatur viſibilis forma.

SCHOLIVM II.

Explicat clarè quomodo Sacramentum ſit per ſe vnum in ratione ſigni, & ſi materialia ſunt diuerſa. Vnde reſoluit, Sacramentum eſſe diffinibile ad modum ſecundarum intentionum, quia habet genus & differentias ſuo modo. Secundò, affert diffinitionem Sacramenti eámque exponit. Tertiò, oſtendit ſuam definitionem non differre in re ab illa Magiſtri, ſed illam clariùs exponere.

6. *Articulus 2. Diſputat an Sacramẽtum definiri poſſit.*

DIco de re importata per *Sacramentum*, reſtat videre circa ſecundum, an realitas Sacramenti, cui competit hæc deſcriptio, habeat vnam definitionem? Non enim ſequitur, quòd ſi ſignificetur vno nomine, & habeat deſcriptionem exprimentem quid nominis, quòd propter hoc ſit vnum ſecundùm eſſentiam, cui competit propriè definitio. Sic enim *Ilias*, quod ſignificat vno nomine bellum Troianum, haberet vnam definitionem. Dicitur ergo quòd non habet vnam definitionem, quia non ſignificat per ſe vnum.

Contra, ſi vnum accidens eſſet in duobus ſubiectis, vt vna albedo in duabus ſuperficiebus, adhuc eſſet per ſe vnum definibile, quia nihil eſſet impediens vnitatem eius eſſentialem, cui ſemper competit definitio: ſed relatio ſigni, quam importat Sacramentum eſſentialiter ad gratiam, vt ſignatum, eſt vna eſſentialiter, licèt quandoque fundamenta ſint plura ſenſibilia, quæ non ſtatuunt ſecundùm ſe vnum aliquo modo eſſentialiter; ergo Sacramentum quantùm ad ſuum ſignatum eſſentiale, eſt per ſe definibile.

Dices quòd non eſt poſſibile relationem eſſe vnam, & fundamenta eſſe plura, cùm relationes ſpecificentur ex fundamentis.

Reſpondeo, ſiue ſpecificetur, ſiue non, de quo aliàs *, dico quòd licèt hoc non ſit poſſibile relatione reali, ſcilicet quòd ipſa ſit vna, & fundamenta plura, non tamen eſt impoſſibile de relatione rationis. Nam ſicut videmus in actibus humanis, & ſignis ad placitum, quòd circulus ornatus foliis viridibus appenſus baculo, & cũ multis talibus, eſt ſignum expreſſiuum muſti, vt ſignati, quod tamen muſtum eſt in ſe vnum, licèt ſignum eius fundetur in realiter diuerſis: ita poteſt voluntas diuina per actum ſuum ſtatuere orationem longam eſſe ſignum vnius rei, & gratiæ conferendæ, quod intellectus poteſt vno conceptu intelligere per illud, quæ tamen oratio multa realiter ſignificat, & includit, vt diuerſas dictiones, vel diuerſas orationes, ſumendo ſyllabas dictionum. Vel poteſt ſtatuere plura ſenſibilia, vt elementum, & verbum eſſe vnum ſignum ſignati, quod eſt inuiſibilis gratia, ad quam refertur relatione rationis vna, licèt fundetur in multis, ex quibus non poteſt fieri per ſe vnum.

* In 2. d. 1. q. 7.

Relatio rationis vnæ poteſt eſſe in pluribus fundamentis.

Sed poteſtne Sacramentum, quod ſignificat iſtam relationem rationis ad effectum gratiæ, definiri?

7. *Reſoluit Sacramentum, & etiam entia rationis quantùm ad vnitatẽ conceptus poſſe per ſe diffiniri*

Reſpondeo quòd non ſolùm in primis intentionibus ſignificantibus res extra, eſt prædicatio per ſe primo modo, ſed in conceptibus ſignificantibus res ſecundæ intentionis. Ita enim per ſe eſt hæc, *Species eſt genus ad multas ſpecies*, ſicut hæc, *homo eſt animal*, in ſuo ordine, quia hæc intentio ſecũda, ſcilicet *ſpecies*, habet ſub ſe multas ſpecies, & ſecundas intentiones, ſicut animal hominem, aſinum, & huiuſmodi; & ſicut in rebus, & conceptibus primæ intentionis fiunt diuiſiones, per formales, & reales differentias illius conceptus realis, ita in conceptibus ſecundarum intentionum, & relationibus rationis fiunt diuiſiones per differentias rationis correſpondentes. Signum autem in communi diuiditur in ſignum naturale, & ſignum ad placitum, quod dicit relationem rationis, diuiditur ſuis differentiis propriis, ſicut ſignum naturale ſuis, in ſignum verum & falſum; & ſimiliter in ſignum demonſtratiuum, & prognoſticum; & ſicut ſignum in communi dicitur de Sacramento per ſe, & genus ſuum, ita & ſuæ differentiæ aliquæ, quæ diuidunt ipſum, vt eſſe ex inſtitutione verum, & demonſtratiuum, dicuntur per ſe de eo. Si ergo loquaris de definitione, prout dicit vnitatem conceptus ſignificantis quiditatem rei extra animam eſſe per ſe vnam, ſic dico quòd Sacramentum non habet definitionem, quia tantùm eſt in ſe ens diminutum, & ens rationis in anima, cui repugnat eſſe in re extrà, tunc eſſet ſignum naturale, ſi poſſet eſſe in re, & non ad placitum. Si autem loquaris de definitione, prout dicit vnitatem conceptus quiditatiui, ſiue res ſignata ſit in anima, ſiue non, ſic dico quòd Sacramentum ſit *ſignum inuiſibilis gratiæ ex inſtitutione diuina efficaciter, vel veraciter eam repræſentans*;

sentans; vt signum ponatur loco generis, *inuisibilis gratiæ*: loco signati, & correlatiui, *ex institutione*, &c. ponitur loco differentiarum.

8. *Notabile dubium soluitur.*

Sed cùm relatio non possit esse, nisi in aliquo fundamento finito, cadétne in definitione Sacramenti finitum, sicut correlatiuum? Et videtur quòd non, quia fundamenta sunt sensibilia vnius sensus, vel plurium; quædam conformia naturaliter significatis; quædam ad placitum, quæ non sunt conformia, quæ non videntur posse cadere in definitione alicuius vnius.

Respondeo, & dico quòd à fundamentis specialibus omnium relationum Sacramentorum, vt ab aqua, & oleo, & verbo, & huiusmodi, potest abstrahi vnum commune, quod est sensibile vnius rationis ad omnia fundamenta specialia, vt ad visibile, audibile, tangibile, & similia: & id commune omnibus potest cadere in definitione Sacramenti, vt additum commune. Relatio enim, sicut accidentia aliqua, definitur per additamentum, & per duplex additamentum, quod non conuenit aliis, sicut per fundamentum, sicut per subiectum; & præter hoc etiam per correlatiuum, vt per terminum, cuius est; & tunc potest sic definiri, quòd *est signum sensibile inuisibilis gratiæ ex institutione veraciter, & demonstratiuè gratiam signans.*

Sacramenti definitio.

9. *Articulus 3. Explicatur definitio Sacramẽti tradita à Magistro.*

De tertio articulo, an scilicet hæc definitio sic completa, sit eadem cum definitione illa, qua dicitur, quòd *est inuisibilis gratiæ visibilis forma.* Dico quòd si suppleantur differentiæ prædictæ, quòd est eadem, aliter non. Cùm enim accipitur in illa definitione, quòd Sacramentum est *visibilis forma*, *forma* non accipitur ibi pro forma informante, & parte essentiali compositi; sed pro forma declarante, & imitante: & sic accipitur ibi pro relatione signi ad signatum: *visibile* autem accipitur ibi pro fundamento communi ipsius signi, scilicet pro sensibili, quia visus propter eius excellentiam ad alios sensus (vt primo Metaphysicæ, text. 3. dicitur) accipitur pro omni sensu. *Inuisibilis gratiæ* accipitur pro correlatiuo, & signato ipsius signi. Deficiunt autem differentiæ, & si addantur, eadem definitio erit cum illa iam data, vt dicatur quòd *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma*, id est, signum sensibile, non quodcunque, sed est institutione veraciter, & demonstratiuè gratiam signans inuisibilem. & hanc definitionem expressit Magister cùm dixit quòd propriè Sacramentum dicitur *signum inuisibilis gratiæ, vt eius imaginem gerat, & causa existat*, id est, efficaciter eam signans, & repræsentans.

10. *Ad argum. primum principale.*

Ad primam rationem dico quòd minor est falsa. Licèt enim Sacramentum, vt importat ista duo fundamenta cum relatione, non sit aliquid vnum, quia relatio rationis non per se includit fundamentum extra animam, tamen accipiendo ipsum secundùm formale suum signatum, vt dicit vnitatem conceptus quiditatis in intellectu, quæ tamen est relatio rationis relata ad signatum, sic est aliquid per se vnum. Ad probationem, dico quòd licèt ex permanente, & successiuo non posset fieri aliquid per se vnum extra animam, possunt tamen ambo fundare vnam relationem rationis, vt dictum est; & tunc abstrahendo à fundamentis specialibus permanente, & successiuo, aliquid commune vtrique, potest illud poni in definitione Sacramenti.

Ad secundum.

Ad aliud, patet quòd non accipitur ibi *forma* pro forma informante, nec pro forma exemplari, sed pro forma repræsentante, & imitante signatum, & demonstratum; & ita procedit ibi ab insufficiente, & sic ibi fallacia Consequentiæ.

Ad tertium.

Ad tertiam rationem responsum est, quia accipitur ibi *visibile* pro sensibili in communi, quia actus visus extenditur ad actus aliorum sensuum; ergo & sensibile eius ad sensibilia aliorum sensuum.

Adquartum.

Ad vltimam dico, quòd si exprimantur dictæ differentiæ, non est alia definitio à prædicta, vt patet: nam *res sacra* accipitur ibi pro gratia inuisibili, & correlatiuo, & exprimitur ibi genus, cum dicitur *signum*, & tunc oportet supplere differentias signi, & fundamenti.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Sacramenta nouæ legis habeant causalitatem actiuam respectu gratiæ?

Alens. 4. *part. quæst. 5. membro 3. art. 4. & quæst. 8. m. 3. art. 5.* D. Bonauent. *hic 1. part. art. 4. quæst.*... D. Thom. *quæst. 1. & 4. & 3. part. quæst 62. art. 2.* Durand. *hic quæst. 4. & 5.* Aureol. *quæst. 1. art. 3.* Gabr. *quæst. 2.* Suarez 3. *part. tom. 3. disp. 7.* Vasq. 3. *part. disp. 181.* Scotus *in Oxon. hic quæst. 4. & 4. Metaph. quæst. 11.*

1. *Argum. primum.*

RGVITVR quòd sic. Sacramenta nouæ legis continent gratiam. Vnde in quadam Collecta dicitur, *Perficiant in nobis Domine Sacramenta quod continent*; sed Sacramenta non continent realiter, & in actu ipsam gratiam, sicut vas continet aquam, vel intellectus speciem intelligibilem: ergo continent eam virtualiter, sicut causa continet effectum in sua virtute.

Secundum.

Item, si Sacramenta nouæ legis non dent gratiam, nisi quia ea suscipientibus Deus dat gratiam, tunc ex vi Sacramenti non iustificaret, sed tantùm per modum meriti, & tunc non differrent à Sacramentis veteris legis; ergo videtur quòd gratiam illam, quam conferunt, efficiant.

Augustin. Tertium.

Item, Augustinus super Ioan. Homil. 8. & habetur 1. quæst. 1. cap. *Detrahe, Tanta est virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat*: ergo Sacramenta habent virtutem abluendi corpus; sed hoc non est, nisi conferendo gratiam; ergo, &c.

2. *Arg. negatiua.* Bernard.

Contrà Bernardus in sermone de Cœna Domini, *Sicut inuestitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum; sic diuisiones gratiarum diuersis sunt traditæ Sacramentis*; sed liber non est causa efficiens Præbendæ, nec annulus Episcopatus; ergo nec Sacramentum est causa efficiens gratiæ.

Item, si Sacramenta efficerent gratiam, aut ergo vt causæ vniuocæ, aut æquiuocæ? Non æquiuocæ, quia effectus æquiuocus est nobiliori modo in sua causa æquiuoca, quàm in se; non sic gratia in Sacramentis. Nec vniuocæ, quia causæ vniuocæ cum suis effectibus sunt eiusdem speciei, non sic Sacramenta, & gratia.

Augustin.

Item, Augustinus 83. quæstionum, quæst. 53. *Soli Deo conuenit illuminare animas*; sed animæ illuminantur per gratiam; ergo ipse solus eam causat in anima.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Vtrùm Sacramentis nouæ legis inſit aliqua virtus ſupernaturalis, quæ ſit aliquo modo cauſa creationis gratiæ in anima?

Alenſ 4. *part. quæſt. 5. membro 3. art. 5.* D. Thomas *hic quæſt. 1. art. 4. & 3. part. quæſt. 62. art 4. & quæſt. 6. de potentia art. 4.* Palud. *hic quæſt. 1.* Heruæus *quæſt. 1.* Suarez *3. part. tom. 3. art. 4. quæſt. 62.* Ferrar. *3. contra Gent. cap. 56.* Scotus *in Oxon. hic quæſt. 5.*

3. *Argumẽtum primum.* ARGVITVR quòd non, quia, vt patet diſcurrendo per omnia Prædicamenta, non poteſt poni res alicuius Prædicamenti, niſi fortè Qualitatis; ſed in genere Qualitatis non poteſt eſſe, quia in nulla ſpecierum eius; non in prima, quia non eſt habitus, nec diſpoſitio; nec in ſecunda, quia non eſt naturalis potentia, nec impotentia; nec in tertia, quia non eſt paſſio, nec poſſibilis qualitas; nec in quarta, quia non eſt forma corporalis, nec figura conſtans, vel conſiſtens in corpore; ergo, &c. ſingulæ autem partes terminorum facilè probari poſſunt.

Secundum. Item, vnum Sacramentum non habet niſi vnam virtutem, quædam autem Sacramenta includunt plura ſenſibilia, vt fundamenta diſtincta ſubiecto, vt Sacramentum Baptiſmi, verbum & elementum: ſi ergo vltra virtutem Sacramenti eſſentialem eſſet aliqua alia virtus ſibi inhærens, vnum accidens eſſet in pluribus ſubiectis.

Auguſt. *Ratio ad oppoſitum.* Contrà, Auguſtinus ſuper Ioannem vbi ſuprà, *Tanta eſt virtus aquæ, vt corpus tangat, vt cor abluat*; ergo aquæ Baptiſmi ineſt aliqua virtus reſpectu infuſionis, vel generationis gratiæ in anima, quia non abluit animam, niſi inducendo gratiam.

Secunda. Item, Sacramentum eſt medicina ſpiritualis ipſius animæ; ſed medicina habet aliquam virtutem ad ſanandum, aliter non eſſet medicina: ergo, &c.

Tertia. Item, noua relatio non poteſt alicui aduenire de nouo ſine aliquo abſoluto nouo, vt habetur 5. *Phyſic. text.* 10. ſed aqua, & verbum, vt concernunt rationem Sacramenti, habent relationem ſigni ſenſibilis reſpectu gratiæ inuiſibilis, & inſenſibilis; ergo requiritur in eis aliqua virtus abſoluta noua reſpectu gratiæ creandæ.

SCHOLIVM I.

Adducit primò ſententiam D. Thom. pro prima quæſtione, ſcilicet Sacramenta nouæ legis eſſe cauſas gratiæ, quia inſtrumentaliter, & phyſicè cauſant non ipſam gratiam, ſed diſpoſitionem eius præuiam, quæ in quibuſdam eſt character, in alijs ornatus, & ſic cauſant phyſicè diſpoſitiuè gratiam. Quoad ſecundam quæſtionem D. Thomas ponit aliquam virtutem ſupernaturalem abſolutam per modum entis incompleti, & in fieri *in Sacramentis nouæ legis, per quam cauſant inſtrumentaliter & phyſicè gratiam, modo iam explicato, quod aliquibus exemplis declarat.*

4. *Opinio D. Thoma.* AD primam quæſtionem dicitur quòd Sacramenta nouæ legis aliquam per ſe efficaciam habent reſpectu gratiæ, quia aliter non eſſent cauſæ gratiæ, niſi cauſæ ſine quibus non; hoc eſt inconueniens. Definitio etiam Sacramenti, quam Magiſter ponit in litera, ſcilicet quòd *eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, vt gratiæ ſimilitudinem gerat, & cauſa exiſtat*, hoc innuit, aliter eſſet falſa.

Cauſa efficiens duplex. Sed vt videatur quomodo Sacramentum ſit cauſa efficiens gratiæ, diſtinguunt cauſam efficientem, quia quoddam eſt efficiens diſponens; quoddam eſt efficiens perficiens. Agens autem perficiens eſt duplex; vel efficiens principale, quod ſcilicet virtute propria inducit vltimum terminum, vel inſtrumentale, quò in virtute alterius, vt dolabra formam in materia. Neutro iſtorum modorum eſt Sacramentum cauſa efficiens gratiam in anima, quia nec principaliter, nec inſtrumentaliter attingit gratiam actione ſua; ſed eſt agens diſponens ad gratiam; & hoc non in virtute propria, ſed in virtute principalis agentis attingens, & inducens quandam diſpoſitionem in anima ad gratiæ ſuſceptionem, vt aliquem characterem, vel quendam ornatum animæ, qui eſt quodammodo neceſſitans ad gratiæ ſuſceptionem, & infuſionem.

Iſti conſequenter ſecundùm hoc reſpondent ad ſecundam quæſtionem, quòd in Sacramentis eſt aliqua virtus inhærens reſpectu gratiæ creandæ, & iſta virtus eſt aliquid abſolutum, non reſpectus: nam cùm Sacramenta habeant aliquam efficaciam reſpectu gratiæ ex reſponſione ad primam quæſtionem, oſtenditur quòd habeant virtutem, per quam cauſent diſpoſitionem ad gratiæ ſuſceptionem. Hæc autem virtus non poteſt eſſe relatio, quia nec eſt principium actionis, nec terminus; ergo eſt quid abſolutum.

Sed ſi quæras, qualis ſit eſt iſta virtus? Dicunt quòd non eſt virtus fixa, & quieta, ſicut eſt virtus principalis agentis, ſed per modum agentis inſtrumentalis eſt in continuo fluxu, & *fieri*, vt virtus ſerræ, vel dolabræ in ſecando, vel diuidendo; & ideò virtus Sacramenti eſt in continuo *fieri*, vt cùm applicatur ad opus, & dum dans Sacramento vtitur eo.

SCHOLIVM II.

Impugnat ſententiam D. Thomæ quoad primam partem. Primò, quia diſpoſitio ad gratiam eſt terminus creationis, ſicut & ipſa gratia, ſed ſecundùm ipſum in prima creatura creare non poteſt. Secundò, effectus Sacramenti cauſatur quando ipſum deſinit, ergo non phyſicè ab ipſo cauſatur. Tertiò, in Euchariſtia nihil eſt aſſignabile, à quo attingi poſſet tranſubſtantiatio, quia antequam ſpecies vocum tangunt ſpecies panis ſit conſecratio ſtatim, factâ prolatione verborum. De hoc fuſius Doctor in Oxon. hic quæſt. 5. à num. 4. Gratiam autem creari præter Doctorem hîc & diſt. 16. quæſt. 2. tenent Alenſ. 2. part. 49. membr. 8. & 9. & D. Bonau. 2. diſt. 26. art. 1. quæſt. 4. Richard. ibi art. 1. quæſt. 4. Capreol. hîc ad argumenta Scoti contra tertiam concluſionem. Maior quæſt. 1. Palud. quæſt. 1. Ferrar. 4. contra Gentes, cap. 57. Caiet. 1. part. quæſt. 110 art. 1. & alij.

5. *Reijcitur ſupradicta opinio quoad primam partem.* CONTRÀ primò contradicta ad priorem quæſtionem arguo ſic: Illa diſpoſitio ad gratiam, quæ confertur per Sacramenta, eſt ſupernaturalis, ſicut & gratia; ergo quod habet cauſalitatem effectiuam reſpectu vnius, habet & reſpectu alterius, & è conuerſo negatiuè; ſed Sacramenta non habent efficaciam reſpectu gratiæ, nec talis diſpoſitionis ſecundùm eos in prima quæſtione huius quarti, quia nulla diſpoſitio requiritur ad terminum creationis, quia nihil præ

præſupponit. Conſequentia patet, omnis forma naturalis æquè habet *eſſe* in ſuſceptiuo per creationem ſupernaturaliter, vel per tranſmutationem naturaliter, cùm ſint in ſe eiuſdem rationis.

Item, iſta diſpoſitio reſpectu gratiæ, aut creatur à Sacramentis in anima ſimul, aut ſucceſſiuè? Non ſucceſſiuè, quia Sacramenta nullo modo efficiunt iſtam diſpoſitionem in anima ſecundùm eos, niſi in virtute Dei, & tunc ſucceſſiuè crearet eam, quod non eſt neceſſe, tum, propter ſummam ſimplicitatem, & perfectionem agentis; tum etiam, propter perfectam capacitatem recipiui non habentis contrarium, quia omnem formam permanentem, cuius *eſſe* non eſt formaliter in *fieri*, qualis eſt iſta diſpoſitio ad gratiam, & character, poteſt Deus ſimul creare; tum, quia in forma ſpirituali non poteſt eſſe ſucceſſio, niſi ſecundùm partes ſubiecti, vel gradus formæ, quorum neutrum eſt in propoſito. Ponatur ergo quòd ſuſcipienti Sacramentum aliquod detur minima gratia. Per te ad iſtam gratiam eſt aliqua diſpoſitio minima creata in anima virtute Sacramenti; tunc arguo: iſta diſpoſitio ad gratiam, aut inducitur & cauſatur in anima virtute Sacramenti in primo inſtanti prolationis verborum, aut in vltimo inſtanti: ſi in primo inſtanti; ergo Sacratum ſecundùm totum id, quod ſequitur primum inſtans prolationis verborum, ſuperfluit, & per conſequens, ſi nihil diceretur de verbis poſt primam prolationem, nihilominùs conſequitur anima effectum Sacramenti, & illam diſpoſitionem ad gratiam, quòd abſurdum eſt.

6. *Reſponſio ad hoc argum. reijcitur.* Si dicas quòd in vltimo inſtanti prolationis verborum cauſetur diſpoſitio iſta virtute Sacramenti, cùm in vltimo inſtanti nihil ſit de verbis, vel tantùm vltima litera, vel ſyllaba; ergo vltima ſyllaba, vel litera cum vltima gutta aquæ ſufficeret ad characterem, & talem diſpoſitionem imprimendam reſpectu gratiæ in Sacramento Baptiſmi, quod conſtat omnibus eſſe falſum; vel ergo Sacramentum non cauſat gratiam, nec diſpoſitionem ad eam; vel quando non eſt in vltimo membro, tunc cauſabit eam, quorum vtrumque eſt impoſſibile.

Item alia reſponſio. Si dicas quòd cauſat talem diſpoſitionem in vltimo inſtanti virtute ſyllabarum precedentium, ſicut cauatur lapis vltima gutta virtute præcedentis, *ex* 8. *Phyſic. text.* 23.

Quomodo vltima gutta cauſat in virtute precedentium. Contrà, nunquam cauſat vltimum virtute aliorum aliquid in fine, niſi virtute præcedentium aliquid imprimatur in paſſo, ita hîc.

Item, quod dicit, Sacramentum agere inſtrumentaliter ad gratiam, quia cauſat talem diſpoſitionem, non intelligo, quia verba prolata circa panem, & vinum in Sacramento Euchariſtiæ, ſi aliquid cauſet, quæro quid cauſant inſtrumentaliter. Non gratiam. Probo, quia agens inſtrumentale ſimul habet actionem naturalem, & inſtrumentalem; ſed verba illa non habent actionem naturalem, niſi dum ſunt; ergo nec inſtrumentaliter poſſunt agere, niſi dum ſunt; ſunt autem ante vltimum inſtans prolationis verborum, & non in vltimo inſtanti; ergo tunc, dum verba proferuntur, eſt in virtute eorum corpus Chriſti, & vera tranſubſtantiatio iſtarum ſpecierum in corpus Chriſti, & per conſequens ante vltimum inſtans verborum cauſatur ab eis diſpoſitio in anima ad gratiam.

Item, multiplicatio vocum, & verborum non fit in inſtanti, ſed cum motu, & tempore; ergo in inſtanti, quo terminata, & finita eſt prolatio iſtorum verborum Sacramentalium, non tangit panem & vinum, nec habent ſuam actionem naturalem, nec per conſequens habent ſuam actionem ſupernaturalem, & ita non eſſet corpus Chriſti finita prolatione verborum in vltimo inſtanti, ſed in tempore præcedenti, vel ſequenti, quod non eſt verum.

Item, fictio videtur dicere quòd circa panem fiat aliqua alteratio antequàm fiat corpus Chriſti.

SCHOLIVM III.

Refutat reſponſionem D. Thomæ ad ſecundam quæſtionem, quatenus ponit virtutem ſupernaturalem in Sacramentis. Primò, quia illa non eſſet tota in toto, & tota in qualibet parte Sacramenti, nec tota in toto, & pars in parte. Secundò, non eſſet in qualibet ſyllaba, nec in vna aliqua determinata. Tertiò, non eſt aſſignare quando infunderetur. De hoc latè in Oxon. quæſt. 5. à num. 8.

7. *Reijcitur D. Thomæ reſpõſio ad 2. quæſtion.* *Sola anima rationalis indiuiſibilis eſt in corpore, & in paſſo diuiſibili.* COntra ſolutionem ſecundæ quæſtionis, quæ poſuit virtutem illam, neſcio quam, quæro de illa virtute, quæ ponitur in Sacramento, an eſt totaliter in toto, & tota in qualibet parte, aut pars virtutis in parte Sacramenti? Non primo modo, quia hoc ſolummodò conceditur de forma ſubſtantiali in anima intellectiua, & nullo modo in aliquo accidente, cuiuſmodi eſt iſta virtus in Sacramento; nec ſecundo modo, quia ſecundùm eos, eſt forma ſpiritualis, & conſtat quòd forma ſpiritualis non extenditur, ſed tantùm corporalis virtus.

Item, iſta virtus aut eſt eadem in qualibet ſyllaba; aut alia & alia? Si eadem; ergo illa manet vſque in finem prolationis verborum; ſed nulla ſyllaba manet ſimul cum alia, quia quælibet eſt quantitas diſcreta; ergo iſta virtus migrat de ſubiecto in ſubiectum; ſi ſit alia virtus in altera, & altera ſyllaba, ergo vel quælibet cauſabit gratiam, vel nulla.

Item, nullum inſtrumentum eſt inſtrumentum conueniens alicui operi, quia artifex vtitur eo, ſed prius eſt tale, etiamſi nunquam quis vteretur illo: ergo priùs eſt virtus in Sacramento, ſi aliqua ſit in eo, quàm vtitur aliquis eo, & per conſequens priùs eſt virtus in his verbis, *hoc eſt corpus meum*, vel, *Ego baptizo te*, &c. quàm Sacerdos vtatur eis. Non eſt primò, vt dicit iſta opinio, virtus in aliqua per applicationem ad opus, & ita nec in Euchariſtia tanquam in *fieri*, vt ipſi dicunt, &c.

Præterea, ſi ſic eſſet, tunc quoties vteretur eo, toties cauſaretur illa diſpoſitio ſupernaturalis in anima, & toties fieret nouum miraculum.

SCHOLIVM IV.

Reſoluit primam quæſtionem, ſcilicet Sacramenta non cauſare gratiam, nec aliquid ſupernaturale, phyſicè, aut principaliter, nec inſtrumentaliter; ad eorum tamen miniſtrationem ex pacto gratiam cauſari in non ponente obicem. Probat primò, quia omnis diſpoſitio neceſſitans ad formam, quæ non eſt ratio receptiui, eſt quodammodò cauſa actiua eius inſtrumentalis; & ſic meritum dicitur cauſa præmij; ſed Sacramenti miniſtratio eſt diſpoſitio reſpectu gratiæ neceſſitans ad eam, ergo id facit per actiones naturales ex pacto, ſcilicet Dei, neceſſitante, ſine illis alijs, videlicet ornatu & virtute

virtute in motu. Secundò, alteratio præcedens formam ſubſtantialem neceſſariò, quamuis non terminetur ad illam, vt ad per ſe terminum, ſed ad qualitatem, dicitur tamen cauſa illius diſpoſitiua & actiua; ergo ſimiliter in propoſito de Sacramento reſpectu gratiæ.

8. *Reſolutio 3. quæſtionis.*

REſpondeo ergo ad quæſtionem primam, & dico, quòd nullum Sacramentum vllo modo agit ad creationem gratiæ, nec principaliter, nec inſtrumentaliter, nec diſpoſitiuè per aliquam actionem ſupernaturalem virtute alicuius alterius ad gratiam. Habet tamen Sacramentum quandam actionem naturalem, vt aqua cum verbis in Sacramento Baptiſmi abluere habet corpus, quæ poteſt dici actio inſtrumentalis reſpectu gratiæ, quia ſignificat ablutionem animæ interiorem, per gratiam, quæ eſt ibi actio principalis, vt ſic Sacramentum propriè dicatur diſpoſitio actiua naturalis reſpectu gratiæ, reducta verò ad genus cauſæ efficientis. Quod probatur ſic; diſpoſitio, quæ eſt neceſſitans ad formam, quando non eſt præcisè in ratione receptiui, habet aliquo modo rationem efficientis reſpectu illius formæ; ſuſceptio Sacramenti eſt quædam diſpoſitio neceſſitans ad gratiam ex pactione diuina, qua Deus pepigit aſſiſtere Sacramentis, vt conferrent quod ſignant, & non habet tantùm rationem receptiui reſpectu gratiæ.

Diſpoſitio quæ non eſt ratio recepti-ui, eſt actiua.

Qualiter Sacramẽta cauſent gratiam.

Probatio, quia ſicut tu ponis virtutem in aqua poſſe creare aliquam diſpoſitionem in anima effectiuè reſpectu gratiæ; ita ego pono ablutionem aquæ, & limitationem olei cum verbis eſſe immediatam diſpoſitionem ad gratiam actiuè; quia non ſe tenent ex parte animæ recipientis gratiam: licèt enim ablutio ſit paſſio reſpectu corporis; non tamen reſpectu gratiæ, ſed eſt quædam diſpoſitio actiua reſpectu eius ex pactione diuina, ſicut ipſi ponunt de ornatu; ergo habet rationem efficientis, & actiui reſpectu gratiæ. Minor patet per exemplum, & per rationem.

9. *Per merita quomodo acquiratur præmium.*

Per exemplum ſic; Meritum conceditur habere reſpectum efficaciæ alicuius reſpectu præmij, quia per meritum acquiritur præmium, & tamen nec inſtrumentaliter, nec principaliter cauſat aliquam diſpoſitionem à ſe reſpectu præmij: verius enim conceditur quòd merita fecerunt ipſum beatum, quàm quòd ipſe fecit ſe beatum; ergo ſi ille, qui inducit diſpoſitionem non habentem rationem receptiui reſpectu formæ, dicatur habere efficaciam reſpectu formæ, ſicut tu ponis de aqua, quòd cauſet gratiam in anima, multò magis Sacramentum & ablutio inſtrumentalis, quæ eſt diſpoſitio vlterior non in ratione receptiui, diceretur aliquo modo cauſare gratiam, & ita ſecundùm hanc viam faciliùs poteſt ſuſtineri Sacramenta dare gratiam, quàm ſecundùm priorem viam, ponendo tot abſoluta in aqua & anima; & hoc eſt quod dicit Magiſter multipliciter; non ab ipſis Sacramentis eſt gratia, ſed à Deo per ipſa.

Item, alteratio præcedens inductionem formæ ſubſtantialis neceſſariò non per ſe terminatur ad ſubſtantiam, vt ad per ſe terminum intrinſecum, ſed ad qualitatem in ea, & tamen dicitur aliquo modo cauſa ſubſtantiæ, non formalis. Patet, quia tunc ſubſtantia eſſet per ſe qualitas; nec finalis, quia præcedit eam; nec materialis, quia quando ſubſtantia inducitur, tunc ceſſat alteratio; ergo vt diſpoſitio actiua reducitur ad cauſam efficientem; nec iſta diſpoſitio actiua reſpectu formæ ſubſtantialis cauſat aliquam diſpoſitionem aliam à ſe reſpectu illius ſubſtantiæ, ſed per illam violentam actiuitatem, quam habet, agit ad inductionem illius ſubſtantiæ. Similiter in propoſitò Sacramenta non cauſant in anima, vel in ſe aliquam diſpoſitionem ad aliquem terminum reſpectu gratiæ præter ſe ipſa.

Probatio per rationem patet, efficiens cauſans diſpoſitionem ad aliquem terminum, dicitur cauſare ipſum terminum, non immediatè, quia cauſat diſpoſitionem; ſed quod eſt cauſa prioris, non dicitur cauſa poſterioris, niſi priùs ſit cauſa illius poſterioris, ſicut cauſans *B.* non dicitur cauſa *C*, niſi *B*, ſit cauſa *C.* ergo cùm Deus non cauſet in anima gratiam, niſi per ſuſceptionem Sacramenti, illa erunt quodammodo diſpoſitio actiua reſpectu gratiæ.

10. *Ad argum. 1. quæſt. 3.*

Ad argumenta primæ quæſtionis, dico ad primum, quòd Sacramenta dicuntur continere gratiam, vt ſigna effectiua, & vera demonſtratiua in ſignato, non quia dant gratiam, vel quia ab eis ſit gratia, ſed à Deo per ipſa, ſicut dicit Magiſter.

Ad ſecundũ. Differentia Sacramentorum veteris legis, & nouæ in efficiendo gratiam.

Ad ſecundum, dico quòd Sacramenta veteris legis non differunt à Sacramentis nouæ legis per dare gratiam, & non dare gratiam; ſed per dare maiorem gratiam & minorem gratiam. Circumciſio enim, & alia Sacramenta legalia dabant gratiam, ſed non tantam ſicut Baptiſmus, & alia Sacramenta nouæ legis. Cæremonialia tamen, & oblationes veteris legis differunt à Sacramentis nouæ legis per dare, & non dare gratiam, quia cæremonialia illa, quæ non ſunt Sacramenta, vt immolare victimas pacificas, orare, & ieiunare, & huiuſmodi, nec ex pactione diuina, nec etiam ex virtute propria conferebant gratiam; ſicut nec etiam cæremonialia noſtra, vt abſtinere à carnibus diebus Veneris, conferunt gratiam virtute propria operis operati.

Dives enim offerens bouem in hoſtiam ſalutarem, & ſine bono motu interiori; & pauper non habens vnde offerat aliquid, motus interiùs ad bonum affectum erga Deum, recipit gratiam, & dives non. In Sacramento autem datur duplex gratia, vna virtute Sacramenti, alia ratione boni motus interioris, ſi inſit in ſuſceptione Sacramenti. In cæremonialibus autem tam nouæ legis, quàm veteris tantùm datur gratia propter bonum motum interiorem, & propter opus operatum, ſi præceſſit ex merito boni.

Ad tertium.

Ad id, quod dicit Auguſtinus in cap. *Detrahe*, quòd illa ablutio facta in aqua eſt ſuſceptio Sacramenti, quia Sacramentum formaliter conſiſtit in vſu, & ita ſuſceptio Sacramenti eſt immediata diſpoſitio ad gratiam, ſicut tu ponis de ornatu.

SCHOLIVM V.

Ad ſecundam quæſtionem dicit conſequenter ad iam dicta in præcedenti, nullam virtutem phyſicam inhærere Sacramentis; ſed tantùm Dei pactum; ſumendo tamen virtutem *pro vltimo potentiæ ſigni practici, dicit admittendam eſſe in Sacramentis, quod tantùm eſt ſignificare efficaciter, hoc eſt, ſemper & certò habere effectum, quem ſignificant, quantùm eſt ex ſe. Vide Doctorem in Oxon. hîc à num.* 16.

11. *Reſolutio 4. quæſtionis.*

AD ſecundam quæſtionem dico quòd non eſt ibi ponenda aliqua virtus abſoluta in Sacramento, ſed ſolùm ſignum ordinatum, & inſtitutum à Deo, efficaciter repræſentans formam principalem, & ſuum ſignatum, & quicùnque id ſignum recipiat ſine fictione, fiat amicus Dei, & acceptetur à Deo per gratiam, & quandocunque id fit in aliquo, illi aſſiſtit Deus, vt inſit, quod deſignat.

Quæ virtus in Sacramentis reperitur.

Si tamen contendas omnino quòd oportet ponere virtutem in Sacramento reſpectu gratiæ,

Reſpondeo, & dico quòd virtus vno modo eſt vltimum de potentia 2. *de Cœlo, text.* 116. vltimum autem de potentia ſigni, vel Sacramenti eſt, quòd ſemper habeat ſecum ſuum ſignatum, quantùm eſt ex parte ſui; ſic autem eſt in propoſito. Semper enim Deus aſſiſtit ſuo ſignato, vt veraciter, & efficaciter inſit, quod demonſtrat, niſi ſit impedimentum ex parte ſuſcipientis, & ipſo ablato ſtatim ineſt ſignatum. Per hoc patet reſponſio ad argumenta in oppoſitum.

12. *Ad argum. 1. quæſt. 2.*

Ad primam Auguſtini de aqua, dico non diſcordando, vel gloſſando, quòd tinctio corporis ab aqua cum verbis ſimul, verè cor abluit, non quòd actione ſua attingat gratiam, vel diſpoſitionem ad eam, ſed quòd ſit ipſa ablutio exterior immediata diſpoſitio ad gratiam, vt ſecum habens quod ſignat; nec video neceſſitatem ponendi aliam diſpoſitionem, & ideò fugio pluralitatem.

Ad ſecundum.

Ad aliam, dico quòd ſi medicina eſſet ita efficax, quòd ea appoſita ſtatim ſequeretur ſanitas ſine quacumque actione, ſicut eſt in Sacramento reſpectu gratiæ, eſſet vtique perfecta & efficax; ſic in propoſito.

Ad tertium.

Ad aliud, dico quòd noua relatio realis nunquam eſt adueniens ſine nouo fundamento reali abſoluto; poteſt tamen relatio rationis aduenire alicui ſine nouitate fundamenti, & talis eſt relatio Sacramenti reſpectu gratiæ.

QVÆSTIO V.

Vtrùm in Circumciſione conferebatur gratia?

Alenſ. 4. *part. quæſt.* 7. *membro* 7. D. Thomas 3. *part. quæſt.* 70. *art* 4. D. Bonauent. *hîc* 2. *part. art.* 2. *quæſt.* 3 Richard. *art.* 6 *quæſt.* 1. Gabriel. *quæſt.* 4. Durand. *quæſt.* 5. Aureol. *quæſt.* 2. *art.* 4. Rubion. *quæſt.* 5. Maior. *ibid.* Suarez *tom.* 3. *part.* 3. *diſp.* 5. *ſect.* 1. Vaſquez 3. *part. d.* 165. Scotus *in Oxon. hîc quæſt.* 6. *& de* 1. *princ. cap.* 3.

1. *Argum. primum.*

ARGVITVR quòd non. Gloſſa ſuper id ad Rom. 4. *Signum Circumciſionis*; & habetur in litera huius diſtinctionis, *cap. penult.* in Circumciſione peccata tantùm remittebantur, ſed non gratia ad benè operandum præſtabatur, nec virtutes augebantur, nec dabantur, ſed tantùm ſignabantur.

Secundum.

Item, Circumciſio non conferebat niſi quod ſignabat; ſed non ſignabat niſi peccati remiſſionem; ergo illud tantùm conferebat.

Tertium.

Item, ſecundùm Magiſtrum, & ponitur in litera, Sacramenta veteris legis tantùm promittebant gratiam, Sacramenta nouæ legis cauſant, quod illa promittebant; ergo, &c.

Quartum.

Item, ſecundùm Bedam *in cap.* 2. *Lucæ*, & habetur in litera, *Circumciſio non aperuit ianuam*, gratia aperuit, quia non datur alicui, niſi quis ſit acceptus & amicus Dei: ergo, &c.

Ratio ad oppoſitum.

Contra multipliciter in litera, & de Conſecr. diſt. 4. Auguſt. de nupt. & concup. cap. 11. *Ex quo inſtituta eſt Circumciſio in populo Dei magnis, & paruis valebat ad purgationem originalis peccati, ſicut Baptiſmus, ex illo tempore, quo inſtitutus eſt, incipiebat valere ad innouationem hominis:* ſed per Baptiſmum non tantùm remittebatur culpa, ſed etiam conferebatur gratia; ergo & in Circumciſione gratia conferebatur.

Item, Beda in litera, *Qui nunc per Euangelium ſuum*, &c.

SCHOLIVM I.

Originale deleri per Circumciſionem. Ita Auguſt. cit. & 3. contra Iul. cap. 18. *& cap.* 5. *cap.* 9. *& in illud Gen.* 17. Maſculus cuius prepucij caro, *&* 4. *de Bapt. cap.* 24. *&* 13. *Ciuitat.* 26. *Greg.* 4. *Moral.* 2. 3. *habetur cap.* Quod autem, *de conſ. d.* 4. *& cap* Maiores, de Baptiſmo. *Proſp. l. de promiſſ. cap.* 14. *Cyprian. de Cardinal. cap.* 10. *Bernard. ſerm. de Circumciſione. Beda hîc citatus in quæſtione. D. Thom.* 3. *part. quæſt.* 6. *art.* 5. *& quæſt* 62. *art.* 6. *Alenſ. ſuprà, & communis, ponit ſententiam negantem, etiam de potentia abſoluta, potuiſſe peccatum tolli, ſine gratia, cum ſuis rationibus.*

2.

IN iſta quæſtione præmitto vnum certum, in quo omnes concordant, ſcilicet quòd per Circumciſionem deleatur peccatum originale, quod patet expreſsè per auctoritatem Auguſtini adductam in oppoſitum: *ex quo inſtituta eſt Circumciſio*, &c. Et probatur per rationem; quia Deus nunquam reliquit hominem ſine adiutorio, & congruo remedio ad ſalutem; ſed tempore legis ſcriptæ non videbatur aliud remedium ante inſtitutum contra peccatum originale, quàm remedium Circumciſionis, quod faceret, licèt imperfectè, tunc circumciſis, quod modò facit Baptiſmus baptizatis perfectè; ergo tunc fuit in remedium contra peccatum originale Circumciſio, ſicut modò Baptiſmus ſuo modo.

An ſine collatione gratiæ poſſit Deus remittere originale peccatum.

Sed vlteriùs dubium eſt, vtrùm peccatum originale poſſibile ſit dimitti ſine collatione gratiæ? & quia tam ablatio culpæ, quàm collatio gratiæ pertinent ad potentiam diuinam, ideò quærendum eſt, ſi hoc ſit aliquo modo poſſibile? Aliquid autem eſt poſſibile Deo dupliciter; vel ſecundùm eius potentiam abſolutam, qua poteſt omne id, quod non includit contradictionem; aut ſecundùm potentiam eius ordinatam, ſecundùm quam fit omne illud, quod conſonat legibus diuinæ iuſtitiæ, & regulis ſapientiæ eius; quod ſi fieret aliter, & ſecundùm alias leges ſtatutas, & ordinatas à diuina voluntate, non inordinatè fieret, ſed ita ordinatè ſicut modò ſecundùm iſta.

Duplex Dei potentia, abſoluta, & ordinata.

Opinio negatiua Rich. hîc art. 6. q 3. Var. q. 2.

Dicitur hîc ab aliquibus, quòd Deus de potentia ſua abſoluta non poſſet peccatum delere, & gratiam non infundere; ſi enim rationes aliquid valeant, hoc videntur probare. Ad hoc ponuntur quatuor rationes.

Ratio prima.

Prima talis eſt: Anima non poteſt purgari de peccato, niſi de immunda fiat munda; ſed non fit munda de immunda, niſi per aliquam mutationem in aliquo; non per mutationem factam in Deo, quia ipſe eſt omnino immutabilis; ergo per mutationem factam in anima; non ad relationem, quia ad relationem non eſt motus, nec mutatio, 5. *Phyſic. text.* 10. ergo ad aliquid abſolutum

tum in ea, à quo expellitur culpa; nihil eſt tale, niſi gratia; ergo hæc ratio concludit de gratia abſoluta, ſi valeat.

Secunda. Et hoc eſt quod arguit alius Doctor ſic: Peccatum ſe habet ad gratiam ſicut tenebra ad lucem; ſed tenebra non expellitur niſi per lucem: ergo, &c.

Tertia. Item, arguit alius Doctor ſic; peccatum, quod remittitur, non imputatur ad pœnam; ergo culpa, quæ omnino remittitur, nullo modo manet in anima, quia ſi maneret in ea, neceſſariò imputaretur ſibi ad pœnam; ſed ſi culpa non manet, tollitur deordinatio animæ per culpam, non tollitur iſta deordinatio niſi per gratiam ordinantem: ergo, &c.

Quarta. Item, ſi peccatum dimittitur, ergo diuina offenſa placatur; ſed non placatur diuina offenſa, niſi peccator reconcilietur ei, & acceptetur perſona, quæ peccauit; ſed non reconciliatur niſi per gratiam, quia gratia diuidit filios regni & perditionis; ergo, &c.

SCHOLIVM II.

Tolli poſſe peccatum ſine gratia, probat, quia rectitudo naturalis repugnat peccato, & hæc ſicut ab initio potuit poni ſine gratia, ita & modò; quia qualem potuit Deus hominem primo formare, talem poteſt reſtaurare. De hoc Doctor in Oxon. 4. diſt. 15. quæſt. 2. fin. & diſt. 16. quæſt. 2. & 1. diſt. 37. quæſt. 2. Vide eum in Oxon. hîc à num. 4. & Scholium ibidem. Explicat quo ſenſu dici potuit Circumciſionem non conferre gratiam, quia vel non tantam, quantam Baptiſmus, vel non vniuerſaliter. Neque eſt quòd dicatur gloſſa eſſe libera, quia authoritas Patrum adducta eam ſuadet, & cum communi Schola admittit Circumciſionem contuliſſe gratiam; nec eſt alia via reſpondendi magis congrua. Ita admittit Alenſ. D. Bonauent. Richard. Durand. Mayor. Rub. Suarez citati, & alijs paſſim. Vide Scholia in Oxon. hîc ad num. 9. & ad num. 13.

4. *Refutatur iſta ſententia.* Sed iſtæ rationes non videntur mihi concludere, quin Deus de potentia ſua abſoluta poſſit peccatum originale, vel actuale remittere ſine infuſione gratiæ gratum facientis, quod probo

Non ſola gratia repugnat originali. ſic: Quæcunque ſibi inuicem repugnant, mutuò ſe expellunt, & excludunt; ergo quando alicui vni repugnant plura, id vnum poteſt per quodlibet eorum excludi; ſed peccato originali repugnat aliquid aliud, quàm gratia, vt iuſtitia originalis, vel rectitudo naturalis, quæ

Gratia non eſt naturalis homini, & eſt à iuſtitia originali diuerſa. nec eſt peccatum originale, nec gratia; non gratia, quia tunc gratia eſſet perfectio naturalis, in qua rectitudine Deus poteſt facere hominem, quæ repugnat formaliter peccato originali, quia id deſtruit illam rectitudinem in eo; ergo per aliquid aliud poteſt excludi, quàm per gratiam, quia per rectitudinem merè naturalem; quæ repugnat ſibi formaliter.

Obiectio. Dices fortè quòd illa rectitudine abſolutè poſſet eſſe à natura ſine gratia, tamen poſt culpam non poteſt reſtitui ſine gratia.

Soluitur. Contrà: forma non habet *eſſe* alterius rationis propter hoc, quòd oppoſitum eius præceſſit in ſubiecto, ſicut frigus non eſt alterius rationis in aqua, quia calor præceſſit in ea, & per conſequens non habet aliquam ſeparabilitatem, vel inſeparabilitatem à ſubiecto, quia contrarium eius præceſſit in eo, quia forma ſecundùm rationem eius propriam, & formalem, habet ſeparabilitatem à quocunque; ſed rectitudo naturalis, vel iuſtitia originalis, ſeparabilis eſt à gratia gratum faciente, ſi oppoſitum, vt peccatum originale non priùs infuiſſet. Patet in Adam; qui, ſecundùm Magiſtrum, *licèt habuerit vnde poſſet ſtare, non tamen vnde poſſet proficere:* quia non habuit tunc gratiam gratum facientem; ergo eodem modo rectitudo illa naturalis ſeparabilis eſt à gratia, licèt oppoſitum eius infuiſſet; non eſt ergo impoſſibile peccatum amoueri ab anima, & remanere in rectitudine naturali ſine omni gratia gratum faciente.

Iuſtitia originalis ſeparabilis à gratia gratum faciente.

5. *Qualè poteſt Deus hominè creare, talem poteſt reparare.* Item, ſecundò ſic: Qualemcunque hominem poteſt Deus producere, vel formare ſecundùm formam abſolutam talem, præcisè poteſt poſt culpam reparare.

Maior probatur, quia ex quo culpa non facit naturam eſſe aliam, nec facit quin ſit capax eiuſdem perfectionis, cuius fuit in principio, ergo cùm maneat in homine poſt lapſum eadem natura, quæ priùs, omnis illius perfectionis, cuius fuit priùs capax, & modò: ergo, &c.

Inſtantia. Sed contra illam maiorem poteſt inſtari ſic; quia virginem corruptam non poteſt reparare, quia non poteſt facere de non virgine virginem, quia ſecundùm Ariſtotelem 6. Ethicorum cap. 3. *hoc ſolo priuatur Deus vt ingenita faciat, quæ facta ſunt.* Poteſt tamen hominem formare ſecundùm virginitatem, non ergo qualemcumque poteſt Deus facere hominem, talem poteſt ipſum reparare.

Solutio. An, & quomodo Deus poteſt reparare virginitatem. Reſpondeo, dixi in iſta maiore, quòd quicquid poteſt Deus producere ſecundùm formam abſolutam, quòd id ſecundùm ipſam poteſt reparare: poſſumus ergo per *virginitatem* intelligere aliquid abſolutum in anima, vt velle integritatem carnis, & non carnaliter peccare; vel aliquod abſolutum in corpore, vt integritatem carnis: ſic dico, quòd Deus poteſt facere de non virgine, & de non integritate carnis, vel animæ, integram integritatem animæ, vel corporis.

Virginitas duplex. Vel poteſt intelligi per *virginitatem* negatio poſitiui, & reuocatio rationis tranſiens in præteritum, vt nunquam velle ſic peccaſſe, & ſic non poteſt Deus facere virginem de non virgine, quia non poteſt facere quin actus, quo amittebatur virginitas, tranſierit in præteritum, quia, vt dictum eſt, *hoc ſolo priuatur Deus, ingenita facere quæ facta ſunt*, ſicut nec poteſt facere de furto non furtum, quia non poteſt facere quin ille, qui furatus eſt, ſit furatus, nec de præterito non præteritum.

Et huius ratio eſt, quia impoſſibile eſt ſimpliciter, vt aliquod agens faciat de non-ente non ens. Contingit enim poſitiuè facere de non ente ens, vt patet in creatione, & priuatiuè de ente non ens, vt patet in annihilatione & corruptione; ſimiliter de ente in potentia ens in actu; ſed impoſſibile eſt ſiue priuatiuè, ſiue poſitiuè facere de non ente non ens, quia termini factionis ſunt impoſſibiles & contrarij.

Facere autem præteritum non eſſe præteritum, eſt facere quòd præteritum non præteriit, quod eſt non ens non eſſe non ens, & hoc eſt impoſſibile, & hoc eſt facere nihil non eſſe nihil, quod eſt impoſſibile.

Instantia. Dices, si virginitas potest reparari quantùm ad totam absolutam perfectionem, quam importat, quæ est prærogatiua Aureolæ, quæ conceditur virginibus, videtur quòd nihil sit.

Soluitur. Quid sit Aureola Virginum. Respondeo, quòd Aureola virginum est speciale gaudium, & est de nunquam peccasse in tali genere peccati, & semper innocentiam, & puritatem carnis seruasse; sed nobilius est nunquam peccasse, & negatio offensæ in præteritum, quàm aliquando peccasse, & offendisse, & reconciliatum esse. Gaudent etiam virgines specialiter, quòd nunquam peccauerunt illo genere peccati, ad quod homines ex corruptione carnis maximè proni sunt. Vnde Aureola eorum est de negatione offensæ præteritæ, quantùm ad corruptionem carnis.

Peccatū originale remitti potest absque infusione gratiæ. Dico ergo quantùm ad istum articulum, quòd Deus de potentia absoluta potest remittere peccatum originale non infundendo gratiam gratum facientem, quia vt dictum est, non solùm repugnat peccato originali gratia, sed etiam rectitudo & iustitia naturalis; & ideò potest Deus de potentia absoluta peccatum originale per vtrumque expellere, tàm scilicet per gratiam, quàm per iustitiam naturalem, siue sit rectitudo tantùm, siue aliqua gratia superaddita.

Patet per hoc ad argumenta de alia opinione.

6. *Ad rationes Rich. ad.lucas, num. 3. Ad primam.* Ad primum, dico quòd peccatum originale non remittitur, nisi anima fiat de immunda munda, & quòd mutatio fiat in anima, sed non necessariò ad gratiam gratum facientem, sed quòd mutetur ad rectitudinem naturalem, licèt posset mutari ad eam. Sed modò quando infunditur gratia ipsi animæ, non fit mutatio ad rectitudinem naturalem, & iustitiam originalem, nisi virtualiter inquantùm gratia virtualiter includit illam rectitudinem, quatenus in acceptatione diuina supplet vicem eius, &c.

Ad secundam. Gratia opponitur peccato solùm demeritoriè. Ad secundum, dico quòd gratia non opponitur peccato, vt habitus priuationi formaliter; sed sicut causa meritoria causæ demeritoriæ, & non formaliter; sed sic opponitur peccato originali iustitia originalis, vel rectitudo naturalis: & ideò non expellitur peccatum originale formaliter, nisi per iustitiam, vel rectitudinem naturalem; virtualiter autem & meritoriè per gratiam, quatenus acceptatur à Deo pro eodem, pro quo iustitia originalis acceptaretur, si inesset.

Ad tertiam. Ad aliud, quando dicitur quòd peccatum nullo alio modo tollitur, nec potest tolli, nisi per gratiam, falsum est, & cùm probas quòd illa inordinatio non tollitur aliter, dico quòd non est verum; potest etiam tolli per iustitiam originalem, sicut dictum est.

Ad quartam. Remissio peccati absque reconciliatione ad amicitiam dari potest. Ad quartum, concedo quòd quando peccatum dimittitur, offensa placatur & fit reconciliatio, sed per hoc, quòd dimitto alicui offensam, & reconcilior ei, nè velim ei malum, non propter hoc accepto eum vt amicum, reconciliatur enim mihi ad pacem, nè velim ei malum; sed non reconciliatur mihi ad amicitiam, vt velim ei bonum. Potest enim aliquis reconciliari quantùm ad pacis reformationem, vt non appetat vltrius vindicari de eo, licèt non reconciliatur in amicitiam perfectam, vt velit sibi benè esse.

Ita in proposito, Deus remittendo peccatori suum peccatum, reconciliat eum sibi ad pacem, vt nolit ampliùs vindicari de eo; non tamen acceptat eum vt amicum, & hæredem regni nisi per gratiam.

7. *Instantia.* Sed dices, si peccatum potest expelli sine gratia & charitate, & de peccatore fieri non peccator per iustitiam originalem, vt tu dicis, tunc nihil valerent ista argumenta, quæ probant charitatem esse in anima, vt de iniusto fiat iustus, & de non accepto acceptus, & quòd priuatio non expellitur nisi per habitum, quæ posita sunt *lib. 1. dist.* 17. de iustificatione peccatoris & ratione meriti.

Soluitur. Deus potest remittere peccatum absque collatione cuiusuis positiui. Respondeo, quòd nullum medium ibi positum ad probandum charitatem inesse animæ sumitur ex negatione aliqua, vt quòd de inimico fiat non inimicus, vel de inreconciliato fiat non inreconciliatus, vel anima immunda fiat anima non immunda: sed omnia media sumuntur ex aliqua affirmatione ibi, vt quòd de non amico fiat amicus, & de non filio regni fiat filius regni, & de non digno vita æterna fiat dignus vita æterna; & ideò suppositis illis, quæ ibi supponuntur, merito scilicet, & iustificatione peccatorum, necessariò sequitur gratiam esse in anima, vt medium positiuum ad demonstrandum illos effectus positiuos in anima, meritum scilicet, & iustificationem, quæ sunt in ea per gratiam. Nec fuit ibi probata gratia, vel charitas ex effectibus priuatiuis, vt non esse inimicus, vel inreconciliatus, quia ad illos effectus in anima potest Deus se habere non positiuè, vt ad amicos, vel filios regni, quibus vult bonum, sed priuatiuè, vt nolle malum eis, vel non velle se vindicare de eis.

SCHOLIVM III.

Ait de facto nullum peccatum, siue actuale, siue originale, tolli sine gratiæ infusione, & Circumcisionem originale deleuisse per gratiæ infusionem: eámque principaliùs institutam fuisse ad conferendam gratiam, quàm ad delendum peccatum, quia agens iuxta rectam rationem priùs, & principaliùs intendit perfectionem & habitum, quàm carentium defectus.

8. *De facto non remittitur originale absque collatione gratiæ.* QVantùm ad secundum articulum, de potentia ordinata, dico quòd modò secundùm leges firmatas arbitrio sapientiæ suæ, non potest, ipsis stantibus, auferre peccatum, nisi conferat gratiam; quia hoc modo statuit voluntas eius ordinata, & sapientia eius infallibilis, quòd nullum sibi reconciliaret ad pacem, nisi eriam ipso acceptato ad amicitiam. Post lapsum quippe primi hominis omnes nascuntur filij iræ, & mortis; ex ipsa lege nulli remittit iram, nisi acceptando ad amicitiam, & per consequens nulli remittit culpam, nisi cui confert gratiam, & acceptat ad vitam æternam, & ideò quicunque modò moritur, vel est filius iræ, vel filius regni. Non sic erat statutum in statu innocentiæ, quia secundùm Magistrum, *& si tunc habuissent vnde stare possent, vt sua naturalia integra, & recta, non tamen habuissent vnde profecissent.* Vnde tunc non fuissent necessariò filij iræ, vel regni; quia aliqui potuissent permanere in naturalibus tantùm, & tunc si peccata non essent, gratiam recepissent, & accepti fuissent ad vitam æternam.

Per

9. *Reſolutio quæſtionis principalis.* *Circumciſio conferebat gratiam.*

Per dicta reſpondeo ad quæſtionem principalem, quòd cum Circumciſione delebatur culpa originalis, & Deus poſt lapſum nunquam delet culpam, niſi præſtando gratiam, & nunquam remittit alicui offenſam, niſi acceptando eum in amicitiam: ideò dico quòd in Circumciſione conferebatur gratia.

Sed poſito quòd Circumciſio conferebat gratiam, eſt dubium vlteriùs vtrùm principaliùs inſtituebatur ad peccatum originale remouendum, vel ad gratiam conferendam? Et dicunt priores opinantes, quòd principaliter inſtituebatur ad culpam originalem remouendum. *Principalior in Circumciſione fuit infuſio gratiæ, quàm ablatio culpæ.* Sed hoc minùs probabile eſt, quia rationes eorum ſuperiùs adductæ videntur concludere oppoſitum, & quòd inſtituitur principaliter propter gratiam conferendam. Tum, quia omne agens ſecundùm rectam rationem principaliùs intendit perfectionem & habitum, quàm carentiam defectus; quia non intendit carentiam priuationis, niſi quia intendit præſentiam, & exiſtentiam perfectionis; ergo Deus inſtituens Circumciſionem, vt remedium hominibus ad ſalutem, cùm ſit agens rectiſſima ratione, magis intendebat per eam conferre gratiam, quàm condonare peccatum, vel amouere priuationem gratiæ.

Minima quantumuis gratia omnia peccata excludit. Tertiò dico, quòd minima gratia ſufficit ad excludendum omnia peccata; Deus non iuſtificat hominem ſecundùm partem, dimittendo ſibi vnum peccatum, & retinendo aliud, quia impium eſt, à Deo dimidiam ſperare veniam; ſi ergo Deus ſtatuiſſet Circumciſionem, vt quoddam ſignum, non habens ſufficientiam, niſi reſpectu minimæ gratiæ, excluderet tamen adhuc omnia peccata mortalia gratia modica, quam confert. *Circumciſio minorē gratiam dabat quam Baptiſmus.* Et poſſet dici quòd propter imperfectionem iſtius ſigni, & minimam gratiam, quam confert Circumciſio comparando ipſam ad Sacramenta nouæ legis, quòd non confert gratiam, quia minimam confert reſpectu illius, quæ confertur per Sacramenta nouæ legis; & ſic poſſent exponi auctoritates, quæ videntur negare ipſam poſſe dare gratiam.

10. *Inſtatur dupliciter.* Contrà, Sacramentum eſt ſignum efficax, ſuum ſignatum repræſentans, & ſemper habens ſecum ſuum ſignatum, quantùm eſt ex ſe; ſed Circumciſio eſt Sacramentum; ergo habet ſecum gratiam illam, quam ſignat; ſed gratia minima augmentatur, ſicut & gratia maxima, cùm ſint eiuſdem rationis *diſtinct. 17. libri 1.* ergo Circumciſio in quocumque augmentat gratiam; ergo dat minimam, ergo non ſignificat dari minimam.

Reſpondeo quòd ſatis certitudinaliter ſignificat, vel gratiam tunc in *fieri*, ſi non ſit obex; vel tunc in *eſſe*, ſicut ſi Beata Virgo fuiſſet in conceptione filij adepta plenitudinem gratiæ, quam Deus ei decreuit dare: poſtea ſi recepit Baptiſmum, nullam de nouo recepit gratiam. Quod autem additur de augmento gratiæ, verum eſt quòd iuſtis in receptione Baptiſmi augetur gratia.

Circumciſio verò cùm per ſe primò conferret minimam gratiam, ſi præfuit maior gratia in ſubiecto, non augmentabatur per gratiam aliam virtute Sacramenti Circumciſionis; licèt augmentetur gratia præcedens ex merito, vel virtute operis, verbi gratia, in Abraham, aut in eo, qui habuit maiorem gratiam, quàm paruulus circumciſus, non valuit Sacramentum ad augmentandum gratiam in eo; valuit tamen, & augmentabat. gratiam eius ex opere operantis, & magno merito eius, vt obedientia perfecta, qua promptè humiliauit ſe præceptis Dei. *Abraha, v.g.*

Dupliciter ergo poteſt dici Sacramentum Circumciſionis reſpectu Sacramentorum nouæ legis non conferre gratiam.

Vno modo, propter minimam gratiam, quam confert reſpectu aliorum Sacramentorum. Alio modo, quia non confert gratiam cuicunque ex virtute Sacramenti, ſed virtute meriti: in Sacramentis autem nouæ legis augetur gratia in quocunque, non tamen per modum meriti, ſed virtute Sacramenti quantumcunque magna præcedit; & ſi non augeatur ex merito, vel opere operantis, dummodo recipiens non habeat motum contrarium bono, nec accedat fictus, adhuc augetur ſibi gratia ex vi Sacramenti; nec requiritur in ſuſcipiente actus meritorius ad hoc quòd gratiam recipiat, ſed tantùm requiritur defectus obicis.

11. *Ad argum. primum principale.* Ad primam rationem, dico quòd Magiſter non dicit in Circumciſione non conferri gratiam abſolutè, ſed in comparatione ad Baptiſmum; & hoc quidem verum eſt. Vel aliter poteſt dici, quòd non confert cuilibet gratiam virtute Sacramenti, ſicut Baptiſmus.

Ad ſecundum, Ad ſecundum, cùm dicit quòd Sacramenta non conferunt niſi quod ſignant, & Circumciſio nihil ſignat niſi emundationem à peccato originali; dico quòd nec Baptiſmus noſter ſignat aliquid niſi ablutionem animæ à peccato, & tamen principaliter inſtituebatur tam ad poſitiuum conferendum, quàm priuatiuum remouendum. Ita de Circumciſione.

Ad tertium. Authoritates, quæ dicūt Sacramenta veteris legis non dare gratiam, explicantur. Ad tertium, dico quòd omnes illæ auctoritates Magiſtri & aliorum, quæ dicunt Sacramenta veteris legis promittere gratiam, & non dare, intelliguntur de illis, quæ erant cæremonialia, vt tactus morticini, pro quo oportuit ſecundùm legem purificari, & mundari.

Oblationes etiam, quæ erant actus latriæ promittebant gratiam; & ſignabant Chriſtum, qui erat vera hoſtia immolanda Deo Patri pro genere humano; talia enim non conferebant gratiam virtute propria, ſcilicet virtute operis operati; ſed virtute motus inferioris, ſcilicet per modum meriti, & ideò tantùm gratiam promittebant; Sacramenta tamen vera illius legis gratiam conferebant, licèt non tantam ſicut noſtra.

Vnde Magiſter excipit ibi Circumciſionem ab illis, quæ tantùm gratiam promittunt, & non dant, &c.

Ad quartum. Quare Circumciſio non aperiebat ianuam. Ad vltimum, dico quòd non fuit ex defectu Circumciſionis, quòd ianua non fuit aperta per eam; ſed quia pretium non fuit tunc ſolutum, vſque quo ſtatuit Deus ianuam non aperiri.

Quid ſi Virgo ante mortem Chriſti mortua fuiſſet. Vnde ſi Beata Virgo mortua fuiſſet ante mortem Chriſti, & ſolutionem pretij pro peccatis noſtris, non intraſſet cœlum, nec fuiſſet ſibi ianua aperta, ſed fuiſſet interim in ſinu Abrahæ.

DISTINCTIO II.

De efficacia Sacramentorum nouæ legis.

QVÆSTIO I.

Vtrùm Sacramenta nouæ legis habeant efficaciam ſuam reſpectu gratiæ conferendæ à paſſione Chriſti?

Alenſ. 4. *part. quæſt. 9 membro* 7. D. Bonauent. *hic dub.* 2. *& art.* 1. *quæſt.* 1. D. Thom. 3. *part. quæſt.* 62. *art.* 5. *& quæſt.* 64 *art.* 3. Vaſq. *ibi diſp.* 135. Vega 7. *in Trident. cap.* 18. Scotus *in Oxon. hic quæſt.* 1. *& ſententiarij.*

1. *Argum. primum.*

IRCA Diſtinctionem ſecundam quæro, *Vtrùm Sacramenta nouæ legis habeant efficientiam ſuam reſpectu gratiæ conferendæ à paſſione Chriſti?* Arguitur quòd non. Ab eo, quod non eſt, non habet aliquid ſuam efficientiam, quia ſecundùm Philoſophum 5. *Metaphyſic. cap.* 1. *de cauſa, & 2. Phyſic. text.* 37. cauſa in actu & effectus in actu ſimul ſunt, & non ſunt; ſed paſſio Chriſti non eſt; ſed præteriit: ergo, &c.

Secundum. Item, ſi ſic, aut ergo à paſſione vt præuiſa, vel vt exhibita? Si vt præuiſa, ergo Sacramenta veteris legis, & nouæ legis ex vi Sacramenti habent efficientiam à paſſione Chriſti præuiſa, quia illa Sacramenta erant inſtituta ante paſſionem Chriſti, quia Apoſtoli baptizabant ante mortem Chriſti, patet *Ioan.* 3. Euchariſtia etiam fuit inſtituta integra; ergo, &c.

Tertium. Item, reſpectu gratiæ non poteſt eſſe cauſa meritoria, quia gratia gratis datur, non meritis redditur, ſecundùm Apoſtolum *Rom.* 9. ſed paſſio Chriſti, ſi eſt cauſa, non eſt cauſa niſi meritoria; ergo, &c.

Quartum. Item, ſi haberent efficientiam à paſſione Chriſti, hoc maximè eſſet à vulnere laterali, quia ab illo vulnere profluxerunt omnia Sacramenta ſecundùm Auguſtinum 15. de Ciuit. cap. 26. *profectò illud vulnus*, &c. Sed non habuerunt efficientiam ab illo vulnere, quia ſi ſic, non niſi meritoriam. Sed hoc eſt falſum, quia id vulnus fuit Chriſto inflictum ipſo iam mortuo, patet *Ioan.* 19. Nullus autem meretur ſibi, nec aliis poſt mortem: ergo, &c.

Contrà. Oppoſitum vult Magiſter in litera & Auguſt. *de nupt. & concupiſc. cap.* 27.

SCHOLIVM I.

Aſſerit efficaciam Sacramentorum in eo eſſe, quòd ſignatum, id eſt, gratia, ſemper concomitetur illa, niſi ponatur obex. Cauſam autem principalem efficaciæ eſſe diuinam voluntatem, quæ non determinatur per aliud à ſe, cùm ipſa ſit omnium prima. Quòd verò inſtituerit hæc ſigna, docet afferens teſtimonia Scripturæ de ſingulis ferè Sacramentis, quando fuerunt inſtituta. De quo latiùs agetur agendo de ſingulis ſeorſim.

2. *Quid ſit efficacia Sacramentorum, & à quo?*

REſpondeo efficacia Sacramenti eſt, quòd ipſum Sacramentum inſeparabiliter quantùm eſt ex ſe, ſemper ſequatur, & concomitetur ſignatum, quod ſignat. Ab eodem ergo Sacramentum, quod eſt ſignum, habet ſuam efficientiam, à quo habet, quòd ipſum inſeparabiliter concomitetur effectus inuiſibilis, qui eſt ſignatum eius; ſed quòd huiuſmodi ſignatum inſeparabiliter concomitetur aliquod ſignum, contingit dupliciter; vno modo, quòd ſit ab eo vt à cauſa principali; alio modo, quòd ſit ab eo, vt à cauſa meritoria. Primo modo ſola voluntas diuina eſt cauſa inuiſibilis effectus, quam ſignat Sacramentum, & ipſum concomitatur. *Solus Deus cauſa principalis Sacramenterii.*

Probatio primi eſt, quia ſola voluntas diuina poteſt ex ſe ipſa virtute actiua libera determinari ad cauſandum aliquem effectum ſibi proprium, aliter non eſſet cauſa prima, ſi ab aliqua alia determinaretur, quod eſt contra Auguſtinum *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 6. gratia, vel ſignatum inuiſibile, quod inſeparabiliter concomitatur Sacramentum, eſt primus effectus voluntatis diuinæ, quia liberè & contingenter eam communicat; ergo voluntas eius eſt principalis cauſa, & prima effectus inuiſibilis Sacramenti, & per conſequens Sacramentum requirens voluntatem diuinam ad cauſandum effectum inuiſibilem, quem deſignat, requirit eam vt cauſam principalem eius primam & immediatam.

Item, Deus non aſſiſtit alicui, vt cauſa mediata, & neceſſaria ad creandum aliquam formam in diſpoſito, mediante qua forma cauſet, forma cauſante ipſum, niſi vel ſit ordo neceſſarius inter illas formas, vel inter diſpoſitionem in diſpoſito, & formam inducendam per eam; ſed in propoſito non eſt talis ordo neceſſarius; prolatio enim verborum cum intinctione corporis in aqua, non eſt cauſa neceſſaria, nec diſpoſitio abſolutè neceſſaria ad inductionem gratiæ. Patet, quia ſunt ſignum gratiæ ex inſtitutione, & non naturale; quia fictus recipiens ipſum non habet gratiam. Deus ergo eſt cauſa immediata talis effectus Sacramenti per aſſiſtentiam ſuam Sacramento, cui diſpoſuit ſemper aſſiſtere, & gratiam conferre, niſi propter indiſpoſitionem ſuſceptiui impediretur de congruo, & ita ſola voluntas eſt prima cauſa, & principalis huius effectus inuiſibilis.

3. *Qualiter Deus aſſiſtat Sacramentis ad ſuum effectum.*

Sed qualiter aſſiſtit Sacramentaliter ad cauſandum talem effectum inuiſibilem, ſcilicet gratiam?

Reſpondeo, & dico quòd Deus ex eadem ordinatione, quia inſtituit ſacramenta, vt ſigna efficientia, & vera reſpectu gratiæ, quam deſignant, ex eadem aſſiſtit ad immediatè cauſandum illam, ne huiuſmodi ſigna ab eo inſtituta, ſint falſa.

Vnde ſicut omnia Sacramenta voluntate eius ſunt immediatè inſtituta, ita voluntate eius habent efficientiam ſuam, & gratiam, quam ſignant, & hoc immediatè, & etiam eadem actione, qua illa inſtituit.

Omnium Sacramentorum inſtitutio. Et vt ſingula declarentur in ſingulis, patet inductiuè quòd omnia Sacramenta ſunt immediatè à Deo inſtituta.

Baptiſmi. De Baptiſmo autem certum eſt quòd ſit immediatè ab eo inſtitutus, licèt neſciatur à nobis tempus, quo ipſum inſtituit. Vnde dicunt aliqui quòd *Ioan.* 3. quando Dominus dixit Nicodemo, niſi

niſi quis renatus fuerit ex aqua,&c. Sed Nicodemus fuit tunc priuata perſona, & non præco legis; nec fuit diſcipulus eius tunc temporis, quando illa verba fuerunt ſibi dicta. Nec etiam tunc inſtitutus eſt primò, quando dixit poſt reſurrectionem Matth. vltimo. *Ite*, &c. *baptizantes eos*, &c. quia ante paſſionem diſcipuli multos baptizauerunt. Patet Ioann. 3. quando dixit eis, *in viam Gentium ne abieritis, ſed ad ſolos filios Iſraël.* Poſt paſſionem autem non erat hoc Sacramentum primò inſtitutum, ſed publicè prædicatum, & promulgatum eſſe, & cadere ſub præcepto, quo erat promulgatum. Licèt ergo neſciatur à nobis certum tempus primæ impoſitionis, ſiue inſtitutionis eius, certum eſt tamen quòd ab ipſo Chriſto immediatè fuit inſtitutum; & veriſimile eſt quòd tunc, quando vocans diſcipulos Matth. 10. *miſit eos binos ante faciem ſuam in omnem locum, quo erat venturus, & dedit eis poteſtatem curandi infirmos*, & prædicandi, & dæmones effugandi; & veriſimile eſt quòd ſicut tunc dedit eis poteſtatem prædicandi, ſanandi, & dæmones expellendi, ita & baptizandi.

Euchariſtiæ. De Sacramento Euchariſtiæ certum eſt quòd immediatè fuit ab eo inſtitutum, cùm dixit in Cœna Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*, & id prædicauit primò Ioan. 6. quando dixit, *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, & , niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſang.* &c. propter quod multi abierunt retrorſum, vt patet in Ioanne.

Confirmationis inſtitutio. De confirmatione dicitur quòd inſtituebatur quando inſufflauit in diſcipulos ſuos, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c. Ioann. 20. Credo tamen melius quòd fuit inſtitutum in Pentecoſte, quando miſſo eis Spiritu ſancto ex cœlo, locuti ſunt diuerſis linguis; patet ex ſimilitudine effectus, quia quando alios confirmabant Apoſtoli per impoſitionem manuum, ſtatim dabatur confirmatis Spiritus ſanctus, & loquebantur variis linguis. Vnde Ioan. 20. dixit, *ſedete hîc donec impleamini Spiritu ſancto ex alto.* Quod ergo priùs inſufflauit in eis, hoc fuit ſignum, quòd poſtea erat eis daturus in Pentecoſte, quando daret Spiritum ſanctum, & confirmaret eos.

4. *Pœnitentia.* De Pœnitentia videtur dubium, à quo inſtituebatur primò. Et dicitur quòd à Beato Iacobo, cuius inſtitutio ſecundùm eos accipitur ab illo verbo, Iacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem, vt ſaluemini.* Sed iſtud non credo eſſe verum, quia non magis inſtituebatur per vnum verbum Iacobi, quàm per aliud; ſed non inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ quando dixit, *orate pro inuicem vt ſaluemini.* Certum eſt ergo nec per illa; *confitemini alterutrum peccata veſtra*, quia qua ratione inſtitueretur Sacramentum per hæc verba, eadem ratione & per ſequentia, vt *orate pro inuicem vt ſaluemini.*

Vide Alenſ. 4. p. tract. de Conf. q. 9.

Item, abſoluere pœnitentem à peccatis ſolummodo competit ſacerdoti ex officio, ſed cùm dicit *confitemini*, &c. ſpecificat ſacerdotes, quibus incumbit poteſtas à peccatis abſoluendi ſacramentaliter, magis quàm laïcos; ſed indifferenter hortatur omnes ad confeſſionem faciendam de peccatis: non ergo inſtituit in illis verbis Sacramentum Pœnitentiæ.

Item, non potuit Iacobus pepigiſſe fœdus cum Eccleſia, vt quandocunque fieret confeſſio mutua, quòd Deus daret gratiam, & remitteret culpam; hoc enim eſt voluntatis diuinæ, quæ ſicut ſola dat gratiam, ita ipſa ſola ſtatuit ad placitum, & poteſt ſtatuere quibus, & quando debuit conferre gratiam.

Dico ergo quòd Chriſtus immediatè inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ, non tamen quando dixit Petro Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum*, quia omne Sacramentum eſt cauſa efficiens, & demonſtratiuum pro præſenti; hoc autem dixit Petro tanquam prognoſticando de futuro; ſed quando inſufflauit in eos *Ioan.* 20. dicens, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata*; arbitrando ſcilicet per modum Iudicis inſtrumentalis, & non principalis, *remittuntur eis, & quorum retinueritis*, &c. Vnde ſicut non dedit eis poteſtatem Dei ad creandum, vel gratiam conferendum principaliter, ſed inſtrumentaliter, etiam per modum arbitrij, & Deus acceptando arbitrium eorum de peccatis, dimitteret peccata principaliter, & conferret gratiam, ac ſi dixiſſet: ego abſoluam, ſitis vos fideles arbitri de pœnitentia, & peccatis. Et quia nullus poteſt arbitrari de peccato, quod eſt ſibi omnino incognitum, ideò dedit auctoritatem, & poteſtatem cognoſcendi peccata ſubditorum, ac per hoc voluit ſubditos eis confiteri, vt omne illud eſſet principaliter abſolutum, & ligatum in cœlo ab eo, quod eorum arbitrio eſſet ſolutum, vel ligatum in terris.

5. *Ordinis.* Sacramentum etiam Ordinis, vt ſacerdotium, fuit inſtitutum à Chriſto immediatè quantùm ad duos eius actus principales, & quantùm ad poteſtatem conſecerandi corpus ſuum verum, cuius poteſtatem dedit eis in cœna, vbi fecit eos ſacerdotes, cùm dixit, *Hoc facite*, &c. & quantùm ad actum faciendi corpus ſuum myſticum reuocando. peccatores per pœnitentiam ad Eccleſiam, quæ eſt corpus eius myſticum, Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata*, &c. abſoluere enim peccatorem à peccatis per modum arbitrij, & conficere corpus Chriſti verum, ſunt duo actus ſacerdotis principales. Ordinem etiam Diaconatus inſtituit, quando miſſi ſunt ſeptuaginta diſcipuli ad prædicandum populo verbum Dei, quia officium Diaconatus eſt populo prædicare verbum Dei, ſicut &. Dæmones expellere per verba ſancta: tunc ergo ordinem Diaconatus inſtituit, quando poteſtatem prædicandi dedit eis.

Item, Matth. 10. inſtituit alios Ordines, vt Subdiaconatum, &c.

Matrimonij. Sacramentum etiam Matrimonij inſtituit per ſe tempore legis naturæ in Geneſ. 2. *propter hanc quidem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*, dicit Adam, vt miniſter pronunciando illa verba, quæ ſignificarent iſtam coniunctionem eſſe inſeparabilem; Deus autem illud principaliter inſtituit. Vnde allegat id Matth. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, niſi propter cauſas ſeparationis, quas ipſe ordinauit; & ideò illud non de nouo inſtituit, ſed illud approbauit, & ad rectitudinem reduxit; ſicut patet Matth. 19. Diſpenſat enim & in lege de bigamia, & libello repudij, propter quod hic homo poſſet dimittere vxorem; Chriſtus autem confirmando & ſtatuendo & reformando legem, noluit propter hoc dimitti vxorem: ſed non propter cauſam aliquam, niſi propter adulterium.

Extrema Vnctionis.

De extrema Vnctione dicitur quòd eam inſtituit Deus Iacobi vltimo. *Infirmatur quis in vobis, inducat ſacerdotem*, &c. Sed iſtud non credo eſſe verum, quia ſtatim poſt illa verba ſubditur, *& dimittentur ei peccata.* Non credo autem quòd beatus Iacobus auderet propria auctoritate inſtituere pactum cum Eccleſia, quòd quicunque ſic vngeretur, quòd dimitterentur ſibi peccata ſua: ſed ego dico Chriſtum immediatè illud Sacramentum inſtituiſſe, ſicut & alia; dicitur enim *Marci 6.* diſcipulos eius vnxiſſe infirmos oleo ſancto, quod veriſimile eſt feciſſe ex præcepto eius, & ideò Iacobus Sacramentum extremæ vnctionis non inſtituit, ſed illud inſtitutum à Chriſto promulgauit; multa enim docuit per Spiritum ſanctum, & tradidit Apoſtolis, quæ ipſi vt præcones, & miniſtri nunciarent, & iſto modo poſſet dici omnia Sacramenta eſſe ab eis, quia omnia fuerunt ab eis prædicata, & populo denunciata.

Etiam Sacramenta propria veteris legis à Deo inſtituta ſunt.

Eodem modo eſt dicendum de Sacramentis veteris legis, quæ gratiam conferebant, & peccata laxabant, quòd à Deo ſolùm inſtituebantur principaliter, ſed denũciata Patribus, & Prophetis locutione exteriori, vel interiori, & per reuelationem, quòd talia ſigna eſſent ſibi accepta ad aſſiſtendum eis ad gratiam conferendam, & peccata dimittenda; ſic ergo patet primum, quòd Sacramenta ſunt à ſola voluntate diuina inſtituta principaliter, & quòd ex eadem ordinatione, qua ea inſtituit, eadem eis aſſiſtit ad conferendum gratiam, quam deſignant.

SCHOLIVM II.

Paſſio Chriſti fuit cauſa meritoria efficaciæ Sacramentorum, quia oblata fuit pro remedio omnium, & explicat optimè quomodo in hoc concurrunt miſericordia & iuſtitia. Pro hoc ſunt Trid. Seſſ. 1, can. 1. & Florent. in decret. Eugen. cùm definiunt omnia remedia ſalutis noſtræ eſſe præmia operum Chriſti. Vide in Oxon. Scholium hîc, num. 6.

Chriſtum eſſe cauſam meritoriam Sacramentorum.

SEd quantùm ad cauſam meritoriam efficientiæ Sacramentorũ reſpectu gratiæ, dico quòd paſſio Chriſti eſt cauſa præuiſa, vel exhibita, ita quòd in nulla lege habuerunt aliqua Sacramenta efficaciam meritoriè, niſi à paſſione Chriſti præcredita, vel præuiſa, vel vt iam credita fuiſſe exhibita. Hoc probatur dupliciter. Obſequium quantò offertur à magis dilecto, tantò eſt magis gratum, & acceptatum, & hoc pro illo, pro quo offert, & ad finem illum, ad quem offert; Chriſtus fuit maximè charus, & dilectus à tota Trinitate, quia dedit ei Deus gratiam, & non ad menſuram aliorum Sanctorum; Chriſtus etiam voluit obſequium maximè gratum offerre Deo Patri, quia ſe ipſum hoſtiam immolandam pro nobis, & noluit hoc obſequium offerre pro ſe, quia non indiguit, ſed pro electis, & prædeſtinatis, qui nati vt filij iræ ex maſſa peccati, non poterant propriis obſequiis ad finem prædeſtinationis attingere: decreuit enim Deus à tempore præuaricationis primi hominis, ex quo genus humanum habuit initium, vt nunquam remitteret alicui offenſam, vel aliquem acciperet in amicitiam quouſque amicus merito, vel obſequio ampliùs placaretur, quàm offendebatur ex delicto, & demerito: tale fuit obſequium Chriſti morientis pro electis: ergo à paſſione eius præuiſa, vèl exhibita, habuerunt Sacramenta noſtra efficientiam reſpectu gratiæ, vt à cauſa meritoria.

Omnia remedia ad ſalutem per Chriſtum nobis dantur.

Et ſic patet quomodo in patre æterno concurrunt miſericordia & iuſtitiæ; quia vniuerſæ viæ eius miſericordia & veritas. Iuſtitia nobis remittendo offenſam, & acceptando ad gloriam; miſericordia, in remittendo offenſam ſine proprio merito, & obſequio per obſequium gratiſſimum filij ſui, qui pro illa offenſa ſolus poteſt ſatisfacere miſericorditer, factus obediens vſque ad mortem. Iuſtitia & veritas, quia iuſtum eſt obſequium filij Dei dilectiſſimi excedens offenſam, & dignum magis gratè acceptari, quàm illa diſplicuit, & ideò illam per illud remitti. Iuſtum eſt etiam quòd creatura, quæ poteſt perducere electos ad finem prædeſtinationis eorum, quòd eos perducat, maximè ſi nullus alius hoc poteſt facere, aliter non videtur illa creatura perfectè obedire Deo ordinanti electos ad illum finem; Chriſtus hoc potuit; ergo iuſtum fuit aliquo modo ſe ipſum offerre pro nobis ſuo Patri hoſtiam immaculatam, vt nos perduceret ad finem beatitudinis, ad quam ordinati eramus antequam primus pater noſter peccaſſet, maximè cùm non poſſemus per alicuius alterius obſequium patri conformari.

8. *Quomodo remedia ſalutis ſunt ex miſericordia, & iuſtitia.*

Ex his infero, quòd obſequium Chriſti iam exhibitum meruit nobis, & acceptabatur in vtilius bonum tam nobis, quàm illis, quibus fuit præuiſum, & promittebatur exhibendum. Rex enim præuidens ſeruitium alicuius eſſe gratum pro delicto alicuius, remittit delictum; ſed non dat donum, vel non acceptat illum ad amicitiam perfectam, quouſque debitum obſequium perſoluatur. Paſſio autem fuit obſequium exhibitum valdè charum Deo, & nos per fidem, ſic eam exhibitam offerentes, maius bonum, quia maiorem gratiam accipimus per Sacramenta nouæ legis habentis efficientiam ex ea, quàm antiqui Patres, quia tantùm eam offerebant per fidem, vt præuiſam exhibendam, per Sacramenta veteris legis. Et ex hoc patet quòd præmiſſum eſt in priori quæſtione, quòd in Circumciſione ẽabatur minor gratia, quàm in Baptiſmo. Et licèt Sacramenta legalia dabant gratiam virtute paſſionis Chriſti præuiſæ, vt exhibendæ, non tamen aperiebant ianuam, ſicut Sacramenta nouæ legis, quia obſequium gratum & pretium redemptionis non erat adhuc ſolutum, & exhibitum.

9. *Meritum, & obſequium exhibitum magis acceptum quàm præuiſum.*

Ad primam rationem, dico quòd paſſio Chriſti licèt ſemper non fuerit in rẽ exhibita, fuit tamen ſemper in ſcientia, & acceptatione diuina, & ſic habuit rationem meritoriæ cauſæ, magis tamen meruit nobis, quibus exhibita eſt, quàm illis, quibus fuit adhuc exhibenda.

10. *Quare Baptiſmus aperuit ianuam, non circumciſio.*

Ad argum. primum.

Ad aliud, patet per iam dicta, quia vtroque modo eſt cauſa meritoria, licèt diuerſimodè, quia vt præuiſa non eſt cauſa meritoria tantæ gratiæ, ſicut iam facta. Et cùm probas, quia non vt iam exhibita eſt cauſa meritoria in omnibus Sacramentis; vt patet de Euchariſtia, & Baptiſmo, quia hæc duo Sacramenta erant inſtituta ante mortem Chriſti; dico quòd Chriſtus à principio natiuitatis ſuæ vno modo poteſt dici exhibere pretium, & obſequium pro peccatis noſtris, quia aſſumpſit paſſiones humanæ naturæ ſibi extraneas, & multas pœnalitates ſuſtinuit, & ita à principio natiuitatis ſuæ

Ad ſecundum.

Sacramenta noua legis ante paſſionem inſtituta habent ab ea, vt exhibita, vim ſuam.

ſuæ paſſionem ſuam actualiter Deo obtulit, & ſic habuerunt Baptiſmus, & Euchariſtia virtutem à paſſione Chriſti, vt aliquo modo exhibita; concedo tamen conſequenter quòd virtute Sacramenti non habuerunt tantam efficaciam ante paſſionem Chriſti, ſicut pòſt, nec Apoſtoli baptizati ante paſſionem Chriſti exhibitam tantum receperunt de gratia virtute Sacramenti, ſicut modò baptizati, licèt plus habuerunt de gratia per modum meriti, & ex opere operante.

Alio modo poteſt dici, quòd licèt Sacramenta fuerunt inſtituta ante paſſionem Chriſti, non tamen pro illo tempore; ſed pro tempore ſequente paſſionem Chriſti, & ideò pro tunc habuerunt efficaciam ante paſſionem Chriſti, vt illis poſt paſſionem Chriſti Chriſtiani Deo reconciliarentur, & eis daretur gratia, quam ſignant; vnde aliud tempus erat, in quo fuerunt inſtituta, & pro quo fuerunt inſtituta, & promulgata.

II. *Ad tertium. Chriſtus non ſibi ſed nobis gratiam meruit.*

Ad tertium dico quòd paſſio Chriſti eſt cauſa meritoria gratiæ, non ſibi, quia à principio gratiam habuit ſummam, & fuit in termino gratiæ, ſed meritoria gratiæ nobis. Et quando dicitur quòd gratia non gratis datur, ſi meritis redditur; dico quòd verum eſt, ſi meritis accipientis redditur. Non autem redditur meritis noſtris, qui eam accipimus, ſed meritis Chriſti, qui eam meretur nobis.

Sed quomodo poteſt aliquis mereri alij, & non ſibi ipſi? Dico quòd ſi ille, qui meretur alteri, ſit in termino gratiæ, cuiuſmodi fuit Chriſtus, benè poteſt mereri alteri, & non ſibi ipſi. Exemplum huius eſt. Si aliquis diligeret aliquem quantum poteſt ipſum diligere, & ſit impoſſibile magis diligi ab eo, ſi alius ſeruiat ſibi, & offerat ſibi obſequium aliquod gratum pro alio, diligens illud gratiſſimè acceptat, & magis quàm offenſam alterius, pro quo offert, penſat; & tamen non plus diligit eum propter illud obſequium gratum, quia dilexit eum in ſummo. Iſto modo eſt de Chriſto offerente ſuo Patri; à quo in ſummo diligitur, ſe ipſum in mortem ad offenſam noſtram redimendam; & ideò ex iuſtitia quadam remiſit nobis offenſam, & non fuit mera gratia iuſtificatio peccatoris, quia non eſt mera gratia in vniuerſo, niſi Incarnatio, quin aliquibus meritis reddatur, quibus redditur.

Nihil omnino gratis à Deo datum niſi Incarnatio.

Ad quartum. Quomodo Sacramenta dicantur fluxiſſe à vulnere lateris Chriſti.

Ad vltimum, dico quòd Sacramenta dicuntur fluxiſſe ex vulnere lateralis corporis Chriſti, non propter principalem meriti rationem ex iſto vulnere, quia fuit mortuus quando illud vulnus ſibi infligebatur, ſed propter maiorem ſimilitudinem eorum, quæ fluxerunt de illo vulnere, ſcilicet, ſanguis, & aqua, ad ea quæ concurrunt in Sacramento Euchariſtiæ, quod eſt Sacramentum principale, licèt non magis neceſſarium; & ita dicuntur omnia fluxiſſe ab illo vulnere, quia quæ fluxerunt ab illo vulnere, fuerunt ſimiliora Sacramentis.

QVÆSTIO II.

Vtrùm baptizati Baptiſmo Ioannis tenebantur de neceſſitate ſalutis iterum baptizari Baptiſmo Chriſti?

Alenſ. 4. p. q. 9. m. 7. D. Thom. 3. p. q. 38. *art.* 6. & q. 66. *art.* 9. D. Bonau. *hic a.* 2. q 3. Rich. *art.* 2. q. 4. Durand. q. 4. Gabr. q. 2. Bell. *l.* 1. *de Baptiſmo, cap.* 20. *& ſequent.* Abul. *in* 3. *Matth. q.* 30. Scot. *in Oxon. hic. q.* 2.

ARGVITVR quòd non. Magiſter in litera huius diſtinctionis, cap. vltimo. *Qui ſpem non poſuerunt in Baptiſmo Ioannis, & in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum credebant, non erant baptizandi poſtea, ſed per impoſitionem manuum Apoſtolorum ſuper eos acceperunt Spiritum ſanctum.* 1. *Argument. primum.*

Item, in receptione Sacramentorum, quod datur non eſt iterandum, ſed ſi aliquid omittitur, caurè eſt ſupplendum: exemplum de Clerico per ſaltum promoto: ergo cùm in Baptiſmo Ioannis daretur ablutio exterior, & non interior, videtur quòd in Baptiſmo Chriſti iam inſtituto non fuerit ablutio exterior iteranda, ſed interior ſupplenda. *Secundum.*

Contra, de conſecrat. d. 4. c. *Aliud*, & habetur apud Auguſtinum, hom. 5. ſuper Ioan. *Si quos baptizauit Iudas, non ſunt iterum baptizandi, ſi quos Ioannes, iterum baptizandi ſunt.* *Ratio ad oppoſitum.* Auguſtinus.

Item, Auguſtinus lib. 5. contra Donatiſtas, ante medium, *Dominus Ieſus tali Baptiſmo mundat Eccleſiam, quo accepto nullum aliud requiritur, accepto tamen Ioannis Baptiſmo, adhuc erat dominicum Baptiſma neceſſarium.* Auguſtinus.

SCHOLIVM.

Baptizati per Ioannem rebaptizandi erant. Ratio, quia Baptiſmus Ioannis non fuit Sacramentum, de quo datum eſt præceptum Act. 19. *& Trid. Seſſ.* 6. *c.* 1. *Vide Scholium in Oxon. hic. ſi tamen Ioannes baptizauit Baptiſmo Chriſti, & forma eius; non erant rebaptizandi, quos ſic baptizauit. & ſic piè exponi poteſt Magiſter hîc, tenens baptizatos à Ioanne non eſſe rebaptizandos.*

RESpondeo ad quæſtionem, & dico quòd Baptiſma Ioannis poteſt intelligi vno modo, quòd baptizauit tantùm in nomine venturi, & ſic remanebant obligati ab eo ad ſuſcipiendum Baptiſma Chriſti; vnde non dedit niſi quandam diſpoſitionem præuiam per ablutionem exteriorem, vt homines faciliùs excitarentur, & inducerentur ad recipiendum Baptiſma Chriſti, vbi datur ablutio interior animæ à peccatis, ſicut ipſe atteſtatur in Ioanne 1. *Ego baptizo vos in aqua: ſtat medius autem, &c. qui baptizat in Spiritu ſancto, & veritate*; ſed diſpoſitiò, vel præparatio ad aliud, non ſufficit ad completionem illius cuius eſt, ideò accepta præparatione, adhuc non inducitur medicina, ſed neceſſe eſt medicinam ſequi, aut eſſe fruſtra; ergo à ſimili quantumcunque eſſet aliquis purificatus Baptiſmo Ioannis, adhuc vlteriùs debet cum Baptiſmo Chriſti emundari. 2. *Baptiſmus Ioannis medicina præparatiua, Chriſti curatiua.*

Confirmatur; in naturalibus forma requiritur induci poſt diſpoſitionem alicuius, alioquin productum non eſſet perfectum; à ſimili in propoſito.

Item, præceptum erat de Baptiſmo poſtquàm ceſſauit Circumciſio; ergo poſtquàm præceptum de Baptiſmo fuit promulgatum, eos obligauit; ergo baptizati Baptiſmo Ioannis quantumcunque haberent de gratia, non minùs tenebantur, propter præceptum, ad ſuſcipiendum Baptiſma Chriſti; ergo, &c. Confirmatur, omnes, qui non erant

erant intra Eccleſiam, obligabantur ad præceptum de Baptiſmo Chriſti, ſed baptizati Baptiſmo Ioannis non erant intra Eccleſiam per illud Baptiſma, quia nullus ingreditur in eam, niſi introducatur per Chriſtum, & per Baptiſma, quod eſt ianua Sacramentorum, per quam aliquis incipit eſſe de familia Dei, & amicus. Vnde ſicut præceptum erat de ingreſſu in Eccleſiam poſt egreſſum de Synagoga, ita præceptum erat de receptione Baptiſmi poſt ceſſionem Circumciſionis, & ideò ſicut omnes tenentur ad ingreſſum Eccleſiæ poſt ſepulturam Synagogæ, ita omnes tenentur ad Baptiſma Chriſti poſt euacuationem Circumciſionis; noluit enim Deus deſtruere omne remedium ad ſalutem.

3. *Potuit Ioannes baptizaſſe baptiſmo Chriſti.*

Alio modo poteſt intelligi Ioannes baptizaſſe Baptiſmo Chriſti, potuit enim audiſſe diſcipulos Chriſti baptizaſſe, & formam, quam tenerent, & eandem tenuiſſe in ſuo Baptiſmate, baptizando aliquos *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, quod baptiſma tunc non fuit eius ſecundùm formam, ſed tantùm vt miniſtri, & executoris; ſed erat forma baptizantis Chriſti. Et ſic dico quòd baptizati Baptiſmate Ioannis, vt miniſtri, & executoris, non erant iterum baptizandi; & ita poteſt ſaluari dictum Magiſtri dicentis baptizatos à Ioanne non eſſe rebaptizandos; non autem primo modo intelligendo baptiſma eius. Et tunc arguit Magiſter à contrario ſenſu ſic: qui non habuerunt fidem Trinitatis, & ſunt baptizati à Ioanne, tenebantur iterum baptizari; ergo qui habuerunt fidem, & ſunt baptizati à Ioanne, non tenebantur iterum baptizari; ſed talis modus arguendi non valet niſi in cauſis præciſis.

Ad primum principale patet ex iam dictis.

Ad aliud, cùm dicitur quòd illud, quod eſt prætermiſſum, debet cautè ſuppleri, dico quòd illa regula non eſt vera, quando non poteſt ſupleri alio prætermiſſo, ſicut patet de ordinatis per ſaltum; quia character ordinis ſacerdotalis poteſt imprimi, & ſi non præfuiſſet Diaconatus. Sed in propoſito, quod fuit prætermiſſum, non potuit ſuppleri, quia nihil erat factum, & vniuerſaliter quando aliquid eſt prætermiſſum, ſine quo nihil poteſt fieri de effectu principali, non eſt ibi aliquid ſupplendum, ſed totum inchoandum, nec tamen ibi aliquid iteratur, quia nihil eius præfuit factum.

DISTINCTIO III.

De Sacramento Baptiſmi?

QVÆSTIO I.

Quæ ſit definitio & eſſentia Baptiſmi?

Hugo *de* S. Victor. *lib.* 2. *de Sacram p.* 6. *c.* 2. Alenſ. 4 *p. q.* 11. *m.* 2. D Thom. 3. *p. q.* 66. *art.* 7. (vbi Suarez & Vaſquez) *& hic q.* 1. D. Bonau. *art.* 1. *q* 1. *&* 2. Rich. *a.* 1. *q.* 3. Scot. *in Oxon. queſt.* 1.

1. *Argument. negatiuum.*

IRCA diſtinctionem tertiam quæritur primò de quiditate Baptiſmi, vtrùm ſit ablutio exterior corporis facta in aqua à Sacerdote, cum hac forma verborum: *Ego baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.*

Arguitur quòd non, quia pars non prædicatur de toto, ablutio exterior eſt pars baptiſmatis: ergo, &c. Minor patet ſecundùm Auguſtinum ſuper Ioannem Homil. 8. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; ergo tam verbum, quàm aqua concurrunt ad ablutionem corporis exteriorem. Auguſt.

Contrà, Magiſter in litera. *Argument. affirmatiuum.*

SCHOLIVM.

Aſſignatur Baptiſmi definitio, & illa data à Magiſtro, ſcilicet: Baptiſmus eſt tinctio corporis exterior, facta ſub forma verborum præſcripta: *eſt bene data, & explicatur.*

2.

AD iſtam quæſtionem reſpondeo ex prædictis in definitione Sacramenti in communi; ibi enim dictum eſt Sacramentum per ſe includere relationem ſigni, & connotare vnum ſenſibile, vel plura ſenſibilia; ſiue ſint vnius ſenſus; ſiue plurium pro fundamento; ergo ſicut Sacramentum in communi dicit talem relationem in communi, & connotat tale fundamentum, ita ſpeciale Sacramentum, vt Baptiſmus, dicit ſpecialem relationem ſigni cum eiſdem differentiis in ſpeciali, & determinato correlatiuo, & ſpeciali, vt dicatur eſſe ſignum efficax ordinans hominem ad ſalutem exprimendo iſta, quæ pertinent per ſe ad eius rationem & definitionem.

Dico quòd *Baptiſmus eſt ablutio exterior, facta in aqua, hominis non inuiti, ab alio abluente, & ſimul cum intentione debita, & certis verbis totam Trinitatem inuocante, efficienter ſignans ex inſtitutione diuina ablutionem animæ interiorem à peccato.* Iſtæ partes patebunt per proprias, & ſingulas quæſtiones de Baptiſmo; cùm enim vltimò dicitur, quòd *efficienter ſignat ablutionem à peccato*, ibi tangitur ſuum proprium correlatiuum, & proprius effectus huius Sacramenti; cùm verò dicitur quòd eſt *ablutio facta in aqua*, exprimitur materia huius Sacramenti, & forma *cum certis verbis inuocante Trinitatem.* Subiectiuum tangitur, cùm dicitur, *hominis non inuiti*; miniſter cùm dicitur, *ab aliquo abluente.* Eſt ergo completa hæc definitio Baptiſmi ex proprio correlatiuo, & fundamento, & omnibus aliis requiſitis, vt materia, & forma, & miniſtro, quæ aliquo modo ſe tenent ex parte fundamenti; quæ non ita propriè dicitur definiri, ſicut illa, quæ eſt quiditatis extra animam, ſed ſicut ſermo quiditatiuus rei intra animam. Sacramentum enim eſt ſignum formaliter, & relatio rationis, & refertur ad inuiſibilem gratiam, vt correlatiuum & ſignatum. De forma autem Baptiſmi, & de eius inſtitutione, & etiam de eius effectu in ſuo correlatiuo habetur in aliis quæſtionibus huius diſtinctionis; de ſuſcipiente autem habetur *diſtinct.* 4. vbi de iſto quæretur. De miniſtro verò, à quo debeat conferri *diſt.* 5. vbi de hoc tangetur, & illa quæ pertinent ad diſpoſitionem eius declarabuntur in tribus diſtinctionibus ſequentibus. *Definitio Baptiſmi.* *Explicatur definitio.*

Quantùm ergo ad definitionem Magiſtri, de qua quæritur, dico quòd eſt bona, ſi ſuppleantur, & explicentur illa quæ in ipſa continentur, quia tunc eſt eadem cum prædicta. Nam cùm dicit quòd *eſt ablutio exterior facta in aqua*, tangit materiam huius Sacramenti; cùm verò dicitur quòd *eſt ablutio*, non cuiuſcunque, ſed *corporis*; tangitur ſuſceptiuum huius Sacramenti, & datur intelligi ablutio corporis hominis non inuiti, quia non corporis aſini, vel bouis, quia ablutio non fit niſi

3. *Definitio Magiſtri declaratur.*

niſi aliquo abluente; ideò conſequenter dat intelligere miniſtrum huius Sacramenti. Per hoc autem quod dicit *ſub forma verborum*, &c. exprimit formam huius Sacramenti, & ita addendo quod addidi, habetur completa eius definitio.

4. *Ad argum. Reſpon. ſio Richardi 4. d. 1. q. 1. a. 1. in ſolut. 2.* Ad argumentum in contrarium, dico quòd in artificialibus materia eſt tota ſubſtantia rei, & ideò in artificialibus non ſolùm prædicatur materia de toto artificiato in concreto, ſed etiam in abſtracto; ſtatua enim non ſolùm eſt æs, ſed ænea, domus non ſolùm eſt lignum, ſed lignea, ideò cùm Sacramentum ſit ſicut artificiale, quia eſt ſignum ad placitum, & non naturale, poteſt dici eſſe ſua materia, vt quòd ſit ablutio facta in aqua. Poteſt etiam dici, quòd Baptiſmus non tantùm eſt ablutio corporis in aqua, ſed cum debita forma verborum, & aliis conditionibus ſuperiùs requiſitis, expreſſis, & vbi totum non eſt vnum, niſi virtute ordinis, ſufficit quòd partes eius exprimentes quiditatem illius, ſicut totum habet quiditatem, quòd habeant tantùm vnitatem ordinis, ſicut eſt in propoſito de materia & forma huius Sacramenti.

QVÆSTIO II.

Vtrùm hæc ſit præcisè forma huius Sacramenti: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti?

Alenſ. 4. *p. q.* 13. *m.* 3. *per quatuor artic.* D. Bonau. *hic a.* 2. *per totum.* Rich. *art* 2. *q.* 3. D. Thom. *q.* 2. *&* 3 *p. q.* 66. *a.* 5. *vbi* Suar. *diſp.* 21. Scot. *in* Oxon. *hic.*

1. *Argument. primum.* ARGVITVR quòd non; forma eſt in materia eius, cuius eſt forma: ſed iſta verba non ſunt in aqua, nec in ablutione facta in aqua: ergo, &c.

Secundum. Item, ſi hæc propoſitio: *ego te baptizo in nomine Patris*, &c. ſit forma huius Sacramenti, aut ergo eſt propoſitio vera, aut eſt propoſitio falſa; non inquantùm eſt propoſitio falſa, quia tunc non eſſet Sacramentum veritatis, quod eſt impoſſibile; nec inquantùm vera, quia non eſt forma poſterior eo, cuius eſt forma, ſed prior. 7. *Metaph. text.* 7. ſed veritas iſtius propoſitionis, *ego te baptizo*, &c. eſt poſterior prolatione verborum iſtorum, quia ante finem verborum non incipit quis Sacramentum, nec miniſter dat, & eſt poſterior ipſo Sacramento, quia ſignat Baptiſmum dari, & per conſequens ab illo habet ſuam virtutem, & veritatem; quia propoſitio eſt vera ab *eſſe* rei: quia *ex eo, quòd res eſt, vel non eſt*, &c. in Prædicamentis: ergo veritas eius ſequitur Baptiſmum, quem ſignat conferri.

Tertium. Item, per verbum primæ perſonæ datur intelligi perſona determinata, quia demonſtratur perſona, vt vult Priſcianus; ergo ſuperfluit hoc pronomen *ego*. Hoc confirmatur per Bern. Gloſſatorem *in cap. ſi quis, de Baptiſ. & eius effectu*, qui probat quòd non eſt neceſſe ad veritatem huius Sacramenti exprimere hoc pronomen *ego*.

Quartum. Item, Græci verè baptizant, & baptizati ab eis quando veniunt ad nos non rebaptizantur; non autem ſeruant noſtram formam, ſed hanc: *baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Quintum. Item, vanum eſt dirigere ſermonem ad non intelligentem; igitur non oportet dicere *te*.

Sextum. Item, de conſecr. diſt. 4. c. *quodam*: dicitur. *Si Iudæus baptizauit in nomine Trinitatis, vel Chriſti, ſufficit.*

Septimum. Item, Ambroſ. lib. 1. de Spiritu ſancto, *ſufficit vnam perſonam exprimere*, dum alia piè intelligatur.

Octauum. Item, extra de conſecr. diſt. 4. Retulerunt. *Si dicatur in nomine Patris, baptizatur.*

Nonum. Item, Auguſt. 5. de Trinit. cap. 7. *Idem eſt patrem eſſe, & genitorem*: igitur ſufficit dicere, *in nomine genitoris.*

Ratio ad oppoſitum. Contrà extra de Baptiſmo & eius effectu cap. 1. *Si quis puerum ter immerſerit, & hanc formam verborum non tenuerit: ego te baptizo in nomine Patris*, &c. *nihil fit.*

SCHOLIVM I.

Primum dictum pro hac litera, Forma informans huius Sacramenti eſt relatio rationis, cuius fundamentum, & materia, complectitur ablutionem, aquam, verba, Miniſtrum. *Secundum*, Verba illa ſunt forma, id eſt, pars actualior fundamenti formæ informantis. *Tertium*, hæc forma eſt obſeruanda ſub pœna peccati in miniſtro ordinario, quia hunc non excuſat ignorantia, qua aliquis alius in neceſſitate baptizans excuſari poſſet. *Quartum*, quadrupliciter contingit mutari formam verborum ſecundùm ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, *vbi. & explicat clarè, quomodo.*

2. *Forma Sacramenti ipſa relatio ſignì, omnia alia ſe tenent ex parte fundamenti materiæ.* AD quæſtionem dico quòd poſſumus loqui de forma alicuius propriè, vel appropriatè. Si propriè, ſic dico quòd vniuſcuiuſque forma eſt illud, à quo eſſentialiter & formaliter eſt id, quod eſt; vt aliquis eſt albus per albedinem: & iſto modo dico quòd forma Baptiſmi ſi propria eſt, quòd ſit quædam relatio rationis, vt ſignum efficax veraciter demonſtrans, & ſignans ablutionem animæ à peccato, tanquam ſuum proprium correlatiuum, & ſignatum; quæ relatio rationis, vel quod ſignum, eſt in omnibus prædictis, in aqua, in verbis, &c. ſicut in ſuo fundamento; ita quòd illa quatuor, aqua, verbum, ſuſcipiens, & miniſter, quaſi integrant, iſto modo loquendo de forma, vnius fundamenti rationem, quia aliquo iſtorum amato non manet Sacramentum, nec iſta relatio rationis, quæ eſt ſignum ad placitum, & non ex natura rei, & ideò ſic ex inſtitutione refertur ad ſignatum, & effectum, quem deſignat: & iſto modo hæc relatio eſt propriè forma huius Sacramenti, & non verba pluſquàm aqua, quia vtrumque ſe tenet ex parte fundamenti iſtius relationis.

3. Veruntamen quando plura concurrunt ad conſtitutionem alicuius effectus vnius, vt viſibile, & audibile, comparando illa ad inuicem, vnum eſt principale, & aliud minùs principale, quia non poſſunt eſſe ſine omni ordine in illo tertio, & ex æquo: ſicut patet in omnibus compoſitionibus ordinatis ad aliquod ad tertium: huiuſmodi ſunt in Baptiſmo aqua, & verbum, ergo alterum eſt principalius in ſignando. Hoc autem principalius eſt verbum. Quia ſecundùm Aug. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 1. *Verba obtinuerunt principatum ad ſignandum inter omnia ſigna ad placitum*; quicquid autem ſignat, ex inſtitutione, *Auguſt.*

tantùm

Quare verba dicantur forma in Sacramentis.

tantùm est;ergo,&c. Nunc autem videmus quòd in compositis verè ex materia & forma, forma dicitur principalior pars compositi, quia dat *esse* sibi principaliter, ergo cùm verbum sit principalius ipsa aqua,& principaliter concurrat ad ablutionem interiorem, & constitutionem fundamenti huius signi quàm aqua, ideò appropriatè loquendo respectu istius verba possunt dici forma huius Sacramenti, sicut in aliis principalior pars compositi est forma alterius partis,& ita verbum non propriè,sed appropriatè dicitur forma huius Sacramenti.

4. *Dupliciter ꝑ aliquod necessarium in Sacramentis.*

Sed isto modo loquendo de forma, suntne verba prædicta præcisa forma Baptismi ? Respondeo & dico quòd aliud est requiri necessariò, & aliud de necessitate. Ex parte Sacramenti in se, aliquid necessariò requiritur & ex parte ministrantis Sacramentum. Si autem omittatur aliquid, quod est necessarium ex parte Sacramenti in se, euacuatur virtus ex parte ministri, quia nihil facit; sed non è conuerso. Si enim minister omittat aliquod necessarium, quantùm est ex parte ministri, & sibi incumbit ex officio, peccat mortaliter, omittendo illud; sed non propter hoc destruitur Sacramentum, quantùm est ex parte sui. Satis hoc patebit inferiùs.

Dico ergo quòd hæc est præcisa forma: *ego te baptizo*, &c. in Sacramento Baptismi. Considerando autem necessitatem ex parte ministri, qui tenetur ex officio scire formam baptizandi traditam in Canone,dico quòd prætermittendo,vel mutando, non secundùm essentialia istam formam, verè dat Sacramentum, sed tamen peccat mortaliter.

Ignorantia non excusat ministrum in his, quæ ex officio scire tenetur.

Nec excusat ignorantia, quia tenetur hoc scire ex officio,& ideò ignorantes illam formam in Ecclesia Latina,expellendi sunt de Ecclesia;quia *si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt*; vetula autem,vel laïcus, quibus non inumbit ex officio, sed tantùm in articulo necessitatis, non peccant mortaliter,etiamsi non obseruant istam formam omnino, dum tamen rectè faciant secundùm intentionem Ecclesiæ, quia non tenentur scire istam formam,sed verè dant Sacramentum.

Præcisa forma baptismi quoad verba, quæ.

Quæ autem mutatio verborum posset stare cum veritate Sacramenti, & quæ non, dicetur postea. Dico ergo quòd hæc est præcisa forma tenenda de necessitate ex parte baptizantis, cui non licet aliquam variationem, vel mutationem facere circa eam:quod si fecerit,peccat mortaliter, manente tamen Sacramento, cum aliqua mutatione facta circa eam, quantum est ex parte eius.

5. *Quadruplex est mutatio in forma Sacramentorum.*

Sed estne alia præcisa forma verborum necessaria quantùm est ex parte Sacramenti? Respondeo quòd sicut contingit fieri motum, vel mutationem in rebus secundùm substantiam, secundùm quantitatem, secundùm qualitatem, & secundùm *vbi* 5. *Physic.text.*7.9.& 18. ita in proposito potest intelligi fieri mutatio, vel variatio verborum *secundùm substantiam*, vt si alia verba ponantur pro istis, vt si dicatur: *ego balneo te in nomine Apostolorum Ioannis & Petri*, vel *secundùm quantitatem* subtrahendo aliquid, vt nomen alicuius personæ Trinitatis; vel addendo aliquid; vel *secundùm qualitatem* corrumpendo,vel proferendo incongruè ista verba, vel syncopando; vel *secundùm vbi*, scilicet transponendo verba, vel aliquid interponendo.

Verborum autem omnium istorum, quæ continent formam Sacramenti, *ego baptizo te*, &c. non est æqualis necessitas, quia quorundam verborum forma est necessaria requisita ad necessitatem Sacramenti,vt in se, vt hæc pars, quæ inuocat omnes personas Trinitatis *in nomine Patris*,&c.quia per illas particulas exprimitur principaliter baptizans, à quo est immediatè collatio gratiæ, & ablutio interior, quæ est effectus Sacramenti. Sed in verbis exprimentibus ministrum, non est tanta necessitas, quia non est de necessitate Sacramenti in se, vt hoc pronomen demonstrans personam baptizantem,scilicet,*ego*, exprimatur; pertinet tamen ad necessitatem Sacramenti expressio tam actus, quàm suscipientis actum, vt tam huius verbi *baptizo*, quàm huius pronominis *te*, secundæ personæ: non ita persona baptizantis; saluator enim *Matth. vltimo*, exprimens omnia necessaria,& instituens illud,non expressit baptizantis personam, expressit tamen tam actum in se, quàm personam suscipientem; *euntes*, &c. *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij*,&c. Græci verò, qui verè conferunt Sacramentum Baptismi sub illa forma: *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij*, &c. non exprimunt personam baptizantis.

Minister non necessariò exprimitur in Baptismo,nec ly,ego.

Actus, & suscipientes exprimi debent.

Sed si quæratur, quæ sit causa formæ verborum in Baptismo Græcorum, & quare non exprimunt personam baptizantis, sicut forma tradita ab Ecclesia? Respondeo in principio diuulgationis de Baptismo gloriabantur baptizati de bonitate ministri, quod à meliori fuerunt ministro baptizati, *dicentes*, *ego quidem Pauli*, *ego verò Apollo*, *ego verò Cephæ*, quæ gloria erat schismatis inter eos causa, vt patet per Apostolum 1.*Corinth.* 1. & ideò ad amouendum causam istius contentionis inter eos, permissa est tunc forma prædicta obseruari. Sed credo quòd nisi nunc cessent ab illa forma, & teneant formam communem Ecclesiæ, quòd peccent mortaliter, nisi fuerit cum eis dispensatum. Latini verò, qui veraciter credunt Deum solum effectum Baptismi conferre, vt assistentem suo signo, vt sit verum, & non ministrum baptizantem conferre effectum, quem designat, tenent formam traditam ab Ecclesia, indicando personam baptizantis per verbum indicatiuum *baptizo*. Græci etiam melius potuissent vti aliis verbis, quàm istis, *baptizetur seruus Christi*, quia non est seruus Christi antequam baptizatur, sed baptizatur vt fiat seruus Christi, & ideò non ponunt conueniens susceptiuum Baptismi. Verius ergo & expressiùs exprimitur veritas huius Sacramenti per formam communem traditam ab Ecclesia, quàm per formam Græcorum.

6. *Quare apud Græcos non exprimitur baptizans in forma.*

Formam Græcorum fuisse olim licitam & forte modò apud ipsos.

Ad propositum dico, quòd mutatio facta secundùm substantiam verborum,non semper mutat,vel destruit Sacramentum. Patet de mutatione verborum in forma, qua vtuntur Græci. Verbum enim *baptizo* exprimens actum per modum indicatiuum, mutant ipsi in optatiuum *baptizetur*, & vbi nos loco suscipientis ponimus *te*; ibi ponunt, *seruus Christi*, & tamen vtrumque est necessarium Sacramentum, & vtraque forma saluat Sacramentum.

SCHOLIVM II.

Certum esse ait olim voluisse Baptismum in nomine Christi sine expressione Trinitatis, modò tamen tale

tale Baptiſma eſt dubium. Ita Ambroſ. citatus hîc à Magiſt. & colligitur ex Act. 2. 8. 10. & 19. vbi eſt mentio Baptiſmi in nomine Chriſti, ſine Trinitatis mentione. Tenet Mag. hîc Alenſ. 4. p. q. 8. m. 3. art. 3. D. Thom. 3. p. quæſt. 66. art. 6. ad 1. Albert. hîc art. 2. D. Bonau. p. 1. art. 2. quæſt. 2. Richard. art. 2. quæſt. 3. ad 10. cum Scoto hîc. Godfr. Suar. ſup. cit. Cano 6. de locis, cap. 8. ad 7. cum aliis tenent Apoſtolos nunquam baptizaſſe in nomine Chriſti. Demum, inquit, verius videtur, quòd baptizatus non eſſet, qui nunc baptizaretur in nomine Chriſti, ſine expreſſione Trinitatis. *Ita Doctor hîc ſine aſſertione, ſed in ſcripto Oxonienſi omnino dubius manſit.*

7. DE aliis etiam verbis magis neceſſariis ad hoc Sacramentum, fieri poteſt mutatio ſecundùm ſubſtantiam dupliciter. Vno modo quòd vna dictio ponatur loco alterius, idem ſignificans, licèt alio modo, vt cùm loco *Trinitatis perſonarum*, ponatur *Chriſti*, vel *Dei*; & tunc dico quòd nec mutatur forma, nec virtus Baptiſmi. Vox enim eſt materiale in dictione, & oratione, & ſignatum eius eſt formale; & ideò ſi ſignatum eius maneat idem, forma manet eadem, & per conſequens baptizatio poteſt fieri in omni lingua, etiamſi differat ſecundùm vocem apud diuerſos. Si autem fiat mutatio ſecundùm ſubſtantiam, vt loco vnius dictionis ponatur alia aliud ſignificans, hoc contingit dupliciter; vno modo vt ſimpliciter ſignificet aliud, & tunc certum eſt quòd non ſaluatur forma Baptiſmi, vt dicatur, Ioannes Roberni immergat in nomine Ioannis Roberni, & Petri. Alio modo vt idem ſignificet, licèt ſub alia & alia ratione. Et de hoc ſunt opiniones, ſpecialiter de hoc nomine *Chriſtus* vtrùm ſit vera forma Baptiſmi, dicendo: *ego te baptizo in nomine Chriſti*, & videtur quòd ſic, quia, vt patet per Ambroſium, & ſumitur Act. 2. & 14. aliquando ſub iſta forma conferebatur Baptiſmus, nec legimus alicubi expreſsè quòd ipſa fuerit reuocata; ergo videtur quòd adhuc ſub ipſa poſſit conferri Baptiſma.

Vox forma poteſt mutari manente ſignato eodem.

Chriſtus quomodo importat tres perſonas.

Item, dicit Magiſter in litera quòd Chriſtus eſt idem cum tota Trinitate, & per *Chriſtum* intelligitur vngens, vnctum, & vnctio ipſa.

8. Sed hîc dubito an quis eſſet baptizatus ſufficienter virtute iſtorum verborum: *ego te baptizo in nomine Chriſti*, quia nullus poteſt reuocare legem ſtatutam à ſuperiore eius, nec vltra tempus diſpenſatum ab eo, vti diſpenſatione eius. Chriſtus inſtituit Baptiſmum dari, non in nomine ſuo, ſed in nomine totius Trinitatis explicitè, niſi fortè pro tempore certo, & cauſa neceſſaria vt diuulgaretur nomen Chriſti, ergo nomine Chriſti diuulgato, & cauſa ceſſante, non poſſunt Apoſtoli, cum quibus diſpenſatum fuit ad tempus in nomine Chriſti baptizare, & poſt illud tempus formam inſtitutam à Chriſto, vbi inuocarentur perſonæ Trinitatis, aliqualiter reuocare. Et ideò ſi nunc aliquis teneretur ex officio ſcire formam inſtitutam à Chriſto, & baptizaret aliquem in nomine Chriſti; ego credo quòd nihil faceret in virtute Sacramenti.

Baptiſmus in nomine Chriſti olim licitus, nunc illicitus, & an teneat.

Si autem fiat variatio ſecundùm quantitatem addendo aliquam, vel dimittendo aliquid ex iſtis; dico quòd ſi aliquid addatur repugnans verbis principalibus, vel diminuens verba illa, nihil fit, quia non ſeruatur forma.

Nec video quòd dictum Ambroſij in litera ſit abſolutè verum de dimiſſione, cùm dicit quòd ſi aliquis baptizaretur in nomine vnius perſonæ, dummodò non malè ſentiatur de aliis, quòd verè eſſet baptizatus. Et ideò exponendus eſt, & dicendum, quòd ſi puer expiraret dicto *in nomine Patris*, creditur quòd Deus ex miſericordia reſiduum ſupplebit. Sed ſi Sacerdos tunc expiraret, & puer ſuperuiueret, eſſet denuò baptizandus.

De aliis mutationibus corrumpendo verba, vel corruptè proferendo per modum mutationis ab *vbi* quæ alibi *. * In Oxon. num. 11. & ſeqq.

Ad primam rationem in oppoſitum, dico quòd verba non ſunt propriè forma Baptiſmi, ſed tantùm appropriatè loquendo comparando ipſa ad aquam, vt ad partem materiæ minùs principalem. 9. *Ad primum argument.*

Ad ſecundum dico quòd hæc oratio pro toto tempore prolationis verborum, nec eſt vera, nec falſa, ſed neutra, vt habeat veritatem ſuam tantùm in vltimo inſtanti prolationis eorum. De hoc dicetur inferiùs in materia Euchariſtiæ. *Ad ſecundum.*

Aliter tamen poteſt dici quòd hæc creatio provt eſt vera, eſt forma Baptiſmi, & tunc ad probationem dico quòd illa ablutio eſt prior veritate iſtius propoſitionis: *ego te baptizo*, &c. à cuius veritate habet illa propoſitio ſuam veritatem, quia hæc propoſitio nullam ablutionem ſignat, nec hæc ablutio eſt Sacramentum; ſed tunc eſt Sacramentum, quando fit in aqua cum verbis; & ideò veritas iſtius propoſitionis non ſequitur Sacramentum, ſed ſequitur ablutionem naturaliter. Vnde idem eſt dicere: *ego baptizo te*, ac ſi diceret: *ego abluo te*. *An forma cauſet vt vera, vide infra, d. 8.*

Ad tertium dico quòd licèt det intelligere orationem, non eſt tamen oratio: *curro* enim non eſt oratio, ſed tantùm vna dictio; & nunquam oratio eſt ex vna dictione, & ideò licèt det intelligere orationem, non eſt tamen oratio, niſi exprimantur plura, quæ dant ipſam intelligere. *Ad tertium.*

Ad quartum de Græcis, patet ex iam dictis. *Ad quartum.*

Ad quintum dico quòd dirigitur ſermo baptizato, vt in eo ſit effectus. Et cùm dicitur, fruſtrà dirigitur ſermo non intelligenti; dico quòd ſermo eſt duplex; quidam tantùm ſignificatiuus; quidam verò operatiuus: primo modo eſt propoſitio vera, ſecundo modo falſa. *Ad quintum. Sermo duplex.*

Ad ſextum dico quòd quæſtio fuit mota Papæ non propter ly, *ego*, ſed quia Iudæus fuit qui baptizauit, & ad hoc reſpondens Papa dixit quòd ſufficit ſi dixit *in nomine Trinitatis*. *Ad ſextum.*

Ad ſeptimum de Ambroſ. dico vt ſuprà quòd hoc eſt intelligendum, ſi impoſſibilitas ſit ex parte miniſtri, tunc eſt puer iterum baptizandus, ſi ex parte recipientis, ſperandum eſt quòd Deus ſupplebit. *Ad ſeptimum.*

Ad octauum de *patrias* patet ex iam dictis. *Ad octauum.*

Ad vltimum de *genitoris*, &c. dicendum quòd Auguſtinus ibi intelligit quòd idem eſt *genitor* & *Pater*, quantùm ad hoc, quòd eſt dici ad alterum, ſiue importare proprietatem eiuſdem perſonæ; ſed non ſunt idem quantùm ad primum conceptu ſignificatum vtrobique, quia Pater ſignificat primò & per ſe ſuppoſitum in natura diuina. *Ad nonum.*

Aliud autẽ ſignificat primò & per ſe proprietatem, & non eſt eadem vis nominis proprij & proprietatis

Pater *dicit primò perſonam, genitorationem.*

prietatis nominis in inuocatione facta alicuius perſonæ ad aliquem effectum. Et ideò non ſufficit ponere vnum loco alterius; ſed debent poni perſonæ per ordinem originis, primò Pater; deinde Filius, tertiò Spiritus ſanctus, qui eſt ab vtroque.

QVÆSTIO III.

Vtrùm ſola aqua naturalis & pura ſit conueniens materia Baptiſmi?

Alenſ.4.p.q.13.m.2.a.1.D.Bonau.*hic p.2.a.1.q.2.*Rich.*a 2. q.3.*D.Thom.*quæſt.1.art.3.& 3.p.q 66.a.3.& 4.* Suar.*ibi diſp.20.*Scot. *in Oxon hic quæſt.3.*

1. *Argument. primum.* VIDETVR quòd non: quia aqua artificialis eſt eiuſdem ſpeciei, & aqua pro tota ſpecie eſt conueniens. Primum patet, quia aqua artificialis habet qualitates ſimiles, vt humectare, & frigefacere; igitur, &c.

Secundum. Item, omne mixtum groſſius eſt quàm aqua elementaris: ſed aqua ſtillata eſt ſubtilior, cùm ſit clarior & mundior, igitur ipſa non eſt mixta, igitur eſt aqua pura.

Tertium. Item, miſcibilia poſſunt naturaliter ſeparari à mixto, igitur artifex poteſt extrahere veram apuam à mixto applicando debitum agens.

Et confirmatur, quia magi Pharaonis fecerant veros dracones, & veras ranas: ſed multum facilius eſt extrahere miſcibilia à mixto, adhibendo debita actiua paſſiuis, quàm altera producere.

Quartum. Item, Ioan. 19. Exiuit ſanguis & aqua de latere Chriſti, & tamen ille humor fuit phlegma; igitur poſſet homo baptizari in phlegmate.

Quintum. Item, aqua, qua vtimur communiter, non eſt pura, quia omnis aqua habet ſuos vapores, & tamen aqua, qua vtimur, eſt conueniens materia Baptiſmi: ergo.

Ratio ad oppoſitum. Oppoſitum Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Item, Matth. 3.

SCHOLIVM.

Docet aquam eſſe materiam Baptiſmi ſumendo materiam pro parte minus principali fundamenti relationis, qua conſtituitur Baptiſmus, vt dictum eſt de forma quæſt. praced. Requiritur quòd ſit aqua naturalis, quia hæc ſola eſt abſolutè aqua. Explicat optimè quanam impuritas impedit, ne ſit materia. Proxima autem materia eſt ablutio per aquam. Vide Florent. in decreto Eug. & Trident. ſſ. 7. cap. 2. &c. firmiter, *de ſumma Trinitate.*

2. *Materia dupliciter accipitur ſicut & forma.* IN iſta quæſtione diſtinguo de materia, ſicut priùs diſtinxi de forma. Materia vno modo accipitur propriè, provt eſt proprium ſuſceptiuum formæ, & ſic aqua non eſt propriè materia Baptiſmi, quia non recipit in ſe formam Baptiſmi, quia verba non ſunt in aqua. Alio modo accipitur materia appropriatè, ſicut forma priùs accipiebatur appropriatè, comparando eam ad aliam partem compoſiti, & ſic verba iſta, *ego te baptizo*, poſſunt dici forma aquæ, vt materiæ, quia in omnibus concurrentibus ad aliquod tertium conſtituendum, vnum concurrit vt principale, & forma, aliud vt minùs principale & materia; cùm ergo aqua & verba ſic concurrant ad conſtitutionem Baptiſmi, & ablutionem corporis exteriorem, quæ eſt Sacramentum; ſequitur quòd vnum iſtorum eſt principale reſpectu tertij, & aliud minùs principale, & per conſequens vnum eſſe materiam reſpectu alterius, quia in omnibus compoſitis, & conſtitutis ex partibus vnum habet rationem materiæ, & aliud habet rationem formæ, & verba non poſſunt eſſe materia reſpectu aquæ in ablutione Sacramenti; ſed aqua eſt materia reſpectu verborum, & materia Baptiſmi remota, quia per appropriationem tantùm, ſed materia Baptiſmi propinqua eſt ablutio in aqua facta, cum verbis, & applicatio verborum ad elementum, quod eſſentialiter eſt ſignum inuiſibilis gratiæ, & ablutionis animæ interioris, & non aqua tantùm, ſicut dixit Bernar. Gloſſator: propter quod prohibuit iſtam aquam permitti bibi ab aſino, ne aſinus biberet Sacramentum. Sed hoc nimis eſt Bernardicè dictum; quia iſta aqua non eſt tantùm Sacramentum Baptiſmi, nec materia proxima gratiæ inuiſibilis, & ablutionis interioris, quia tunc omnis aqua eſſet Sacramentum, & materia proxima Baptiſmi, & illius effectus inuiſibilis. Sed proxima materia eſt ablutio exterior cum verbis, vt dictum eſt.

Materia Baptiſmi proxima, ablutio, remota, aqua.

Sed quare magis placuit Chriſto inſtituere hoc Sacramentum fieri in aqua, quàm in alio liquore, vt in oleo, vel vino. Sunt multæ & apertæ congruentiæ, aqua eſt frigida, fluida, lucida, neceſſaria, & communis; & hæ omnes proprietates conueniunt illi humori, in quo debet fieri Baptiſmus, qui eſt ad reprimendum æſtum concupiſcentiæ, ad flectendum rigorem inobedientiæ, ad illuſtrandum per claritatem fidei, ad introducendum in viam ſalutis. Et hoc eſt commune omnibus, ſicut lex iſta, cuius hoc Sacramentum eſt imitatiuum, communis eſt omnibus ad ſalutem.

3. *Quæ ſit aqua naturalis.* Solummodo de iſta quæſtione videndum eſt, quæ ſit aqua naturalis? Ad quod dico, quòd omnis aqua, quæ producta eſt in *eſſe* naturali ab agente naturali per naturam, eſt aqua naturalis, multa enim humida ſunt producta in *eſſe* per partem, vt puta per diſtillationem & ignem, auxilio naturæ, quæ non ſunt veræ aquæ in ſpecie aquæ, vt elementum aquæ; poſſibile eſt tamen mixtum naturale, ſiue per modum naturæ reſolui in elementa naturalia, & ita in aquam & ignem, vt pura ſunt, actiuo, & paſſiuo conuenienter approximatis, & hoc actiuo agente per media determinata ſecundùm proceſſum determinatum ordinatum à natura, quia non ſtatim reſoluitur mixtum in elementa actione agentis, ſed oportet ipſum priùs tranſire ſecundùm media omnia, quæ requiruntur in proceſſu naturæ ad inductionem formæ elementaris, quæ eſt finis iſtius proceſſus naturæ. Vnde ſecundùm Philoſophum 8. *Metaph. text.* 14. ex aceto non fit ſtatim, & immediatè vinum, ſed oportet priùs tranſire per omnia media determinata, quæ ſunt requiſita per naturam ad formam aceti, antequam inducatur forma aceti. Vt oportet priùs reſolui acetum in terram, & in materiam primam, & poſt in vitem, & poſt in vuam, & ſic de aliis. Vnde tota natura vniuerſi non produceret vnam guttam aquæ de omnibus lignis vniuerſi, prætermiſſo iſto ordine agendi per media determinata ex natura. Et ideò mentiuntur Alchymiſtæ, qui dicunt

Per vires naturæ nõ poteſt immediatè ex mixto generari vera aqua.

Alchimiſta deceptio.

dicunt ſe producere aquam veram ex ſilice, vt elementum, quia non agunt per media determinata ex natura, quibus tantùm, & non aliter nata eſt aqua naturaliter generari ex mixto, quia ſtatim per ignem reſoluunt mixtum in illum humorem, qui non eſt aqua in ſpecie aquæ, ſed aliquis alius liquor, differens ſpecie ab aqua. Nec etiam vtuntur conuenienti actiuo, quia non vtuntur vt in pluribus, niſi igne ad omnia, quæ agunt ſecundùm illam artem, qui non videtur conueniens actioni reſpectu generationis, aquæ naturalis; quia vnum elementum non videtur poſſe producere aliud per naturam. etenim ſicut ſunt impermixta in *eſſe*, ita in agendo, maximè ordine naturali prætermiſſo. Solus ergo auctor naturæ Deus, qui non ligatur ad proceſſum, & ad ordinem eius, ſed eſt ſuper ipſam, quia fecit ipſam voluntariè, poteſt illum ordinem non obſeruare, & ideò ipſe poteſt ſolùm immediatè ex mixto facere aquam naturalem; ſicut fecit ipſam & omnia alia elementa ex nihilo. Et ideò humor productus per artem Alchimiæ, non eſt aqua pura, ſed alius liquor. Quia licèt habeat aliquas qualitatès ſimiles qualitatibus aquæ naturalis, plures tamen habet diſſimiles, quàm ſimiles; nam quædam ſunt effectiuè calidæ, quædam ſiccæ, quæ ſunt qualitates propriæ talis liquoris conſequentes naturam ſpeciei illius, quæ nullo modo conueniunt cum aqua naturali, ſicut dicunt medici, & benè, quòd licèt aliquæ herbæ conueniunt in multis qualitatibus, vna tamen ſanat à tali infirmitate, & non alia, per qualitatem ſibi propriam, quæ eſt à tota ſpecie, id eſt, quæ naturaliter conſequitur propriam ſpeciem illius.

Deus non alligatur ordini, quem ſeruat natura.

4. *Diuerſitas ſpecifica aquæ naturalis ab aliis diſtillatis.*

Ad hoc autem quòd aliqua eſſent eiuſdem ſpecies, oportet ea conuenire in omnibus qualitatibus illius ſpeciei; & ita patet quòd aqua artificialis, vt aqua roſacea, vel aliqua alia aqua diſtillata, non eſt eiuſdem ſpeciei cum aqua naturali, quia aqua naturalis eſt illa, quæ producitur ab agente naturali, & per media determinata, & quòd nullum agens naturale poſſet illam aliter ex mixto producere quocunque adiutorio naturæ, nec adiutorio dæmonum, vel aliorum Angelorum. Quod enim magi Pharaonis produxerunt ex aqua illa ranas quaſi ſubitò, & quòd multa mirabilia modò fiunt præter communem curſum, & ordinem conſuetum, hoc non fit miraculosè, nec præter proceſſum naturæ; quia omnes Dæmones Inferni non facerent vnum miraculum: ſed hoc fit ſecundùm determinatum ordinem naturæ iungendo conuenientia actiua paſſiuis citiùs quàm aliqua creatura inferior faceret. Ipſi enim ditati naturalibus ſuis eò peruenerunt vt intelligerent per quæ actiua poſſunt tales effectus produci, & ideò iungendo illa illis, effectus euenit naturalis; & ita Dæmones iungendo aquis aliquibus propria actiua reſpectu ranarum fiendarum, ſtatim faciebant illa ranas ex aquis naturaliter, & non virtute propria, niſi iſto modo.

Magi Pharaonis ranas verè produxerunt.

Dæmones miracula efficere non poſſunt.

5. *Aqua pura eſt tantùm materia Baptiſmi.*

Dico ergo quòd aqua pura eſt tantùm conueniens materia Baptiſmi, quæ non habet mixtionem cum alio.

Mixtio aquæ cum alio duplex.

Sed mixtionem fieri, poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quòd ex mixtionibus fiat aliquod tertium per ſe vnum, ſiue ſit perfectè mixtum, & in termino mixtionis, vt ſunt compoſita corpora ex quatuor elementis; vel imperfectè mixtum, & in via ad perfectam mixtionem, cuiuſmodi ſunt impreſſiones grandinis, & niuis: & aqua, ſiue ſic, ſiue ſic mixta cum aliis, non eſt materia Baptiſmi, dum eſt in tali compoſito, quia partes miſcibilium non ſunt in mixto, niſi in potentia; vnde per niuem dum eſt ſic mixtum, nec per grandinem, antequam reſoluatur in elementum aquæ, non poteſt fieri Baptiſmus.

Nix, glacies, quando non ſufficiunt ad Baptiſmum.

Alio modo poteſt intelligi mixtio non propriè, ſed per appoſitionem, vel iuxtapoſitionem partium, quæ non apparet tantùm iuxtapoſitio partium, ſed etiam mixtio quædam, ſicut eſt in iuxtapoſitione partium liquidorum, vt aquæ & vini, vel aquæ & olei; vel ſolidorum cum liquidis, vt ſalis cum aqua, vel glaciei cum aqua, in quarum vtraque iuxtapoſitione partium ſemper manet aqua actualiter in propria ſpecie. Et de iſta iuxtapoſitione partium adhuc diſtinguo, quia vel iſta iuxtapoſitio partium prohibet vim abluendi, ſicut eſt in aqua ita ſpiſſata cum paſta, vel ſiliqua, vel terra fœtida vt luto, quòd non apparet puritas. Et ſic dico quòd non eſt conueniens materia Baptiſmi, quia Baptiſmus eſt Sacramentum, & ablutio exterior, quæ eſt ſignum talis effectus inuiſibilis, vt ablutionis animæ interioris.

6.

Puritas aquæ qualis requiratur ad Baptiſmum.

Vnde per aquam impreſſam luto non fit materia Baptiſmi, quia non abluereт corpus, nec eſſet verum ſignum ablutionis interioris intinctio corporis in tali aqua.

Si autem talis iuxtapoſitio partium non impediat vim abluendi, ſicut eſt aqua maris coniuncta multis vaporibus terreſtribus, & aqua communis, qua nunc communiter vtuntur homines, ſic poteſt eſſe materia conueniens Baptiſmi.

Quæ autem aqua retinet ſuam ſpeciem, & quæ non, in iuxtapoſitione partium pertinet ad naturalem ſcire. De quibus autem iuxtapoſitis patet eorum mixtio, & per conſequens non ſunt materia debita Baptiſmi, ſicut vrina digeſta, quæ eſt colatura ſanguinis. De quibuſdam autem aquis dubium eſt ſi conſeruent, & retineant ſuam ſpeciem, vt in lixiuio & in cereuiſia. De cereuiſa autem dicit vnus Doctor, quòd quia habet vim nutriendi, quod non habet ſimplex elementum; ideò ibi aqua non tenet ſuam ſpeciem. Sed hæc ratio non concludit, quia quantumcunque ſaluetur ſpecies aquæ dum bladum iacuit in ipſa, adhuc nutriet ratione ſubſtantiæ bladi admixti, vel appoſiti. De aliis aquis dubium eſt.

Sed de omnibus, quæ pertinent ad materiam iſtam pono tres regulas. Prima eſt, quòd in omnibus poſſibilibus via tutior eligatur, vnde nullus baptizet in aliquo liquore, de quo dubitat an ſit pura aqua, ſi adſit poſſibilitas ad habendum aquam puram in ſpecie aquæ. Secunda regula eſt, quòd ſi poſſibilitas non eſt ad habendum materiam conuenientè alicuius Sacramenti, via propinquior viæ certæ, quantum poſſumus probabiliter iudicare, eligatur. Tertia regula, ſi via propinquior viæ non poteſt haberi, fiat quod licitè fieri poteſt, & reliquum omiſſum eſt cautè ſupplendum, vt ſi aliquis dubitet ſe eſſe baptizatum, baptizetur ſub conditione ſic, *ſi es baptizatus, non te baptizo, ſed ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

7. *Tres regulæ iudicandi in vniuerſum de materia, quæ baptizato conueniens ſit.*

Ad argumenta.

Ad primum argument. principale. Ad primum principale, dico quòd illa non eſt aqua naturalis. Et cùm dicitur : Accidentia ſunt ſimilia ; dico quòd accidentia poſſunt eſſe conuenientia, & tamen illa quorum ſunt ſpecie differentia, vt aër & aqua, ſunt perſpicua, & tamen in aliis ſunt differentia, ſic aqua artificialis & naturalis. Vnde ſicut dicunt medici, quòd hoc habet talem virtutem à tota ſpecie, bene eſt dictum, quia vna eſt forma ſpecifica, & ipſam conſequitur talis qualitas, & ſic qualitas propria conſequens formam ſpecificam huius aquæ & illius, eſt alia & alia.

Ad ſecundum. Ad aliud, dico quòd aqua ſtillata eſt purior ſecundùm ſenſum, quia aqua, qua vtimur, eſt mixtum ſecundùm ſenſum ; licèt ibi ſit iuxtapoſitio, quæ non percipitur.

Ad tertium. Ad aliud, concedo quòd aqua naturalis poteſt ſeparari à mixto, & alia miſcibilia, ſed non eſt adhuc talis ars adinuenta. Sed Diabolus poteſt addere talia actiua paſſiuis, quæ poſſunt extrahere aquam per debita media, ſicut docuit magos Pharaonis. Neſcio autem ſi ſic fecerunt Alconomi pactum cum Dæmonibus, tamen & ſi feciſſent, adhuc non cauſarent aquam, niſi per media debita, cùm tamen ipſi agunt præcipuè per ignem.

Ad quartum. Vera aqua fluxit ex latere Chriſti Trid. ſeſſ. 22. cap. 7. Ad aliud, dico quòd Innocentius Papa dixit quòd exiuit vera aqua de latere Chriſti, & hoc probat, quia *qui vidit, teſtimonium perhibuit*, & ſi phlegma vidiſſet, de illo teſtimonium perhibuiſſet : ſiue tamen hoc fuiſſet naturaliter, ſiue miraloſè neſcit.

Ad vlt. Ad aliud, dico quòd mixtio ſecundùm ſenſum, quæ eſt in aqua, qua communiter vtimur, non impedit vim abluendi, & ideò ſatis eſt pura, vt ſit materia Baptiſmi.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm inſtitutio Baptiſmi euacuauerit Circumciſionem ?

Alenſ. 4. *p. q* 7. *m.* 9. D. Thom *ibid. q.* 10. *&* 3. *p. q. 66. art.* 2. D. Bonau. *hic* 2. *p. a.* 3. *q.* 1. *&* 2. Rich. *d.* 1. *art* 6. *q.* 4. *& hic a.* 5. *q.* 2. *&* 3. Aureol. *q* 4. Rubion. *q.* 5. Gabr. *d.* 1. *q.* 4. *& hic q.* 4. *art.* 3. Dur. *q.* 6 Palud. *q.* 6. *a* 5. Maior. *q* 2. Soto *lib.* 5. *de iuſtitia, q.* 5. *art.* 4. *ad* 3. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 31. Scot. *in Oxon. hic quæſt.* 4.

1. Argument. primum. QVÆRO de inſtitutione Baptiſmi in comparatione ad Circumciſionem, *Vtrùm inſtitutio Baptiſmi euacuabat Circumciſionem?* Arguitur quòd non. Matth. 5. *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere*; Circumciſio erat præceptum in lege : ergo Chriſtus eam non deſtruxit, ſed impleuit ; ergo inſtituendo Baptiſmum, non reuocauit Circumciſionem.

Secundum. Item, *Geneſ.* 7. Circumciſio fuit data Abrahæ in fœdus ſempiternum ; fœdus ſempiternum reuocari non potuit, quia tunc non eſſet ſempiternum ; ergo neè Circumciſio.

Tertium. Item, nullus inferior habet auctoritatem reuocandi legem inſtitutam à ſuperiori : ſed Deus inſtituens legem Moſaïcam, præcepit Circumciſionem ; ergo non poteſt ab aliquo inferiori reuocari.

Nec legitur vbi Chriſtus eam reuocauerit, imò ipſe confirmando illam, opus Circumciſionis in ſemetipſo ſuſcepit : in fine etiam vitæ, & in die cœnæ comedit agnum Paſchalem cum diſcipulis ſuis, quod fuit illius legis ; ergo nec à diſcipulis, nec ab aliquo inferiori potuerunt hæc reuocari.

2. Ratio prima ad oppoſitum. Contrà, Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*, &c. Sed non prohibetur ab aliquo introitus regni Dei de neceſſitate, niſi propter peccatum originale, quia beata Virgo, beatus Ioannes Baptiſta, &c. nunquam habuerunt peccatum actuale mortale ; ergo Baptiſmus tunc ordinatur vt remedium contra illud peccatum.

Secunda. Item, duo remedia ſufficientia non fuerunt ordinata, nec ſunt contra idem peccatum, vel contra eandem infirmitatem ; ergo cùm Baptiſmus fuit tunc remedium ſufficiens contra illud peccatum, ſicut & modò, quia ex quo inſtitutus eſt ſemper erat æqualis virtutis : ergo Circumciſio ab illo tempore ceſſauit ; ſi enim fuiſſet poſtea remedium, ad nihil fuiſſet neceſſarium, niſi ad peccatum originale expellendum.

Tertia. Item, ad Galat. 5. *Si circumcidimini, Chriſtus nihil vobis prodeſt.*

SCHOLIVM I.

Ait Baptiſmum priùs fuiſſe ſub conſilio, & poſtea ſub præcepto, ſed non ante Pentecoſten. Ita cum Scoto Aureolus, Rubion, Gabriel citati. & Suarez 3. *p. tom.* 3. *d.* 27. *contra Thomam diſt.* 1. *art.* 2. *&* 1. 2. *q.* 103. *art.* 3. *& D. Thomiſtas aſſerentes totam legem nouam obligaſſe à morte Chriſti. Addit deinde Doctor diſcipulos. baptizaſſe ante Chriſti mortem Baptiſmo Chriſti, & non Ioannis. Conſtat, Ioan.* 3. *& Lucæ* 4. *& habetur cap.* Aliud, *de conſecrat. d.* 4. *Ita Auguſt. tract.* 11. *&* 13. *in Ioann. D. Bonau.* 3. *p. art.* 1. *quæſt.* 1. *& alij. Tertiò aſſignat Doctor rationem quare non fuit promulgatus Baptiſmus immediatè poſt eius inſtitutionem.*

3. IN iſta quæſtione videnda ſunt tria. Primum, quòd ſola inſtitutio Baptiſmi non obligauit homines de neceſſitate ſalutis ad eius ſuſceptionem. Secundum, quòd eius promulgatio obligauit eos, quibus promulgabatur ad eius ſuſceptionem. Tertium eſt de comparatione Baptiſmi ad euacuationem Circumciſionis.

Sola Baptiſmi inſtitutio non obligabat. Quantùm ad primum, ſcilicet quòd ſola eius inſtitutio antequam promulgaretur, non obligabat hominem ad eius ſuſceptionem ; probatur, quia dictum eſt Saluatoris Ioann. 15. *Si non veniſſem, & eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent*, quod ſic intelligo, ſi Chriſtus nec per ſe, nec per ſuum authenticum, de quo fuiſſent certi ex facto, vel miraculo, vel ex forma, vt teſtimonio bonorum, & fide dignorum eis locutus fuiſſet, peccatum non haberent incredulitatis.

Lex ante promulgationem non ligat. Ex iſto accipio iſtam propoſitionem : Chriſtus non vult aliquem obligare ad legem aliquam firmiter obſeruandum, niſi promulgatam ab eo, vel ab aliquo authentico nuncio, de quo conſtat certitudinaliter quòd eſt ſeruus eius ab eo miſſus ; quia non tenetur quis recedere à lege priore iuſta, & à Deo inſtituta, propter quæcunque ſigna, ſed propter ſigna certa, & authentica, quòd iſta ſit reuocata, quia *qui citò credit, leuis eſt corde, Eccl.* 19. Sed inſtitutio Baptiſmi non fuit eius promulgatio, quia quando illud primò inſtituit Chriſtus, nec ipſe, nec aliquis

quis ſeruus illius authenticus ipſam diuulgauit, vt patet, *Ioan.* 3. ergo inſtitutio eius nullum obligauit ad eius ſuſceptionem.

Promulgatio Baptiſmi duplex.

Quantùm ad tertium de eius promulgatione dico, quòd promulgatio eius fuit duplex; vna per modum conſilij, vt quando prædicabatur ab Apoſtolis, Chriſto adhuc viuente ante eius paſſionem. Patet Ioann. 3. *Venit Ieſus & diſcipuli eius in Iudæam, & illi baptizabant*, &c. Luc. 4. *Miſit illos binos & binos ad prædicandum & baptizandum*, & tunc nullos ad hoc obligauit. Cuius probatio eſt ſecundùm aliquos, quia Circumciſio imponebatur Iudæis ex neceſſitate ſalutis vſque ad Paſſionem Chriſti, ſicut & omnia alia legalia; nam Chriſtus ante mortem ſuam immediatè comedit agnum Paſchalem, & non feciſſet, niſi Sacramenta illius legis vſque tunc habuiſſent efficaciam. Vnumquodque enim manet ita diu, ſicut habet efficaciam; ergo Circumciſio vſque tunc manſit: non ergo neceſſariò tenebantur homines ad Baptiſmum, quia contra idem non ſunt duo remedia totalia; quia altero iſtorum non exiſtente, nihil minus habetur etiam remedium totale per aliud; ſed quo non exiſtente nihil minus curatur aliquid aliud, non eſt neceſſarium remedium, nec efficax reſpectu eius; ergo idem ſimul eſſet vtrumque neceſſarium, & efficax, & non efficax. Iſtud de Circumciſione quòd cadebat ſub præcepto de neceſſitate ſalutis vſque ad Paſſionem Chriſti, non credo eſſe verum, ſicut dicetur infrà.

Conſilium de ſuſceptione Baptiſmi non obligabat. Ratio D. Thom. 3. p. q. 66. art. 2. & 1. 2. q. 103. a. 3.

5. *Quare ſtatim Baptiſmus nõ promulgatus.*

Et ſi quæras quare non fuit ſtatim Baptiſmus promulgatus poſt eius inſtitutionem? Dicendum quòd duplici de cauſa hoc factum fuit: tum, quia lex iuſta à Deo tradita ſanctis Patribus, non debet ſubitò in aduentu nouæ legis conditæ reuocari, ne inutilis, vel contemptibilis eam obſeruantibus videretur; tum, quia lex noſtra, quæ eſt ardua, & perfecta, non debet principaliter ſub præcepto ſtatim inſtitui, ſed cum debita maturitate hominibus priùs ad eam aliqualiter aſſuefactis debet tradi. Et ideò ſepelienda erat Synagoga Iudæorum cum honore, & reuerentia debita propter ſcandalum, & indignationem illius populi carnalis, & rudis ad ardua, & ſpiritualia capiendum.

Synagoga debuit ſepeliri cum honore.

Credo enim illam legem rudem in victimis, & holocauſtis eis fuiſſe conuenientem magis quàm legem noſtram, quia populus rudis erat, & pronus ad idololatriam.

Promulgatio Bapt. modum præcepti quando incepit.

Secunda cauſa, quia ſcilicet promulgatio Baptiſmi fuit per modum præcepti, quæ, vt credo, incepit in die Pentecoſtes, quando Apoſtoli accepto Spiritu ſancto in linguis igneis, prædicabant verbum Dei, ita quòd quiſque audiebat eos loqui in lingua, in qua natus erat, & appoſitæ ſunt animæ circa tria millia, & baptizati ſunt *Act.* 2.

SCHOLIVM II.

Primum dictum, Licuit eligere Baptiſmum, vel Circumciſionem vſque ad Pentecoſten, quia ad legem non promulgatam nemo tenetur, & Baptiſmus vſque tunc non fuit promulgatus, & ponit *alias duas rationes.* Secundùm; legalia non fuerunt ſtatim poſt Pentecoſten mortifera: quia Paulus pòſt circumcidit Timotheum, & purificauit ſe. *Tertium*; iuſtè fuit Petrus à Paulo reprehenſus, vel quia non conformabat ſe Eccleſiæ Gentium, vel quia dabat occaſionem eis ſeruandi legem, vel reputandi eam neceſſariam. *Vide Dect. in Oxon. hîc q. 4. art. 1 4. Vbi fuſiùs hoc explicat. Quartum*; quando fuerunt legalia facta mortifera non ſatis conſtat, ſed nunc talia eſſe definitum eſt cap. *Maiores, de Baptiſmo.*

6. Opinio D. Thom. 3. p. q. 66. a. 2. & 1. 2. q. 103. art. 3. *A paſſione Chriſti vſque ad Pẽtecoſten Bapt. non cadebat ſub præcepto.*

DE tempore verò medio, ſcilicet à Paſſione Chriſti vſque ad promulgationem Baptiſmatis Pentecoſtes, vtrùm Baptiſmus tunc cadebat ſub præcepto, vel Circumciſio, dubium eſt. Et dicunt hîc quidam, quòd Baptiſmus cadebat illo tempore medio ſub præcepto. Sed hoc non video, quia nullus tenetur ad legem aliquam aliter nunc quàm priùs, niſi lex ſe habeat aliter ad eum nunc quàm priùs, vt quia modò promulgata, & priùs non Apoſtoli in iſto tempore medio à paſſione Chriſti vſque ad Pentecoſten, quando primò prædicare cœperunt, vel non prædicabant in publico inſtitutionem Baptiſmi, ſed expectabant promiſſionem de aduentu Spiritus ſancti factam eis à Chriſto Lucæ vltimo, *Sedete hîc quouſque impleamini ſpiritu ex alto*, ad confirmandum vos; vel ſi fecerunt fœdus, hoc fuit per modum conſilij; ergo homines non magis tenebantur de neceſſitate illo tempore medio ad ſuſceptionem Baptiſmi quàm priùs, & ideò totum illud tempus medium à termino, à quo fuit promulgatus Baptiſmus à Chriſto, fuit per modum conſilij.

Sed quando incipiebat eius promulgatio per modum præcepti? Dico quòd in Pentecoſte, poſtquam recipiebant Spiritum ſanctum, & tunc tenebantur omnes ad eius ſuſceptionem, quia quandocunque, & cuicunque homini, vel ciuitati fit promulgatio alicuius præcepti, debet eſſe facta per ſeruum authenticum, de quo certum eſt, & per ſigna euidentia conſtat quòd eſt ſeruus Chriſti, omnes alij, quibus fit illa promulgatio, obligantur ad illud; ſed poſt Pentecoſtem promulgabatur ab Apoſtolis præceptum de Baptiſmo, ſequentibus ſignis euidentibus ad credendum quòd fuerunt ſerui Chriſti authentici, quia fecerunt miracula, quæ ſunt ſigna fidei euidentiſſima; primò inter Iudæos, qui fuerunt in Ieruſalem, qui diſperſerunt, & perſequebantur eos, expellentes ab vna ciuitate in aliam; deinde prædicabant verbum, & inſtitutionem Baptiſmi eſſe neceſſariam ad ſalutem aliis ciuitatibus magis remotis; deinde omnibus tam Gentibus, quàm Iudæis, & longum tempus tranſiit antequam eius promulgatio ad vniuerſas mundi partes magis diſtantes perueniret, & ideò ſi ad aliquem nondum peruenerit, quod non credo eſſe verum, quia non eſt pars mundi, in qua non promulgatum ſit præceptum de Baptiſmo, quia aliter non compleuiſſent Apoſtoli præceptum, Marci 16. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos*, &c. Si enim præceptum de Baptiſmo non ſit alicui patriæ, vel ciuitati, loco, vel perſonæ diuulgatum, illi, quibus nunquam facta fuit talis promulgatio ad eius ſuſceptionem non tenentur, ſed ſaluabuntur in lege naturæ, vel lege ſcripta; cuiuſmodi ſunt illi, qui claudũtur inter montes, ad quos non poſſunt euangelizantes Dei verbum peruenire, ſi qui tales ſint.

Miracula ſunt ſigna noſtræ fidei.

Etiam poſt bapt. poſſunt aliqui ſaluari in lege naturæ, vel ſcripta.

Sic ergo patet quomodo promulgatio de præcepto Baptiſmi obligat ad eius ſuſceptionem, & quando incepit obligare.

Conſilium Dei obligat ad non contemnendum.

Sed ad quid obligauit promulgatio Baptiſmi per modum conſilij? Dico quòd obligauit omnes, quibus promulgabatur ad non contemptum. Sed ſtatutum, vel præceptum alicuius dupliciter poteſt contemni. Vno modo negatiuè, quia non obſeruatur; alio modo contrariè, quia impeditur, & reprobatur tanquam ſtultum, malum, & inane. Conſilium primo modo non contemnitur, quia non obſeruatur, quia nullus tenetur de neceſſitate ad eius obſeruationem inquantùm conſilium: ſed conſilium contemnitur ſecundo modo inquantùm tanquam irrationale, & malum reprobatur, & deridetur. Quem contemptum credo eſſe peccatum mortale; quia non video quòd poſſum contemnere, & ponere, & reprobare conſilium, tanquam malum, & fatuum, niſi contemnam, & reprobem conſulentem, vt huiuſmodi; & ideò conſultius eſſet nolentes viuere ſecundùm conſilium Chriſti, permittere eis conſeruari in pace, & implorare eis piè auxilium apud Deum, quàm eos opprobriis, & falſis opinionibus infeſtare. Quod enim ipſi portare nolunt, permittant alios, qui promptiùs diuinis conſiliis acquieſcunt.

Duplex contemptus præcepti, vel conſilij.

Præceptum obligaret ad obſeruãdum.

Præceptum autem vtroque modo contemnitur, & quando non ſeruatur, & quando reprobatur, quod non contingit fieri, nec ſeruando, vel reprobando ſine peccato mortali; quia qui contemnit mandatum, ſimiliter & mandantem. Veruntamen præceptum humanum poteſt in caſu, ſecundo modo contemni, & derideri ab eo, cui imponitur. Subditus enim non tenetur de neceſſitate habere falſam opinionem de Prælato ſuo; ergo ſi ipſe ſtultas & fatuas leges facit, poteſt & legem & mandantem contemnere, & quòd eas reuocet, vt infirmas, firmiter laborare. Non tamen debet inferior primo modo contemnere præceptum ſuperioris, id eſt, non obſeruando ea, quæ præcipiuntur ab eo; quia quamdiu ſubditus eſt, tenetur in omnibus obedire, quæ non immediatè ſunt contra Deum, & bonos mores. Dico ergo quòd illa obligatio omnes obligauit ad non contemnere ſecundo modo: ſecunda autem tam ad non contemnere primo modo, quàm ſecundo. Vnde dico quòd omnes, ad quos peruenit promulgatio, tenentur ad ſuſceptionem eius.

Præceptum hominis quandoque contemnendum.

8.

Lex Domini ſancta, & immaculata.

Quantùm ad tertium articulum de circumciſione in comparatione ad Baptiſmum; dicunt quidam, ac ſi circumciſio ſimpliciter erat mala, & ſimiliter ſacrificia eius. Sed iſtud redundat in Deum, quia Deus nunquam ſtatuit aliquam legem, quin eſſet bona, & ſancta, & meritoria illis, qui obſeruarent illam, quia aliter non vituperarentur non obſeruantes eam, nec præmiarentur obſeruantes eam.

Sed dices, ſi lex Iudæorum fuit bona, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, & ſine cauſa, quia non eſt mortuus niſi vt ceſſarent iſta legalia, & plenè pateret homini via ad ſalutem: ſi ergo iſta via ſit bona ad ſalutem, gratis, & ſine cauſa Chriſtus mortuus eſt.

Dico ergo quòd lex iſta Moſaïca fuit bona inquantùm opera eius fiebant in fide venturi, ſicut opera legis noſtræ fiunt in fide illius, qui iam venit. Vnde ab eodem, à quo vt iam incarnato, & paſſo habuerunt, & habent Sacramenta noſtra efficaciam, ab illo habuerunt Sacramenta veteris legis efficaciam, vt incarnando. Et ideò eis lex eorum bona, & rationabilis, & magis rationabilis eis, quàm noſtra, propter ruditatem eorum, & duritiam in ſpiritualibus ad credendum. *Venit enim Deus*, ſecundùm Auguſtinum, *temporibus congruis adminiſtrare medicamenta; & quia populus iſte pronus erat ex minima carnalitate ſua ad idololatriam, maluit illas ſibi ſacrificari victimas, quàm Dæmoni.* Auguſtinus.

Dices quòd mors animalis non placet Deo, quia eius mors, & immolatio non eſt bona.

Reſpondeo, licèt mors & immolatio animalis inquantùm eſt priuatio vitæ formaliter non ſit bona, tamen inquantùm imponebatur à Deo ad ſignandum verum Sacramentum mortis Chriſti, in quo offerebatur, ſicut agnus immaculatus filius Dei ſuo Patri, ſic maximè fuit accepta Deo pro munere & obſequio gratiſſimo, & ſolummodo adæquato.

Mors, & immolatio animalis in veteri lege eur bona, & Deo accepta.

9.

Excellentia Bapt. ſuper circumciſionem.

Licèt ergo Circumciſio erat bona, tamen in aduentu boni, & nobilioris & efficacioris remedij, vt Baptiſmi, debuit ceſſare. Baptiſmus enim eſt remedium melius, & nobilius, quia commune remedium eſt, cùm extendat ſe ad vtrumque ſexum, non ſic Circumciſio; eſt etiam in communiori materia; eſt etiam remedium plenius, quia pleniorem, & maiorem gratiam confert in virtute Paſſionis Chriſti iam exhibitæ, quàm Circumciſio, cuius virtus erat à Paſſione Chriſti præuiſa & præcredita exhiberi. Eſt etiam Sacramentum facilius ſuſcipienti, nunquam enim poteſt nocere ſuſceptio, quia nullum infligit dolorem, nec paruulo, nec adulto, quia aqua tepida, quæ eſt conueniens materia Baptiſmi, magis videtur alleuiare, quàm grauare, & ideò balneantur pueri in aqua calida. Circumciſio fuit ſuſcipientibus multùm difficilis, & dolorem magnum infligebat, & hæc erat cauſa, quare non circumcidebant filij Iſraël paruulos ſuos annis quadraginta octo, quibus tranſibant per deſertum; ex lege enim habebant, quòd per tres dies requieſceret circumciſus, & maximè die tertia, quia illa die fuit dolor vehementior, & ideò iſto die interfecerunt filij Iacob viros Sichem, nouiter circumciſos, propter nefas, quod fecit filius Sichem cum Dina ſorore eorum. Filij autem Iſraël proficiſcentes per deſertum neſcierunt quando mouerent tabernacula, & ideò ne propter nimium dolorem impedirentur circumciſi eorum ab itinere, ideò noluerunt eos circumcidere. Sed Baptiſmus excellebat circumciſionem in iſtis tribus, & ideò iuſtè debuit ſibi credere, & totaliter, quia non ſunt duo totaliter remedia ad ſalutem, vt probatum eſt ſuperiùs.

Quare filij Iſraël non circumcidebant paruulos dum tranſirent deſertum.

10.

De ceſſatione circumciſionis duæ opiniones.

Quo tempore ceſſarit Circumciſio? Hîc dicitur, quòd fuit ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem vſque ad Paſſionem Chriſti, quo tempore cadebat Baptiſmus ſub conſilio, quia vſque ad Paſſionem Chriſti habuit efficaciam Circumciſio, & Sacramenta legis veteris, vt priùs probatum eſt; quia in Cœna comedit Chriſtus cum diſcipulis ſuis agnum, quod fuit opus illius legis. Sed poſt mortem dicunt quidam quòd ſuſceptio circumciſionis erat mala, & illicita.

Quidam ſobriùs loquentes, dicunt ipſam fuiſſe licitam, ſed non valere ad ſalutem aliquo modo, quia Saluator appropinquante morte ſua dixit, *conſummatum eſt*, Ioann. 19.

Et ſi tunc quæratur ab eis quomodo ſaluabantur pueri Iudæorum, ſi Circumciſio erat inutilis, &

& Baptiſmus totaliter innouatus, quia adhuc non erat promulgatus, niſi per modum conſilij, qui non ad eos peruenerat. Dicunt quòd tunc ſaluabantur in fide parentum, ſed poſt promulgationem Baptiſmi Circumciſio erat omninò peſtifera & mala.

11. *Refelluntur prædictæ opiniones.*

Sed iſta non videntur mihi eſſe vera. Primum non, quia ſi illo tempore Baptiſmus promulgabatur, ſicut per modum conſilij, ante ſcilicet paſſionem Chriſti, ſi prædicaſſet Baptiſmum Petrus, & aliquis Iudæus credidiſſet, & baptizaſſet filium ſuum non circumciſum, & ſtatim moreretur puer baptizatus, certum eſt quòd ſaluaretur, quia aliter non daret gratiam Baptiſmus Chriſti, nec auferret peccatum originale, quod falſum eſt ſecundùm omnes, quia illam virtutem habuit à tempore ſuę inſtitutionis; ergo tunc Circumciſio non fuiſſet tota ad ſalutem.

Puer baptizatus ante paſſionem non circumciſus ſaluaretur.

Item, præceptum de Baptiſmo aquæ apud omnes, apud quos erat promulgatus, totaliter reuocabat Circumciſionem; ergo inſtitutio, vel conceſſio de Baptiſmo ſuſcipiendo, vt quando fuit ſub conſilio, licentiauit non ſeruare Circumciſionem. Conſequentia patet, quia ſicut præceptum de vna lege reuocat aliam, ita eius conceſſio eſt licentia non ſeruandi aliam. Patet in ſtatutis & legibus humanis.

12. *Licitè vti poterant baptiſmo, & circumciſione pro aliquo tempore.*

Ideò quantùm ad iſtum articulum, dico quòd ante paſſionem Chriſti, nec poſt, vſque ad promulgationem præcepti de Baptiſmo, nec Baptiſmus, nec Circumciſio erant ſimpliciter ad ſalutem neceſſaria, ſed tantùm alterum iſtorum ſub diſtinctione, vel ſcilicet circumcidi, vel baptizari; neutrum enim tunc cadebat ſub præcepto. Et ideò potuerunt vtroque diuiſim licitè vti, dummodò neutrum contemneretur vſque ad plenam promulgationem præcepti de Baptiſmo.

Iudæi ad Baptiſmum, & Circumciſionem non aliter ſe habebãt poſt paſſionem vſque ad Pentecoſtem, quàm ante.

Contra illud etiam, quod dicitur, quòd poſt paſſionem Chriſti erat Circumciſio peſtifera, & illicita. Arguo ſic: nullus aliter ſe habet ad legem aliquam nunc quàm priùs, niſi quia eſt ſibi promulgata; ſed poſt paſſionem Chriſti antequam Apoſtoli prædicauerunt Baptiſmum, non fuit aliter Sacramentum Baptiſmi promulgatum multis, quàm ante paſſionem; ergo non aliter obligabantur tunc, quàm priùs. Apoſtoli etiam ante Pentecoſtem, vt dictum eſt, non prædicauerunt Baptiſmum publicè, vel ſi ſic, non niſi per modum Conſilij, quod non obſeruare licebat, licèt non reprobare.

Item, quod Circumciſio habuit vim, vel efficaciam obligandi, vel medendi, patet per Bedam in cap. 2. Lucæ, & ponitur in litera Diſtinct. 1. *Qui nunc per Euangelium ſuum clamat terribiliter, & ſalubriter; niſi quis renatus*, &c. (*terribiliter* dicitur propter arctam obligationem, & *ſalubriter*, quantùm ſcilicet ad efficaciam medendi) *ipſe dudum clamabat per ſuam legem, Anima, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, peribit ipſa de populo ſuo*, ſed Circumciſio habuit vim, vel efficaciam obligandi quemlibet, quouſque reuocaretur per auctoritatem iſtam, & per præceptum Domini ad Abraham de Circumciſione; ergo per idem præceptum habuit vim medendi, quouſque reuocaretur. Non legitur autem quòd Chriſtus voluit eam reuocari ſtatim poſt paſſionem ſuam; ergo ſemper habuit efficaciam medendi vſque ad eius reuocationem quantumcunque fuerit dilata.

Item, Iudæus in aliquibus partibus nihil ſciens de paſſione Chriſti, nec de prædicatione Baptiſmi, teneretur ex lege circumcidere paruulum ſuum de neceſſitate ſalutis, vt puer ſaluaretur; ſed per te Circumciſio fuit omninò illicita, & peſtifera poſt mortem Chriſti: ergo tunc tenebatur habere falſam, & peſtiferam opinionem, ſcilicet quòd non eſſet neceſſaria ad ſalutem tunc temporis, ſed eſſet illicita, & peſtifera.

Nunquam Deus reliquit hominẽ abſque remedio ad ſalutem.

Item, à tempore lapſus non reliquit Deus homines ſine adiutorio, vel remedio aliquo ad ſalutem; ſed Iudæus neſciens poſt paſſionem Chriſti pluſquàm ante præceptum Dei de Baptiſmo ſuſcipiendo eſſe remedium contra peccatum originale, quia nullus hoc ſibi prædicauit; ſcit autem Circumciſionem eſſe huiuſmodi remedium ex lege; ergo vel non eſt via ad ſalutem, vel poteſt circumcidere puerum, & ſic eum ſaluare.

Dico ergo ad hunc articulum, ſicut ad præcedentem, quòd quouſque Sacramentum Baptiſmi fuit promulgatum, non tenebatur aliquis ad illud ſuſcipiendum magis poſt paſſionem, quàm ante, nec poſt eius diuulgationem per modum conſilij, tenebatur quis neceſſitate abſoluta ad Circumciſionem, neque ad Baptiſmum, ſed ſub diſiunctione ad iſtam, vel ad Baptiſmum, quouſque vnum iſtorum per modum præcepti diuulgaretur.

13.

Quod etiam dicitur, Circumciſionem eſſe peſtiferam, & illicitam poſt mortem Chriſti, & Baptiſmum promulgatum, videtur apertè contra Scripturam ſanctam. Paulum enim circumcidere Timotheum patet Act. 4. & tamen ſatis præceptum de Baptiſmo fuit promulgatum.

Dices quòd hoc fecit propter ſcandalum Iudæorum vitandum, qui nondum erant in fide firmati. Hoc nihil eſt, quia, vt habetur extrà de reg. Iur. *vtilius ſcandalum permittitur, quàm veritas taceatur.*

Item, illud ſcandalum eſt ſcandalum Phariſæorum, de quo dixerunt diſcipuli ad Chriſtum Matth. 15. *neſcis quòd Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt*, & ipſe reſpondit, *ſinite eos, cæci ſunt*, &c. & ſequitur, *plantatio quam non plantauit Pater meus, eradicabitur*, quia ſcandalum illud fuit de opere bono; ergo ſi tunc circumcidere fuit peſtiferum, & malum, ſequitur quòd propter nullum ſcandalum deberet fieri, nec poteſt fieri ſine peccato mortali.

Si dicas, quòd Euangelium non fuit tunc temporis promulgatum, hoc primò eſt contra textum planè in Actibus Apoſtolorum, vt patet intuenti.

Item ſecundò, poſtquàm circumciderat Timotheum, aſcendit Paulus Ieroſolymam, & purificauit ſe exercendo in ſe opus legis, etiam poſt Euangelium promulgatum, quia poſt tertium Concilium celebratum inter Apoſtolos. Vnde dixit Iacobo, *vides quot millia hominum facti ſunt æmulatores legis, & obtulit ipſemet Sacrificium.* Non obſtante ergo quòd Euangelium erat priùs promulgatum, adhuc exercuit in ſe, & in aliis opus legis.

14. *Difficilis obiectio, cui in ſcripto Oxonienſi pleniùs ſatisfacit.*

Sed dices quòd peccauit mortaliter, quia ipſe reprehendit Petrum cogentem alios iudaïzare, quia reprehenſibilis erat ſecundùm Paulum *ad Gal.* 2. tamen ipſe iudaïzauit purificando ſe, & offerendo ſacrificia, & etiam circumcidendo Timotheum; nec excuſatur, quaſi vitaſſet ſcandalum Iudæorum, quia non obſtante ſcandalo eorum in facie reſtitit Petro, qui fecit eos iudaïzare.

Reſpondeo, ſicut tunc temporis aliqua diſſenſio inter illos Apoſtolos erat de illis, ita & poſtea erat aliqualis diſſenſio inter duos Doctores Auguſtinum, & Hieronymum, quorum vnus tenuit cum vno, & alius cum alio, & omnes modò ſunt ſimul in cœlo. Teneo tamen cum Auguſtino quòd Apoſtolus Paulus nullum mendacium fecit, etiam officioſum, nec iocoſum, quando dixit Petrum eſſe reprehenſibilem; & tamen ipſemet in ſe & aliis idem opus exercuit. Quia ſicut dicit Auguſtinus epiſt. 19. ad Hieronymum, *Si vnum mendacium qualecunque inuentum fuerit in Canone, tota auctoritas Canonis infirmata eſſet, nec aliqua auctoritas eius adducenda eſſet ad teſtificandum aliquam veritatem, quia diceret aduerſarius, qua ratione hoc eſſet falſum, & mendacium, eadem ratione & totum reſiduum eſſet ſuſpectum.* Quia non maiorem auctoritatem habet totus Canon, quàm eius pars. Et ideò quæcunque fuerunt verba Apoſtolorum inter ſe, in quantùm homines poterant peccare, tamen inquantùm dictatores, & inſtrumenta Spiritus ſancti, non eſt credendum aliquem illorum falſum dixiſſe, vel ſcripſiſſe. Et ideò nullum mendacium ſcripſit Paulus in hoc, quod dixit: Petrum eſſe reprehenſibilem. Multa tamen mendacia, & falſa potuit ſcribere per modum narrantis, & recitantis talia hiſtorialiter, & materialiter, vt Ioannes ſcripſit cap. 10. *Dæmonium habes*; ſed nullo modo per modum dictantis, & ſcribentis, quia vt ſic, erat inſtrumentum Spiritus veritatis, qui docet omnem veritatem. Quare autem fuerit reprehenſibilis Petrus, & Paulus non, quære alibi *.

Si admittatur, vel iocoſum mendacium in Scriptura totis ceſſabit.

* In Oxon. hîc à n. 13.

Teneo ergo quòd non fuit malum, nec peſtiferum circumcidi poſt mortem Chriſti, & diuulgationem Baptiſmi, nec tunc lex Circumciſionis erat ſimpliciter reuocata à Chriſto, vel Apoſtolis; quia hoc non legitur; & ideò tempus reuocationis eius neſcitur, quia fortè Hiſtoriographi ceſſauerunt priùs ſcribere, quàm eſſet reuocata. Credendum tamen eſt quòd Chriſtus eam per Apoſtolos ſuos reuocauit, licèt tempus reuocationis eius per Scripturam hiſtoriæ ad nos non venerit, quia non ita diu durauit Scriptura hiſtorialis, & vſque ad certum tempus permiſit eam currere cum Baptiſmo, etiam poſt promulgationem, vt ſepeliretur Synagoga cum honore.

Non exiſtat quando legalia cœperunt eſſe illicita.

15. *Quæſtionis reſolutio.*

Vnde dico ad formam quæſtionis, quòd ſola inſtitutio Baptiſmi non euacuauit Circumciſionem, nec etiam eius promulgatio facta per modum prædictum ſtatim eam reuocauit; tamen Circumciſio non erat tunc neceſſaria, ſed tantùm Baptiſmus; modò autem quia ſimpliciter eſt reuocata, licèt tempus eius non legatur in Scriptura, quia non tantùm continuauerunt hiſtoriam ſcribentes, ſimpliciter eſt illicita, & ab Eccleſia contemnenda, iuxta cap. *Maiores*, de Baptiſmo, & eius effectu, quod non eſt veriſimile, niſi contemnentes per reuelationem, vel aliquo alio modo certo ſciuiſſent eam eſſe reuocatam à Deo.

Ad argum. primum.

Ad primam rationem, dicendum quòd in lege iſta quædam erant moralia, quædam iudicialia. Quantùm autem ad moralia non venit Chriſtus ſoluere legem, ſed perficere, & adimplere. Vnde dixit diſcipulis Matth. 5. *Auditis quod dictum eſt antiquis, Diliges amicum, & odio habebis inimicum: Ego autem dico*, rectificando, & perficiendo moralia, *diligite inimicum veſtrum, benefacite his, qui oderunt vos.* Iudicialia verò non manent, niſi propter maiorem pacem habendam in gubernatione Reipublicæ, quæ non eſſet, niſi daretur *dens pro dente, & oculus pro oculo*, &c. vt habetur Exod. 21. & Leuit. 24. quæ iudicialia non obligant nos ex inſtitutione antiquæ legis tantùm, & à Deo, ſed ex noua inſtitutione eorum.

Sed contrà, ſoluto fundamento ſoluitur ædificium; Circumciſio fuit in antiqua lege quaſi fundamentum omnium Sacramentorum legalium; ergo ipſa ceſſante debuerunt moralia omnia quaſi illi ſuperædificata ceſſare.

Qualiter fuerit Circumciſio fundamentum Sacramentorum vet. legis.

Reſpondeo, fundamentum propriè dicitur illud, cui aliquid innititur vt principale eius, & ſic charitas, & fides ſunt fundamenta totius vitæ ſpiritualis; & ſumendo iſto modo *fundamentum* nunquam fuit ſolutum fundamentum legis, nec nouæ, nec antiquæ. Eadem enim fides, quam nos habemus de Chriſto iam mortuo, habuerunt ipſi de illo morituro: charitas etiam nunquam excidit, & ideò virtutes, quibus anima fit grata Deo, & ſibi reconciliatur, nunquam ceſſauerunt.

Circumciſio qualiter fundamentū Sacramentorum veteris legis.

Alio modo *fundamentum* ſumitur propriè pro primo inter alia, & hoc primitate originis, & tantùm iſto modo dicetur Circumciſio fundamentum Sacramentorum veteris, ſicut modò dicitur Baptiſmus fundamentum Sacramentorum nouæ legis.

16. *Ad ſecūdum. Quomodo Circumciſio fuit data in fœdus ſempiternum.*

Ad aliam, dico quòd Circumciſio data fuit in fœdus ſempiternum in ſe, vel in remedio ſibi æquipollente; ſicut Teſtamentum nouum dicitur ſempiternum in ſe, vel in ſuo æquiualente, quia nullum aliud ſibi ſuccedit, niſi in patria, vbi ceſſabit, & aliud nobilius dabitur ſecundùm plenam æquipollentiam.

Ad tertium.

Ad tertiam, dico quòd multa facta ſunt per Chriſtum, & Apoſtolos eius, quæ non ſunt ſcripta, & certum eſt Circumciſionem ab Eccleſia eſſe plenè reuocatam, & penitus cuilibet illicitam; ergo probabile eſt ipſam per aliquem Apoſtolum, vel aliquem ſeruum Chriſti authenticum eſſe reuocatam, licèt tempus reuocationis non exprimatur. Quòd autem durauit tantum Circumciſio poſt diuulgationem Baptiſmi, hoc fuit vt cum honore Synagoga ſepeliretur, quod non fuiſſet factum, ſi ſtatim fuiſſet reuocata.

DISTINCTIO IV.

De iis quibus conferri debeat Baptiſmus.

QVÆSTIO I.

Vtrùm paruuli ſint baptizandi?

Auguſt. *lib. 6. contra Iulian. cap.* 5. Conc. Mileuit. ſecundum. Lateranen. cap. *Maiores, de Baptiſ.* Trident. *ſeſſ. 6. de peccat. orig. & ſeſſ. 7. can.* 12. Alenſ. 4. *part. quæſt.* 17. *membro* 1. Alenſ. *hic* 2. *part. art.* 2. *quæſt.* 1. *memb.* 1. D. Bonauent. *hi.* 2. *part. art.* 2. *quæſt.* 1. & 2. Richard. *art.* 1. *quæſt.* 2. D. Thom. *quæſt.* 6. & 3. *part. quæſt.* 69. *art.* 6. Coccius latè *tom.* 2. *ſect.* 5. *art.* 6. Suarez 3. *part.* 3. *tom. diſp.* 25. Bellarm. *lib.* 1. *de Baptiſ. cap.* 8. Vide Scot. *in Oxon. hic.*

1.

IRCA Diſtinctionem quartam, in qua determinatur de ſuſcipiente Baptiſmum. Primò, quæritur de paruulis baptizandis. Secundò, de adultis, Tertiò, de ſuſcipiente Baptiſmum in communi.

Circa primum quæruntur tria. Primum, *vtrùm paruuli*

Argum. primum. *paruuli ſint baptizandi?* Arguitur quòd non: Baptiſmus eſt remedium contra peccatum, paruuli non habent peccatum, quia ſecundùm Auguſtinum de vera Religione *peccatum adeò eſt voluntarium, quòd ſi non eſſet voluntarium, non eſſet peccatum*, pueri non habent vſum liberi arbitrij: ergo, &c.

Secundum. Item, Matth. vlt. *Qui non crediderit, condemnabitur*; pueri non habent actum credendi; ergo ſi baptizantur, nihil eis prodeſt Baptiſmus.

Ratio ad opp. Contrà: Auguſtinus de fide ad Petrum cap. 27. & de conſec. d. 4. cap. 3. *Firmiſſimè tene paruulos, qui vel in vteris matrum viuere incipiunt*, &c. *& ſine Sacramento Baptiſmi de hoc ſæculo tranſeunt, æterno ſupplicio puniendos, quia originale peccatum in carnali conceptione contraxerunt.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm Paruuli baptizati recipiant effectum Baptiſmi?

Vide Doctores citatos in quæſt. antecedenti, & Conc. Florent. in Decreto Eugenij.

2. Argumẽtum primum. SECVNDÒ quæritur: *Vtrùm paruuli baptizati recipiant effectum Baptiſmi?* Arguitur quòd non; quia effectus Baptiſmi eſt gratia; paruuli non recipiunt gratiam, quia gratia non infunditur ſine fide, quia *ſine fide impoſſibile eſt Deo placere*, *Hebr.* 2. & ipſi non recipiunt fidem, quia habens habitum poteſt vti illo cùm voluerit, ſaltem cùm peruenerit ad vſum rationis; ſed cùm peruenit paruulus ad ætatem adultam, & vſus fuerit ratione, non poteſt exire in actum credendi articulos fidei magis, quàm ſi nunquam fuiſſet baptizatus, ergo. Nec faciliter etiam credit per habitum fidei infuſum ſibi in Baptiſmo magis, quàm alius non baptizatus; ergo paruuli non recipiunt fidem, nec per conſequens effectum Baptiſmi.

Confirmatur minor, quia ad Rom. 10. *fides eſt ex auditu*; nulli ergo datur fides, niſi illi, qui eſt docibilis ſecundùm auditum, cuiuſmodi non ſunt paruuli.

Item, ſecundò confirmatur iſta minor ſic: ſi Deus modò infunderet alicui habitum Geometriæ occurrentibus phantaſmatibus terminorum Geometralium, poſſet exire in actum Geometriæ, ergo à ſimili, ſi Deus infundat fidem paruulo, ipſo poſtea habente vſum rationis, occurrentibus phantaſmatibus de aliquo articulo fidei, poteſt exire in actum credendi, & ita occurrentibus phantaſmatibus iſtius articuli, *mortui reſurgunt*, ſine alia vlteriori informatione crederet, quod falſum eſt, quia nullus inuenitur talis, imò quantumcunque habeat habitum fidei, niſi aliunde informetur, ſemper iudicabit oppoſitum eſſe verum.

Confirmatur tertiò eadem minor ſic: Qui non aliter ſe habet ad agendum, quàm alius, nullum habitum habet, quem non habet alius: ſed puer baptizatus ſe aliter non habet ad credendum, quàm puer non baptizatus, quia non faciliùs inclinatur ad actum credendi per informationem, quàm alius, cæteris paribus, nec etiam difficiliùs diſſentit hæreſibus, quàm puer non baptizatus, vel ſi ipſe non eſſet baptizatus. Patet experimentaliter.

Ad principale arguo ſecundò ſic: Quicunque recipit effectum gratioſum, Deo priùs coniungitur, quia non dat gratiam non volenti, & indiſpoſito, & diſiuncto ab eo; ſed coniunctio non fit cum Deo, niſi per fidem, *ad Rom.* 5. ergo ſi non habeatur fides non coniungitur ſibi per gratiam, & per conſequens non recipiunt effectum Baptiſmi. *Argumẽtum ſecundum.*

Contrà: Auguſtinus in Enchirid. cap. 34. & de conſecr. diſt. 4. *A paruulo recenter nato vſque ad decrepitum ſenem, ſicut nullus prohibetur à Baptiſmo, ita nullus eſt, qui non moriatur peccato in Baptiſmo*; ſed nullus moritur peccato, niſi recipiat gratiam: ergo, &c. *Ratio ad opp.*

QVÆSTIO III.

Vtrùm puruulus in vtero matris poſſit baptizari?

Alenſ. 4. *part. quæſt.* 17. *membro* 2. D. Bonauent. *diſt.* 6. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. Richard. *art.* 2. *quæſt.* 1. D. Thomas *quæſt.* 1. *art.* 1. *&* 3. *part. quæſt.* 68. *art.* 11. Suarez *ibi. diſp.* 27. *ſect.* 3. & omnes negant contra Caiet. *ibid.*

ARGVITVR quòd ſic. Donum Dei eſt perfectius, quàm peccatum Adæ; peccatum illud transfunditur à matre in filium, dum eſt in ventre matris ſuæ, quia in Adam omnes facti ſumus rei; ſi ergo donum Dei conferatur matri, cùm ſit perfectius, & efficaciùs poteſt purgare matrem, & ſimiliter filium eius in vtero. *3. Argumẽtum primum.*

Item, ſi puella manumittitur, & filius eius in vtero manumititur; ergo ſi mulier liberatur à ſeruitute, & filius eius ſimiliter in vtero exiſtens; ergo ſi mater liberatur à peccato, & filius eius in vtero, & ita non indiget Baptiſmo cùm natus fuerit. *Secundum.*

Item, ad Rom. 11. *Si radix ſancta, & rami, &* ſi arbor ſancta & fructus, & cùm filius ſit fructus matris, ergo mater ſi ſit ſancta, & filius, & per conſequens ſanctificatio matris ſufficit ad ſanctificationem filij *Tertium.*

Contrà Apoſtolus 1. Cor. 15. *Non priùs quod ſpirituale, ſed quòd animale, deinde quòd ſpirituale*; ergo priùs naſcitur homo corporaliter, quàm ſpiritualiter. *Ratio ad opp.*

Item, Iſidorus de ſummo bono, *Qui natus non eſt, renaſci non poteſt.*

SCHOLIVM I.

Paruulos eſſe baptizandos eſt de fide contra Pelag. ita Doctores citati pro quæſt. 1. *Ad ſecundam quæſtionem, de fide eſt, paruulos recipere effectum Baptiſmi, & gratiam. Ita DD. citati & Concilia.*

AD primam quæſtionem, dico quòd error Pelagij erat, quòd in paruulis non erat peccatum originale, & per conſequens quòd non ſunt neceſſariò baptizandi, cuius errorem improbat Magiſter diſtinct. 30. libri 2. Et ideò hoc fugiens dico oppoſitum, quòd quia contrahunt peccatum originale à parentibus ſecundùm ſcripturam, ſicut in lege veteri fuit Circumciſio remedium contra illud peccatum, ita modò Baptiſmus. *4. Paruulos eſſe baptizandos.*

Ad primum in oppoſitum, dico quòd peccatum originale eſt voluntarium, non in contrahente *Ad argum. 1. quæſt.*

Peccatũ originale non eſt voluntarium ei in quo eſt, & qualiter contrahatur.

hente illud, ſed in primo parente, qui peccauit peccato actuali, quod nobis eſt originale ab eo ortum: ipſe enim in principio non tantùm accepit gratiam pro ſe, ſed etiam pro omnibus aliis, qui nati eſſent ex eo per naturalem propagationem ex ſemine, & ideò ipſo peccante omnes facti ſunt filij mortis, & præceptorum Dei tranſgreſſores, & ſic in ipſo omnes peccauerunt, ſicut dicitur in 2. libro diſt. 30.

Ad ſecũdum.

Ad illud Matth. 2. *qui non crediderit*, &c. intelligitur de adultis; patet per præcedens, cùm dicitur, *qui verò crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Baptizari credendo non eſt niſi adulti. Aliter poteſt dici, quòd qui non crediderit, nec actu, nec habitu, nec in ſe, nec in alio, condemnabitur, vt qui nec confeſſionem fidei per actum interiorem, nec exteriorem, nec habitum fidei ſui, vel parentum habuerit, *quia ſine fide* ſic, vel ſic, *impoſſibile eſt placere Deo.*

5.

Solutio 2. quæſtionis.

Non poteſt probari ratione naturali paruulũ in Baptiſmo recipere gratiam.

Ad ſecundam quæſtionem. Dicendum quòd tantùm creditum eſt, & non poteſt naturali ratione oſtendi, paruulum per Baptiſmum recipere gratiam, ſicut nec probari poteſt aliqua ratione naturali aliquem habitum ſupernaturalem ineſſe animæ, nec per effectum generalem, nec ſpecialem, quem quis experitur in ſe, vel alius in eo. Vnde tantùm creditum eſt per Baptiſmum peccatum originale dimitti, & per Baptiſmum gratiam conferri, nec poteſt naturali ratione declarari. Perſuaſio tamen ad hoc eſt talis; Deus ſtatuit nulli offenſam remittere, niſi quem acceptat ad vitam æternam, & ideò nullum modò ſibi reconciliat, ei dimittendo peccatum, niſi iuſtificando, & conferendo gratiam; nulli autem confert gratiam, niſi cui infundit fidem, & gratiam: ſtatuit autem cuilibet baptizato dare gratiam, niſi ſit actualiter indiſpoſitus, indiſpoſitio autem in paruulo non poteſt eſſe; ergo labes peccati originalis tollitur per Baptiſmum; ergo confertur gratia & effectus Baptiſmi.

6.

Ad argum. 1. quæſtionis.

Habitus cum potentia non eſt cauſa totalis intellectionis.

Ad primam rationem, dico quòd fides infunditur. Et ad probationem, cùm dicis, paruulus baptizatus perueniens ad ætatem adultam, & ad vſum rationis, non magis exit in actum credendi, quàm non baptizatus: habitu autem poteſt quilibet vti cùm vult. Dico quòd nec habitus naturalis, nec ſupernaturalis eſt tota cauſa intellectionis, ſiue ſufficiens principium intelligendi illud, ad quod inclinat talis habitus naturalis, quia ſiue ponatur propter actum intelligendi, ſpeciem intelligibilem neceſſariò requiri, ſiue phantaſma, adhuc iſta non poſſunt in actum intelligendi, niſi obiectum intelligibile moueat ad iſtum actum; ergo nec habitus ſufficit ſine iſtis, & obiecto. Eodem modo de habitu ſupernaturali, & infuſo; ad hoc quòd aliquis aſſentiatur obiecto fidei, non ſufficit habitus inclinans ad tale obiectum: ſed requiritur intelligibile illud præſentari intellectui, & aliud inclinans per informationem, & doctrinam ad aſſentiendum obiecto fidei. Habitus ergo fidei nonnihil facit, imò multa facit, cùm habuerit alia, quæ requiruntur; quia cum illis poteſt cooperari ad actum credendi cùm vult, & ita poteſt illo vti cùm voluerit, additis aliis requiſitis. Qualiter autem cooperatur ad actum, ſiue ad modum actus, ſiue ad ſubſtantiam actus, dicitur in lib. 3. in materia de Habitibus *.

* diſt. 23.

Ad 2. confirmationem.

Ad aliam confirmationem, cùm dicitur quòd intellectus poteſt Geometricare, & intelligere concluſiones Geometriæ occurrentibus phantaſmatibus earum: ergo & ſimiliter de credentibus.

Diſcrimen inter habitum ſupernaturalem, & acquiſitum.

Dico quòd non eſt ſimile hinc & inde, quia intellectus ſolùm in lumine naturali, ſine quocunque alio habitu ſupernaturali, ſiue infuſo, poteſt intelligere concluſione Geometriæ, quia poteſt apprehendere terminos, & videre neceſſariam habitudinem eorum; quia habitus ex quo generatur ex actibus, ſequitur neceſſariò notitiam terminorum principij, & illarionis neceſſariæ concluſionis, quæ eſt euidens ex ſe. Ideò habitus iſte non eſt neceſſarius omnino, quia termini naturaliter includunt principij notitiam, & eam oſtendunt intellectui naturaliter. Illatio autem concluſionis ex principio omnibus eſt euidens. Primò ergo lumine naturali intellectus poteſt acquirere notitiam concluſionum cum habitu, & ſine habitu: ſed termini articulorum fidei, vt huius, *Deus eſt trinus*, non oſtendunt talem euidentiam huius complexionis; imò verò oppoſitum oſtendunt, niſi homo aliter eleuetur: & quantumcunque infundatur habitus fidei ad credendum, niſi occurrat aliud inclinans intellectum ad aſſentiendum, hîc non eliciet actum credendi circa iſtud.

Ad tertiam.

Ad tertiam confirmationem, dico quòd puer baptizatus aliter ſe habet ad actum credendi cùm peruenit ad vſum liberi arbitrij, quàm non baptizatus; quia cæteris paribus, & omnibus neceſſariis concurrentibus, certiùs, vel meliùs, vel faciliùs, vel aliquo alio modo aliter crederet, quàm alius. Si dicas vnde probatur iſtud? Reſpondeo, hîc iam dixi quòd non poteſt habitus ſupernaturalis probari ineſſe per aliquem actum eius; credo tamen fidem cooperari ad actum credendi, ſicut credo ipſum ineſſe. Ad quid autem oporteat fidem ponere in homine dicetur in tertio *.

* diſt. 23. & ſeqq.

Ad argum. ſecundum.

Ad aliud argumentum dicitur quòd priùs coniungitur per fidem parentum, quàm per fidem propriam. Contrà: pono quòd omnes in Eccleſia parentes ſint hæretici, & etiam ipſe baptizans, dummodò tamen in actu illo intendat facere quod Eccleſia facit, & quod Chriſtus inſtituit; adhuc baptizatus recipit gratiam; per quid ergo coniungitur? Dico quod paſſio Chriſti eſt meritoria cauſa primæ gratiæ in paruulis, & coniunctionis eorum ad Deum; & ideò ante primam gratiam non oportet quærere priorem coniunctionis cauſam, nec actum, nec habitum, nec aliquid aliud in ratione coniungendi, niſi paſſionem Chriſti tanquam cauſam meritoriam cuiuſlibet coniunctionis primæ.

SCHOLIVM II.

Reiecta ratione aliorum, reſoluit, puerum in vtero non poſſe baptizari, quia non poteſt aqua tangi; ſi tamen caput apparuerit, baptizari poteſt: ſi verò pars minùs principalis apparuerit, baptizandus eſt, ſed poſtea, ſi ſuperuixerit, ſub conditione rebaptizandus, vt habet Doctor hic in ſcripto Anglicano, vbi etiam ait puerum de ponte deiectum in aquam non eſſe baptizatum: quod tenent Richard. hic art. 4. quæſt. 2. Palud. d. 6. quæſt. 1. art. 3. Marſ. 4. quæſt. 4. art. 4. dub 8. Soto diſt. 3. quæſt. vnic. art. 8. fin. Syl. verbo Baptiſmus 4. §. 10. *& 5. §. 1. Ang. & ſummiſtæ ibi. Ratio eſſe poteſt, quia talis proiectio non cenſetur lotio. ſimiliter infrà d. q. 3. ait Doctor non licere ſic puerum proijcere, neque puerum baptizari. Sententia contraria Caietani meritò ab omnibus reprehenditur. Vide infrà Scholium 4. d. 5. q. 3.*

Ad

7. AD tertiam quæſtionem, dicitur quòd paruulus non poteſt baptizari in vtero matris ſuæ; quia ſic eſt coniunctus cauſæ ſuæ corruptionis; ſed coniunctum cauſæ corruptiuæ non poteſt mundari dum illi coniungitur; ergo, &c.

Impugnatur opinio Petri de Tarantaſ.

Contrà: ſi iſto modo caro infecta inficit animam, caro matris non eſt cauſa corruptionis peccati originalis in paruulo, niſi mediata; caro autem paruuli eſt cauſa immediata iſtius corruptionis, quia anima cùm ſtatim animat eam, inficitur & contrahit peccatum illud ex ea, extra autem vterum matris coniungitur anima paruuli ſuæ carni; ergo ſi paruuli non poſſunt baptizari, quia coniunguntur cauſæ corruptionis ſuæ, cùm ſic coniungantur illi cauſæ extra ventrem ſuæ matris, nunquam poſſent paruuli baptizari.

In vtero poteſt quis baptizari flamine, & ſanguine.

Item, ſi ſit puer in vtero matris, poteſt baptizari Baptiſmo ſanguinis; ergo ſimiliter Baptiſmo fluminis facto in aqua. Antecedens patet, quia ſi mater pro fide interficiatur, eodem modo moreretur pars eius, quæ eſt in ipſa, ſicut ipſa: & ita pars eius, quæ eſt in vtero eius, ac ſi eſſet extra. Non autem videtur verum quòd ſi moreretur pro fide extra, damnetur; ergo, &c.

Item, per iſtam cauſam nullus poteſt baptizari in vtero matris ſuæ; ergo nullus poteſt ſanctificari in vtero matris, conſequens eſt falſum de Virgine matre Dei, de Ioanne, & Ieremia, & Anna. Conſequentia patet, quia vbi eſt eadem cauſa, ibi eſt idem effectus.

Item, licèt paruulus in vtero matris ſuæ non diſtinguatur localiter ab ea, tamen diſtinguitur perſonaliter ab ea, quia habet aliud corpus, & aliam animam; ſed perſonæ alietas ſufficit ad hoc vt ipſum per ſe, & diſtinctè recipiat peccatum; ergo non obſtante coniunctione locali ad cauſam ſuæ corruptionis, poteſt ſufficienter baptizari.

8. Reſpondeo ergo, quòd puer in vtero, & non natus, aut ſecundùm aliquam partem eius eſt extra vterum, aut ſecundùm nullam. Si ſecundùm nullam partem eius, dico quòd non poteſt baptizari; & ratio eſt, quia Baptiſmus eſt materialiter ablutio corporis exterior, & ideò oportet baptizatum neceſſariò ablutum eſſe, & tangi aqua, aliter non eſſet Baptiſmus. Vnde ſi puer inuoluereretur in corio, & immergeretur in puteo, puer non eſſet baptizatus, quia non eſt ablutus, & per conſequens Baptiſmus non eſſet verum ſignum, & ſignatum, quod ſignat, eſt ablutio animæ interior, & per gratiam inuiſibilem; & ideò ſi ſignum non ſit ablutio corporis exterior per applicationem aquæ ad corpus, eſt ſignum falſum, quod eſt inconueniens. Si autem aliqua pars pueri nondum nati appareat extrà, aut illa pars ſic extrà apparens eſt pars principalis, aut minùs principalis, vt pes, vel manus. Si principalis pars, vt caput, ſic illa parte baptizata ſimpliciter baptizatur, nec eſt iterum rebaptizandus, quia in illa parte ſunt omnes ſenſus humani, & per conſequens quaſi totus homo. ſi verò pars illa ſit minùs principalis, & immineat periculum, baptizandus eſt ſecundùm illam partem, & ſupponendum eſt miſericordiam Dei ſupplere, quod defuit, nec eſt baptizandus poſtea plenè natus, niſi ſub conditione.

Deciſio quæſtionis.

Quare in vtero baptizari non poteſt.

Baptizata parte principali ſimpliciter baptizatur.

Parte minùs principali baptizata, nõ fit Baptiſmus certus.

9. Ad primam rationem dico, concedendo quòd donum Dei eſt perfectius, & quòd Deus poteſt animam ſanctificare, & mundare à peccato; ſed non poteſt ipſam mundare à peccato per Baptiſmum, quia adhuc non eſt capax ablutionis fiendæ in aqua, quæ neceſſariò requiritur ad Baptiſmum.

Ad argum. 1. quæſt. 3.

Ad aliud de manumiſſione, patet quòd puer in vtero matris non habet diſtinctam ſeruitutem à matre reſpectu dominij temporalis; & ideò manumiſſio vnius eſt manumiſſio alterius; quia tamen diſtinguitur à matre perſonaliter, ideò habet diſtinctionem ſufficientem ad diſtinctè recipiendum, & contrahendum peccatum originale ſicut mater. *Ad ſecũdum.*

Ad aliud, concedo quòd ſi arbor ſancta ſimiliter fructus eius eſt ſanctus, inquantùm eſt aliquid corporis, non inquantùm diſtinguitur. Vnde non ſequitur, ſi fructus ſit dulcis & mollis, ergo ſimiliter & arbor; quia radix & arbor poſſunt eſſe duræ, fructu exiſtente molli. Nunc autem paruulus ſufficienter diſtinguitur à matre ad hoc, vt ſit ſubiectum peccati, quia perſonaliter diſtinguitur ab ea; & ideò non ſequitur quòd ſi ipſa mundaretur, quòd ſimiliter ipſe ſit mundus. *Ad tertium.*

QVÆSTIO IV.

Vtrùm adultus non conſentiens poſſit recipere Sacramentum Baptiſmi?

Alenſ. 4. *part. quæſt.* 18. *membro* 1. D. Bonauent. *hic* 1. *part. art.* 2. D. Thomas 3. *part. quæſt.* 68. Richardus *diſt.* 6. *art.* 2. *quæſt.* 3. Palud. *quæſt.* 2. Durand. *quæſt.* 7. Suar. 3. *tom. diſp.* 14. *ſect.* 2. Vaſquez *d.* 57. Scotus *hic quæſt.* 4.

CONSEQVENTER quæritur de Baptiſmo in comparatione ad adultos, & primò: *Vtrùm adultus non conſentiens poſſit recipere Sacramentum Baptiſmi?* Arguitur quòd non: nullus diſſentiens contrahit matrimonium carnale; ergo nec matrimonium ſpirituale. Antecedens eſt manifeſtum. Conſequentia patet, quia matrimonium ſpirituale contrahitur magis actu ſpirituali interiori, quàm matrimonium carnale; in Baptiſmo autem contrahitur quoddam matrimonium ſpirituale, quia anima tunc primò deſponſatur Deo, abnegando Diabolo, & pompis eius, & Deo per votum ſe firmiter, & inſeparabiliter coniungendo; ergo, &c. 1. *Argum.* 1.

Item, magis nocet baptizato malitia ſua, quàm malitia miniſtri baptizantis; ſed in miniſtro baptizante neceſſariò requiritur intentio baptizandi: ergo in baptizato intentio baptizari; non ergo poteſt inuitus baptizari. *Secundum.*

Item, Auguſtinus, & in litera ponitur, ſicut patrini reſpondent pro paruulis, quando baptizantur, ita & adultus reſpondere debet pro ſe; ſed ſi patrini non conſentiant Baptiſmo paruuli, non eſt baptizatus: ergo ſi adultus inuitè recipit Baptiſmum, non eſt baptizatus. *Tertium.*

Item, in Baptiſmo fit quoddam votum ſpirituale, per quod anima obligatur: ſed nullus inuitus, vel diſſentiens vouet ſe, vel obligat ſe alicui. *Quartum.*

Contrà: *extra de Bapt. & eius effectu cap. Maiores*; quilibet non inuitus recipit effectum Baptiſmi, & ratio ſubditur *ibidem*; quia Baptiſmus ſemper ſuſcipitur, quando obex contrariæ voluntatis non inuenitur: ergo furioſi & dormientes tunc baptizati verè recipiunt, licèt nom conſentiant, & cogendi ſunt viuere ſecundùm legem Chriſtianam. *Ratio ad opp.*

SCHO

SCHOLIVM.

Primum dictum, Adultus, qui nunquam eſt vſus ratione, baptizandus eſt ſicut paruuli. *Secundum*: ſi aliquando vſum rationis habuit, & nunc non habet, ſperatur tamen quòd habebit, expectandum eſt lucidum interuallum. *Tertium*; ſi ante priuationem vſus rationis diſſenſit, nihil accipit ſi in amentia baptizetur, ſecus ſi ante voluit. *Quartum (contra literam)* ſi negatiuè ſe habuit tempore vſus rationis, nec conſtat voluiſſe, aut noluiſſe, baptizandus eſt. *Quintum*, actualiter diſtractus validè baptizatur, quia ſufficit virtualis intentio. *Vide Doct. diſt. 6. quæſt. 4. de triplici intentione, & 2. diſt. 41. requiri autem aliquam intentionem habetur ex cap.* Maiores, *de bapt. & Arauſ. I. cap. 12. & Carthag. III. cap. 34. Vnde Caiet. 3. part. quæſt. 68. art. 7. rectè reprehenditur, quòd nullum baptizati conſenſum requiri dicat. Sextum*, Baptiſmus datus ſimpliciter inuito non tenet; ſecus ſi ex metu accipiatur.

2. *Adultus qui nunquã vſus eſt rationis, vt paruulus cẽſetur.*

REſpondeo ad quæſtionem, diſtinguendo ex parte vtriuſque termini poſiti in quæſtione, & ex parte adulti, & ex parte conſenſus eius. Nam adultus aut eſt talis, quòd non vtitur ratione, nec aliquando vſus eſt; aut eſt talis, quòd non vtitur ratione, aliquando tamen vſus eſt, & habet lucida interualla, aut actualiter vtitur ratione. Si non vtitur ratione, nec vnquam vtatur ea, tunc iudicandum eſt de tali, ſicut de paruulo, quòd ſcilicet recipit Sacramentum, & rem Sacramenti; ſi enim furioſus, vel ſtultus à principio natiuitatis ſuæ cogitur ad Baptiſmum, recipit Baptiſmum, quia in eo non inuenitur obex contrariæ voluntatis.

Sed éſtne talis baptizandus? Multa enim ſiunt, quæ non licent. Reſpondeo, ſi de tali ſit ſpes ſanitatis aliquando recuperandæ, vel ſi aliquando habeat lucida interualla, & vſum rationis, expectandum eſt vſque ad illud tempus, quo vtitur ratione, propter reuerentiam Sacramenti: & ideò baptizans talem dum in eo modo fuerit, ſi ſpes ſit de eius conualeſcentia aliquando, peccat; quia adminiſtranda ſunt Sacramenta cum reuerentia debita ne vileſcant. Si autem per certa indicia non ſit ſpes de ſanitate eius, nec de vſu rationis aliquando habendo, tunc poteſt licitè baptizari, ſicut & paruulus, quia nulli præcludit Deus viam ad ſalutem.

Adminiſtrãda ſunt Sacramenta cũ reuerentia.

3. De alio membro, vt de illo, qui non vtitur ratione, aliquando tamen vſus eſt, vt eſt dormiens, vel furens, dico quòd talis eſt non conſentiens, & non diſſentiens. *Non conſentire* enim dicitur dupliciter, vno modo purè negatiuè, vt quando voluntas non eſt in actu ſuo reſpectu alicuius. Alio modo accipitur contrariè pro *diſſentire*. Non conſentiens primo modo, vt in dormiente, vel amente, non magis inuenitur obex contrariæ voluntatis, quàm in paruulo. Non conſentiens autem ſecundo modo, id eſt, diſſentiens, poteſt intelligi dupliciter, vel actualiter, vel habitualiter; diſſentiens autem actualiter non habet locum in propoſito, quia non vtens ratione poteſt diſſentire actualiter; ſi autem accipitur *diſſentire* habitualiter, diſtinguo; aut ille, qui ſic diſſentit habitualiter, & non vtitur ratione, priùs tamen quando habuit vſum rationis, diſſentit actualiter, & tunc niſi interueniret motus voluntatis contrarius, iudicari debet ſimpliciter diſſentiens, ac ſi actualiter diſſentiret: quia ex quo quando habuit vſum rationis, & diſſenſit actualiter, & poſt non interuenit aliquis motus contrarius voluntatis, ſignum eſt quòd ſi tunc etiam vteretur ratione, quòd etiam tunc diſſentiret. Et de tali dico quòd ſi immergatur in aqua, quòd nec recipit Sacramentum, nec rem Sacramenti; ſicut nec vtens ratione, ſi diſſentiret actualiter, nihil reciperet: & de tali credo, ſi ſic diſſentiens habitualiter baptizaretur, quòd aliàs eſſet baptizandus cùm rediret ad vſum rationis propter rationem iam dictam. Alio modo diſſentiens habitualiter ex diſſenſu actuali, quem habuit, cùm vtebatur ratione, habet motum contrarium voluntatis prioris diſſenſus. Et de illo dico ſicut de furioſo habente lucida interualla, quòd ſi baptizetur, recipit Sacramentum & rem Sacramenti.

Non conſenſus eſt duplex.

Diſſenſus duplex.

Furioſus qui quandoque vſus eſt rationis quomodo ſit baptizandus.

4. De tertio, qui habet vſum rationis actualiter, & tamen non conſentit, diſtinguendum eſt ſicut priùs de *non conſentire*, quia poteſt accipi negatiuè, aut contrariè pro *diſſentire*; diſſentire autem contingit dupliciter, vel ſimpliciter, vel ſecundùm *quid*. Diſſentire ſimpliciter alicui eſt ſimpliciter illud nolle, & eſt ratio inuoluntarij ſimpliciter. Diſſentire autem ſecundùm *quid* alicui, non eſt ſimpliciter nolle illud: ſed ſi nihil eſſet præſuppoſitum ſimpliciter, nollet illud, & ideò eſt ſimpliciter voluntarium, & ſecundùm *quid* inuoluntarium, ſicut proiicere merces in mare, eſt ſimpliciter volitum, & voluntarium, ſupponendo quòd non poteſt aliter ſaluare ſe à ſubmerſione, quod eſt ſimpliciter voluntarium; ſecundùm *quid* tamen eſt inuoluntarium, quia quantùm eſt ex ſe, non eſſet volitum, quia nullus eligit abſolutè hoc facere; ſed quia hoc facit per libertatem, & per conſequens non coactè, qua libertate dominatur actui proiectionis, ideò eſt ſimpliciter voluntarium. Illud enim eſt ſimpliciter voluntarium, & ſecundùm *quid* inuoluntarium, quod eſt ſimpliciter volitum quodam effectu ſimpliciter nolito præſuppoſito.

Inuoluntarium ſimpliciter, & ſecundùm quid voluntarium.

5. Ad quæſtionem dico, adultus ratione vtens, vel ſimpliciter diſſentit ſuſceptioni Sacramenti, ita quòd ſimpliciter nollet fieri aliquid circa ipſum, quod Eccleſia intendit facere, & ipſum baptizatum eſſe, eſt ſibi ſimpliciter inuoluntarium; tunc dico quòd nihil recipit, vt dicetur poſt, maximè ſi diſſentiat, vel reclamet, vel diſſentit ſecundùm *quid*, vt propter minas, & timores, aut pœnas infligendas, propter quas baptizatur, & niſi illæ eſſent, nullo modo baptizaretur. Vtrumque iſtorum membrorum eſt ſubdiſtinguendum vlteriùs, quòd diſſentire ſimpliciter contingit dupliciter, aut cum ſigno exteriori & reclamatione, aut ſine tali ſigno. Diſſentire autem eum ſigno, contingit dupliciter, aut reſpectu ſigni exterioris, vt ablutionis ſacramentalis in aqua cum verbis, aut reſpectu effectus interioris, vt gratiæ inuiſibilis, cum ſigno exteriori.

Reſolutio quæſtionis.

6. De iſtis dico per ordinem. Et primò quòd diſſentire negatiuè, id eſt, non conſentire actualiter, non prohibet in adulto ſuſceptionem Sacramenti, quia Deus non obligat aliquem ad nimis difficile, vel impoſſibile. Nimis difficile eſt, vel forrè impoſſibile, aliquando non diſtrahi, quia *non eſt in poteſtate noſtra* ſecundùm Auguſtinum, *quin viſis tangamur*, & ideò licèt ſic aliquis actualiter non conſentiat in recipiendo Sacramentum aliquod, quia eſt diſtractus, ſic quòd tunc

Diſtractus non impedit Sacramenti ſuſceptionem.

Aug. 3. de lib. arb. c. 25.

tunc actualiter non cogitat de eo; verè tamen recipit Sacramentum, & rem Sacramenti, ſi non obſtet aliquod impedimentum. Quia etſi Sacerdos in conficiendo Euchariſtiam, ſit diſtractus, verè tamen conficit, ſi in principio, quando iuit ad altare, habuit intentionem conficiendi, etiam ſi pòſt diſtractus fuerit in ipſis verbis conſecrationis, dummodò plenè, & diſtinctè exprimat ea.

De ſimpliciter inuito, qui diſſentit contrariè, non eſt differentia quantùm ad effectum interiorem, ſiue gratiam recipiendam, ſiue reclamet exteriùs, ſiue non. Quia ad hoc quòd aliquis recipiat Sacramentum, oportet quòd habeat aliquem actum voluntarium ſuſcipiendi ipſum: diſſentiens contrariè nullum talem actum habet; ergo non recipit Sacramentum.

7. *Conſentiens actu exteriori, & diſſentiens Sacramento actu interiori ſimpliciter eſt ab Eccleſia compellendus.*

Sed differentia eſt quantùm ad iudicium Eccleſiæ, nam ſimulans ſe recipere Baptiſmum, & tamen diſſentiens Sacramento actu interiori ſimpliciter, dummodò non manifeſtetur ſigno exteriori, vt reclamando non contradicat, vel ſic diſſentiat, iudicatur ab Eccleſia hoc Sacramentum recepiſſe. Et ideò per cenſuram Eccleſiaſticam compelli habet, vt de facto fiat verus Chriſtianus, ſicut patet de conſentiente in matrimonium alicuius coram Eccleſia, voluntate ficta, quòd compelli habet ab ea, vt conuertat voluntatem fictam in voluntatem veram, ad conſentiendum veraciter, cui tamen conſentiebat priùs fictè. Si autem ſit omnino diſſentiens, & reclamans cum ſigno exteriori, nihil recipit, nec ſecundùm vnitatem, nec ſecundùm iudicium Eccleſiæ.

8. *Quomodo cõſentiens ex metu ſit baptizatus.*

Si autem aliquis conſentiat ſecundùm *quid*, quia propter minas & terrores, ſimpliciter conſentit, quia præeligit non pati, quàm ſimpliciter diſſentire. Diſtinguo, aut tantùm conſentit in actum exteriorem, vt in ablutionem aquæ tantùm, & diſſentit effectui Sacramenti, & ablutioni interiori; & tunc dico quòd nihil accipit, nec Sacramentum, quia idem eſt de eo, & de permittente ſe iocosè immergi in aqua; non autem omnis immerſio in aqua eſt Baptiſmus: nec rem Sacramenti recipit, quia reſpectu illius diſſentit, & ita nihil recipit, quo adſcribatur familiæ Chriſti; & per conſequens non recipit characterem; vnde talis aliàs eſſet baptizandus ad ſalutem, poſt fictionem. Si autem non tantùm conſentit in actum exteriorem propter tales minas, & flagella, ſed etiam in effectum Sacramenti interiùs ſuſcipiendum, conſentiens omni illi quod Eccleſia intendit facere circa ipſum, interius tamen diſcredens, vel non credens illi quod faciunt, dico quòd recipit Sacramentum, & characterem, licèt non recipiat rem Sacramenti, vt gratiam: talis enim ſimpliciter conſentit voluntariè in effectum Sacramenti per actum liberum voluntatis, cuius actus eſt dominus, nec reſpectu iſtius poteſt cogi, non tamen recipit gratiam, quia non credit Sacramentum & characterem; & ideò non eſt rebaptizandus, ſed cogendus ad dimittendum fictionem. Exemplum huius eſt, ſi aliquis non credens aliquid poſſe fieri circa eum per artem magicam, permitteret magum, tamen exercere illam circa eum, vt obtineat quod deſiderat, dicens in corde ſuo, non confido in iſtis, ſed valeant quantum valere poſſunt, ſi talia magica habent virtutem in ſe tribuendi ſibi hoc, quod optat, conſequeretur per illam intentum ſuum, licèt non plenè conſentiens ei. Ita eſt in propoſito.

Quomodo quis recipere poteſt Sacramentum, & characterem, & non rem Sacramenti.

Patet ergo quomodo Baptiſmus eſt hominis non inuiti, & quòd non conſentiens contrariè poteſt recipere Baptiſmum.

9. *Ad primum principale. Baptiſmus dicitur adoptio ſpiritualis.*

Ad primum principale, dicendum quòd licèt Baptiſmus aliquo modo poſſet dici matrimonium ſpirituale, propriùs tamen poteſt dici adoptio ſpiritualis, quia paruulus propriè non poteſt dici contrahere matrimonium cum Deo, quia non habet vſum rationis, qui requiritur ad omnem contractum, ſed potiùs adoptatur à Deo in filium, & in adoptione ſufficit ſolus actus adoptantis, etiamſi nullum habeat adoptatus.

Ad ſecundũ. Non requiritur tanta intẽtio in ſuſcipiente quãta in miniſtro.

Ad ſecundum, dico quòd malitia poteſt eſſe in miniſtro, inquantùm miniſter, & in malè miniſtrando Sacramentum, vt non benè credens, vel non cum intentione: & hæc malitia in miniſtro impedit Sacramentum conferri ab eo, & magis quàm malitia moris in ſuſcipiente Sacramentum, quia in ipſo ſufficit non diſſentire, vel non inuitè recipere huiuſmodi Sacramentum.

Alia poteſt eſſe malitia moris, quia eſt in peccato mortali, & hoc non impedit conferri Sacramentum, quia non baptizat inquantùm bonus, vel malus præcisè; quia vterque ſalua intentione Eccleſiæ poteſt baptizari. Patet de hæretico, & ita patet illa minor quomodo malitia miniſtri impedit, & quomodo non.

Sacramẽtum confertur à bono, & malo.

Ad tertium.

Ad tertium, dico quòd verum eſt, conſuetudinem Eccleſiæ eſſe, nullum adultum baptizare, niſi reſpondeat ſe conſentire illi Sacramento, ſi tamen fureret, vel dormiret, & non ſic reſponderet pro ſe, nihil minùs reciperet Sacramentum, ſi priùs antè non diſſenſit, nec pòſt antequam compleatur miniſterium Baptiſmi circa ipſum, intercidit in ipſo diſſenſus, & motus contrariæ voluntatis.

Vnde etſi Eccleſia non baptizaret adultum, niſi reſpondeat pro ſe, tamen ſi faceret in iſtis caſibus, & conſimilibus, factum eſſet, & reciperet Sacramentum.

Ad quartum.

Ad aliud, dicendum quòd ſi adultus baptizatus de facto voueat renunciare Diabolo, & pompis eius, non tamen eſt illud votum de eſſentia, vel neceſſitate Sacramenti, ſed pertinet tantùm ad eius ſolemnitatem. Poteſt enim Baptiſmus ſine tali voto exteriori conferri, licèt quilibet baptizatus teneatur interiùs ad fidem Eccleſiæ firmiter obſeruandam.

QVÆSTIO V.

Vtrùm adultus fictus recipiat effectum Sacramenti?

Alenſ. 4. *part. quæſt.* 18. *membro* 2. *art.* 1. *&* 2. D. Bonauent. *hic* 1. *part.* 2. *quæſt.* 2. Richard. *art.* 1. *quæſt.* 2. D. Thomas 3. *part. quæſt.* 69. *art.* 9. Vaſquez 3. *part. diſp.* 158. Scotus *in* Oxon. *hic quæſt.* 5.

1. SECVNDÒ quæro de adulto in comparatione ab Baptiſmum, *vtrùm adultus fictus recipiat effectum Sacramenti Baptiſmi?*

Argumẽtum primum.

Arguitur quòd ſic, ad Gal. 3. *Quotquot eſtis baptizati, Chriſtum induiſtis*: ſed Chriſtus non eſt in aliquo vt indumentum in induto, ſine gratia; ergo, &c.

Secundum.

Item, ſi fictus baptizatus non recipiat gra-

tiam; ergo recedente ab ipso fictione, oportet ipsum baptizari, ad hoc vt recipiat gratiam, & effectum Baptismi: consequens falsum, patet in Decret. 1. quæst. 1. cap. *Sicut fictis*, & auctoritatibus Sanctorum in litera.

Consequentia probatur, quia si aliquis fictus recipiat Sacramentum Pœnitentiæ, & absolutionem talem sine gratia, oportet ipsum iterum pœnitere, & absolui de illa fictione, ad hoc vt gratiam recipiat, & effectum Sacramenti.

Tertium. Item, effectus Baptismi est expulsio peccati: aut ergo peccati, quod infuit priùs, & hoc non: quia non remanet expellendum, nec indiget expellij; aut peccati, quod inest, & hoc non: quia si expellat peccatum, quod modò inest, ergo nullum peccatum quod inest, potest impedire effectum Sacramenti Baptismi, nec ergo fictio impediet effectum Sacramenti, non enim impediret nisi quia est peccatum.

Ratio ad opp. August. Oppositum vult Augustinus de pœnit. cap. 2. & patet in litera. *Omnis qui iam sua voluntatis arbiter constitutus est, cùm accedit ad Sacramentum fidelium, nisi pœniteat eum veteris vitæ, nouam non potest inchoare.*

Item, de Baptismo paruulorum dicit Augustinus. *Tunc valere incipit Baptismus ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia perseuerante peccatorum ablutionem non sinebat fieri:* ergo illa fictio impediebat ablutionem in Baptismo, & per consequens gratiam.

SCHOLIVM.

Primum dictum: fingens se dispositum, id est, pœnitentem de peccatis commissis, accipit Sacramentum, sed non gratiam. Trident. sess. 6. cap. 6. August. de fide & operibus, cap. 4. & 5. Carthag. IV. cap. 85. Aquisgran. I. cap. 114. Dionys. de Eccles. hier. cap. 2. Nazian. orat. in S. Lauacrum. Secundum, recedente fictione, gratia Baptismalis per Deum, non per characterem causatur. Tertium; recedente fictione peccatum actualis fictionis, & præcedentia, per Baptismum, reliqua omnia peccata per pœnitentiam remittuntur; & gratia tunc data vtrique partialiter correspondet. Vide Scholium in Oxon. hìc num. 4. de eo quod ait Doctor dari pœnitentiam de vno peccato, & non de omnibus simul.

2. Quia fictus dicitur. Fingens se dispositū accipit characterem tantùm. RESpondeo, dicitur fictus, qui prætendit aliquid exteriùs, quod non habet interiùs, & ideò talis accedens, prætendens se esse dispositum ad gratiam suscipiendam, & non est dispositus, propter peccatum mortale fictionis, de quo non conteritur, recipit Sacramentum & characterem; quia Deus noluit hoc Sacramentum esse reiterabile, nè facilitas veniæ, & copia indulgentiæ, qualis est in hoc Sacramento, quia remittit tam culpam, quàm pœnam, præberet iter contemptui, & irreuerentiam Sacramento; non tamen dat gratiam, quia Sap. primo dicitur *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Sed effectus Baptismi est donatio spiritus; ergo non erit in ficto, & etiam quia neminem nolentem iustificat, secundùm illud Augustini; *quia qui fecit te sine te, non iustificat te sine te.* *August.*

Sed hoc videtur dubium: videtur enim quòd talis sit perplexus, nullus enim potest iustificari, nisi per gratiam baptismalem. Si ergo fictus non recipiat illam, dum baptizatur, nunquam iustificabitur, & ita nunquam saluabitur.

Recedente fictione gratia Baptismi quomodo, & à quo causabitur. Respondeo quòd fictione recedente statim recipit gratiam baptismalem, quam etiam recepisset in Baptismo, nisi obex fictionis tunc infuisset; non quia character impressus in baptizato aliquid disponat, vel agat ad susceptionem gratiæ, vt dicit Richardus *, sed Deus ex eadem pactione, qua assistit suo signo efficienti, ad conferendum gratiam, si fictio tunc temporis non infuisset, eadem confert gratiam fictione recedente, quod fuit impedimentum quare gratia non infuit.

* *Rich.* vbi supr. in princip. quæst.

Replica. Sed tunc videtur quòd illa gratia non sit collata virtute Sacramenti Baptismi, sed virtute Sacramenti Pœnitentiæ, qua cessat fictio; fictio enim illa impediens effectum Baptismi, aut cessat post Baptismum per Pœnitentiam, aut non? si cessat per Pœnitentiam, ergo qua ratione, & vnum peccatum per pœnitentiam cessat, & omne, quia vnum non potest deleri sine alio, quia secundùm Augustinum, *Impium est à Deo dimidiam sperare veniam.*

Aug. de vera & falsa pœnit. c. 9. Hieron in c. 3. Isai. post med. & epist. de Virg. seruanda, ante med.

Non potest dici quòd cessat sine pœnitentia, quia post Baptismum non deletur aliquod peccatum, nisi per pœnitentiam, cùm sit *secunda tabula post naufragium*, secundùm Hieronymum.

3. Soluitur. Respondeo, quòd fictus potest habere multa peccata, & tamen non propter omnia est fictus; veniens enim ad Baptismum potest habere complacentiam de aliquibus peccatis, & displicentiam de aliis.

Attritio sufficit in recipiente Baptismum. Nec dicitur fictus respectu illorum peccatorum, de quibus conteritur, vel atteritur. Et dico *atteritur, vel conteritur*, indifferenter sumendo illa, quia non requiritur in veniente ad Baptismum vera displicentia de peccatis, sicut in veniente ad pœnitentiam, sed solùm attritio, scilicet non velle peccare. Si ergo sit fictus respectu omnium peccatorum mortalium, quæ habet, quia de nullo atteritur, recedente fictione per confessionem, & pœnitentiam peccata dimittuntur, virtute præcedentis Baptismi, & quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnam. Si autem sit fictus propter vnum peccatum, & de omnibus aliis attritus recedente fictione istius vnius, per confessionem delentur omnia alia virtute Sacramenti, & gratiæ baptismalis, quæ tunc infunditur, quæ etiam infusa fuisset in receptione Baptismi, nisi fictio infuisset; & ideò sicut in principio expulisset omnia, & quantùm ad pœnam & culpam, eodem modo, eademque virtute hoc facit cessante fictione, de qua pœnitere oportet, & specialiter confiteri.

Quomodo se habet fictio ad Baptismū & ad pœnitentiam.

Baptismus modo nobiliori remittit omnia peccata, quàm pœnitentia. Quando ergo dicis quòd per pœnitentiam non potest vnum peccatum remitti, vel deleri sine alio; dico quòd hoc verum est, quantùm est ex se, quia quantùm est ex se ita dimitteret omnia sicut vnum, sed non est verum quando alia causa potentior præuenit, sicut est de Baptismo, qui præuenit Pœnitentiam, & omnia peccata præcedentia ipsum nobiliori modo remittit, quàm pœnitentia, & quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnam.

Replica. Dices, ergo fictus, cui sic dimittuntur peccata, haberet lucrum ex fictione sua, quia omnia peccata sibi omnino dimittuntur post contritionem, virtute Baptismi, & gratiæ Baptismalis.

Solutio. Dico: quòd fictus non habet lucrum ex peccato suo, sed magnum patitur dispendium, quia quamdiu est fictus, amittit totum tempus, in quo

quo poſſet cum gratia meritoriè operatus fuiſſe, & ſuam gratiam augmentaſſe, quia de omnibus peccatis interuenientibus tempore commiſſis debet pœnitere, quia illa non auferuntur, niſi per pœnitentiam, non per Baptiſmum: quia Baptiſmus non habet efficaciam, niſi reſpectu peccatorum præcedentium, & ideò nihil eſt in illo tempore medio, ſed addidit peccata peccatis, de quibus oportet pœnitere eum.

4. *Ad primum principale. Omnes baptizati induunt Chriſtum, ſed alio, & alio modo.*

Ad primam rationem, dico quòd ficti baptizati Chriſtum induunt, quantùm ad characterem, & quantùm ad veſtem armigeri, non autem quantùm ad gratiam, vel veſtem nuptialem, vt filius; habet enim dominus diuerſos gradus in familia ſua, quia quidam attribuuntur familiæ ſuæ, vt filij, vt habentes gratiam, & quidam alio modo, & ſine veſte gratiæ, cuiuſmodi ſunt ficti, qui ſunt de familia ſua tantùm quantùm ad iudicium Eccleſiæ, quæ non iudicat de occultis, ſed de manifeſtis, quæ apparent.

Ad ſecũdum.

Ad ſecundum, dico quòd conſequentia non valet, Deus enim diſpoſuit vnum remedium in Eccleſia, quo quotieſcunque homo laberetur, & offenderet Deum, poſſet ſibi reconciliari, vt Sacramentum Pœnitentiæ.

Aug. de conſen. Euang. lib. 2. c. 4. *Pœnitentia eſt ſecunda tabula, & Baptiſmus prima naufragiorum dicuntur.*

Vnde quotieſcunque homo peccauerit, poteſt ſibi per Pœnitentiam reformari. Quærenti enim Petro *Matth.* 18. quoties dimitteret fratri peccatum? *Vſque ſepties?* Reſpondit, *non dico tibi vſque ſepties præcisè, ſed vſque ſeptuagies ſepties*, imò ſecundùm Auguſtinum, *vſque millies millies*, & hoc ideò quia pœnitentia eſt ſecunda tabula, contra ſecundum naufragium, & peccatum actuale; Baptiſmus autem eſt prima tabula contra primum naufragium, & peccatum originale quod tantùm eſt vnum, peccatum autem actuale eſt multiplex, & ideò prouidet Deus vt per vnum Sacramentum toties repararetur, quoties peccaret, nè omnino eſſet ſine adiutorio ad ſalutem.

Cur Baptiſmus non ſit iterabilis.

Noluit autem Deus Sacramentum Baptiſmi iterari, quia Baptiſmus imprimit aliquam indelebilem diſpoſitionem ad gratiam, vt characterem, qualem non imprimit abſolutio ſacramentalis, nè frequenter aſcriberetur familiæ ſuæ, & frequenter deleretur, & ſic facilitas & magnitudo veniæ pateret ad ruinam.

Ad tertium.

Ad tertium dico quòd vſque ad inſtans, quo datur effectus Baptiſmi per ipſum Baptiſmum delentur omnia peccata, quæ inſunt. Vnde non delet peccata illa, quæ inſunt pro illo inſtanti, pro quo ineſt effectus Baptiſmi, quia non ſtat cum illis, ſicut nec gratia cum peccato, ſed delet omnia peccata, quæ inſunt in toto tempore ante inſtans, quo datur gratia.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm baptizati Baptiſmo flaminis teneantur ad ſuſceptionem Baptiſmi?

Alenſ. 4. *part. quæſt.* 17. *membro* 6. D. Thomas 3. *part. quæſt.* 68. *art.* 9. *& hic quæſt.* 3. *art.* 3. Richardus *art.* 1. *quæſt.* 3. D. Bonauent. *diſt.* 6. 2. *part. art.* 1. *quæſt.* 1. Suar. 3. *part. tom.* 3. *diſp.* 31. *ſect.* 3. Scotus *in Oxon. hic q.* 7.

1. *Argum. negatiuum primum.*

CONSEQVENTER quæritur de Baptiſmo, vt reſpicit paruulos, & adultos communiter quæro; *Vtrùm baptizati Baptiſmo flaminis teneantur ad ſuſceptionem Baptiſmi?* Arguitur quòd non, quia non legitur de Apoſtolis, nec de Beata Virgine quòd fuerint baptizati.

Secundum.

Item, baptizati Baptiſmo ſanguinis, non tenentur baptizari Baptiſmo fluminis: ergo baptizati Baptiſmo flaminis, qui ampliùs ſunt iuſtificati, non ſunt baptizandi Baptiſmo fluminis.

Tertium.

Item, nullus tenetur fruſtrà recipere Baptiſmum; ſed iuſtificati fruſtrà recipiunt Baptiſmum, quia Baptiſmus non recipitur, niſi propter ablutionem animæ à peccato, iuſtificati non habent peccata, à quibus abluantur; ergo, &c.

Quartum.

Item, nullus tenetur iniuriari Sacramento, nec id falſificare; ſed iuſtificati recipientes Baptiſmum falſificarent ipſum. Cuius probatio eſt, quia Baptiſmus in eo, in quo eſt, ſicut quodlibet Sacramentum, eſt ſignum gratiæ conferendæ, iuſtificatus præhabet gratiam, & ideò in illo non poteſt eſſe ſignum gratiæ conferendæ, niſi eſſet ſignum falſum, ſcilicet gratiæ præhabitæ, quod eſt contra rationem Sacramenti.

Quintum.

Item, baptizati ante paſſionem Chriſti non tenebantur ad Circumciſionem; ergo nec è conuerſo iuſtificati per Circumciſionem tenebantur ad Baptiſmum.

Ratio ad opp.

Contrà Ioann. 30. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poterit introire in regnum cœlorum*, vbi tangit tam Sacramentum, quàm eius effectum, & vtrumque eſſe neceſſarium ad ſalutem.

SCHOLIVM.

Omnes quantumuis ſint ſancti, tenentur ad Baptiſmum, poſt eius promulgationem. Ratio, quia eſt præceptum vniuerſale. Apoſtolos fuiſſe baptizatos veriſimilius. Ita Auguſtinus epiſt. 108. *& 3. de orig. animæ, cap.* 9. *Referunt etiam Nicephorus ex Euodio, & Euthymius in* 3. *Luc. Chriſtum baptizaſſe Petrum, & à Petro baptizatos Andream, Iacobum, Ioannem, & ab his cæteros Apoſtolos, & à Petro, & Ioanne* 72. *diſcipulos. Baptiſtam fuiſſe baptizatum tenet Sotus diſt.* 5. *quæſt.* 2. *& Author imperfect homil.* 4. *in Matth. Indicat Hieronym. in* 3. *Matth. de Beata Virgine nihil aſſerunt; veriſimilius tamen eſt baptizatam fuiſſe, de quo nihil certum.*

2. *Reſolutio quæſtionis. Omnes etiam iuſtificatos teneri ad Baptiſmum probatur.*

DIco ad iſtam quæſtionem, quòd quantumcunque iuſtificati tenentur ad ſuſceptionem Baptiſmi; quod tripliciter probatur. Primò, quia lex, vel præceptum vniuerſale eſt de ſuſceptione Baptiſmi: ſed lex vniuerſalis omnes ligat, & obligat vniuerſaliter, ſi ſit per modum præcepti, etiamſi non exprimantur circumſtantiæ illæ ſecundùm quas ſtatuebatur; ergo cùm Baptiſmus cadat ſub præcepto, vniuerſaliter quantumcunque fuerit inſtitutus contra peccatum originale contractum in paruulis, & contra originale, & actuale, in adultis, quia tamen infertur per modum præcepti, nec excipit, ideò vniuerſaliter omnes ligat, vbi haberi poteſt.

Secundò.

Secũdò, vtilis eſt & neceſſaria cuilibet ſuſceptio Sacramenti Baptiſmi, propter effectus aliquos, qui non habentur ſine eo, vt propter repreſſionem fomitis, & augmentationem gratiæ, & charitatis. Nullus enim eſt viator, quantumcunque iuſtificatus, ſi ritè recipiat Baptiſmum, quin ei virtute Sacramenti conferatur maior gratia; & ideò videretur contemptus gratiæ, ſi

Duplex Baptiſmi vtilitas etiam in iuſtis.

quis posset per istum facilem actum recipere augmentum gratiæ, nisi se humiliaret ad susceptionem illius.

Tertiò. Tertiò, debent recipere hoc Sacramentum, vt adscribantur familiæ Christi, & fiant membra Ecclesiæ militantis, quo vt quodam signo distinguuntur à non famulis Christi, & non filiis Ecclesiæ. Nisi enim essent membra Ecclesiæ militantis, non possent aliquem actum in Ecclesia exercere. Quantumcunque ergo sint aliqui iustificati in via, siue in vtero sanctificati, siue aliquo alio modo, tenentur ad Baptismum suscipiendum, dum tamen nobiscum remanent viatores.

Baptizati sanguinis Baptismo qua ratione ad Baptismum teneantur. Hoc dico pro iustificatis per Martyrium completum, vt baptizati Baptismo sanguinis non tenentur ad Baptismum fluminis; si enim Baptismus sanguinis non sit completus, vt in illis, qui non moriuntur per Martyrium, sed nobiscum sunt vlteriùs viatores, cuiusmodi sunt illi, qui bis leguntur esse sancti confessores, eo quòd persecutiones, & pœnas pro fide Christi bis passi sunt, tales, inquam, qui sic iustificantur, & baptizantur Baptismo sanguinis, tenentur ad Baptismum fluminis, quia nobiscum, post vnam confessionem, remanent viatores.

3. *Ad primum principale. Beata Virgo, & Apostoli baptizati sunt.* Ad rationem in principio positam, dico quòd vna glossa super illud Ioann. 13. *qui lotus est*, videtur dicere Apostolos fuisse baptizatos, & Virginem Mariam, per consequens. Hoc videtur valde probabile, quia Christus noluit eos facere liberiores se ipso; ipsemet autem baptizatus est à Ioanne. In cœna fecit eos Sacerdotes, quia dedit eis potestatem conficiendi corpus, & sanguinem suum, *hoc quotiescumque*, &c. Similiter dedit eis potestatem absoluendi, & baptizandi, *quorum remiseritis*, & iterum, *Ite baptizantes omnes gentes.* Ista autem de congruo requirunt in conferente aliquid quo adscribatur familiæ Christi, & distinguatur à non familia Christi, quod est character Baptismatis.

Non enim est verisimile Apostolos prædicare aliquid aliis, quod ipsi in se ipsis noluerunt obseruare, quia Magister eorum priùs *cœpit facere, quàm facere.* Vel potest dici Christum dispensasse cum istis; quod non credo, quia hæc dispensatio ad nullam pertinet dignitatem.

Ad secundũ. Ad secundum, dico quòd, vt patet ex dictis, non est simile de Baptismo sanguinis, & flaminis.

Ad tertium. Baptismus auget gratiã iusti. Ad tertium, dico quòd iustificatus non frustrà recipit Baptismum, quia quantumcunque habet de gratia, ipsa sibi augetur in receptione Baptismi.

Ad quartum. Quamuis Baptismus non causaret gratiam, non inde est signum falsum. Ad quartum, dico quòd Baptismus est ablutio animæ à peccato, quando ipsa est abluibilis, & capax ablutionis; ergo etsi iustificatus non sit abluibilis, quantùm est ex se, à peccato per Baptismum, Baptismus tamen in eo non est signum falsum, quia signat gratiam inuisibilem, quæ infunditur iustificando in Baptismo, & signat, quantùm est ex se, ablutionem animæ à peccato.

Ad quintum. Ad vltimum, dico quòd iustificatus per Circumcisionem, non tenebatur ante passionem Christi, quando non diuulgabatur præceptum de Baptismo ad populum; sed postquam cadebat sub præcepto, tunc tenebatur, quantumcunque esset iustificatus priùs, quia tunc ligabat omnes, vt suprà * dictum est.

* dist. 3. q. 4.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm omnes baptizati æqualiter recipiant effectum Baptismi?

Alens. 4. *part. quæst.* 21. *membro* 3. D. Bonauent. *hic* 2. *part. art.* 2. *quæst.* 3. Richard. *art.* 3. *quæst.* 3. D. Thomas 3. *part. quæst.* 69. *art.* 8. Suarez, & Vasquez *ibi.* Palud. *hic quæst.* 1. Gabr. *quæst.* 2. *art.* 1. Bassol. *quæst.* 1. *art.* 3. Eckius *de Baptismo homil.* 13. Scotus *in Oxon. hic quæst.* 7.

ARGVITVR quòd sic; quia effectus Baptismi, vt gratia, magis dependet à conferente, quàm à suscipiente, quia effectus magis dependet ab agente; quàm à passo, & ideò requiritur intentio in ministro baptizante, & non suscipiente Baptimum necessariò; sed non est æqualitas effectus Baptismi, vt gratiæ, propter inæqualitatem conferentium, vt ministri boni, & mali; ergo nec propter inæqualitatem suscipientium. 1. *Argumẽtum affirmatiũ.*

Contrà: vnus effectus Baptismi, qui est remissio, vel extinctio fomitis, non est æqualiter in omnibus baptizatis. Patet ad sensum per experientiam. *Ratio ad opp.*

Item, actus actiuorum sunt in patiente prout disposito; sed non omnes sunt æqualiter dispositi per contritionem, & deuotionem ad susceptionem Baptismi; ergo, &c.

SCHOLIVM.

Æqualis est gratia Baptismi ex parte Dei, sed inæqualis esse potest ex parte suscipientis, dubitat an disposuerit Deus maiorem gratiam dare his paruulis, quàm illis, sed nihil asserit. Affirmant tamen Bassol. Gabr. & Eckius citati. Quòd ait fortè ex meritò parentum maiorem dari gratiam paruulis, loquitur de merito de congruo, & nihil asserit: asserunt tamen tres citati. Vide Eckium tom. 3. homil. de sancto Nicolao.

RESpondeo ad quæstionem, quòd cùm ad effectum Baptismi concurrant causa principalis, vt Deus, & causa meritoria, vt passio Christi, & suscipiens, æqualitas, & inæqualitas possunt attendi penes quodlibet istorum. Si enim attendatur æqualitas in effectu Baptismi penes agens principale, sic dico quòd effectus Baptismi est æqualis in omnibus, quia Deus in se æqualis disposuit hoc signo baptismali semper conferre æqualem gratiam, & æquale signatum, si alia sint æqualia. 2. *Ad effectum Baptismi tria concurrunt.*

Si attendatur penes causam meritoriam, sic potest esse inæqualitas; tenetur enim quòd Christus nouit scientia visionis (quæ est respectu futurorum) omnia quæ sunt in Verbo, & omnia quæ nouit Verbum, & ita nouit aliquos electos esse præuisos & prædestinatos ad maiorem gloriam secundùm aliquos, & ita potuit obtulisse passionem suam, vt causam meritoriam maioris gratiæ plus vni, quàm alteri, vt prædestinatis ad maiorem gloriam, quàm ad minorem. *Qua ratione effectus Baptismi dicitur æqualis, & qua non.*

Item, passio sua nunc exhibita magis meretur nobis, quibus iam exhibita est, quàm Patribus & Prophetis, quibus tantùm præuisa & prædicta erat aliquando exhibenda.

De suscipiente Sacramentum Baptismi distinguo, *Suscipientes Baptismum sunt indupliciter differẽtia.*

guo, quia vel ſunt paruuli, vel adulti? ſi paruuli, tunc dico quòd æqualis eſt effectus Baptiſmi in eis, quantùm eſt ex parte ipſorum. Parentes tamen eorum per modum meriti plus poſſunt mereri ſuo paruulo, quàm alij, quia ſunt meliores, & magis ſunt eorum opera à Deo accepta, quàm aliorum; ſicut fortè fuit de parentibus beati Nicolai, qui meruerunt ſibi fortè maiorem gratiam, quàm habuiſſet, ſi genitus fuiſſet ex aliis parentibns.

Quomodo paruuli inæqualiter poſſunt recipere hunc effectũ.

Si verò ſuſcipientes Baptiſmum ſint adulti, cùm tales habeant proprium motum voluntatis, non oportet quòd æqualiter recipiant effectum, ſed dico quòd ſecundùm magis, & minùs participant effectum Baptiſmi, ſecundùm quod magis, & minùs per opera propria ſunt diſpoſiti ad fidem & deuotionem.

3. *Ad argum. principale.* Ad rationem in oppoſitum, dico quòd effectus Baptiſmi magis dependet à miniſtro, vt ritè fiat illud, ad quod ſequitur, vt Sacramentum; quia in miniſtro requiritur intentio, quæ non requiritur in baptizato; ſed non magis dependet à miniſtro vt fiat effectus maior, vel minor per modum meriti, ſed à baptizato ſic magis dependet; quia ſecundùm eius diſpoſitionem maiorem, vel minorem ſi ſit adultus; vel parentum, ſi paruulus, confertur maior, vel minor gratia, & non propter minorem, vel maiorem diſpoſitionem ex parte conferentis, quia ſiue miniſter ſit bonus, ſiue malus, æqualiter poteſt eſſe effectus Baptiſmi in eis.

DISTINCTIO V.

De impedimento ex parte Miniſtri.

QVÆSTIO I.

Vtrùm malitia Miniſtri impediat effectum Baptiſmi, & an poſſit conferre verum Baptiſmum?

Alenſ. 4. *part. quæſt. 16. memb. 2.* D.Bonauent. *art. 2. quæſt. 1.* Richard. *art. 3. quæſt. 3.* D.Thom. 3. *part. quæſt. 64. art. 5. & 9.* Vaſquez *ibi. diſp. 137.* Suarez *diſp. 13. lib. 4.* Caſtro V.Baptiſmus *hær. 5. &* V.Poteſtas. Vvaldenſis 1. *tom. lib. 3. cap. 81. & 82.* Coccius 2. *tom. lib. 5. art. 6.* Scotus *in Oxon. hic quæſt. 1.*

1. *Argum. primum.* IRCA Diſtinctionem quintam, quæro, *Vtrùm malitia Miniſtri impediat effectum Baptiſmi, & an Miniſter malus poſſit conferre verum Baptiſmum?*

Arguitur quòd non. Ambroſius de catechizandis rudibus, dicit quòd *malus Sacerdos in conferendo Baptiſmum non ſanat.* Et hoc probatur tripliciter, primò per illud Pſalm. 31. *In diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.*

Secundum. Item, ſecundò per illud Apoſtoli ad Rom. 14. *omne quod non eſt fide, peccatum eſt.*

Tertiò ſecundùm eum ibidem, recipiens Sacramentum à tali, recipit ad iudicium, non ad ſalutem.

Tertium. Item, per rationem, membrum aridum non poteſt eſſe medium influendi vitam in alia membra; ergo non poteſt eſſe medium influendi alteri vitam per collationem Sacramenti.

Quartum. Item, in aqua requiritur aliqua ſanctificatio, vt ſit conueniens materia Baptiſmi; imò aliqua virtus ſupernaturalis (ſecundùm vnam opinionem) ſed Sacramentum Baptiſmi magis dependet à miniſtro, quàm à materia, vt aqua, ſicut effectus principalis eſt ab agente pluſquàm à paſſo; ergo magis requiritur ſanctitas in miniſtro, quàm in aqua; ergo, &c.

Quintum. Item, errans circa aliquem articulum fidei non eſt in via ſalutis, quia non habet infuſam fidem; nam error circa qualemcunque articulum fidei non ſtat cum fide infuſa, & per conſequens cum gratia, quia fides infuſa, ſaltem formata, non eſt ſine gratia.

Cyprianus. Sed Cyprianus Martyr dixit, quòd miniſter malus non dat verum Baptiſmum; ergo cùm fuit in via ſalutis, non errauit circa aliquem articulum fidei; veritas enim Sacramentorum reducitur ad aliquem articulum, vt ad illum articulum, *Eccleſiam Catholicam*; ergo non eſt de neceſſitate fidei credere quòd hoc Sacramentum miniſtretur tam à bono, quàm à malo, aliter erraſſet Cyprianus Martyr, & fuiſſet ſine gratia in via ad ſalutem.

Ratio ad opp. Oppoſitum apparet per multas auctoritates in litera. quære in Diſtinctione iſtà. Iuxta hoc quæratur,

QVÆSTIO II.

Vtrùm recipiens Baptiſmum à malo Miniſtro peccet mortaliter?

D. Thomas 3. *part. quæſt. 64. art. 6. & hic quæſt. 2. art. 2.* Richardus *art. 3. quæſt. 4.* Couarru. *cap.* Alma Mater. *part. 2. §. 2. num. 7.* Sotus *diſt. 1. quæſt 5. art. 6.* Suar. 3. *tom diſp. 11. ſect. vlt.* Scotus *in* Oxon. *hic q. 2.*

2. *Argumẽtum primum.* Ambroſ. ARGVITVR quòd ſic. Per Ambroſium, vbi ſuprà, qui vult, quòd Baptiſmus ab eis ſuſceptus cedit in iudicium, & non in remedium.

Secundum. Item, qui cooperatur peccanti mortaliter, peccat mortaliter; ſed recipiens à Miniſtro malo eſt huiuſmodi, quia non conferret niſi peteret; ergo, &c.

Tertium. Item, eſto quòd Sacerdos noluerit baptizare, niſi vendat aquam ſuam, in tali caſu adultus baptizatus videtur conſentire peccato, vel ſi deportet paruulum ſuum, vt baptizetur à rali.

Ratio ad opp. Oppoſitum de Conſecr. diſt. 4. cap. *Romanus*, dicitur in fine capituli, *Romanus Pontifex non attendit hominem, qui baptizat, ſed Deum, miniſtrare gratiam, etſi Paganus ſit, qui baptizat.*

Item, Auguſtinus ſuper Ioannem homil. 5. *Non abhorreat columba miniſterium malorum*, &c.

QVÆSTIO III.

Vtrùm aliquis tunc debeat miniſtrare hoc Sacramentum, quando præſumitur vergere in periculum illius, cui miniſtratur?

Richardus *hic diſt. 4. art. 4. quæſt. 3.* Palud. *hic quæſt. 1. art. 2.* Marſ. 4. *quæſt. 4 art. 4. dub. 8.* Soto *diſt. 3. quæſt. vnic. art. 8.* Sylu verbo Baptiſmus 4. §. 10. Suarez *tom. 3. diſp. 20. ſect. 3.* Valent. *tom. 4. d. 4. quæſt. 1 puncto 1.*

IVXTA hoc quæritur sine argumentis, quod alij diffusiùs proponunt: An aliquis debeat ministrare Sacramentum Baptismi, quando præsumitur baptizationem vergere in periculum vitæ corporalis eius, qui illam suscipit.

SCHOLIVM I.

Malitiam ministri non impedire valorem, vel effectum Sacramenti, modò ponantur materia, verba, & intentio. Ita omnes citati quæst. 1. Vide in Oxon. Scholium hîc quæst. 1.

Decisio quæst. prima.

AD primam quæstionem dico, quòd Sacramentum potest conferri à malo, & à peccatore, siue peccet in ministrando Sacramentum; & dicatur malus, propter peccatum, quod habet actualiter; siue propter peccatum, quòd priùs commisit, dicatur malus. Hoc apparet auctoritate Augustini, & ponitur in litera tract. 5. super Ioanne, & de Consecr. dist. 4. cap. *Baptismus. Non timeo ebriosum, &c. Sed accedat columba.* Ebriosus non est actualiter ebrius, quia cùm simpliciter ebrius non vtatur ratione, non potest hoc Sacramentum ministrare, quia requirit fieri cum intentione recta, quam non habet ebrius. Ebriosus autem dicitur habere consuetudinem inebriari, & talis consuetudo ad ebrietatem, dummodò non sit actu ebrius, non debet timeri quin conferat Sacramentum.

Ebrius est ebriosus.

Nulla ministri malitia obstat valori Sacramenti quando adsit vera intentio. Probatur primò.

Item, hoc probatur per rationem supradictam, à causa efficiente sic: Christus non instituit effectum conferri virtute meritorum ministrantis, sed virtute Sacramenti, cui Deus efficienter assistit ad præstandum quod designat, non ergo requiritur necessariò ad Sacramentum, vel ad eius effectum bonus motus voluntatis ministrantis ad hoc vt conferatur, sed sufficit quòd non sit obex contrariæ voluntatis in eo, sed quòd intendat baptizare secundùm ordinem, & ritum Ecclesiæ.

Secundò.

Hoc secundò probatur per rationem supradictam ex fine. Sacramenta instituuntur eodem modo, quo magis congruunt ad salutem viatorum; sed si Sacramentum Baptismi non posset conferri, nisi à bono, non esset institutum in auxilium viatorum, sed in magnum detrimentum salutis eorum, quia ex quo nullus potest esse certus de salute sua, multò magis non potest esse certus de aliquo alio, an sit in via salutis, vel non: imò licèt aliquis posset aliqualiter habere certitudinem de se, quòd esset in via salutis, non tamen potest sic esse certus de ministro, & per consequens si bonitas ministri necessariò requireretur, cùm non posset esse certus de ea, nesciret quando esset baptizatus, & quando non.

Tertiò.

Item, si malus non posset conferre Sacramentum Baptismi, impediretur salus, & gratia conferenda per ipsum, propter eius impietatem, sine culpa suscipientis, quod videtur omnino iniustum.

Consequentia patet, quia si iste, qui vult baptizari, non potest sibi ministrari à malo, iste caret gratia Baptismali sine culpa sua, Deus ergo statuit Sacramentum esse tale signum, quòd à quolibet ministro, siue à bono, siue à malo æqualiter posset dari, & cui ipse immediatè assisteret ad conferendum signatum, & effectum eius, scilicet gratiam, quod signat, à quocunque conferatur.

4. Ad argum. primum quæst. 1.

Ad primum dico, quòd perfidus & hæreticus, de quibus loquitur Ambrosius, aut baptizat adultum, vt faciat eum esse discipulum, & hæreticum, sicut ipse est, & tunc polluit eum, & non sanat.

Si autem baptizet paruulum secundùm formam Ecclesiæ, dico quòd iste est simpliciter baptizatus, in tantum quòd si tunc moreretur, statim euolaret in cœlum, sed si paruulus sic ab eo baptizatus consentiret post in ætate adulta operibus hæretici, & fieret hæreticus, polluereturab eo, quia peccaret mortaliter consentiendo ei, sed non minùs priùs esset baptizatus.

Ad secundum. Aliter vita deriuatur in corpore mystico, quàm in naturali.

Ad aliud, cùm dicitur quòd membrum aridum non potest esse medium influendi vitam aliis; dico quòd verum est, & ratio est, quia in omnibus membris sit eadem vita, & ideò membrum influens vitam, oportet quòd in se habeat vitam, vel quòd sit propinquum medio influendi vitam, vt cordi, quod est principium vitæ. Sed non est sic in proposito de vita gratiæ. Non enim oportet ad hoc, quòd minister conferat Baptismum, ad quem sequitur vita gratiæ, quod sit propinquior fonti, vel medio influendi talem vitam, vt Deo, nisi solùm in officio suo, quo confert aliquid, quod est signum efficax talis vitæ gratiosæ, nec est eadem vita in eo, quæ in Deo, nisi in officio.

Ad tertium. In aqua nulla est virtus respectu gratiæ Baptismalis.

Ad aliud, dico quòd in aqua non est aliqua sanctitas, nec aliquid supernaturale, quia non est subiectum capax talis formæ; sed hoc totum *aqua cum verbo*, est vnum signum sanctitatis, & gratiæ, quo anima fit sancta, cui signo Deus immediatè assistens dat gratiam, quam designat.

5. Ad quartum. Credibilia in triptici sunt differentia.

Ad aliud, dico quòd aliqua sunt ita simpliciter explicitè de substantia fidei, quòd ista scire, & credere tenentur omnes, quantumcunque simplices, vt Deus est vnus trinus, mortuus & passus, &c.

Alia sunt ad quæ non tenentur omnes, sed tantùm maiores in Ecclesia, vt quòd Patri est æqualis filius, & ab eo genitus, & multa alia: sicut patet per Augustinum 14. *de Trinit. cap.* 1. Alia non sunt explicitè credenda, cuiusmodi sunt ista, quæ sequuntur ad articulos fidei, & non sunt ipsi articuli fidei, nec adhuc manifestata per Ecclesiam, & non tenentur etiam maiores scire, sed postquàm declarata sunt ab Ecclesia pertinere ad substantiam fidei, & veritatem eius, non possunt ampliùs pertinaciter negari sine errore. Et ideò excusatur Abbas Ioachim ab hæresi, quia libros suos, quos fecit, reliquit arbitrio Ecclesiæ, per eam corrigendos. Tempore etiam Beati Cypriani Martyris non fuit declaratum per Ecclesiam, an mali possent baptizare, an non. Beatus Augustinus multùm habuit disputare contra Donatistas hæreticos de ista materia; & ideò cum hoc non fuerit declaratum per Ecclesiam tempore Beati Cypriani dicentis malum ministrum non posse dare verum Sacramentum Baptismi, non propter hoc fuit ipse hæreticus; fuit autem hoc declaratum tempore Beati Augustini, sicut patet per argumentum in oppositum; & ideò si ipse hoc pertinaciter tenuisset contra arbitrium Ecclesiæ, fuisset hæreticus.

Cyprianus, & Ioachim ab hæresi liberatur.

SCHO

SCHOLIVM II.

A miniſtro præſciſo (is tantùm eſt, qui nominatim, vel ob notorium clerici percuſſionem, eſt excommunicatus) non licet adulto petere Baptiſmum, ſi habet aliunde: ſi verò nullum alium habet, Doctor hîc videtur idem aſſerere; ſed in alio ſcripto quæſt. 2. oppoſitum tenet. De paruulo, vt certum tenet baptizari debere à præſciſo, ſi non ſit alius, quia non poteſt Baptiſmo flaminis ſaluari, ſicut adultus. A miniſtro malo non præſciſo licet petere Baptiſmum. Si tamen æquè commodè adiri poſſit, videtur id non licere, & ſic intelligendus videtur Doctor, ſiue ſit miniſter ordinarius, ſiue non. Ratio, quia charitas obligat, nè demus occaſionem peccati proximo, ſi ſine incommodo poſſumus.

6. *Deciſio quæſt. ſecundæ.*

AD quæſtionem ſecundam dico quòd miniſter malus, aut eſt præſciſus ab Eccleſia totaliter, vt hæreticus, vel degradatus, vel non, ſed malus, & permiſſus. Si primo modo; ſic nullus debet petere Baptiſmum ab eo, nec pro ſe, nec pro paruulo ſuo, nullo caſu contingere, vel quantumcumque neceſſario, quia ſcienter recipiens Baptiſmum ab eo peccat mortaliter, quia quantùm in ſe eſt contemptibilem reddit ſententiam Eccleſiæ, qua eſt præſciſus, quod ſine peccato mortali fieri non poteſt; nec poteſt eſſe in aliquo caſu neceſſitatis ad hoc petendum ab hæretico, vel degradato. Non ad petendum pro ſe, quia eſto quòd nullus eſſet in illa regione niſi præſciſus ab Eccleſia, & excommunicatus, non tenetur petere Baptiſmum ab aliquo iſtorum, quia obligatur ad non communicandum cum aliquo tali præſciſo hæretico, vel excommunicato, qui eſt extra Eccleſiam, & ideò in illo caſu ſtat in Baptiſmo flaminis, in voluntate recipiendi Baptiſmum fluminis, ſi adeſſet miniſter idoneus, qui illum poſſet miniſtrare. Et ideò nullus poteſt eſſe caſus, in quo tenetur à tali baptizari.

Recipiens Sacramentum à miniſtro præſciſo peccat mortaliter.

Nec neceſſitatur aliquis ad petendum Baptiſmum à tali, pro paruulo ſuo, quia etiamſi nullus alius ſit in illa regione, ipſemet poteſt ſuum paruulum baptizare. Similiter ſi à tali præſciſo ab Eccleſia permitteret paruulum ſuum baptizari, peccaret mortaliter; quia nullus eſt caſus neceſſarius cogens eum ad hoc, quia ipſemet poteſt eum baptizare, ſi ſit iuſtus. Vel ſi ſit iniuſtus, & malus, poteſt ducere alium fidelem ad puerum ſuum baptizandum. Quòd ſi nullum poſſet inuenire, niſi præſciſum ab Eccleſia, debet ipſemet ipſum baptizare licèt peccator ſit, & malus, dummodò non ſit præſciſus. Si tamen in illo regno ipſe & omnes eſſent præſciſi, deberet potiùs ab aliquo præſciſo accipere Baptiſmum quàm permittere infantulum mori ſine Baptiſmo.

7. *A malo miniſtro non præſciſo quædo liceat Baptiſmum petere.*

Si autem ſacerdos non ſit præſciſus ab Eccleſia, nec excommunicatus, ſed malus, & permiſſus, aut ergo ſibi incumbit ex officio baptizare pueros, puta, quia eſt ſacerdos Parochialis, aut non. Si ſic, tunc non peccat aliquis in petendo à tali Baptiſmum, ſiue petat pro ſe, ſiue petat pro alio; vt pro paruulo ſuo, quia nullus propter peccatum alterius peccat, nec perdit ius ſuum in aliquo miniſtro de debito miniſterij, in quo ſibi tenetur ſuccurrere, talis autem ſacerdos tenetur adminiſtrare ex officio Parochiali Sacramenta Eccleſiæ, & ex debito, quia viuit ex eleemoſynis eorum, vt conductus ab eis; ergo nullus peccat petendo ab eò quod ex debito, & iuſtitia ei debetur; ergo poteſt quis licitè petere à malo ſacerdote pro ſe, vel pro paruulo ſuo Baptiſmum. Et ſi ille ſit malus, & peccator; talis in petendo Baptiſmum à malo ſacerdote ſe habet, ſicut ille, qui vadit ad malum debitorem, vt quærat debitum ſuum. Si autem talis malus permiſſus ſacerdos non habet ex officio baptizare pueros, quia non eſt Parochus, ſed vocatus in auxilium Parochi, vt annuarius, aut ergo petens Baptiſmum pro ſe, vel pro ſuo paruulo, poteſt habere alium ſacerdotem, cui incumbit ex officio, & debito baptizare, vt Parochialem ſacerdotem, & tunc ab illo tenetur petere Baptiſmum, licèt iſte ſit malus, ſi non poſſit habere alium, cui incumbit ex officio; quia iuriſdictionem habet ſuper illos, & non alius in auxilium vocatus.

Baptiſmus potiùs petendus eſt à malo ſacerdote quàm à bono laico.

Si autem non poſſet habere ſacerdotem Parochialem, cui incumbit ex officio; ſed tantùm alium ſacerdotem etiam malum, cui non incumbit; ſed tantùm congruit, & poteſt habere laïcum bonum & fidelem, dubium eſt; à quo debet petere Baptiſmum pro ſe, vel pro ſuo paruulo? Videntur enim ſe habere ſicut excedentia, & exceſſa. Laïcus enim excedit in vita, ſacerdos in officio, cui congruit miniſtrare Sacramenta Eccleſiæ. Quæ autem iſtarum conditionum debet præferri ad ſuſcipiendum Sacramentum Baptiſmi?

Dico quòd officium; & ideò à ſacerdote malo non præſciſo, vel excommunicato, poſſunt Sacramenta Eccleſiæ licitè peti pro ſe, & pro ſuis, ſicut dicitur *de conſecr. diſt. 4. cap. conſtat.* vbi vult, quòd ſolis ſacerdotibus ſit huiuſmodi officium conceſſum, excepto articulo neceſſitatis.

8. *Ad primum argument. ſecundæ quæſtionis.*

Ad illud Ambroſij, dico quòd loquitur de adultis fictis, qui conſentiunt in hæreſim, & in malitiam hæreticorum baptizantium, quorum facti ſunt diſcipuli in hæreſi, & in vita praua, & in talibus intelligit quòd nihil prodeſt, quod ſuſcipiunt ab eis.

Ad ſecundum. Quomodo petens Baptiſmum à malo miniſtro excuſetur à cooperatione mali.

Ad aliud, cùm dicitur quòd cooperatur ſibi in peccato mortali; dico quòd non, quia non inducit iſtum ad peccandum, ſed tantùm petit debitum ſibi actum, qui quantùm eſt ex ſe, benè poteſt conferri. Et ideò licèt miniſter peccet nouo peccato mortali, in miniſtrando Baptiſmum, non tamen petens in petendo, quia quantùm eſt ex ſe, benè poteſt conferri, ſi miniſter ſe diſponeret.

SCHOLIVM III.

Negat pretium dandum pro Sacramento, etſi nullus ſit qui baptizare poſſit præter petentem pretium. Idem tenent Alenſis 2. part. quæſt. 187. m. 3. art. 1. D. Thom. hîc quæſt. 2. art. 2. & diſtinct. 25. quæſt. 3. art. 2. & 2. 2. quæſt. 100. art. 2. ad primum. Aragon. ibi Richar. 4. diſtinct. 25. art. 3. quæſt. 1. Paludan. quæſt. 8. licet tamen aliquid dare pro redimenda vexatione, pro materia, & labore, ſed præcisè in emendo ſpirituali eſt intrinſecè malum nulla circumſtantia excuſabile.

9. *Ad tertium.*

AD aliud de ſimonia, dico quòd ſi emat aquam, quia ſancta eſt, peccat; quia emit aliquid, quod non poteſt rebus temporalibus

æſtimari ſecundùm valorem. Non autem peccat, qui petit Sacramentum à malo ſacerdote, qui non vult dare ſibi aquam, ſed vendere; ſed peccat quia contrahit forum illicitum, ſi illam emat, quia ſanctificata eſt.

Quomodo liceat dare aliquid pro Sacramentis.

Sed quid eſt faciendum cum iſto, qui ſic vult vendere aquam ſanctificatam omnino? Dico quòd ſi talis ſacerdos velit vendere aquam, non quia ſanctificata eſt, vel conſecrata, ſed propter laborem ſuum, quem ponit circa conſecrationem eius, ſicut ſacerdotes celebrantes anniuerſaria, vendunt laborem ſuum, quem habent circa Miſſas, & non ipſas Miſſas; ſic poteſt aliquis licitè emere aquam conſecratam, & alius vendere officium ſuum, & aquam, ſed nullo modo cariùs, quia eſt conſecrata. Si autem velit omnino vendere aquam, & officium ſuum cariùs, quia conſecrata, committendus eſt ſacerdos Diabolo; & reportandus eſt paruulus, à patre (ſi nullus alius miniſter idoneus occurrit) cum fiducia baptizandus.

Licet vendere laborem.

SCHOLIVM IV.

Non debere miniſtrum baptizare ſi præuideat ex illo actu mortem certò ſecuturam. Repetit hîc quod ſuprà docuit diſt. 4. quæſt. 3. ſcilicet infantem in flumen proiectum non eſſe baptizatum, & eum, qui deiyceret, mortaliter peccare.

10. *Reſolutio tertiæ quæſtionis.*

AD tertiam quæſtionem dico, quòd nullus debet ſibi facere conſcientiam, quòd propter Baptiſmum conuenienter datum, etiam infirmo in periculo mortis, quòd propter hoc vergat in periculum eius. Nec debet hoc aliquo modo præſumere: poteſt enim ſine omni periculo ſpargere modicum de aqua tepida ſuper corpus eius, vel eius partem principalem, vt ſuper caput, vel frontem, ſi præſumitur quòd frigida noceat. Et veriſimile eſt quòd aſperſio nullo modo noceat, cùm pueri tenerrimi, vel infirmi balneentur in tali aqua, pro ſolatio, & remedio ſpeciali. Si autem aliquis habeat conſcientiam erroneam, credens Baptiſmum eſſe cauſam accelerationis mortis baptizati, & periculum vitæ eius, licèt non ſit talis irregularis in baptizando, & faciendo quod officium ſuum in cauſa neceſſitatis requirit; tamen ſtante conſcientia eius quòd acceleret mortem per actum eius Baptiſmalem, committit homicidium, quia habet conſcientiam quòd faciendo illud, quod tenetur circa ipſum, occidit ipſum. Et ita factus eſt perplexus ſtante conſcientia, quia baptizando occidit; non baptizando prætermittit illud, ad quod tenetur ex officio, in cauſa neceſſitatis, & ſit irregularis. Vnde ſola conſcientia erronea facit eum perplexum, quia ex lege diuina non eſt aliquis perplexus. Quid eſt ergo ſibi faciendum? Reſpondeo, dimittenda eſt conſcientia erronea, quæ fuit cauſa perplexitatis, & imlpendum eſt præceptum de Baptiſmo conferendo in articulo neceſſitatis. Si tamen aliquis baptizandus non poteſt baptizari, niſi in periculum, vt ſi ſit iuxta flumen profundum, & non poteſt citò haberi aqua, & eſt periculum mortis eius, non debet miniſter eum proiicere in flumen, & ſic baptizare, quia Baptiſmus eſt ablutio in ordine ad ſiccitatem & ſanitatem futuram. Poſito etiam quòd proiiciens in flumen, baptizaret, quod non eſt verum, tamen adhuc peccaret mortaliter ſic proiiciens, quia interficeret eum; & ideò poſito quòd aliquid faceret, nullo tamen modo deberet eum propellere in flumen, quia vnuſquiſque magis ſibi tenetur quàm alij. Quid ergo eſt faciendum? Expectandum eſt quouſque poſſit haberi conuenienter materia; & ſi priùs moreretur, nihil ad miniſtrum.

De conſcientia erronea.

Ex lege diuina multis perplexus.

An puer proiectus in flumine ſit baptizatus.

DISTINCTIO VI.

QVÆSTIO I.

Vtrùm ſolus Sacerdos poſſit baptizare?

Alenſ. 4. p. q. 16. m. 1. D. Bonau. d. 5. a. 1. q. 1. Rich. art. 4. q. 2. D. Thom. d. 5. q. 1 a. 2. & 3. p. q. 67. art. 3. Suar. ibid. d. 23. ſ. 1. Scot. in Oxon. hic q. 1.

I. *Argument. primum.*

IRCA diſtinctionem ſextam, quæro de miniſtro, *Vtrùm ſolus ſacerdos poſſit baptizare?*

Arguitur quòd ſic, per Iſidorum *lib.* 20. *Etymol. cap.* 25. & ponitur in litera.

Item: ſolis ſacerdotibus commiſſa eſt poteſtas dimittendi peccata, *Ioan.* 30. ſed in Baptiſmo remittuntur peccata; ergo, &c.

Oppoſitum patet per Magiſtrum in litera. *Ratio ad oppoſitum.*

SCHOLIVM.

Primum dictum: omnis homo habens virtutem motiuam ad lauandum, loquelam, & rationis vſum, validè baptizare poteſt. *Secundum:* ſi Angelus baptizaret, teneret; *quia ſi bonus eſt, id non faceret, niſi Dei mandato: de malo tamen præſumendum eſſet quòd mala intentione faceret, niſi conſtaret de Dei mandato ad ipſum. Tertium:* ſacerdos eſt miniſter baptiſmi ex officio, & eo abſente Diaconus; poſt hunc ſubdiaconus, & poſt clericos laicus. *Quartum:* congruum eſt maximè ſolum hominem eſſe Baptiſmi miniſtrum. *Et huius rei affert tres rationes.*

2. *Tria requiruntur in baptizante, virtus motiua, locutio, & intentio.*

RESpondeo, quòd nullum ſuppoſitum intellectuale excluditur à poteſtate miniſtrandi hoc Sacramentum cuilibet alteri à ſe in articulo neceſſitatis, niſi propter triplicem defectum naturalem. Aut enim propter defectum vſus rationis, propter quem non poteſt habere intentionem baptizandi; aut quia non poteſt loqui, vt propter defectum naturalem linguæ, vel alicuius alterius inſtrumenti, quod requiritur ad formandum verba; aut propter defectum inſtrumentorum neceſſariò requiſitorum ad collationem huius Sacramenti; vt propter defectum, vel impotentiam in virtute motiua manuum, quibus deberet corpus tangere, & abluere. Iſti tres defectus ſimul concurrunt in paruulis; & ideò in illa ætate non poſſunt hoc Sacramentum conferre, licèt poſtquam creuerint, poſſint habere omnia iſta ſimul, vel aliqua iſtorum. In adultis autem ſunt iſti defectus diuiſim, quia aliquis non habet vſum rationis, & tamen habet alia, vt faruus, qui habet linguam, & ipſam potentiam motiuam in manibus. Aliquis habet vſum rationis, nõ tamen vſum manuũ, vt mancus, vel paralyticus. Aliquis habet vſum rationis, & manuum, non tamen linguæ, vt mutus: in natura igitur

igitur humana nullus excluditur in neceſſitate, niſi per iſtos, defectus naturales. Quòd autem non habens vſum rationis excludatur, patet *de Conſecr. diſt. 4. c. Solet.* Similiter etiam de manco, & muto, *ibidem cap. firmiſſimum, & 1. quæſt. 1. cap. Detrahe.*

Cui naturæ conuenit hæc poteſtas de congruo & cui abſolutè.

Aliæ ſpecies naturæ intellectualis excluduntur à poteſtate conferendi Baptiſmum de congruo, licèt non abſolutè, quin poſſint baptizare. Prima congruentia ad hoc eſt, quia Chriſtus fuit, qui hoc Sacramentum inſtituit. Secunda, quia in hoc Sacramento eſt aliquid ſenſibile, & aliquid ſpirituale, & intellectuale *1. quæſt. 1. cap. Detrahe.* Et ideò decet, & congruit conferri à tali, qui habeat vtrumque. Tertiâ, quia confertur illis, qui adſcribuntur militiæ Chriſti, vt filij Eccleſiæ militantis, & congruum eſt miniſtrum ipſum conferentem eſſe de familia Chriſti in Eccleſia militante.

An Baptiſmus ab Angelo datus teneret.

Veruntamen ſi conferatur ab Angelis bonis, vel malis de beneplacito diuino, non eſſet iterandum. Poſſunt enim in corpore aſſumpto verba proferre, & corpus abluere, & intentionem rectam faciendi, quod Eccleſia facit, habere, & per conſequens poteſtatem conferendi verum Baptiſmum. Et pro facto habendum eſſet ſi facerent: nec eſſet iterandum Baptiſma collatum ab eis, ſub debita forma, ſicut nec collatum ab homine eſt iterandum. Vnde Eccleſia in monte Gargano ab Angelo dedicata, non eſt poſtea dedicata ab aliquo Epiſcopo.

Angelus malus an validè miniſtret Baptiſmum.

De Angelis tamen malis, licèt poſſent baptizare, ſemper eſſet nobis dubitandum de eis, quia mali ſunt, & inimici, an recta intentione baptizarent; vel non; & quia Deus non miniſtrat Sacramenta ſalutis per miniſtros perpetuæ damnationis; ita ſemper timendum eſſet ne eorum intentio eſſet mala. Dico ergo quòd licèt non congruat omnibus ſuppoſitis intelligentibus, hoc tamen abſolutè poteſt competere cuilibet habenti illas tres conditiones naturales.

4. *Soli ſacerdoti ex officio competit baptizare.*

Si autem quæratur, cui competit ex officio? Dico quòd de congruo ſacerdotibus; cuius ratio eſt, quia per Baptiſmum recipitur baptizatus in conſortium, & collegium Eccleſiæ; receptio autem alicuius in aliquod collegium pertinet ad Præſidentem habentem auctoritatem, & quantò maiorem auctoritatem haberet aliquis, tantò de congruo magis ei conueniret. Vnde Epiſcopis maximè conueniret baptizare, ſi fieri poſſet; neceſſitas autem abſoluta nullum hominem excludit, vt dictum eſt.

Ad primum argument. Ad ſecundum.

Ad auctoritatem Iſidori, dico quòd intelligit de congruo, &c.

Ad aliud, dico quòd remittere peccata per modum Iudicis audientis, & arbitrantis, ſolis ſacerdotibus competit. Hîc autem remittuntur peccata à ſolo Deo ſine aliqua examinatione, & arbitrio Iudicis audientis inferioris.

QVÆSTIO II.

Vtrùm vnitas Baptiſmi neceſſariò requirat vnitatem Miniſtri?

Alenſ. *4. p. quæſt. 16. mem. 3.* D. Thom. *3. part. quæſt. 67 a. 6.* Richard. *d. 3. art. 4. quæſt. 1.* Gabr. *ibi quæſt. 1. art. 1.* Palud. *q. 2.* Durand. *quæſt. 3.* Sotus *diſt. 4 q. 1. art 4.*

VOAD verò de vnitate Baptiſmi in comparatione ad miniſtrum quæro, *Vtrùm vnitas Baptiſmi neceſſariò requirat vnitatem miniſtri.* 1. *Argument. primum negatiuum.*

Arguitur quòd non, quia idem poteſt ſimul plures baptizare; ergo eundem poſſunt plures ſimul baptizare. Antecedens patet, ſicut ſacerdos poteſt ſimul plures hoſtias conſecrare, ita plures homines ſimul baptizare. Conſequentia patet per locum à ſimili.

Item, quando aliqua plura concurrunt in aliquo vno effectu, æquè poteſt fieri ab vno, & à pluribus agentibus, & è conuerſo: vt quia in domo concurrunt plura, vt lapides, & ligna, æquè poteſt domus fieri à pluribus, quorum vnus ordinet de lignis, alius de lapidibus, ſicut ſi fieret tantùm ab vno. Similiter poteſt nauis trahi à pluribus, ſicut ab vno, qui habet virtutem omnium; ſed in Baptiſmo plura concurrunt, vt verba, & aqua, in qua fit ablutio; ergo poteſt conferri vno lauante corpus aqua, & alio proferente verba; ergo, &c. *Secundum.*

Contrà, miniſter repræſentat Chriſtum, qui eſt vnus mediator Dei. *Ratio ad oppoſitum.*

QVÆSTIO III.

Vtrùm oporteat baptizatum eſſe diſtinctum à baptizante?

Alenſ. *4. p. q. 16. m. 8.* Rich. *a. 4. q. 3.* D. Bonau. *d. 5. art. 1. q. 1.* Rubion. *hic q. 1.* D. Thom. *3. part. q. 66. art. 5.* Vaſq. *3. part. diſp. 148. cap. 7.*

ARGVITVR quòd non. Quia ſacerdos ſibi dat communionem; ergo poteſt ſeipſum baptizare. 2. *Argument. negatiuum.*

Contra, extra de Baptiſmo, & eius effectu, cap. *Debitum.* *Ratio ad oppoſitum.*

QVÆSTIO IV.

Vtrùm oporteat ſimul eſſe ablutionem, & prolationem verborum?

Richard. *lib. 4. d. 3. a. 4. q. 2.* Baſſol. *q. 1.* Rubion. *ibid.* Gabr. *q. 1. art. 2.* Caiet. *tom. 1. opuſc. tract. 26.* Soto *in 4. d. 3. q. vn. art. 8.* Suar. *tom. 3. part. diſput. 3. ſect. 1.* Vaſq. *3. part. diſp. 148. cap. 7.*

ARGVITVR quòd non. Quia in Euchariſtia fit magna interpoſitio verborum non ſacramentalium, inter conſecrationem panis, & vini, vt totum illud *ſimili modo*, &c. Vſque ibi, *hic eſt*, &c. quæ tamen eſt vnum Sacramentum; ergo à ſimili eſt in propoſito. 3. *Argument. negatiuum.*

Contrà, Auguſtinus ſuper Ioanne Homil. 8. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* *Affirmatiuum.*

SCHOLIVM I.

Plures poſſe eundem validè baptizare, vtroque ponente formam, & materiam, non aliter. Doctores omnes citati. Soluit tres inſtantias. Ad tertium docet monſtrum, quando conſtat duas habere animas, ſeorſim

sim esse baptizandum, ita vt primò pars spectans ad vnam animam, & postea, pars spectans ad aliam.

4. *Decisio quæst. secundæ. An plures possunt eundem baptizare, & quomodo.*

AD secundam quæstionem dico quòd plures baptizare vnum, potest intelligi dupliciter. Vno modo, quòd quilibet faciat totum, quod pertinet ad Sacramentum. Alio modo, quòd vnus faciat vnam partem, & alius aliam; vt quòd vnus abluat, & alius dicat verba. Si secundo modo plures baptizarent vnum, nihil fieret, quia ex institutione Christi & Ecclesiæ habetur quòd ab eodem debet fieri vtrumque per modum consuetum quo exprimuntur verba illa sacramentalia, dicendo: *ego te baptizo*, vbi vnus, & idem exprimit verba, & similiter abluit: si enim vnus proferret verba, & alius ablueret, falsa esset propositio; quia signaret per se personam illam abluere, cùm tamen non abluat ipsam, sed alius.

Hoc etiam patet secundùm modum baptizandi Græcorum, qui dicunt, *baptizetur seruus Christi*, &c. Ista enim verba non solùm sunt deprecabilia *baptizetur*, sed effectiua, ergo ab eodem proferuntur, à quo signantur habere efficaciam; vt sit sensus, *baptizetur à me seruus*, hoc enim signat quod exercet.

Si autem intelligatur quòd plures baptizarent eundem primo modo, scilicet completè, vt si ambo eundem baptizandum simul immergerent, & verba proferrent; sic dicitur communiter quòd vnus non impedit alium.

5. *Obiectio prima.*

Sed contra hoc obiicio sic: non potest idem effectus esse à duabus causis totalibus; ergo nec idem baptizatus à duobus totaliter baptizantibus. Antecedens patet, quia impossibile est aliquem effectum ab aliqua causa totali esse, qua non existente nihilominus esset; sed si baptizaretur iste puer tantùm ab vno, verè & totaliter esset baptizatus, etiam alio non existente; ergo alius non potest esse causa eius totalis in conferendo Sacramentum.

Secunda.

Item, licèt actio sit in passo, tamen vt est ab agentibus, plurificatur secundùm numerum agentium, & maximè quando plurificantur formæ, siue instrumenta secundùm quæ fit actio; si ergo plures sint baptizantes, plures erunt ablutiones actiuè, sed cuilibet actioni correspondet propria passio; ergo erunt plures ablutiones passiuæ, & ita plura Sacramenta.

Solutio primæ obiectionis.

Ad primum, dico quòd ista maior est vera de causis efficientibus, & totalibus principalibus inducentibus effectum, vel formam ipsam totaliter, sed effectus Baptismi non est in ministro, vt à causa totali & principali; sed à solo Deo, vt causa agente, qui causat eum; tamen dispositio ista ministerialis, quæ non est causa illius effectus, sed quoddam signum eius, vt ablutio exterior & prolatio verborum, qui sunt actus merè naturales in casu proposito, non est ab vtroque vt à causa totali, sed ab ambobus simul, quando ambo abluunt.

Solutio secunda. Pluribus actionibus potest correspondere vna passio.

Ad secundum dico quòd ex parte agentium sunt plures actiones, & ex parte passi tantùm vna ablutio baptismalis, & vna passio: non oportet autem quòd cuilibet actioni correspondeat passio, nisi sit eius causa totalis. Patet in tractione actiua nauis, vbi non correspondet cuilibet actioni, vel tractioni motus nauis vna passio, nisi quælibet tractio actiua esset sufficiens causa motus nauis passiuè. Sed sic est in proposito. Quando vterque dicit verba, & vterque abluit, non oportet ad istas duas actiones sequi duas passiones, vel duo Sacramenta, quia quodlibet istorum est causa partialis tantùm. Antecedens autem est verum, vbi vtrumque agentium est causa totalis, & totum inducit sicut est in Eucharistia; sic non est in proposito.

7. *Dubium de monstro.*

Sed contra istud est dubium de monstris, de quibus dubitatur an habeant vnam animam, vel duas, & ita resolutio secundæ quæstionis est dubia, vtrùm idem posset simul plures baptizare, an non? Hîc dicitur quòd illi plures monstruosi vel sunt distincti personaliter, vel non; si sic, tenetur communiter quòd possint simul plures baptizare de facto sub hac forma: *ego vos baptizo*, &c. licèt grauiter peccaret baptizans, mutans, & non obseruans formam Ecclesiæ, in isto promine *te*, mutans singulare in plurale, nisi in casu necessitatis. Si autem illi plures non sint personaliter distincti, vt de monstris cum duobus capitibus, vel duobus ventribus, de quibus dubium est an quodlibet istorum sit vnus, vel duo homines; dicitur quòd in periculo mortis baptizandus est sub conditione. Sed si non sit periculum mortis, inuestigandum est de tali monstro an habeat duas animas, an vnam, quod non potest ita faciliter, nec ita certitudinaliter percipi ex alio signo, sicut ex actibus intellectus, & voluntatis; vt si scit scientia, & ignorantia respectu eiusdem in diuersis partibus istius monstri, & discordent sibi inuicem, tales partes respectu alicuius intelligibilis per intellectum; vel si in voluntate vna pars tristetur, & alia gaudeat; vna aliquid amet consentiendo illi, alia odiat illud eidem dissentiendo. Et credo quòd percipiens tales controuersias inter istas partes ex actibus intellectus, & voluntatis, non deberet simul partes istas baptizare vna ablutione, sed duabus, infundendo aquam primò super vnam partem cum verbis sacramentalibus, & deinde super aliam. Si enim baptizaret simul vtramque partem, dicendo: *ego vos baptizo*, peccaret mortaliter, non obseruando formam Ecclesiæ Romanæ, nisi articulo necessitatis vtriusque partis. Et fortè tunc teneretur, quia nullus adeò obligatur aliis sicut sibi ipsi; sed hoc faciendo peccaret mortaliter non obseruando formam Ecclesiæ; ergo si tantùm vna pars sit in periculo, posset illam baptizare, & expectare posset de alio. Per hoc ad primam rationem.

Quomodo monstrum sit baptizandum.

Regula dignoscendi an monstro sit vna anima, vel duæ.

Ad septimum.

Ad secundum argumentum secundæ quæstionis, dico quòd verum est quòd effectus solùm isto casu posito, haberet suam entitatem ante *esse* reale ab illis causatum, hîc autem aliud est *esse* ordinis, & alius ordo causæ principalis ad suum effectum, & instrumentalis ad suum effectum.

Et ideò instituit Deus ad istum vnum effectum conferendum esse vnum signum, & vnum ministerium, sicut est vnus, qui inducit hunc effectum, ad quem minister ordinatur.

SCHOLIVM II.

Ad secundam quæstionem, neminem posse baptizare seipsum. Reddit rationem quare quis conficit, & sibi ministrat Eucharistiam.

Ad

Decisio quæstionis tertia.

AD tertiam quæstionem, dico quòd Baptismum recipientem, & dantem ipsum, oportet esse distinctos, sicut habetur *extra de Bapt. & eius effect. cap. debitum*; quia sicut nullus producit se in *esse* naturæ, ita nec in *esse* spirituale, vel gratiæ; & ad hoc ponitur ibidem quædam figura; quia Christus, *Ioan. 3.* non baptizauit se ipsum; sed Ioannes. Præceptum etiam de Baptismo, *Marci vltimo* videtur satis innuere distinctionem baptizantis cum baptizato, cùm dicit, *Ite baptizantes eos*, quod est pronomen tertiæ personæ, tanquam distincti ad distinctos. Ratio congruentiæ ad hoc ponitur talis: in Baptismo contrahitur inter baptizatum & baptizantem quædam cognatio spiritualis, quia baptizans fit pater spiritualis illius baptizati, nullus autem est sui ipsius pater in generatione naturali; ergo nec in generatione spirituali.

Nullus seipsum baptizare potest.

Ad argum. quæstionis tertiæ.

Ad argumentum, dico quòd cibatio Sacramentalis, vel ista acceptio panis & vini, non est ipsum Sacramentum Eucharistiæ, sed species panis, & vini, sicut patebit *dist. 8.* in materia Eucharistiæ, licèt aliquid sit sacramentale illa manducatio sacramentalis; & ideò non ministrat sibi Sacramentum, sed cibationem sacramentalem, quia non potest dare sibi Sacramentum.

SCHOLIVM III.

Ad Baptismum requiri simultatem moralem, inter materiam & formam. & explicat benè, quomodo stet hæc simultas.

9. *Decisio quæstionis. Duas opiniones refellit Doctor de hac simultate.*

AD vltimam quæstionem de simultate sunt opiniones in glossa, & in apparatu illius Decret. cap. *detrahere*, & in glossa *de consecrat. distinct. 4. cap. 1. & 2. quæst. 1.* vbi dixit Magister quòd sola aqua, quæ est materia Baptismi, est Sacramentum Baptismi. Si tunc arguatur contra eum, quòd tunc aliquis habens aquam biberet Sacramentum, concedit ipse & Bernardus glossator. Alius dixit quòd aqua simul cum verbis est Sacramentum, ita quòd in fine prolationis verborum est Sacramentum, & per consequens ista duo simul necessariò sunt Sacramentum.

Sed contrà tunc arguitur, sicut contra primum, quòd in fine prolationis verborum posset asinus bibere illam aquam, & ita Sacramentum.

Item, ita virtus sacramentaliter postea remanet in subiecto, & in aqua, vt videtur, cùm sit accidens permanens, quantùm est de se.

10. Respondet, quòd illa virtus simul incipit & desinit, & ita non potest bibi ab asino tempore sequente. Sed istud non est dictum Physicè, nec Theologicè, nec legaliter. Physicè non, quia in illo instanti, in quo incipit esse, est, & in instanti, in quo desinit esse, non est; ergo simul esset, & non esset, quod est impossibile. Si exponatur illud dictum, quòd in primo instanti inceptionis est, & statim post, non est, scilicet in instanti, in quo desinit esse, & ita non simul est, & non est. Istud non importatur per primum dictum. Nec etiam est Theologicè dictum, quia Apostoli non erant instructi in baptizando, quòd semper cum vltima syllaba aspergerent aquam super baptizandos, quia quandoque tria millia vna die baptizabant, vt dicitur in actibus Apostolorum, quia hoc esset humano modo impossibile. Nec etiam est dictum legaliter, vel Canonicè: patet *de consecr. distinct. 4.* in locis: quia Baptismus est *signum sensibile gratiæ inuisibilis*, &c. tale non est aqua quocunque modo accipiatur, nec antè prolationem verborum, nec post, & ideò dico quòd ibi requiritur simultas sicut potest esse simultas in actibus humanis, quando verbum accedit ad elementum, & fit Sacramentum, non est magna cura si in primo incipiat immergere puerum in aquam, antequàm incipiat dicere verba, vel è conuerso; vel si in eodem instanti incipiat immergere, & dicere ista verba; vel si priùs semel immergat, antequàm aliquid loquatur, & incipiat loqui cum immersione; vel è conuerso, si dixerit priùs verba illa, vsque ad medium, & postea incipiat mergere; nihil enim refert ad Sacramentum dandum.

Simultas humana, seu moralis, qualis.

Sed non est completè Sacramentum ante finem prolationis verborum. Sicut si homo primò incipiat comedere, & statim post facta interpellatione aliqua loquatur, & iterum comedat, & loquatur, & sic alternando vsque ad finem comestionis, dicitur simul comedere, & loqui, ita quòd vnum illorum non totaliter finitur antequàm aliud incipiat. Ita est in proposito, siue incipiat priùs abluere, & postea verba proferre, siue è conuerso, dummodo vnum incipiat fieri antequàm aliud totaliter terminetur, satisfacit ista simultas, qualis potest esse simultas in actibus humanis; non enim curauit Christus aliter nos ligare in ministratione huius Sacramenti, vt esset simul aliter quàm eius simultas possit à nobis dispensari, & obseruari.

11. *Ad argum. quartæ quæstionis.*

Ad argumentum de Eucharistia, dico quòd illa verba sunt sacramentalia, non Sacramentum, siue simul proferantur, siue non. Nec est ibi primò completum Sacramentum vsque ad vltimum instans prolationis verborum super calicem. Non est tamen talis vnitas inter species panis, & vini, qualis est in Sacramento Baptismi.

Nam in proposito de ablutione & verbis, aqua cum verbis, per quæ fit ablutio, siue sint simul in eodem instanti susceptionis, siue non, dummodò sint simul, sicut dictum est, sunt Sacramentum. Eucharistia autem non est verum continuum Sacramentum, sicut Baptismus, nec integrum & completum ante vltimum instans prolationis verborum super calicem, licèt illa verba non sint simul dicta.

QVÆSTIO V.

Vtrùm in baptizante requiratur intentio debita ad hoc quòd baptizet?

Alenſ. 4. p quæſt. 13. m. 1. per totum. D. Bonau hic 2. p. art. 1. quæſt. 1. & 2 Richard. art. 1. quæſt. 2. D. Thom. quæſt. 1. art. 1. & 3. p. quæſt. 64. art. 8. Suar. ibid. diſp. 13. ſect. 2. Scot. in Oxon. hic.

1. *Argument. primum negatiuum.*

ARGVITVR quòd non, quia non habens fidem potest baptizare. Patet hoc de pagano in litera, & *de consecr. distinct. 4. cap. Romanus*; sed non habens fidem non habet debitam

tam intentionem baptizandi, quia nullus fieri vult quod non credit poſſe fieri.

Secundum. Auguſtinus. Item, Auguſtinus ſuper Ioannem *Homil. 5.* & ponitur in litera. Ebrioſus baptizare poteſt, *non timeo ebrioſum*, &c. ebrioſus non poteſt habere intentionem debitam: ergo, &c.

Ratio ad oppoſitum. Contrà, Magiſter in litera. In hoc ſicut in aliis Sacramentis requiritur intentio.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm in baptizante requiratur actualis intentio baptizandi?

Doctores citati *quæſt. præced.* Maior. 4. *diſtinct. 12. quæſt. 7.* Nauar. *in ſum. cap. 1. num. 15. & cap. 25. num. 105.* Soto *diſt. 1. qr ſt. 5. art. 8.*

2. Argument. affirmatiuum. ARGVITVR quòd ſic, à forma prima non procedit effectus: niſi mediante actu ſecundo; ergo cùm habitus ſit forma prima ab intentione habituali baptizandi, non procedit Baptiſmus, niſi mediante actuali intentione.

Argument. negatiuum. Contrà, minus ſufficit in aliquo miniſtro ad debitè conferendum Sacramentum, quàm in aliquo ad meritum, quia meritum eſt ex motu & conatu propriæ voluntatis merentis, non ſic effectus Sacramenti ex miniſtro; ſed ex virtute Sacramenti; ſed ad meritum non requiritur actualis intentio, vel actualis motus voluntatis merentis, ſed tantùm habitualis, quia aliter oporteret quemlibet habere intentionem actualem illius obiecti, reſpectu cuius meretur, quod eſt falſum; quia aliquis habere poteſt intentionem actualem reſpectu alicuius, & in medio, vel in fine eſſe diſtractus, tamen meretur.

SCHOLIVM I.

In baptizante non requiritur intentio effectus principalis, id eſt, vltimi finis, ſed reſpectu actus propinquioris, id eſt, proximi finis, & hoc in particulari, vel in vniuerſali, faciendi ſcilicet quod fecit, vel inſtituit Chriſtus, ſaltem in confuſo. Deinde ſoluit duas obiectiones; & ad primam explicat optimè rationem inſtrumenti ſecundùm duplicem eius acceptionem, de quo ſup. d. 1. q. 1. & 4. & ſic reſoluit miniſtrum eſſe cauſam ſecundam reſpectu Sacramenti; reſpectu verò effectus principalis eſſe inſtrumentum.

3. In miniſtrante requiritur aliqua intentio. Ratio Richardi probabilis. HOc communiter concedunt omnes, quòd in miniſtro neceſſariò requiritur aliqua intentio: quod ab aliquibus probatur ſic; quia quando ex aliquibus fit aliquod vnum, oportet quòd hoc fiat per aliquod coniungens illa ad inuicem; ſed ad conſtitutionem huius Sacramenti concurrunt verbum & elementum; ergo requiritur aliquid vniens iſta; hoc non eſt ipſe baptizandus, quia ipſe habet rationem materiæ, quia ſuſceptiui; ergo intentio miniſtrantis. Hæc conſequentia eſt probabilis.

Intentio ſumitur dupliciter. Diſtinguo tamen de intentione miniſtri, vel alterius; quòd poteſt eſſe reſpectu actus, quem exercet, vel reſpectu finis, ad quem ordinatur ille actus. Et iſto ſecundo modo propriè accipitur *intentio*, quia intentio eſt propriè reſpectu finis, licèt etiam reſpectu actus quandoque accipiatur. Patet per Auguſtinum *9. de Trinit. cap. vlt. & alibi frequenter*, qui vult illam copulare voluntatem cum ſuo actu. Similiter *2. Phyſic. text. 9.* diſtinguitur agens naturale contra agens ex intentione, & à propoſito. *Auguſtinus.* *Ariſtot.*

4. Quæ intentio neceſſariò requiritur in agente ex propoſito. Si ergo quæras an requiratur intentio primo modo? Dico quòd in miniſtro conferente requiritur ſimilis intentio reſpectu actus, in quo confert aliquid, & iſta intentio requiritur in omni agente à propoſito, ſi non agat à caſu, quia nullus agit ſine intentione reſpectu alicuius, niſi agat à caſu, vel fortuna, & ideò cùm actus miniſtri debeat eſſe humanus, & non fortuitus, nec caſualis, requiritur in miniſtro intentio reſpectu illius actus, quia aliter eſſet fortuitus, & ideò per excellentiam iſtius actus, & obligationem miniſtri ad iſtum actum, requiritur intentio miniſtri reſpectu iſtius actus, quia ad actum non humanum, vt fortuitum, nullus obligatur, quia non eſt in poteſtate eius.

Finis intentus duplex. Si autem quæratur de intentione, quæ eſt reſpectu finis, ad quem ordinatus eſt actus, eſt duplex; principalis, & communis, vel minùs principalis; ſpecialis, & propinquus. De vtroque diſtinguendum eſt, quòd poteſt accipi in vniuerſali, vel in particulari. Exemplum omnium iſtorum: finis principalis in vniuerſali ipſius Baptiſmi, eſt quòd baptizatus ſit filius ſummi regni; principalis in particulari eſt gratia; finis minùs principalis in vniuerſali eſt vt baptizatus ſit Chriſtianus; finis autem minùs principalis in particulari, eſt non ſolùm ablutio exterior, ſed character, quo ſpecialiter adſcribitur familiæ Chriſti.

5. Quid debet intendere baptizans. Si ergo loquamur de fine principali actus baptizandi in particulari, vel in vniuerſali, dico quòd non requiritur intentio actualis in miniſtro reſpectu talis finis, quia paganus poteſt baptizare, vt habetur *de conſecr. diſt. 4. cap. Romanus*, & ponitur in litera; paganus autem non habet actualem intentionem principalis finis in vniuerſali, nec in particulari, ſolùm enim intendit facere quod Eccleſia facit, & nihil aliud, nec gratiam, nec filiationem regni. Si autem loquamur de fine minùs principali, & propinquiori. Dico quòd licèt non requiratur in miniſtro intentio finis in particulari, vt characteris, quia in multis baptizantibus fuit ignotum hoc, quod per characterē intelligimus; requiritur tamen in miniſtro intētio finis vniuerſalis, vt quòd intendat adſcribere baptizatum collegio Chriſtianitatis, & facere eum Chriſtianum; & hoc aſt quod intendit facere Eccleſia. Ad hoc eſt quædam congruentia talis. Illa, quæ ſunt de iure poſitiuo; efficaciam habent ex inſtitutione, & ordine inſtituentis. Sed Chriſtus inſtituens hoc Sacramentum voluit ipſum eſſe ſignum aſcriptitium cuiuſlibet ſuſcipientis collegio Chriſtiano, tanquam membrum Chriſtianitatis, non autem voluit quocunque modo quòd eſſet ſignum eius aſcriptitium; quia tunc quilibet proferens iſta verba cum ablutione in aqua baptizaret, & ſic adſcriberetur, ſed voluit ipſum eſſe ſignum tale cum intentione abluentis intendentis conferre tale ſignum propter talem finem, vt patet *de conſecr. diſt. 4. cap. Illud.* ergo cùm hoc Sacramentum non ſit ſignum efficax, niſi ex inſtitutione, ſi miniſter in conferendo Sacramentum nullo modo intendat finem, nec in vniuerſali, nec in particulari, propter quem inſtitutum eſt, ſequitur quòd non baptizat. *In baptizante requiritur intentio finis proximi.*

Sed

Obiectio prima.

Sed contra hoc obiicio ſic: Inſtrumentum non ſemper habet propriam actionem aliam ab actione principalis agentis; quia ſic non eſſet inſtrumentum, ſed principale agens; inquantùm enim inſtrumentum, ſolùm mouet, quia motum: ſed miniſter in conferendo baptiſmum, eſt agens inſtrumentale, quia miniſter Dei; ergo non oportet ipſum habere propriam actionem, vel propriam intentionem aliam ab intentione principalis agentis.

Secunda.

Item, ſi intentio neceſſariò requiratur in miniſtro, aut requiritur vt ſacramentum, vel vt res ſacramenti; non requiritur vt res ſacramenti, quia res ſacramenti eſt in baptizato, ſuſcipiente ſacramentum, & non in dante ſacramentum: nec vt ſacramentum; eſt enim ſacramentum ſenſibile ſignum: tale non eſt intentio: ergo, &c.

Ad primam.

Ad primam dico, quòd aliud eſt loqui de cauſa ſecunda, & aliud de miniſtro. Inſtrumentum autem non poteſt ſumi niſi dupliciter, vel pro eo quod tantùm mouet, quia mouetur à principali agente, & eſt tantùm mouens motum. Inſtrumentum autem aliquando poteſt attingere ad principalem effectum principalis agentis, quia poteſt immediatè diſponere ad ipſum: ſicut enim artifex, vt faber lignarius, poteſt per ſecurim, vt per inſtrumentum, quandoque diſponere ad formam principalem, quam intendit, vt formam arcæ, vel domus; ita etiam per inſtrumentum poteſt immediatè inducere formam principalem, quam intendit. Patet de illo, qui immediatè per inſtrumentum ſigilli inducit formam, & impreſſionem eius in cera, quam principaliter intendit. Similiter inſtrumentum monetarij eſt, per quod primò, & immediatè inducitur, & imprimitur imago regis in moneta, quod principaliter intendit tale agẽs. Tale ergo inſtrumentum, vt præcisè motum à principali agente, attingit immediatè effectum principalis agentis.

Inſtrumentũ eſt duplex.

Inſtrumentũ impropriè quod?

Alio modo dicitur inſtrumentum, vel agens inſtrumentale, impropriè, quod eſt agens præuium actioni alterius agentis ſuperioris, nõ quia aliquo modo dependeat ab eo in agendo, ſicut ab inſtrumento; ſed ſicut ab aliquo neceſſariò præuio ad ipſum. Et iſto modo forma accidentalis inſtrumentaliter dicitur agere ad inductionem formæ ſubſtantialis, non quia ſit inſtrumentum ſubſtantiæ reſpectu talis formæ, ſed quia tale accidens, vt qualitas, eſt principium actionis cuiuſdam præuiæ actioni formæ ſubſtãtialis. Eſt enim qualitas per ſe agens, & principale illius actionis præuiæ, & nullo modo reſpectu eius eſt inſtrumentum, propterea quia vnitur formæ; quæ ſi eſſet ſeparata, eſſet principium alicuius actionis. Ipſa quando eſt in alio per ſe, eſt principiũ illius per ſe; qualitas autem ſi eſſet ſeparata ageret per ſe ad illam actionem præuiam, & non vt inſtrumentum; actio tamen illa præuia actioni ſubſtãtiæ poſſet pro tanto dici actio inſtrumentalis, quia præuia, & nullo modo quia attingit formam ſubſtantialem.

Cauſa ſecunda quomodo differt ab inſtrumento.

Ex quo patet quòd quando cum actione principalis agentis concurrit actio alterius agentis ad eundem effectum, quod non agit præcisè inquantùm mouetur, & eſt agens inſtrumentale, ſed vt agens ſecundarium; ſicut cauſa ſecunda agens ad eundem effectum, ad quem agit agens principale, ſicut ignis cum Deo requiritur ad productionem ignis. Et in tali agente requiritur forma propria, per quam attingit effectũ immediatè, ſi ſit agens naturale; vel intentio, ſi ſit agens à propoſito.

Baptizans dicitur cauſa ſecunda, & inſtrumentalis, & quomodo.

Ad propoſitũ ergo dico, quòd miniſter in actu baptizandi non eſt tantùm agens inſtrumentale, vel inſtrumentum in proferendo iſta verba; ſed eſt agens actione humana cum Deo, vt cauſa ſecunda cum principali agẽte, & cauſa prima, ſicut ſi ageret cum eo ad adſcribẽdum. Reſpectu ergo effectus humani, & naturalis, qui eſt abluere, & verba proferre, eſt cauſa ſecunda agens cũ Deo, vt cum cauſa prima; ſed reſpectu effectus principalis eſt inſtrumentum, & reſpectu eius non oportet eum habere intentionem, vt dictum eſt.

7. Ad ſecundã.

Ad ſecundam inſtantiã dico, quòd ſacramentũ non ſolùm habet cauſas intrinſecas, ſed etiam extrinſecas, nihil autem eſt intrinſecum ſacramento Baptiſmi inquãtùm tale, niſi audibile, & viſibile; verba, & ablutio in aqua. Præter intrinſeca ſacramento concurrunt aliqua alia, vt cauſæ extrinſecæ. Requiritur enim in Baptiſmo ſubiectum ſuſcipiens, vt materia, & ipſe baptizatus; & ipſe baptizans, vt cauſa efficiens humano modo, & ex intentione. Vnde intentio eſt illa forma, qua miniſtrat Sacerdos, vel alius baptizans ſacramentũ. Concedo ergo quòd intentio ſit ſacramento non intrinſeca, ſed extrinſeca, & ita ſequitur quòd nõ eſt aliquid ipſius ſacramenti eſſentialiter. Sed tamen propter hoc non ſequitur, ergo non requiritur ad ſacramentum; ſed ſequitur, ergo non requiritur vt aliquid intrinſecum ſacramento, ſed vt aliquid extrinſecum. Multa enim requiruntur ad aliquid, quæ non ſunt de eſſentia illius, à quibus etiam magis dependet, quàm à cauſis intrinſecis, quia vniuerſaliter magis requiruntur ad aliquem effectũ cauſæ extrinſecæ quàm intrinſecæ.

Intentio eſt extrinſeca ſacramento.

Ad argumẽta quæſtionis quintæ.

Ad rationem primam dico, quòd ſimul ſtat quòd aliquis ſit infidelis, non habẽs fidem infuſam, nec intẽtionem finis principalis, nec in vniuerſali, nec in particulari, & tamen quòd habeat fidem, & intentionem reſpectu finis, vel effectus minùs principalis, & propinqui in vniuerſali. Poteſt enim paganus intendere per Baptiſmum adſcribere baptizatum ab eo ſectæ Chriſtianorum, & tamen non intendere adſcribere eum filiis regni, & gratiæ, quia neutrum iſtorum effectuum credit baptizatum poſſe conſequi per baptiſmũ. Exemplum: Ego poſſum aliquem Iudæum circũcidere, credens quòd Circumciſio ſit ſignum adſcriptitium legi Iudaicæ, licèt non credã ſibi per illud conferri gratiam, nec vitam æternam. Eodẽ modo, ſi legerem iſta verba per quæ Necromantici adſcribũtur ſeruituti Diaboli, poſſum credere quòd per iſta verba aliquis obligatur Diabolo, licèt non ſciam ad quem effectum principaliter ſignandum inſtituitur à Diabolo.

Infidelis quomodo dicitur habere intentionem, baptizandi.

Ad ſextum. An ebrius poteſt baptizare?

Ad aliud dico, quòd ille dicitur ebrioſus, qui eſt aſſuetus ad ebrietatem, licèt nõ ſit actu ebrius, & talis nõ exiſtens actu ebrius poteſt baptizare, quia habet vſum rationis; ſi enim eſſet ebrius, in tantum quòd non haberet vſum rationis, nec intentionem, nullo modo poſſet tunc ebrius baptizare; vtens tamen ratione, & intentione debita poteſt baptizare.

SCHOLIVM II.

Requiri & ſufficere intentionem virtualẽ in baptizante, & hanc ſufficere ad meritum, & Martyrium; & ponit exemplum huius intentionis, & actualis, & habitualis, de quo 2. diſt. 41. & 4. diſt. 4. quæſt. 4.

8. *Ad ſextam quæſtionem.*

AD ſecundam quæſtionem, dico quòd intentio communiter diuiditur per intentionem actualem & habitualem, tanquam per ſufficientia diuidentia. Dico tamen quòd præter intentionem actualem ſtrictè ſumptam, qua aliquid actualiter intenditur, & præter habitualem propriè ſumptam, qua habens habitum poteſt intendere ſecundùm illum, vt habens fidem dicitur habitualiter credere quando dormit, eſt intentio media, quæ dicitur intentio virtualis; quia ex illa, & virtute eius, ſunt omnes actus alij, quos exercet agens ex intentione. Vnde tunc dicitur aliquis habere intentionem virtualem, quando omnes actus eius, quos exercet, fuerint in eo virtute alicuius intentionis actualis, priùs habitæ; vt ſic agens à propoſito dicatur habere intentionem virtualem reſpectu alicuius finis, quando ſecundùm eum agit, & exercet omnes actus debitos illi fini: vt ſi celebraturus Miſſam intendat à principio actualiter celebrare ſecundùm ritum Eccleſiæ Romanæ, licèt ſit poſtea diſtractus aliqualiter, omnes tamen actus eius circa Miſſam celebrandam ordinantur, ex prima intentione; quia virtute eius omnes alij actus circa Miſſam ordinantur, & ab illa virtute procellerunt. Hæc autem intentio eſt alia ab intentione habituali, & actuali. Ab habituali, quia hoc ſufficit ad peccatum mortale committendum, & opus meritorium faciendum; non ſic intentio habitualis, quia cum intentione habituali reſpectu alicuius actus ſtat quòd actus talis ſit fortuitus, & non humanus: ſicut aliquis habens intentionem habitualem de ſanitate procuranda, poteſt ſibi propter aliquam cauſam omninò ſibi contingentem, vt propter ludum currere; quem curſum etſi à caſu ſequitur ſanitas, eſt fortuita, licèt intentionem habitualem ſanitatis procurandæ habuit, quia curſor non propter ſanitatem currebat, ſed propter ludum, qui non fuit medium ad ſanitatem. Similiter aliquis habens intentionem habitualem tantùm ad dandam eleemoſynam, non meretur, quia tunc dormiens mereretur; ſed habens intentionem virtualem ad aliquid faciendum meritoriè, continuè meretur virtute primæ intentionis actualis habitæ, licèt non ſemper actualiter intendat. Vt ſi aliquis primò actualiter intendat ire ad ſanctum Iacobum, propter deuotionem, quam habet ad ſanctum Iacobum, & propter peccata ſua remittenda, & actualiter ponat ſe in via, & de eo actualiter cogitans in principio viæ, non oportet eum in toto itinere ſemper actualiter cogitare de ſancto Iacobo. Similiter habens actualem intentionem ad celebrandum Miſſam in principio, quo dicit; *Introibo*, &c. etſi circa Euangelium, vel verba conſecrationis, ſit diſtractus, & non intendat actualiter de his quæ dicit, dummodò perfectè dicat verba, non minùs ritè dicit Miſſam, nec meretur, ſed fortè quandoque magis propter phantaſmata aliqua, à quibus poſſet moueri. Deus enim non obligat hominem ad impoſſibile, nec ad illud, quod non eſt in poteſtate eius, quia ſecundùm Aug. 3. de lib. arbitr. *Nõ eſt in poteſtate noſtra quin viſis tangamur.*

Explicatur triplex intentio.

Intentio virtualis qua.

In quibus virtualis differt ab habituali.

Virtualis ſufficit ad merendum, vel peccandum.

Intentio virtualis ſufficit ad ſacramenta.

Intentio autem virtualis habitualiter ſufficit ad peccatũ mortale cõmittendum, licèt non ſemper habeatur intẽtio actualis. Nã proponens, vel intendẽs ire ad bellũ aliquod ad aliquem occidẽdum, vel ad aliud huiuſmodi facinus procurandũ, ſi in medio viæ incipiat furere, & occidat, nulla interpoſitione facta motus cõtrarij in voluntate eius, peccat mortaliter, nec excũſatur propter nõ intentionẽ actualem, vel non vſum rationis, tempore quando occidit; & hoc peccatũ eſt propter vehementẽ motum voluntatis primæ intẽtionis actualiter habitæ, ex cuius virtute omnes alij actus poſtea deſcendunt. Iſto modo fortè fuit de Martyribus, qui ex intentione præuia actualiter elegerũt fortiter ſe ipſos pro amore Dei immolare, & pœnis impendere, licet in ipſis pœnis, dũ actu patiebantur nõ habuerunt vsũ rationis actu via naturæ, quia ſecundùm naturã tales pœnæ, & dolores ſunt immutatiuæ vſus rationis, & abſorptiuæ eius. Nõ minus tamẽ merebantur ex præuia intentione eius, ex qua omnes alij actus deſcendunt.

Virtualis intentio ad Martyrium ſufficit.

9. *Quomodo quis poteſt peccare ex virtuali intentione.*

Dico ergo ad quæſtionem, quòd in miniſtro ad hoc quòd ſacramentum Baptiſmi alicui conferat, requiritur intentio virtualis habitualis, quia non ſufficit intentio ſola habitualis propriè ſumpta, quia tunc dormiens, vel actu ebrius ſine vſu rationis poſſet baptizare. nec requiritur intentio actualis: patet, quia talis non eſt ſemper in poteſtate noſtra: ſed requiritur intentio virtualis, ex cuius virtute ſunt omnes actus conſequentes, qui ſunt in Baptiſmo.

10. *Reſolutio quæſtionis.*

Habitualis propriè ſumpta non ſufficit.

Ad rationem ergo primam quando dicit; à forma prima non procedit aliquis effectus, niſi mediante actu ſecundo, concedo; ſed non oportet iſtum actum ſecundum neceſſariò eſſe, quia effectus principalis intentus eſt; ſed eſt in ſe, vel in ſua virtute, quando effectus eſt, nam virtute eius fuerunt alij actus, per quos fit talis effectus. Exemplum de lapide proiecto in aqua, cuius proiectio facit multos circulos, & multas gyrationes virtute primæ gyrationis, & circuli, nec tamen primus circulus, vel prima gyratio eſt actu cum vltima: eodem modo eſt in propoſito.

Ad principale huius quæſtionis.

11. *Ad rationem in oppoſitum aliorum reſponſio.*

Ad rationem in oppoſitum, dicitur quòd ad hæc quòd aliquis mereatur, neceſſariò requiritur actualis intentio, vel aliqua impreſſio facta ab intentione actuali: ſicut vadens ad Eccleſiam, licèt non ſemper actualiter cogitet de ea in tota via, tamen ab intentione actuali, quam primò habuit, fit impreſſio aliqua in virtute motiua, qua durãte vadit ad Eccleſiã, & meretur. Sed ſiue hoc ſit verũ, ſiue non, dicendum eſt, ſicut priùs, quòd ſola intẽtio virtualis ſufficit ad meritum, virtute cuius sũt omnes alij actus meritorij. Cõſequenter quæritur de initerabilitate huius Sacramenti.

Solutio propria.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm Baptiſmus ſit iterabilis? & quæ ſit pœna iterantium?

Alenſ. 4. *p. q.* 28. *m.* 7. *art.* 1. D. Bonauent. *hic* 1. *p. q.* 1. & 6. Richard. *art.* 4. *q.* 1. D. Thom. *q.* 2. *art.* 1. & 3. *p. q.* 68. *art.* 9. Suarez *ibi d.* 22. *ſ.* 2. Vaſquez *d.* 147. Scot. *hic quæſt.* 7. & *quoad ſecundum quæſitum.* Richard. *art.* 4 *q.* 2. Palud. *q.* 4 Soto. Couar. Suar. *citati quæſt. præcedenti.*

1. *Argumentũ.*

ARguitur quòd ſic; Euchariſtia eſt iterabilis: ergo & Baptiſmus. Conſequentia probatur, quia Euchariſtia eſt ſacramentum excellentius, & dignius: Baptiſmus autem propter eius dignitatem, ponitur non iterabilis, vt patet in litera: ergo, &c. Antecedens huius rationis eſt manifeſtum.

Iuxta hoc quæritur ſine argumentis, quæ ſit pœna iterantium hoc ſacramentum.

SCHO

SCHOLIVM I.

Reiecta ratione D. Thomæ, & Alenſis, reſoluit Baptiſmum initerabilem eſſe, quia ſic Chriſtus inſtituit: colligitur ex 4. ad Epheſ. exponente Leone ep. 35. cap. 1. & Ambroſ. lib. 2. de pœnit. cap. 2. Trid. Seſſ. 7. can. 9. Florentin. in decreto Eugenij.

2. *Cur Baptiſmus non ſit iterabilis.*

AD primam partem quæſtionis dicendum eſt quòd eſt ſacramentum initerabile, quod patet per multas auctoritates poſitas in litera. Ratio autem pro hoc ab aliquibus aſſignatur talis: Baptiſmus habet efficaciam, & virtutem à Paſſione Chriſti, & morte, Chriſtus autem ſemel mortuus, & paſſus eſt, ergo. Sed hæc ratio concludit generaliter quòd nullum ſacramentum eſt iterabile, & per conſequens nec Pœnitentiæ Sacramentum eſt iterabile, cùm habeat virtutem ſuam à Paſſione Chriſti, quod eſt falſum, quia aliter eſſet homo ſine remedio ad ſalutem, ſi poſt pœnitentiam aliàs peccaret, quod eſt manifeſtè falſum.

Duæ D. Th. & Alenſis rationes adducit & refellit.

Alij aſſignant aliam rationem initerabilitatis huius ſacramenti, quia videlicet, hoc ſacramentum imprimit characterem, qui indelebilis eſt: ergo non debet iterari, quia tunc imprimeret multos characteres, quod eſt inconueniens.

Sed hæc ratio probat immanifeſtum per minùs manifeſtum, vel immanifeſtius, à principio autem fuit magis notum, & manifeſtũ in Eccleſia Baptiſmum non eſſe ſacramentum iterabile, quàm ipſum imprimere characterẽ. In omnibus enim libris, in quibus Auguſtinus multũ loquitur de materia Baptiſmi oſtendẽs eius initerabilitatẽ, nunquam reperitur vnum verbum de charactere, ad illam intentionẽ, ad quam nos accipimus illud vocabulũ, & veriſimile eſt quòd ſi aliquis Sanctorum, ſecundùm iſtã opinionẽ, verbũ locutus fuiſſet de charactere, quòd eius auctoritas poſita fuiſſet in Canone, vbi fit mẽtio de hoc nomine, & de initerabilitate Baptiſmi, & tamen ibi nõ inuenitur. Similiter Magiſter ſententiarum nõ eſt inuentus loqui de charactere in toto libro Sententiarũ, niſi ſemel, & tũc nõ ſecundùm quòd nos vtimur hoc vocabulo. Vnde in Diſtinctione iſta, poſtquam oſtendit, quòd Eccleſia nõ rebaptizat eos, qui in nomine Trinitatis, ſcilicet explicitè, Patris, & Filij, &c. baptizati ſunt, & in ipſa forma ſacramenti; concludit ex his apertè quòd *qui ab hæreticis baptizati ſunt, ſeruato charactere Chriſti, rebaptizãdi nõ ſunt*, & ſumit ibi characterẽ pro forma verborum huius ſacramenti. Patet ex verbis præcedentibus quantùm ad vtramque partem, & primò de nomine Trinitatis. Secundò, de forma ſacramenti, quia vna pars ſpecificat aliam, & ita patet quòd character ſecundùm intentionem nominis, qua modò vtimur eo, eſt recentior quàm liber Sententiarum, quia veriſimile eſt Magiſtrũ de illo fuiſſe locutũ, ſi vel inueniſſet in Scriptura, vel in libris Sanctorum, vel tempore ſuo fuiſſet iſto modo, quo vtimur eo, ventilatum. Vtrùm autem Baptiſmus imprimat characterem in anima vel non, poſteà dicetur.

Aug. in ſuis libris non loquitur de charactere in noſtro ſenſu.

Magiſter pro eodem vſurpauit charactrem ac formam.

3. *Reſolutio Doctoris. Sola voluntas diuina eſt cauſa initerabilitatis Baptiſmi.*

Dico ergo quòd ratio principalis initerabilitatis Baptiſmi non eſt quia Paſſio Chriſti non eſt iterabilis, nec quia imprimit characterẽ; ſed quia Deus ſic illum inſtituit vt non iteraretur, & huius nõ eſt alia cauſa, niſi voluntas ſua. Potuit enim Deus inſtituiſſe hoc ſacramentum in remedium generale pœnæ, & culpæ, & toties iterabile, quoties homo peccaſſet. Potuit etiã Deus ordinaſſe quòd quoties peccaſſet, toties baptizaretur, & reſtitueretur perfectæ innocẽtiæ, vt dimitteretur ſibi tunc per Baptiſmum tam pœna quàm culpa. Placuit tamẽ ſibi modò quòd eſſet ſacramentum initerabile, nè daretur hominibus nimia audacia ad peccandũ, ſi eſſet iterabile ſacramentum, quia illo dimitteretur tam culpa, quàm pœna, & ideò facilitas veniæ cederet ad irreuerentiam ſacramẽti. Quia tamen noluit Deus omnem viam ſalutis excludere ab homine cùm peccaret, quem nouit pronum in malum omni tempore, nec iniuriam facere ſacramento, per facilitatem & plenitudinem veniæ, ſtatuit Pœnitentiam in remedium iterabile, per cuius ſuſceptionem ritè habitam, toties homo abſoluatur à culpa, quoties peccaret; ſed voluit ad pœnam pro peccatis vniuerſos obligare propter rationem prædictam.

Quare pœnitentia iterabilis.

Ad argumentum in oppoſitum, dico quòd ſacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſpecies panis & vini, non eſt iterabile, qui enim eaſdẽ ſpecies conſecraret, peccaret mortaliter, & præter hoc nihil faceret: perceptio autem, & iſta comeſtio ſacramentalis, quæ eſt iterabilis, non eſt ſacramentum, & ideò non ſequitur, ſi iſta perceptio ſacramentalis ſit iterabilis, quòd propter hoc illud ſacramentum in ſe ſit iterabile.

Ad argumẽtum principale.

SCHOLIVM II.

Pœna iteratò baptizantis, & baptizati eſt irregularitas; nec ignorantia iuris excuſat probabile tamen eſt, omnem ignorantiam probabilem iuris, & facti excuſare: de quo vide Scholium in Oxon. hìc quæſt. 8.

4. *Deciſio quæſtionis actaua.*

AD ſecundam quæſtionem dico, quòd iterãtes Baptiſmum, aut ſunt conferentes, aut ſuſcipientes; ſi conferentes, aut ergo ſcienter, & prudenter conferũt, & facti ſunt ipſo facto irregulares, vt habetur *extrà de Apoſtat. c. Ex literarũ*, de illo iuuene, qui rebaptizauit germanum ſuũ infirmum, credens per hoc citiùs ipſum conſequi ſanitatẽ, vbi dicitur quòd iſte eſt irregularis, nec poteſt diſpenſari cum tali, niſi à ſolo Papa, & hoc non niſi cum intrauerit Religionem, propter fauorem Religionis. Si autem inſcienter & occultè rebaptizauerit aliquem, irregularis eſt, non tamen ita irregularis eſt, ſicut præcedens, quia Epiſcopus ſuus poteſt diſpenſare cum eo. Iſtud confirmatur per illud *C. Ne ſacrament. Bapt. iter. ſ. 1.* dicit lex *Antiſtitem, qui ſanctitatem Baptiſmatis illicita vſurpatione geminauerit, Sacerdotem indignum eſſe cenſemus.* Si autem hoc dicat Imperator propter reuerentiam ſacramenti, multò magis Papa, quia ſpecialiùs curat de diuinis Sacramentis.

Baptiſmum iterantes ſũt irregulares.

Quis in hac irregularitate diſpenſare poteſt.

Talem autem baptizantem non excuſat ignorantia iuris, quia quilibet baptizans tenetur hoc ex officio ſcire, & alij neſcientes debent in talibus ſcientes conſulere. Ignorantia facti tamen excuſat, quia ſi vetula paruulum, quem ipſa priùs baptizauit, offerat Sacerdoti iterum baptizandum, ipſe iſtum baptizans ignorans factum vẽtulæ, non eſt irregularis, nec tenetur quærere, niſi ſuſpicaretur per alia ſigna, vel indicia ipſum priùs eſſe baptizatum.

Ignorantia iuris non excuſat, ſecus tamen facti.

Si autem ſuſcipiens Baptiſmum faciat ſe iterum baptizari, ſi ſcienter hoc faciat, irregularis eſt, nec excuſatur ignorantiâ iuris. Si autem hoc faciat

Nulla ignorantia excuſat ſe rebaptizari facientem.

faciat ignoranter, neſciens ſe eſſe baptizatum, adhuc eſt irregularis. Vnde de *Conſe. Diſt. 4. cap. qui bis*, &c. *qui bis ignoranter baptizati ſunt, non indigent pro eo pœnitere, niſi quòd ſecundum Canones ordinari non poſſunt, niſi magna aliqua neceſſitas cogat.*

Dices, decretum intelligit de ignorantia Iuris. Contrà, tunc oporteret eum pœnitere, quia illa non excuſat, ideò cum tali conuenit diſpenſare; ſed cum eo, qui eſt ſcienter baptizatus, non eſt diſpenſandum, Papa tamen multa poſſet facere, quæ non vult facere. Vnde licèt excommunicatio quæ fit ab Eccleſia, ſit grauior, quia ſeparat à communione fidelium, tamen irregularitas eſt permanentior. De quo vide alibi. *

* In Oxon. hîc, n. 2.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm character imprimatur in Baptizato?

Alenſ. 4. *part. quæſt.* 19. *mem.* 6. D Thom. 3 *part. quæſt.* 63. *art* 6. D Bonauent *hic* 1 *part. quæſt* 4 Richard. *diſt* 5 *art.* 2. Paluc. *diſt.* 3. *quæſt.* 4 Suar. 3, *tom. diſt.* 11. Coccius 2. *tom. theſ lib.* 5. *art.* 3. Bellarm. 1, *de bapt. cap.* 12. Scot. *in Oxon hic quæſt.* 9.

1. *Argumentũ primum negatiuum.*

ARguitur quòd non. In circumciſione non imprimebatur character, ergo nec in Baptiſmo; Conſequentia probatur, quia Baptiſmus ſucceſſit Circumciſioni ad eoſdem actus, & effectus; ergo ſi character non fuit effectus Circumciſionis, nec Baptiſmi, & per conſequens ſi Circumciſio non impreſſit characterem tunc, nec Baptiſmus modò facit: Antecedens probatur, quia ſi Circumciſio impreſſiſſet characterem, circumciſus non fuiſſet baptizandus, conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Probatio conſequentiæ, quia ſi Circumciſio impreſſiſſet characterem, iſte fuiſſet eiuſdem rationis cum characterе Baptiſmi, ſed duo accidentia eiuſdem rationis non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto ſimul; ergo circumciſus non poteſt baptizari.

Secundum. Item, fides diſtinguit fidelem ab infideli; ſimiliter charitas diſtinguit filios regni à filiis perditionis; & iſta ſunt nobiliſſima in anima, quæ tamen non imprimunt characterem diſtinctum in anima; ergo nec Baptiſmi ſuſceptio talem characterem imprimit. Conſequentia probatur, quia non imprimunt characterem, niſi propter eorum nobilitatem.

Tertium. Item tertiò, Character cùm nõ ſit ſubſtantia, quia de nouo aduenit perfectè conſtituto in *eſſe* ſubſtantiali, ſi imprimatur, nec ſit accidens inſeparabile, & per ſe inhærens, quia tunc eſſet accidens materiale cauſatum à principiis ſubiecti; ergo eſt accidens, per accidens inhærens, & ſeparabile, ergo character ſi eſſet, eſſet accidens ſeparabile, quod eſt contra rationes eius.

Ratio in oppoſitum. In oppoſitum eſt Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 2. dicens quòd *venienti ad Baptiſmum datur ſacramenti ſignaculum à Sacerdote:* quod non poteſt intelligi niſi character.

Damaſcen. Item, Damaſcenus lib. 4. cap. 1. dicit quòd *per Baptiſmum fit in nobis regeneratio, & ſigillum:* per *ſigillum* intelligens characterem.

Item, nullum ſacramentum eſt initerabile, vel indelebile, niſi quia imprimit effectum indelebilem; Baptiſmus eſt ſacramentum initerabile; ergo imprimit effectum indelebilem, hoc voco characterem; ergo.

SCHOLIVM I.

Poſita definitione, & explicatione characteris, ponitur, & fusè probatur rationibus ſententia negans eum dari; & recitantur auctoritates, quas ad hoc adducit D. Thomas.

2. *Quid ſit character, & quid ſignificet.*

Hîc ſunt duo facienda. Primò oſtendenda eſt, vel ponenda ratio communis characteris, in qua omnes conueniunt. Secundò videndum eſt ſi aliquid tale ſit in anima, cui conueniat iſta ratio.

In primo concordant omnes quòd *character eſt aliquid ſpirituale impreſſum animæ in ſuſceptione cuiuſlibet ſacramenti, non iterabilis.*

Quæ characteri conueniunt. Ex iſta ratione communi characteris ſequuntur tria. Primum eſt, quòd character diſtinguit habentem ipſum à non habente, quia ſi ſit aliquid impreſſum in anima in ſuſceptione ſacramenti initerabilis, ergo diſtinguit ſuſcipientem illud. Secundò ſequitur quòd character ſit ſignum rememoratiuum ſacramenti ſuſcepti. Tertiò quòd ſit principium aſſimilans ſuſcipientem alteri habenti ipſum. Sequitur quartum quòd conformat animam Deo, quia in ſuſceptione huius ſacramenti ſignat animam configurari, & obligari Deo. Poteſt ergo character dici *forma ſpiritualis impreſſa animæ in ſuſceptione cuiuſlibet ſacramenti non iterabilis, diſtinguens ſuſcipientem à non ſuſcipiente, & aſſimilans ſuſcipientes ad inuicem, rememoratiua exiſtens ſacramenti ſuſcepti, & configurans animam Chriſto.* *Characteris definitio.*

Character eſt aliud à gratia, & cæteris virtutibus. Sed quomodo ſe habet iſte character impreſſus animæ, ad gratiam, quæ eſt in anima? Vtrùm ſit idem, vel aliud ab ea? Reſpondeo, quòd eſt aliud à gratia, & virtutibus, quia character imprimitur quandoque in ſuſceptione ſacramenti, quando gratia, & virtutes non infunduntur. Patet de fictè ſuſcipiente Baptiſmum, qui recipit characterem, & non gratiam, neque virtutes, ſicut ſuprà dictum eſt. *

* diſt. 4. q. 5. *Character eſt prior gratia, & diſpoſitio ad illã.*

Ex hoc ſequitur quòd character ſit quodammodo forma prior gratia, quia cùm vtrumque ſit forma inhærens animæ, & non ex æquo infuſæ, nec character infunditur poſterius gratia, quia poteſt ſeparari ab ea, & non è conuerſo; ergo dico quòd eſt aliquo modo prior ipſa gratia.

Ex hoc vlteriùs ſequitur quòd character ſit diſpoſitio ad gratiam, quod patet dupliciter; ſi enim ſit imperfectior gratia, & prior ea, in eodem ſubiecto, & non æqualiter, & gratia non ſit diſpoſitio ad characterem, ergo ſequitur quòd è conuerſo character erit diſpoſitio ad gratiam; quia quando aliqua duo ſunt in eodem ſubiecto & non ex æquo, illud quod eſt prius & imperfectius, eſt diſpoſitio ad aliud.

Character contrariè & demeritoriè eſt indelebilis. Tertiò probatur eius alietas à gratia per hoc, quòd eſt indelebilis ſic: Character ſimpliciter & omnino eſt indelebilis, tam contrariè quã demeritoriè; ſi enim haberet cauſam demeritoriã poſſet corrumpi demeritoriè per peccatum mortale, & ſic nõ eſſet in fictè baptizatis Nec habet cauſam contrariam, per quam poſſet corrumpi, quia nihil ſupernaturale corrũpitur niſi demeritoriè, & Deo ſubtrahẽte manum ſuam: corrumpuntur autem charitas, & virtutes, & gratia per peccatũ demeritoriè, ergo hoc non eſt illud.

Quomodo ſupernaturalia corrumpuntur.

His ſuppoſitis, videndum eſt circa ſecundum. 3. Si aliquid reale ſit in anima, cui conueniat hæc

hæc ratio? Et hîc dicitur quòd non, & oſtenditur per rationem. Quia ex quibuſcunque ſanctificatis non formaliter, cuiuſmodi ſunt dedicatio, conſecratio, oleum, & chriſma, per talem ſanctificationem nihil omnino imprimitur in re ſanctificata; ergo in homine baptizato exiſtente in peccato mortali ſanctificato non formaliter, nihil omnino ſibi imprimitur per ſanctificationem baptiſmalem. Conſequentia probatur, quia per rationem ad ſanctificationem non formalem, non diſtinguitur ab ipſis rebus ſanctificatis; non enim diſtinguitur ab eis, niſi quia capax eſt ſanctificationis formalis: ſed per hanc rationem non comparatur ad ſanctificationem formalem. Antecedens patet inductiuè in omnibus ſanctificatis non formaliter; ſanctificatio enim calicis, nihil formaliter ponit in calice, nec ſanctificatio Eccleſiæ per dedicationem eius, nihil formaliter imprimit ſibi; ceſſantibus enim verbis, quibus ex inſtitutione deputatur vſibus ſanctis, nihil formaliter eſt poſtea, quod non erat priùs.

Charactérem nihil reale eſſe in anima probatur primo à quibuſdam.

Secundò.

Item, in homine intrante Religionem, per obligationem, qua ſanctificatur Deo, nihil formaliter cauſatur in eo, quod non ſibi inſuit priùs, niſi fortè reſpectus quidam ad Deum, de quo poſtea dicetur: ergo cùm aliquis ſanctificatur Deo ſanctificatione non formali, in ſuſceptione Baptiſmi nihil per talem ſanctificationem formaliter ſibi imprimitur.

4. Dubium.

Sed quomodo tunc remanet baptizatus obligatus Deo, & ſibi configuratus, diſtinctus à non baptizato, & aſſimilatus alteri baptizato, ſi nihil imprimatur ſibi formaliter, quod non priùs habuit? Non videtur hoc intelligibile.

Soluitur.

Quomodo character dicit poteſt relatio rationis.

Reſpondeo quòd iſta conueniunt ſibi per actum, quem ſuſcepit, qui iam tranſiit in præteritum, & per relationem, vel reſpectum rationis. Quia enim talem actum recipit, per iſtum configuratur, & obligatur Chriſto, qui illud ſacramentum inſtituit. Per illum enim actum diſtinguitur à non ſuſcipiente illum actum, & aſſimilatur illi, qui quandoque ſuſcepit; ſicut profeſſus obligans ſe per votum ſeruare regulam alicuius Religionis, per iſtum actum, qui iam tranſiit in præteritum, ſine aliquo abſoluto nouo, aſſimilatur alij Religioſo illius regulæ, & tenetur Prælatus ſuus ipſum protegere, & defendere; ſicut Rex receptos in ſuam pacem & tutelam tenetur tueri, & defendere ab aduerſariis. Non tamen cauſatur aliquid formaliter in ſic ſuſceptis ad pacem, niſi quædam relatio rationis, per quam tenetur Rex cognoſcere eos eſſe de familia ſua. Eodem modo in propoſito, in baptizato & ſanctificato per Baptiſmum, eſt quædam relatio rationis ad Chriſtum, & Deum, fundata ſuper actum receptum, qui iam tranſiit in præteritum, aſcribentem eum familiæ Chriſti, per quem actum, vt per quoddam ſignum efficax Chriſtus recognouit ipſum eſſe de familia ſua. Et ex hoc ſequitur relatio rationis ex actu intellectus comparantis ipſum ad Chriſtum, vt ad Dominum, de cuius familia factus eſt per ſuſceptionem iſtius actus.

5. Secundò.

Item, ſecundò arguitur ſic: Non videtur veriſimile quòd in illo actu, in quo quis peccat, imprimatur ſibi aliquod donum Dei; ſed fictus peccat in ipſo actu recipiendi Baptiſmum, & non ſolùm quia fictus exiſtens in peccato mortali, ſed etiam in fictè ſuſcipiendo: ergo donum Dei non ſibi imprimitur; nullus ergo character imprimitur in Baptiſmo.

Tertiò.

Item, tertiò ſic: Dona Dei vel ſunt gratis data, vel gratum facientia; ſi ergo character detur in Baptiſmo, aut ergo vt donum gratis datum, vel vt gratum faciens; non primò, quia dona gratis data dantur propter bonum, & vtilitatem Eccleſiæ, vt prophetiæ, & genera linguarum, quæ enunciat Apoſtolus 2. *ad Corinth.* 9. huiuſmodi autem donum non eſt character; quia non valet alicui (ſi valet) niſi cui datur; nec eſt donum faciens gratum, quia huiuſmodi dona non ſeparantur à gratia in dando, quia non dantur ſine gratia, quia Deus non infundit fidem, & ſpem formatam ſine gratia, licèt poſtea remaneant gratiâ corruptâ; nec inuenitur alia inſtantia de donis gratum facientibus, niſi detur in propoſito. Et ratio eſt, quia donum Dei eſt perfectum, & nullum curat, niſi perfectè curet, *quia impium eſt dimidiam à Deo ſperare veniam*; ergo cùm character poſſit infundi exiſtenti in peccato mortali & ſine gratia, ſequitur quòd non eſt gratum faciens.

Gratia gratis data & gratum faciens in quo differunt.

Aug. de verâ & fal. pœnit. cap. 9.

6. Quartò. Natura abhorret ſuperfluum.

Item, quartò ſic: Nihil fruſtrà ponendum eſt in actibus diuinis, quia Deus & natura nihil faciunt fruſtrà; ſed ſi poneretur aliquid ſic impreſſum in ſuſceptione Baptiſmi, videretur poni fruſtrà: ergo. Probatio minoris. Ideò ponitur characterem imprimi, vt ceſſante fictione ſacramentum habeat ſuam efficaciam, ſed ſi non poneretur, nihil minùs haberet ſacramentum ſuam efficaciam, quia ceſſante fictione omnia peccata remittuntur per pœnitentiam, & ſolùm per pœnitentiam poſſunt remitti; ſine autem pœnitentia non remittuntur, licèt ponatur character; ergo eo poſito, vel non poſito, ſacramentum haberet ſuam efficaciam, & ita fruſtrà ponitur.

An character ſit neceſſarius vt peccata receaente fictione remittantur. Reſponſio aliorum.

Dices quòd recedente fictione peccata commiſſa ante Baptiſmum dimittuntur virtute ſacramenti Baptiſmi, non autem dimittuntur illa, niſi effectus immediatus ſacramenti remaneret, quo adſcribitur baptizatus familiæ Chriſti, qui dicitur character, quia aliter non eſſet plus de familia Chriſti poſt Baptiſmum, quàm ante.

Impugnatur.

Contrà, ſicut Deus cum charactere aſſiſtit ad remittendum peccata ſuſcipienti Baptiſmum, ita poteſt immediatè aſſiſtere ſacramento ad remittendum peccata ſine quocunque charactere per ſolam pœnitentiam recedente fictione, & ita poteſt immediatè remittere peccata commiſſa ante Baptiſmum, virtute actus ſuſcepti, ſine quocunque charactere; ergo hæc ratio concludit quòd propter principalem effectum ſacramenti, ſcilicet infuſionem gratiæ, vel remiſſionem culpæ, non oportet ponere characterem.

7. Quintò. Character non eſt neceſſariò ponendus propter alios effectus.

Item quintò, quòd non eſt ponendus propter alios effectus, vt ſcilicet ſignum configuratiuum, & diſtinctiuum, & huiuſmodi: non enim requiritur vt principium diſtinguendi, quia recipiens ſacramentum ſufficienter diſtinguitur à non recipiente per actum receptum, etiamſi character non ponatur, ſicut etiam dedicata, à non dedicata, & pacificus, à contumaci per ſanctificationem non formalem in ea, ſed per actum ſanctificationis, vt in præteritum tranſiit, & per hoc quòd vnus ſuſceptus eſt in poteſtate Regis, alius non, licèt nunquam imprimatur character.

Character nõ eſt diſpoſitio neceſſaria ad gratiam.

Si dicas quòd character requiritur, quia diſponit ad gratiam. Contrà, aut requiritur vt diſpoſitio ex parte ſuſceptiui, aut ex parte agentis? Non requiritur vt diſpoſitio ex parte ſuſceptiui, quia

anima ſecundùm ſe conſiderata ſummè diſpoſita eſt ad gratiam, nihil enim impedit eius ſuſceptionem niſi peccatum, quod non habet ex ſe, quia tunc eſſet creata mala. Nec requiritur propter agens, quia agens, quod non poteſt agere, niſi per diſpoſitionem præuiam, non eſt virtutis infinitæ; ſed agens hic eſt virtutis infinitæ; ergo poteſt in anima agere, ſine diſpoſitione præuia quantùm eſt ex parte ſui.

8. Sextò. Item ſextò, ſi character ponatur vt ſignum rememoratiuum, hoc eſt propter dignitatem Baptiſmi in ſe, vel vt recepti habeant ſignum ipſum repræſentatiuum, aut per comparationem ad beatos in patria, aut ad malos, & damnatos in Inferno: non primo modo, quia nobilius eſt recepiſſe gratiam, & fidem, & ſpem, & huiuſmodi, quàm actum Baptiſmalem, & tamen non requiritur aliquod ſignum rememoratiuum receptionis actus gratiæ, vel actus fidei, quo rememoretur fuiſſe aliquando ſub talibus actibus. Nec tale ſignum rememoratiuum requiritur reſpectu Dei, quia Deus nouit quis ſuſcepit tale ſignum, ſiue talem actum, & quis non, ſine quocunque tali charactere, ſicut Rex recordatur quem acceperit ad pacem, & quem non, ſine quocunque ſigno rememoratiuo reconciliationis pacis. Nec requiritur hoc ſignum rememoratiuum reſpectu Beatorum in patria, quo cogitent beati ipſos aliquando recepiſſe actum Baptiſmi; quia nullum ſignum rememoratiuum erit quomodo cognoſcant ipſos aliquando fuiſſe ſub talibus charitatis actibus, & fide; ergo nec multò magis requiritur neceſſariò aliquod ſignum rememoratiuum, quo cognoſcant ipſos fuiſſe ſub actu Baptiſmi, cùm multò magis pertineat ad gloriam ſuam cognoſci fuiſſe ſub actu charitatis, & fidei, quàm ſub actu Baptiſmi. Nec etiam requiritur propter damnatos in pœna tale ſignum rememoratiuum, vt ad confuſionem eorum cognoſcantur fuiſſe ſub actu Baptiſmi, propter eandem rationem; quia multò magis eſt eis confuſio fuiſſe ſub actibus charitatis, & fidei, & ab illis cecidiſſe, quàm ſub actu Baptiſmi, quia cum illo non ſemper datur gratia, vt patet in ficto, & ideò minorem ingratitudinem concludit; & per conſequens minorem confuſionem, cognoſci ſub actu Baptiſmi fuiſſe, quàm fidei, & charitatis.

Characterem non requiri ne er è, vt ſignum rememoratiuum.

Septimò. Item, nihil ponendum eſt ſine neceſſitate; character non eſt neceſſarius: ergo, &c.

9. Octauò. *Ab auctoritate negatiua.* Item, nihil eſt ponendum pertinere ad ſacramentum, tanquam aliquid ſacramenti, niſi ſit explicatum in ſancta Scriptura, vel ex fide Catholica teneatur, vel explicitè ex dictis Sanctorum habeatur. De charactere verò nihil in ſancta Scriptura explicatur eo modo, quo de eo loquimur, licèt fiat ſermo de charactere beſtiæ, quod non eſt ad propoſitum. Nec ex articulo fidei ſequitur neceſſariò debere ſequi characterem, nec in dictis Sanctorum, ſecundùm iſtam ſignificationem inuenitur. Lege Auguſtinum, qui ſæpe de iſta materia Baptiſmi loquitur in ſuis libris, vt in ſeptem contra Donatiſtas, & ſuper Ioannem, & de Baptiſmo paruulorum, & nunquam inuenies vocabulum *characteris* in iſta ſignificatione, ſolùm enim ponit Baptiſmum, & rem Baptiſmi, *rem* vocans gratiam, & *ſacramentum* ipſum verbum cum elemento; ſed ſi eſſentialiter pertineret character ad hoc ſacramentum quomodocunque, non eſt veriſimile quin de illo aliquando fuiſſet in ſe, vel in ſuo æquipollenti locutus: etſi enim non neget vocabulum, nihil mirum hoc, quia non ponit; nunquam tamen affirmat illud, quod tectè ſtet, ſi ad ſacramentum eſſentialiter pertinuiſſet.

Aug. non videtur docuiſſe character.

Dices quòd etſi non inueniatur expreſsè ab Auguſtino ſecundum iſtam ſignificationem, inuenitur tamen ab aliis ſanctis, vt à Dionyſio *in Eccleſ. Hierarch. cap. 9.* & Damaſceno vbi priùs. *Inſtantia.*

Reſpondeo, quòd iſti ſancti non ſunt locuti ſecundùm iſtam ſignificationem de charactere, vel ſuo æquiualenti, vt ſigillo, vel figuratione. Non Dionyſius, nam in illo loco loquitur tantùm de ſolemnitate, quæ ſolebat fieri circa nouiter baptizatos, dicens quòd *baptizatus primò ducendus eſſet ad Hierarcham, qui diuino lumine ipſum primò conſignabat*, & illa illuminatio erat quædam conſignatio, & configuratio eius ad Deum multis aliis expletis circa ipſum. Demùm baptizabat, ita quòd iſta conſignatio & illuminatio erat longè ante receptionem Baptiſmi, vt ibidem ſatis patet: ſed character non dicitur imprimi, ante receptionem Baptiſmi, quia ponitur primus effectus eius. 10. *Soluitur.* *Dionyſius non loquitur de charactere loco citato.*

Item patet per Vercellenſem exponentem cap. 3. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ *in 6. particula cap. 1.* cuius ſunt iſta verba, quæ allegantur, vbi dicit ſecundùm iſtam tranſlationem, *ita ſurſum actum diuina beatitudo à ſui ipſius participatione recipit, & de proprio lumine, ſicut quodam ſigno ipſi trahit diuinum faciens, & communicatorem in Deo manentium, &c.* * * Vide Doctorem in Oxon n. 5. & 6.

Nec dictum Damaſceni multùm eſt ad propoſitum in ſe ſine falſo intellectu, & malè allegantibus ipſum. Non enim dicit quòd in nobis in Baptiſmo ſit nouæ vitæ per ſigillum regeneratio; ſed dicit quòd ſit *nouæ vitæ regeneratio, & ſigillum.* Vnde verba duarum clauſularum incognatarum, coniunguntur ſibi inuicem, ac ſi diceret, & ex iſtis duabus propoſitionibus *homo eſt animal rationale*; *aſinus eſt animal irrationale*, componeret iſtam, *homo eſt animal irrationale*, & intelligit ipſe *ſigillum* ſacramentum Baptiſmi, quod eſt ſignum ſenſibile, per quod anima configuratur, & aſſimilatur Chriſto, etiamſi character nunquam eſſet. Per hoc patet reſponſio ad Dionyſium, & Damaſcenum. *Nec Damaſc.*

Ad rationem dico, quòd hæc propoſitio eſt falſa, *ſacramentum non eſt iteribile & indelebile*, niſi quia imprimit characterem, ſicut effectum indelebilem, quia omnem effectum, quem habet ſacramentum poſito charactere, poteſt habere ſine eo, ipſo non poſito; ergo ſuperfluit ipſum ponere ex ſola natura diuina, ſicut probatum eſt priùs per quartum argumentum, illud videlicet, *Deus & natura nihil agunt fruſtrà.* Ex eadem enim pactione, qua Deus inſtituit tale ſignum, ex eadem aſſiſtit ei, vt ſit vnum ſignum reſpectu cuiuſlibet ſignati, vel effectus, quem ſignat, ſine quocunque alio dando, quod ſignat. *Ad rationem oppoſitã n 5. Ex initerabilitate non rectè colligitur character.*

Item ratio eſt ad oppoſitum. Nam ſi ponatur character eſſe aliquod poſitiuum in anima, poteſt per diuinam potentiam auferri, & ab ea deleri, & maximè cùm inſit ei accidentaliter, & per accidens; ſed ſi anima ponatur configurari Chriſto, per hoc quòd ſuſcepit talem actum, qui iam tranſiit in præteritum, & per conſequens neceſſarium eſt ipſum talem recepiſſe, quia Deus non poteſt facere quin illum ſuſcepiſſet, ſequeretur quod illa figuratio eſſet omninò indelebilis magis

gis quàm ponendo characterem esse formam inhærentem animæ; ergo magis saluatur isto modo indelebilitas huius sacramenti, vel configurationis baptizati ad Christum, quàm ponendo characterem.

SCHOLIVM II.

Resoluit dandum esse, & infundi characterem &c. Maiores *de Bapt. postea definitum est in Florentin. in decreto Eugenij, & Trid. Sess. 7. can. 9. vide loca sanctorum apud Coccium citatum. Soluit primò argumenta principalia. Vide eum fusius de hoc in Oxon. hic quæst. 9. à num. 3.*

11. *Resolutio Doctoris, propter auctoritatem Ecclesiæ characterem esse ponendum.*

ALiter dicitur ad quæstionem quòd character imprimitur in Baptismo, & hoc propter auctoritatem Ecclesiæ sub Innocentio III. *extra de Bapt. & eius effect. c. Maiores*, vbi vult quòd operatio sacramentalis imprimat characterem, licèt dicta eius possent ibi faciliter exponi. Tamen propter dictum eius tantùm hoc teneo. Est enim possibile, & non includit contradictionem, talem formam posse à Deo in animam imprimi. Non tamen eius negatiua, scilicet quòd non detur, potest demonstrari, sicut nec affirmatiua. Ad hoc potest esse vna congruentia talis; congruit ad formam nobilem, & perfectam, esse aliquam dispositionem nobilem; huiusmodi est gratia, quæ semper in Baptismo confertur, nisi sit impedimentum in suscipiente: ergo, &c.

Congruenter ponendus est character.

Ad primum principale. Character Circumcisionis qualiter differt à charactere Baptismi

Ad rationes principales in oppositum. Ad primam potest dici vno modo negando antecedens, quòd in Circumcisione non imprimebatur character, quia ibi potest concedi impressio characteris. Et ad probationem, Aut est eiusdem rationis cum charactere, qui imprimitur in Baptismo, aut alterius? potest dici, quòd alterius rationis; & potest dici quòd vnius rationis duæ possunt esse in eodem: vt duæ obligationes in eodem seruo ad dominum suum. Vna, per quam absolutè adscribitur familiæ suæ; & alia specialis, per quam sibi sic adscribitur, vt in statu militari. Sic in eadem anima possunt esse duæ configurationes ad Deum eiusdem rationis, per quas cognoscitur esse de familia Christi. An autem sint absolutæ, vel respectiuæ, dicetur in quæstione sequenti.

Alia responsio.

Aliter potest dici negando consequentiam, propter rationem tactam, quia ad formam perfectam congruit esse dispositionem præuiam; gratia autem perfectior datur in Baptismo, quàm in Circumcisione, & ideò requirit perfectiorem dispositionem.

Ad secundū.

Ad aliud, dico, quòd per fidem, & charitatem, non constituitur in certo gradu Ecclesiæ militantis, quia illa Ecclesia ex bonis, & malis; iustis, & iniustis, colligitur, & ideò non requirit quòd habeat aliquam dispositionem præuiam. Sed per Baptismum constituitur homo membrum Ecclesiæ.

Ad tertium.

Qua ratione character dici potest delebilis, & indelebilis.

Ad aliud, dico quòd character est indelebilis, quia est forma supernaturalis, & multæ aliæ rationes assignantur, quarum nulla concludit, quia omnis forma supernaturalis sicut est immediatè à Deo, ita immediatè voluntariè ab eo conseruatur, quia suum *creuisse* non necessitat ipsum ad illud conseruandum; quia sicut contingenter hoc creat, ita contingenter conseruat; ergo sicut forma supernaturalis est à Deo immediatè, ita immediatè est delebilis ab ipso. Est ergo character ideò indelebilis, non quia non possit deleri absolutè, sed quia nunquam à Deo delebitur, quia statuit istud esse signum indelebile, nec est huius alia causa, nisi voluntas sua. Deus enim statuit quòd nullum supernaturale in nobis deleret, nisi per causam demeritoriam, sicut deleret virtutes infusas propter peccatum mortale. Character autem nullum oppositum habet demeritoriè, vel causam demeritoriam, quia stat cum peccato mortali; ergo est omninò indelebilis ex institutione diuina, & non quia est absolutum in genere Substantiæ, vel Accidentis.

Character stat cum peccato mortali.

SCHOLIVM III.

Soluit per optimam doctrinam argumenta, quæ incipiunt à num. 3. contra characterem militantia. Vide eum de his fusius in Oxon. quæst. 9. à num. 17.

12. *Ad primum argumentum sententiæ negantis characterem n. 4.*

AD primam rationem prioris opinionis, quando dicit quòd in aliis sanctificatis formaliter nihil imprimitur; ergo nec in consecrato per Baptismum; nego consequentiam, quia alia consecrata, sicut non sunt capacia sanctitatis formaliter, vt gratiæ, vel virtutis, ita nec dispositionis ad sanctitatem formalem vt gratiam; sed anima est capax vtriusque quodam ordine, & ideò licèt recipiat primum, scilicet characterem, vt dispositionem præuiam, non oportet quòd recipiat gratiam, ad quam disponit character, secundùm istam opinionem.

Quare in cōsecratis aliis ab homine nihil imprimitur.

Ad secundū.

Ad secundam, quando dicis, Deus non dat donum suum in illo actu, in quo quis peccat. Respondeo: hæc propositio si accipiatur vniuersaliter, sic est falsa, propter characterem, qui solùm infunditur actualiter in actu mortali, nec hoc est impossibile, quia Deus non vult sacramentum suum omninò frustrari; esset autem frustrà, si non haberet effectum suum proximum, scilicet characterem, vt in ficto, qui non habet, nec recipit effectum principalem, scilicet gratiam, & sic frustratur sacramentum Baptismi ab effectu eius principali impediente peccato mortali, quem talis non habet, non tamen frustratur ab eius effectu minùs principali immediato, cuiusmodi est character.

13. *Ad tertiam.*

Ad tertiam, quando arguitur, quòd donum gratum faciens non datur sine gratia, dico quòd hæc propositio est falsa, si vniuersaliter intelligatur; fides enim est donum gratum faciens, & potest infundi sine gratia, & manere gratiâ corruptâ. Et quando dicis quòd Deus neminem curat semiplenè, sed perfectè. Dico quòd est verum quantùm est ex se, & de potentia eius ordinata, licèt de potentia absoluta posset curare per virtutem vnam, & non per aliam, & ita posset in ficto recipiente hoc sacramentum, infundere dispositionem ad curam, etiamsi non perfectè curet, huiusmodi est character.

Fides potest infundi sine gratia.

Ad quartū. Sine charactere Baptismus non haberet suum totalem, & adæquatum effectum.

Ad quartam, dico quòd Baptismus nullo modo haberet effectum suum, qui est plena absolutio à pœna & à culpa, virtute huius sacramenti, nisi character ineesset. Posset tamen effectum principalem creare Deus de potentia absoluta sine effectu proximo, & immediato, sed non de potentia ordinata, quia non disponit dare effectum principalem huius sacramenti, nisi priùs habenti characterem, vt quoddam signum sacramenti.

Ad quintum. Ad quintam, quando arguitur, quòd ſine characterе adeò poteſt ſaluari diſtinctio fidelis ab infideli, ſicut cum eo; dico quòd licèt dè potentia abſoluta poſſet Deus facere quòd ſolummodo ſuſcipiens Baptiſmum, ſic diſtingueretur à non ſuſcipiente, & ſic adſcriberetur familiæ Chriſti, & non nō ſuſcipiens, voluit tamē Deus in inſtitutione huius ſacramenti aſſiſtere huic ad dandum characterem, tanquam effectum proximum, qui immediatè concomitatur ad ſuſceptionem ſacramenti.

Ad ſextum. Ad ſextam dico, quòd propter nullum illorum præcisè, & abſolute voluit Deus tale ſignum eſſe rememoratiuum actus recepti, ſed propter hoc, vt eum ſuſcipiens de familia Chriſti per Baptiſmum fieret, & intraret per portam Sanctorum, in qua primùm introitur in vitam ſpiritualem, & ideò voluit vt baptizatus haberet ex ſuſceptione ſacramenti huius aliquod ſignum, quo adſcriberetur familiæ ſuæ: & licet Chriſtus, vel Deus poſſet cognoſcere ipſum eſſe dę familia ſua, ex ſuſceptione ſacramenti; & non tantùm per illud ſignum impreſſum, voluit tamen quòd non ſolùm eſſet à ſe cognoſcibilis tanquam de familia per ſuſceptionem ſacramenti, ſed etiam vt ab aliis cognoſceretur eſſe de familia ſua ad maiorem gloriam ſuam, quod non eſſet ſine charactere.

Character reſpectu cuius dicitur ſignū rememorativum?

14. Obiectio prima. Sed contrà, ſi character ſit ſignum ſuſceptionis ſacramentalis, & ad maiorem gloriam eius, cùm Chriſtus non habuit characterem Ordinis, vel ſacerdotij, quia non ſuſcepit ab aliquo alio huiuſmodi ſacramenta, nec à ſe, quia nihil ſe ipſum in aliquo eſſe producit, ſequitur quòd Chriſtus non habuiſſet iſtam gloriam, quod non videtur verum, quia ipſe præ aliis hoc habuiſſet, ſi ei ad aliquam gloriam hoc pertinuiſſet.

Secundò. Item, tunc antiqui Patres primæ ætatis tempore legis naturæ, non habuiſſent iſtam gloriam, quia non fuerunt circumciſi.

Tertia. Item, tunc Sacerdotes habentes omnes characteres, tantùm haberent iſtam gloriam, & nulli alij, quod videtur inconueniens.

Ad iſtas inſtantias. Ad omnes iſtas inſtantias de Chriſto, antiquis patribus, & Sacerdotibus, poteſt dici quòd ſicut in natura creata ſunt aliquæ perfectiones non ſimpliciter, ſed in tali natura, quia ſunt perfectiones ſuppientes imperfectionem; ita poteſt dici de iſto quòd eſt perfectio ſupplens imperfectionem, & ideò non competit omnino perfecto, nec etiam competit illi perſonæ, in qua eſt aliqua perfectio maior, quàm ſit iſta, ſupplens imperfectionem.

Ad ſeptimū & octauum. Ad alia duo dico, quòd ſicut ſecundùm rationem naturalem non eſt ponenda pluralitas in naturalibus ſine neceſſitate naturali, ita ſecundùm rationem ſupernaturalem, & fidem, non ſunt plura ponenda vbi non poſſunt concludi auctoritate Scripturæ, fidei, vel Sanctorum, cùm nihil inueniatur de charactere ſcriptum ad propoſitum, nec poſſit probari per rationem, vel auctoritatem Sanctorum, tamen auctoritate Eccleſiæ ſolùm tanquam fidei probatur eſſe, ſicut patet ſuprà per dictum Domini Innocentij Papæ III. & ideò propter declarationem Eccleſiæ hoc teneo.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm character ſit aliqua forma abſoluta in anima?

Alenſ. 4 *part. quæſt.* 19. *num.* 1. D. Thom. 3. *part. quæſt* 63 *art.* 2. Albert. *hic art.* 3. D. Bonauent. *hic art* 1. *quæſt.* 1. Richard. *diſt.* 5. *art* 2. *quæſt.* 1. Durand. *diſt* 4 *quæſt.* 1. Scotus *diſt* 1 *quæſt.* 4 *art.* 2. Suar. *tom.* 3 *diſp.* 11. *ſect* 2. Scot. *in Oxon. hic qu. ſt.* 10. *vide eum* 7. *Phyſic. quæſt.* 4.

1. *Arg. primum negatiuum. Habitus definitio. Ariſtot.*

VOd nō, Tria ſunt in anima 2. Ethic. cap. 5. potentiæ, paſſiones, & habitus, character non eſt habitus, quia *habitus eſt, ſecundùm quem benè & malè operamur:* ſed quandoq; characterе non benè operamur, quia ſtat cum peccato mortali, ſicut cum merito.

Secundum. Item, ſi ſit aliqua forma abſoluta, non poteſt eſſe qualitas; pàtet diſcurrendo per ſpecies eius omnes; ergo.

Tertium. Item, forma abſoluta, habet propriam operationem: ſed character nullam habet virtutem operandi: ergo.

Quartum. Item omnis forma abſoluta eſt delebilis à ſubiecto, in quo eſt, character eſt indelebilis: ergo. Maior patet, tum, quia forma, à quo imprimitur poteſt deſtrui, quia non maioris virtutis eſt aliquid deſtruere quàm facere; ergo ſi character eſt forma abſoluta poteſt deleri ab eo, qui eam imprimit; Tum, quia omnis forma abſoluta in ſubiecto videtur habere contrarium, per quod poteſt corrumpi.

Ratio ad oppoſitum. Contrà, character eſt diſpoſitio ad gratiam, vt formam abſolutam, diſpoſitio eſt eiuſdem generis, cum eo ad quod diſponit: ergo.

Item, character aſſimilat animam baptizati Chriſto; ſed ſimilitudo eſt vnitas fundamenti in qualitate; ergo character eſt qualitas vna in aſſimilatis.

SCHOLIVM I.

Sententia D. Thomæ characterem neceſſariò eſſe formam abſolutam, ſuadetur quatuor rationibus: Refutatur primò, quia ipſe ponit ſignum *loco generis in eius definitione. Secundò, omnia quæ tribuuntur characteri, ſaluari poſſunt per reſpectum: & ſoluit per optimam doctrinam rationes D. Thomæ. Ad primum docet ad reſpectum extrinſecum dari per ſe motum, de quo in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 14. *& in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 1. *vbi probat dari reſpectum extrinſecus aduenientem, qui non reſultat poſitis fundamento, & termino: clariſſimè explicat quomodo hæc ſtare poſſint ſine vllo abſoluto.*

2. *Sententia D. Thom. probatur primo. Ariſtot.*

Hîc dicitur quòd character eſt forma abſoluta propter quatuor rationes. Prima eſt iſta, Mutatio non eſt niſi ad formam abſolutam, quia non eſt ad relationem ex 5. *Phyſ. text.* 10. ad characterem eſt mutatio, etſi non ad aliquam aliam formam abſolutam, patet in ficto baptizato, qui tamen recipit characterem ſine gratia.

Secundò. Item, ſecundò ſic: Relatio non eſt fundamentum relationis, quia tunc eſſet proceſſus in infinitum; ſed character eſt fundamentum relationis, quia eſt ſignum rememoratiuum reſpectu illius, qui poteſt per illud ſignum duci in notitiam ſignati: ſignum autem eſt eſſentialiter relatiuum, & ſimiliter character obligat & configu-

Quodlibet ſignum eſt relatiuum.

rat

rat animam Christo spirituali cognatione; ergo & multæ relationes fundantur super characterem.

Tertiò. Item character est quædam potestas, vt in Baptismo est potestas passiua, per quam fit homo habilis ad susceptionem aliorum sacramentorum: in Ordine autem est quædam potestas actiua ad multos actus sacros: in Confirmatione similiter; sed relatio non est potestas passiua, neque actiua ad multos actus, quia non est principium agendi vel patiendi, igitur.

Quartò. Item in quolibet sacramento imprimitur aliqua relatio animæ ad Christum; si igitur character tantùm esset relatio, quodlibet sacramentum imprimeret characterem. Propter hæc itaque quatuor ponitur character forma absoluta. Tum, quia ad ipsam est mutatio; Tum, quia fundamentum relationis; Tum, quia dignitas, vel potestas; Tum, quia talis potestas, quæ non conuenit cuilibet sacramento. Sed quicquid sit de conclusione, istæ rationes non concludunt, & ideò arguo contra eas.

Hæc sententia reiicitur. Et primò contra ponentem eas, nam opinans sic definit characterem, *est signum communionis diuinorum*, & dicit quod *signum* est relatiuum. Tũc arguo; nihil ponitur in definitione essentiali alicuius, quod est extra rationem eius essentialem, quia tunc definitio non indicaret quiditatem rei, sed illa, quæ ei accidunt. *Signum*, secundùm eum, ponitur vt genus in definitione characteris, quod est relatiuum: igitur ipsum definitum non potest esse absolutum.

Characteris proprietates minimè concludunt esse absolutum. Item, sicut plura non sunt ponenda sine necessitate, ita nec perfectius est ponendum propter aliquam aliam rationem necessariam, quàm propter illam, quæ potest concludi ex ista necessitate: sed secundùm sic opinantem, character ponitur habere istas proprietates, *distinguere*, *assimilare*, *configurare*, ex quibus non potest concludi quòd sit forma absoluta, sicut patebit in soluendo argumenta; igitur propter huiusmodi proprietates non est ponenda forma absoluta.

Ad primum arg. D. Thom. Respectuum alius intrinsecus, alius extrinsecus. Ad rationes igitur illas, quando arguitur, quòd ad formam relatiuam non est motus, vel mutatio, dico quòd est falsa; quod patet dupliciter. Primò, quia vna forma respectiua vel respectus ita intrinsecè aduenit, sicut illa, quæ oritur ex fundamento posito termino; quia relatio non potest oriri ex fundamento ablato termino, quia definitio & quiditas dependet à termino; ille igitur respectus ita intrinsecè aduenit, sicut potest aduenire quando oritur ex fundamento & termino; sed relatio extrinsecùs aduenians non necessariò oritur ex fundamento & termino, sed tantùm contingenter aduenit, posito fundamento & termino, quia aliter esset omnis relatio intrinsecùs aduenians, & nulla relatio extrinsecùs aduenies, quod est contra sic opinantem; vbi distinguit Prædicamenta. Potest igitur Deus talem respectum extrinsecùs venientem causare in anima absque mutatione ad aliam formam absolutam.

Ad relationẽ extrinsecus aduenientem potest esse motus. Item, aliqua actio potest esse noua absque mutatione præuia ad formam absolutam præcedentem. Patet de igne calefaciente lignum, quod priùs non calefecit, ad actionem autem nouam oportet relationem nouam præcedere, vel naturâ, vel tempore, quia aliter agens naturale non plus ageret in illud passum modò quàm priùs, vt patet in exemplo ad primam probationem. Illud autem nouum non est aliquid absolutum; igitur est respectus, & per consequens respectus potest esse nouus sine nouitate fundamenti, vel termini, & ita ad secundum potest immediatè esse mutatio.

Item, hoc patet in exemplo de igne agente in lignum. Ad hoc enim quòd ignis modò agat in lignum, & priùs non, non requiritur aliqua forma absoluta præcedere in igne, vel in ligno, quia ignis per formam suam absolutam agit, & lignum patitur sine omni mutatione ad formam absolutam, sed tantùm requiritur, & præcedit approximatio agentis ad passum, quæ non est nisi noua relatio, & noua mutatio ad *Vbi* tantùm, & ad nullam formam absolutam; nec ista mutatio secundùm *Vbi* necessariò requiritur, quia si agens, & passum essent summè approximata, & non possent agere, & pati propter impedimentum, vt propter obstaculum, amoto impedimento sine omni mutatione ad *Vbi*, vel alia approximatione, possunt statim agere & pati ad inuicem: Si igitur natura potest causare respectum sine forma absoluta noua, multò magis potest Deus respectum ab extrinseco aduenientem causare sine alia forma absoluta; talis autem respectus ponitur character, si sit respectus, quem Deus potest creare in anima respectu ad Christum sine mutatione eius ad formam aliquam absolutam præuiam.

Respectus extrinsecus aduenies potest causari sine positione noue forme absolute.

Philosophus tantùm negat motum ad relationẽ intrinsecus aduenientem. Intentio autem Philosophi planè est contra istam opinionem, quia Philosophus non negat mutationem posse fieri ad omnem respectum, sed tantùm ad respectum intrinsecùs aduenientem, qui propriè est relatio, vt distinguitur à generibus respectiuis. Non negat autem hoc de relatione adueniente extrinsecùs, quia concedit ad *Vbi* esse motum tam rectum, quàm circularem: & tamen *Vbi* non est nisi quidam respectus extrinsecùs aduenies.

Ad secundũ argumentũ. Item secunda ratio non concludit, quia omnes illæ proprietates possunt conuenire characteri, etiamsi ponatur relatio formaliter; quod enim primò dicitur, Relatio non potest esse fundamentum relationis, vel similitudinis, si esset relatio, dico quod assumptum est falsum, quia duo habentes relationes eiusdem rationis possunt dici similes secundùm illas; nam secundùm Euclidem in principio Geometriæ *proportionabilitas est formaliter similitudo proportionum, secundùm quam proportiones dicuntur similes*, & tamen proportionabilitas est formaliter relatio, secundùm quam fit assimilatio proportionum, igitur habens characterem potest secundùm illum formaliter assimilari, licet sit formaliter relatio.

Euclides. *Relatio fundat relationem.*

Item, si sit ipse character relatio; potest dici signum rememoratiuum; ex quo enim inest ipsi baptizato, quicunque potest cogitare ipsum inesse sibi, potest cogitare ipsum recepisse Baptismum, & esse adscriptum familiæ Christi.

Per votum quis obligatur sine nouo aliquo absoluto. Item, licèt ponatur relatio, potest configurare animam Deo, & ipsam obligare ad debitum persoluendum, sicut obligatur, & confirmatur aliquis Religiosus per votum suum Christo, in tali gradu ad ipsum, sine aliquo nouo absoluto in ipso. Character igitur etsi ponatur sola relatio, adhuc potest fundare relationem spiritualis configurationis, & obligationis animæ ad Christum, & qui videt istam relationem in anima, videt characterem, & è conuerso; quia character est talis relatio. Nec obstat quòd relatio non potest esse fundamentum relationis, quia, vt dictum est priùs, proportio, quæ est relatio, fundat similitudinem,

Similitudo ſtrictè ſumpta in ſola qualitate fundari poteſt.

dineſm,& ſic ſtrictè accipiendo *ſimilitudinem*,non fundatur ſimilitudo,niſi ſuper qualitatem, ſicut æqualitas ſuper quantitatem, & identitas ſuper ſubſtantiam; non tamen communiter ſumendo iſta. Sic identitas concernit omne genus, in quãtùm fundari poteſt ſuper omnem formam eiuſdem ſpeciei in diuerſis comparando vnum ad aliud, ſiue ſit forma accidentalis, ſiue ſubſtantialis.

6. *Ad tertium argum.*

Ad tertium dico, quòd character etſi non ſit forma abſoluta, eſt tamen poteſtas, non quidem faciendi aliquid vt actiuum, nec patiendi aliquid vt paſſiuum; ſed dicitur eſſe poteſtas inſtrumentaliter agendi, vel patiendi, alio principaliter agente, ſic vt principium actiuum, vel paſſiuum; nam per characterem, vt per principium actiuum, non elicitur aliqua actio, quæ non priùs eliciebatur, quia habens characterem non poteſt in aliquem actum humanum, in quem non potuit priùs quàm habuit characterẽ, vel in quem non poſſet non habens characterem. Ita enim poteſt verba proferre, & abluere non habens characterem Ordinis, ſicut habens. Solùm igitur inſtrumentaliter dicitur character poſſe, vel poteſtas reſpectu gratiæ, non quia agit ad gratiam, ſed quia Deus aſſiſtit ad dandum gratiam, vbi anima charactere ſibi conſignatur, quantùm eſt ex parte Dei. Hoc patet in exemplo de Epiſcopo, qui dicitur aliquid poſſe ex officio Epiſcopatus, quod non poteſt priùs; non quia aliquid abſolutum nouum modò ſit in eo, quod non priùs; quia ſecundùm iſtos, Epiſcopus de nouo non recipit alium ordinem, nec per conſequens characterem, ſed quia recipit nouam relationem ad nouum gradum in Eccleſia, per quam ſpecialiùs & excellentiùs Deo configuratur, quàm priùs. Similiter Iudex de nouo dicitur aliquid poſſe, quod non priùs, non quia aliquid abſolutum aliud ſit cauſatum in eo nunc quàm priùs; quia omnem actum humanum, ſiue bonum, ſiue malum, poteſt non Iudex exercere, ſicut Iudex; ſed quia agens principale aſſiſtit ad actum vnius, & non alterius; & ex hoc vnus dicitur habere poteſtatem, & alius non.

Character quomodo dicitur poteſtas.

Exemplificatur.

Ad poteſtatẽ vel ſic nihil abſolutum requiritur.

Similiter eſt de Religioſo obligato Deo per votum, ſecundùm quòd configuratur Deo, non per aliquod abſolutum, magis quàm non obligatus. Non oportet igitur characterem eſſe formam abſolutam, quia ſecundùm illum dicitur aliquis poſſe in aliquem actum, in quem non poteſt alius, ſed quia Deus aſſiſtit habenti characterem ad effectum aliquem, & non aſſiſtit non habenti.

Ad ſacramẽtalia recipienda non prærequiritur forma aliqua abſoluta.

Eodem modo eſt de poteſtate ſuſcipiendi ſacramenta alia, vt Ordinem, & Confirmationem, quia non requiritur alia forma abſoluta in baptizato, ad hoc vt poſſit recipere alia ſacramẽta, vel quòd character, qui imprimitur in Baptiſmo ſit forma abſoluta, mediante qua ſuſcipiat characteres aliorum ſacramentorum, ſed ſufficit ſola aſſiſtentia Dei dantis effectus congruos ſacramentis. Sicut enim in Religioſo profeſſo dicitur ineſſe poteſtas ſuſcipiendi Ordines, non autem in nouitio; non per aliquid abſolutum in vno, & non in alio, ſed propter alium reſpectum eorum ad Prælatum. Sic in propoſito, quòd Deus eſt paratus ad dandum gratiam habenti characterem, & alia ſacramenta, quæ non daret non habenti ipſum. Patet igitur quòd non oportet ponere characterem formam abſolutam, nec propter poteſtatem actiuam, quam habet in Confirmatione, & Ordine, nec propter poteſtatem paſſiuam, quam habet ad ſuſcipiendum alia ſacramenta.

7. *Ad quartũ.*

Ad quartum dico, quòd deſtruit primum argumentum. Primò, quia ſi in ſuſceptione cuiuſlibet ſacramenti imprimatur reſpectus, & non character, vel gratia, quia non exiſtenti in peccato mortali, igitur ad ſolum reſpectum erit mutatio, cuius oppoſitum voluit per primam rationem concludere. Dico ad rationem in ſe, quòd illa ſacramenta, quibus conſtituitur homo ſecundùm certum gradum de familia Chriſti, imprimunt characterem, ſicut eſt de Confirmatione, Ordine, & Baptiſmo, per quæ homo conſtituitur in determinato gradu in Eccleſia. Nam per Confirmationem conſtituitur homo in ſtatu militari in Eccleſia ad defendendum fidem Chriſti. Per Baptiſmum, & Ordinem in aliis gradibus Eccleſiæ: Sacramenta autem, quibus non ſic conſtituitur homo ſecundùm determinatum gradum de familia Chriſti, non imprimunt characterem: non igitur propter rationes prædictas oportet ponere characterem eſſe formam abſolutam.

Quare tria tantùm ſacramenta imprimunt characterem.

Duo dubia.

Sed hîc ſunt duo dubia. Vnum, quid ſit fundamentum characteris, ſi ſit reſpectus? Secundum dubium, ſi characteres ſunt reſpectus, quibus diſtinguuntur characteres?

Solutio primi.

Ad primum dico, quòd ſi ponatur reſpectus fundatus in anima exiſtente in puris naturalibus, ſiue fundetur in eſſentia animæ, ſiue in eius potentia, de quo dicetur in proxima quæſtione, licèt relatio intrinſecùs adueniens, quæ conſequitur naturam extremorum, non poſſit de nouo in aliquo fundari, niſi vel fundamentum ſit nouum, vel terminus ponatur de nouo, non tamen hoc eſt neceſſe de reſpectu extrinſecùs adueniente, quia aliter non diſtingueretur reſpectus extrinſecùs adueniens à reſpectu intrinſecùs adueniente; character igitur, ſi eſt reſpectus, ponetur reſpectus extrinſecùs adueniens.

Relatio intrinſecus adueniẽs requirit nouum fundamentũ & terminum.

Solutio ſecundi.

Ad ſecundum dubium dico, quòd ſicut characteres diſtinguerentur ſeipſis, ſi eſſent formæ abſolutæ, ita ſi ponatur reſpectus, diſtinguuntur ſeipſis formaliter. Quia ſicut in politiis humanis conſtituitur aliquis in diuerſis gradibus talis politiæ, ita & in politia Chriſti conſtituitur aliquis in vno gradu familiæ Chriſti per vnum characterem, & in alio per alium.

SCHOLIVM II.

Definitio characteris cum ſingulari explicatione particularum eius: problematicus manet Doctor, an ſit forma abſoluta, vel reſpectiua: falſum eſt quod quidam dicunt, ipſum tenere quòd ſit tantùm relatio rationis: quia tantùm ait propugnari poſſe, quòd ſit reſpectus extrinſecus realis, terminans mutationem realem. Vide in Oxon. Scholium ad num. 13. Tenendo eſſe abſolutum, facilius ponitur in prima ſpecie Qualitatis.

8. *Reſolutio Doct. problematica. Definitio characteris exponitur. Explicantur ſingulæ definitionis particulæ.*

DIco igitur ad quæſtionem, ponendo primò rationem generalem characteris continentem etiam aliquas proprietates eius. *Eſt enim character forma ſpiritualis impreſſa in anima cuiuſlibet ſuſcipientis ſacramentum materiale, indelebiliter permanens, ſignans ex inſtitutione diuina gratiam illius ſacramenti, ad illam efficaciter diſponens.* Quòd autem character ſit forma, patet, ſiue ſit abſoluta, ſiue

ſiue reſpiciens. Vtrùm autem ſit forma reſpectiua, vel abſoluta, vt habitus, vel diſpoſitio qualitatis, non credo quòd poſſit demonſtratiuè probari. Quia ſi ratio non poteſt haberi, per quam demonſtretur eſſe, multò minùs per quam demonſtretur eſſe in tali, vel in tali genere; nec poteſt probari à priori, vt à cauſa ſua, quæ eſt Deus: quia ipſa cauſa voluntariè tantùm & contingenter cauſat. Nec à poſteriori, vt ab effectu eius, quia non habet aliquem actum, quo poteſt à nobis cognoſci. Similiter patet ſecunda conditio quòd ſit *impreſſa in anima ſuſcipientis ſacramentum* initerabiliter; non quòd per illud ſacramentum imprimatur in anima, ſed quòd Deus aſſiſtens ſacramento ipſam imprimat. Et etiam eſt *indelebiliter permanens*, quia nullum ſupernaturale debetur in nobis, niſi per cauſam demeritoriam; character non habet talem cauſam, quia manet in malo, & ficto. Eſt etiam *ex inſtitutione diuina ſignans gratiam*; ſi enim ponatur character eſſe forma abſoluta, tunc hæc particula non eſſet de eſſẽtia eius, quia reſpectus importatus per ſignũ non eſt de eſſentia abſoluti Eſt igitur proprietas reſpectiua conſequens formam abſolutam, quia ſignat ſemper gratiam ineſſe animæ, niſi fictio inſit. Eſt etiam *ad gratiam diſponens*, vt ſignum ad ſignatum, quia quando duæ formæ ſunt ſimul in aliquo impreſſæ ab eodem agente, quarum vna eſt imperfectior alia, forma imperfectior eſt diſpoſitio reſpectu formæ perfectioris: gratia & character ſunt in anima impreſſi à ſolo Deo, & non ex æquo, quia character eſt imperfectior gratia: ergo.

Non poteſt demonſtrari characterem eſſe formam abſolutam, vel reſpectiuam.

Character eſt diſpoſitio ad gratiam, & illa imperfectior.

Suppoſito etiam quòd character eſſet forma abſoluta, non poſſet poni niſi qualitas abſoluta, quia nec ſubſtantia, nec quantitas. Non ſubſtantia, quia eſt accidens potens adeſſe & abeſſe præter ſubiecti corruptionem. Nec quantitas, quia eſt forma ſpiritualis, & ſimplex; igitur eſt qualitas.

Character ſi ſit forma abſoluta eſt qualitas. Opinio Rich. Bonau. & aliorũ negãtium characterem eſſe in ſpecie qualitatis.

Sed dubium eſt quæ qualitas? & in qua ſpecie Qualitatis ſit?

Hic dicitur quòd eſt qualitas, non tamen in genere Qualitatis, vel aliqua eius ſpecie. Quod confirmatur per hoc, quia multæ ſunt huiuſmodi qualitates: quia ſecundùm Philoſophum 10. Metaphyſ. text. 16. *corruptibile & incorruptibile plus differunt quàm genere*: igitur multò magis forma naturalis & ſupernaturalis plus differunt, quàm corruptibile, & incorruptibile, & per conſequẽs naturale, & ſupernaturale plus differunt quàm ſecundùm genus, quia vtrumque iſtorum continetur ſub vno iſtorum; quia tam corruptibile, quàm incorruptibile, cõtinetur ſub ente naturali. Forma igitur characteris, etſi ſit qualitas aliqua, quia tamen ſupernaturalis, non eſt in genere, nec in aliqua ſpecie Qualitatis.

Impugnatur hæc ſententia primò.

10.

Contrà, charitas, fides, ſpes, non obſtante quòd ſint habitus ſupernaturales, verè ponuntur in genere Qualitatis ſecũdùm aliquam eius ſpeciem, vt primam; igitur ſupernaturalitas non impedit quin aliquid ſit in genere.

Secundò. Supernaturale, vel naturale dicitur in ordine ad agens.

Item, naturalitas & ſupernaturalitas effectus, non ſunt niſi conditiones entis per comparationem ad agens; ſed comparatio ad agens aliud, & aliud, non variat aliquid eſſe in genere: quia res ponitur in genere formaliter per eſſentiam propriam, & formalem rationem eius, circumſcripto reſpectu ad cauſam extrinſecam.

Dictum etiam Philoſophi non valet pro eis, quia ipſe intelligit tibi quòd corruptibile & incorruptibile plus differunt, quàm ſecundùm genus Phyſicum; quia non habent idem ſuiceptiuum; non quòd differant ſecundùm omne genus, vel omni modo, ita quòd in nullo genere Logico conueniant. Primo enim modo differunt, ſcilicet ſecundùm genus Phyſicum, omnia, quæ non ſunt tranſmutabilia ad inuicem, quæ tamen poſſunt eſſe, & ſunt in eodem genere Logico, aliter enim rationale & irrationale non eſſent in eodem genere.

Corruptibile & incorruptibile differunt genere exponitur.

Aliter dicitur, quòd character, pro quo configurat animam Chriſto, eſt in quarta ſpecie Qualitatis; in quantùm verò eſt principium aſſimilandi habentem characterem alij habenti illum, in tertia ſpecie; inquantum verò diſponit ad gratiam, eſt diſpoſitio in prima ſpecie; inquantum verò immobiliter, vel indelebiliter permanens, eſt habitus in prima ſpecie.

11.

Alia Rich. ſententia.

Sed iſta reſponſio non valet, quia licèt character ſecundùm diuerſas proprietates conueniat cum diuerſis ſpeciebus qualitatis, non tamen eſt formaliter tot quiditates, ſed tantùm formaliter vna quiditas, ſecundùm quam ſi ſit in genere, oportet eſſe in aliqua eius ſpecie determinatè.

Refutatur.

Aliter dicitur, quòd determinatè eſt in quarta ſpecie, quia configurat animam Chriſto. Sed illud nihil eſt; quia nihil conſtituitur in aliquo genere, vel ſpecie, per illud, quod tranſumptiuè, vel figuratiuè tantùm ſibi conuenit, ſic enim Chriſtus, qui dicitur *lux mundi*, propter aliquam proprietatem eius figuratiuam, eſſet in genere Qualitatis, ſicut lux; vel in ſpecie ſubſtantiæ inſenſibilis, quia dicitur *lapis*, vel irrationalis, vt *leo*; ſed character non dicitur figura formaliter, ſed tantùm tranſumptiuè, quia figura eſt proprietas qualitatis corporalis tantùm; ergo character non eſt in quarta ſpecie Qualitatis.

Tertia ſententia. Reiicitur primò.

Character dicitur configurare animam Chriſto figuratiuè tantùm.

Item, iſto modo poſſet dici quòd ſpecies intelligibilis, quæ configurat intellectum obiecto eſſet in quarta ſpecie Qualitatis, quod eſt falſum.

Secundò.

Aliter ponitur, quòd character eſt in prima ſpecie Qualitatis, vt habitus; aliter quòd ſit in ſecunda ſpecie, vt potentia quædam ſupernaturalis.

Reſolutio Doctoris. Character eſt in prima, vel ſecunda ſpecie qualitatis.

Dico tamen quòd ſicut non eſt medium ad probandum quòd ſit, ita nec ad demonſtrandum quid ſit: quia quæſtio *quid eſt?* præſupponit quæſtionẽ *an eſt?* & in demonſtrando, & in cognoſcẽdo; & ita multò magis non poteſt eſſe medium ad demonſtrandum quòd ſit in aliqua ſpecie Qualitatis, ſicut in prima, vel in ſecunda: Si enim ponatur habitus in prima ſpecie, hoc non poteſt benè probari.

12.

Solus habitus acquiſitus dat operarẽ facilitèr.

Si arguitur: habitus eſt, quo faciliter, & benè nos habemus ad operandum; character non eſt huiuſmodi; ergo. Maior eſt falſa de habitibus infuſis, ſolùm enim ille habitus dat faciliter operari, qui generatur ex actibus noſtris, non abſolutè, ſed talibus, vel talibus, vt habitus acquiſitus. Poſſet etiam aliquis habitus generari ex actibus non modificatis, ſed abſolutè ſecundùm ſubſtantiam actus, quo non habemus nos benè, vel malè ad agendum. Omnis tamen forma in intellectu, ſiue ſit ſpecies, ſiue habitus, dummodò tamen ſit manſiua, poteſt dici habitus aliquo modo, & tamen non dat benè, vel malè operari; quia ſecundùm illos, qui ponunt characterem eſſe habitũ, ſpecies eſt principiũ intelligendi abſolutè.

Item,

Datur habitus indifferẽs ex actibus talibus.

Item, ſicut ex actibus bonis poteſt generari habitus inclinans ad bene operandum, & ex actibus malis habitus malus ad malè operandum, ita ex actibus indifferentibus poteſt generari habitus indifferens, nec inclinans ad benè operandum, nec ad malè, nec faciliter, nec difficulter, ſed ad abſolutè operandum.

Inſtantia.

Item, habitus ſupernaturales non dant faciliter operari. Patet de infideli, & fideli: ergo non eſt de ratione eſſentiali habitus talis quòd ſic, vel ſic inclinetur.

Solutio. Quomodo character dicitur habitus?

Dices quòd omnis habitus ſupernaturalis dat benè agere, & ita dat benè agere quòd etiam dat ſic agere, & per conſequẽs quòd ſic ad agendum inclinat.

Replica.

Ad hoc dico, quòd ideò dicitur dare benè agere, quia determinatè inclinat ad bonum, & iſto modo poteſt character dici habitus, quia determinate inclinat ad bonum, & ad bene agere inquantùm habitus remotus.

Solutio.

Si dicas quòd character eſt in prima ſpecie Qualitatis, vt diſpoſitio, & non vt habitus, quia diſponit ad gratiam.

Imperfectior habitus poteſt ad perfectiorem diſponere.

Reſpondeo, vnus habitus poteſt eſſe diſpoſitio ad alium, vt imperfectior ad perfectum, & tamen vterque eſt habitus. Ita in propoſito, etſi character diſponat ad gratiam, verè tamen eſt habitus, etſi imperfectior illo ad quem diſponit.

Omnes formæ ſupernaturales ſunt in genere qualitatis predicamentalis.

Si etiam contra viam ſecundam dicatur, quòd non eſt in ſecunda ſpecie Qualitatis, & hoc probetur per omnem proprietatem potentiæ naturalis, vel impotentiæ, ſecundùm quas dicuntur omnia eſſe in illa ſpecie: Dicetur quòd Philoſophus tantùm loquitur de naturali potentia, & non de ſupernaturali, cuiuſmodi eſt character ſecundùm iſtos.

Sed hæc reſponſio non valet, quia ſecundùm hoc non poſſet probari habitum aliquem ſupernaturalem eſſe de prima ſpecie Qualitatis, quia dicetur tibi quòd Philoſophus tantùm locutus eſt de habitu naturali, & non ſupernaturali. Sed quomodocunque ſit de hoc, non videtur mihi ratio neceſſaria ad oſtendendum ipſam eſſe in prima ſpecie Qualitatis, vel in ſecunda, ſicut nulla ratio neceſſaria eſt ad oſtendendum ipſam eſſe.

13. *Ad primum principale.*

Secundùm dicta poteſt reſponderi ad argumenta vtriuſque partis. Ad primum, ſi ponatur habitus, patet reſponſio, quòd non oportet ſecundùm ipſum bene, vel malè, vel faciliter operari, inquantùm habitus, quia hoc ſolius habitus acquiſiti eſt, vt patet ſupra; non verò alicuius infuſi. Sed ideò poteſt dici habitus; quia eſt immobilis, & indelebilis; eſſe autem difficile mobile eſt vna conditio habitus, & etiam inclinat ad benè agendum vt habitus remotus, ſed non immediatè, vt principium formale elicitiuum proximum. Per hoc patet reſponſio ad ſecundum, in qua ſpecie Qualitatis eſt ponendus.

Ad textum.

Ad argumentum tertium dico, quòd non oportet ipſam formam abſolutam de genere Qualitatis eſſe principium operationis immediatè, ſed vel ſic, vel ſic diſpoſitionem ad formam, quæ eſt principium proximum & immediatum operationis, & ſic eſt in propoſito. Diſponit ergo character ad gratiam, vt ſignum proximum, cuius non eſt ex natura ſua, ſed ex inſtitutione diuina, quia Deus diſpoſuit aſſiſtere ſemper ſuo ſigno, vt ſit verum, quantùm eſt ex parte ſui, & habeat ſecum ſignatum ſuum.

Character eſt diſpoſitio ad gratiam ex diuina inſtitutione.

Ad quartũ.

Quod verò vlteriùs additur, quòd tunc poſſet corrumpi; dico quòd dicitur incorruptibilis, quia nullam caulam corruptiuam habet. Si enim aliquam haberet, illa ſolùm demeritoria eſſet; quia nullum ſupernaturale habet aliud corruptiuum. Sed tamen demeritoriam non habet. Patet, quia manet in fictis; Deus tamen de potentia ſua abſoluta poſſet ipſum corrumpere, vt *ſupra* dictum eſt.

Ad rationes in oppoſitum.

Ad primum in oppoſitum, dico ſecundùm aliam viam, quòd non eſt diſpoſitio ad gratiam ex natura ſua, ſed ex aſſiſtentia Dei, qui ei aſſiſtens dat gratiam omni habenti illud ſignum.

Ad aliud, patet quomodo anima poteſt dici aſſimilari, &c. nõ quòd ſit ſola relatio, quia ſecundùm relationes eiuſdem ſpeciei poteſt attendi ſimilitudo.

QVÆSTIO X.

Vtrùm character ſit in eſſentia animæ?

Alenſ. 4. *part. quæſt.* 19. *memb* 3. D. Bonauent. *hic.* 1. *part. art.* 1. *quæſt.* 3. Richard. *diſt.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 2 D. Thom. 3. *part. quæſt.* 61. *art.* 4 Durand. *diſt.* 4. *quæſt.* 1. Aureol *ibid quæſt.* 1. *art.* 4. Gab. *hic quæſt* 2. *art.* 3. Suarez 3. *tom. diſp.* 11. *ſ.* 2. Scot. *in Oxon. hic quæſt.* 11.

1. *Argumentũ negatiuum.*

QVòd non: Character diſponit ad fidem, quia per eum diſtinguitur fidelis ab infideli; diſpoſitio autem & illud, ad quod diſponit, ſunt in eodem, fides eſt in potentia animæ, non in eſſentia; igitur, &c.

Affirmatiuũ.

Contrà, character diſponit ad gratiam; ſed habitus & diſpoſitio eodem modo ſunt in eodem ſubiecto, ſicut tu accipis; ergo cùm gratia ſit in eſſentia animæ, erit & character, qui eſt diſpoſitio eius.

SCHOLIVM I.

Sententia D. Thomæ characterem eſſe in intellectu, refellitur, quia eſt diſpoſitio ad gratiam, & hæc ſecundùm ipſum eſt in eſſentia animæ; ergo eius diſpoſitio non poteſt eſſe in poſteriori ſuſceptiuo, Reiicit clariſſimè rationes D. Thomæ.

2. *Opinio D. Thomæ.*

HIc dicitur quòd character non eſt in eſſentia animæ, ſed in eius potentia intellectiua principaliter, & non in voluntate. Primum declaratur ſic, nam anima, & potentia ſpiritualitati proportionabiliter ſubſtituũtur, ſicut perfectibile perfectioni, vnde ſicut gratia, quæ eſt quædam vita ſpiritualis, eſt in eſſentia animæ, quæ eſt vita corporis per ſe; ita character, qui eſt quædam ſpiritualis potentia, eſt in potentia naturali, & non in eſſentia niſi mediante potentia.

Sed in qua potentia? Dicitur quòd in potentia intellectiua, quia character principaliter reſpicit imaginem, cùm ſit quædam figuratio trinitatis creatæ ad Trinitatem increatam. Imago autem principaliter conſiſtit in intellectiua parte, quia ex memoria & intelligentia oritur voluntas; vnde tota imago eſt in intellectiua, vt in radice. Et ideò omne quod attribuitur homini ratione imaginis, principaliter reſpicit in totum ex conſequenti affectum.

Contrà, diſpoſitio ad formam nunquam eſt in ſubiecto, vel ſuſceptiuo poſteriori ſuſceptiuo formæ.

Impugnatur primò.

formæ. Patet in diſpoſitione ad formam, deſcendendo per ſingulas diſpoſitiones; ſed character eſt diſpoſitio ad gratiam: ergo non eſt in ſubiecto, vel ſuſceptiuo poſteriori ſuſceptiuo gratiæ; ſi igitur gratia ſit in eſſentia animæ, conſtat quòd potentia animæ eſt poſterior eſſentia animæ, quia ſecundùm eum, eſt accidens eius; igitur character nullo modo erit in potentia animæ.

Secundò.

Item, conſequentia iſtius nihil valet, quia non ſequitur, ſi gratia eſt principium vitæ ſpiritualis; ergo erit in eſſentia animæ, à qua primò eſt vita, ſicut in ſubiecto. Primò, quia prima perfectio ſupernaturalis eſt in anima ſecundùm primam perfectionem eius naturalem: ſed prima perfectio naturalis eſſentiæ animæ eſt eius potentia, & prima perfectio ſupernaturalis eſt gratia: igitur ipſa erit primò in potentia.

Tertiò. Potentia naturalis eſt ſubiectum immediatum ſupernaturalium.

Item, habitus ſupernaturales non ponuntur in habitibus naturalibus, vt in ſuis propriis ſuſceptiuis: ſed ſuſceptiuum vtriuſque eſt potentia immediatè: igitur à ſimili in eodem ponentur vt in ſubiecto ſuſceptiuo, puta potentia ſupernaturalis, & naturalis: igitur ſi potentia naturalis immediatè ſit in eſſentia animæ, & character, qui, ſecundùm eum, eſt quædam potentia ſupernaturalis in ſecunda ſpecie Qualitatis.

4. Quartò.

Item, quod poſtea ſecundò dicitur, quòd voluntas oritur ex intellectu, & continetur in eo, vt in radice; quæro quomodo intellectus continet voluntatem, aut vt materiale priùs ordine naturæ ſuo formali continet ſuum formale? & ſic non conſiſtit imago principaliter in intellectu, ſed in voluntate, quia non præcedit vt radix, niſi tantùm prioritate ordinis, & imperfectionis, quia omnis talis continentia eſt imperfectioris ad perfectius. Si autem intelligitur continere voluntatem & totam imaginem virtualiter, & continentia virtuali, tunc eſſet intellectus potentia perfectior quàm voluntas, quod eſt falſum, quia quod ordinatur ad aliud eſt imperfectius eo: intellectus & actus eius ordinatur ad voluntatem, ergo. De hoc aliàs.*

Voluntas intellectu perfectior.

**Infrà d.49. quæſt.4.*

SHOLIVM II.

Vera ſententia charactérem eſſe in voluntate, in qua eſt gratia, ad quam diſponit, vt probat Doctor 2. d.26.q.vn.& charitas, quæ indiſtincta eſt à gratia, vt probat ibidem d.27.q.vnica.

5. Deciſio quæſtionis.

**1 7.q.2. Charactérem ſubiectari in voluntate probatur.*

REſpondeo ad quæſtionem, quòd gratia non eſt aliud quàm charitas, vt oſtenſum eſt in primo libro *. Charitas eſt ſubiectiuè in voluntate, formaliter eam perficiens; igitur & gratia: ſed gratia eſt principalis effectus huius ſacramenti, & cuiuſlibet alterius, ad quem principaliter ordinatur, & quam concomitantur fides, & ſpes, quia Deus non infundit gratiam ſine aliis virtutibus; igitur cùm Baptiſmi effectus ſit ablutio animæ à peccato, & hoc præcisè fiat per gratiam, ſequitur quòd principalis effectus Baptiſmi ſit gratia; gratia eſt in eodem, in quo charitas, ſcilicet in voluntate; ſed probabile eſt diſpoſitionem ad aliquem effectum recipi in eodem, in quo recipitur effectus principalis, ad quem diſponit; igitur character, qui diſponit ad gratiam, erit in voluntate, ſicut & gratia.

Confirmatur charactérem eſſe ſignum obligationis animæ ad Deum.

Confirmatur ratio, quia charactér eſt ſignum cuiuſdam obligationis animæ ad Deum, & importat talem obligationem in eodem: igitur erit character ſubiectiuè in quo & obligatio; ſed obligatio eſt in voluntate, quia ſicut obligatio facta ab homine, eſt in eius voluntate, ita facta Deo erit in eius voluntate, igitur character, quo anima obligatur Deo, erit in voluntate, per cuius actum homo voluntariè ſeipſum obligat Deo.

6. Ad argumentum principale.

Ad rationem in contrarium dico, quòd character primò & principaliter eſt diſpoſitio ad gratiam, & ex conſequenti ad alias virtutes quæ non infunduntur niſi per gratiam. Et ſic ex prædictis quæſtionibus de Baptiſmo, patent particulæ definitionis ſuprà poſitæ, & quomodo ipſa continet omnes iſtas quæſtiones quæſitas de Baptiſmo.

DISTINCTIO VII.

De ſacramento Confirmationis.

QVÆSTIO I.

Quæ ſit definitio ſacramenti Confirmationis?

Alenſ. 4 *part. quæſt. 24. memb. 2.* D. Bonauent. *hic art. 1. q 1.* Richard. *art. 1 quæſt. 1. & 2.* D. Thom. *quæſt. 1 art. 1. & 3. part. quæſt. 65. art. 1. & quæſt. 72. art. 4.* Suar. *ibi diſp. 32.* Coccius *Theſ tom. 2. lib 5 art. 10.* Bellarm *lib. 2 de ſacram. Confirm.* De miniſtro vide Alenſ. *quæſt. 28. memb 1. art. 3.* D. Thom. *quæſt. 72. art. 11.* D. Bonauent. *hic art. 1. quæſt. 3.* Richard. *art. 2. quæſt. 1.* Suar. *3. tom. diſp. 36.*



1.

Irca Diſtinctionem ſeptimam, vbi Magiſter determinat de ſacramento Confirmationis, procedendum eſt circa hoc ſacramentum ſicut circa primum. Primò ponenda eſt interpretatio, & ſignificatio nominis per deſcriptionem, vel definitionem eius, quæ talis eſt:

Definitio Confirmationis.

Confirmatio eſt vnctio non inuiti cum chriſmate ſanctificato per Epiſcopum, ficta in fronte ſigno crucis, à miniſtro idoneo ſimul inungente, & verba cum intentione debita proferente, ſignans ex inſtitutione diuina vnctionem animæ interiorem, roborantem eam per fidem interiùs ad confitendum conſtanter fidem crucifixi.

SCHOLIVM I.

Primò præmiſſa definitione Confirmationis exactiſſimè explicat ſingulas eius particulas, ex parte materiæ, formæ ſuſcipientis, & miniſtri. Soluit duas inſtantias contra doctrinam datam. Secundò ſupponit vt certum, hoc ſacramentum ſub forma, & materia, quibus nos vtimur, fuiſſe à Chriſto inſtitutum, nihil tamen determinando de tempore inſtitutionis eius, quia de eo nihil eſt certum. Probabile tamen eſt fuiſſe inſtitutum in nocte cœnæ, ex Fabiano Papa epiſt. 201.

2. Confirmationis materia.

IN hac deſcriptione primò ponitur materia propinqua, & remota. Propinqua autẽ eſt ipſa vnctio corporis exterior, ſicut materia propinqua Baptiſmi, eſt ablutio corporis in aqua, & non ipſa aqua ſola; & ſimiliter hîc vnctio facta in fronte cum chriſmate ſanctificato ab Epiſcopo, eſt materia propinqua Confirmationis. Materia verò remota eſt chriſma factum ex oleo oliuæ, & bal-

ſamo,non abſolutè,ſed ſanctificatũ ab Epiſcopo, ſi ſolus Epiſcopus hoc poteſt, vel ſi alius, cui ab eo poteſt committi,ſicut in Baptiſmo materia remota eſt omnis aqua in ſpecie aquæ.

Inſtantia. Et ſi arguatur cõtra iſta,quòd materia propinqua Confirmationis non eſt vnctio cũ chriſmate ſanctificato ab Epiſcopo, nec materia remota chriſma ſic ſanctificatum; quia ſimili modo iudicium eſt de materia Baptiſmi remota, & materia remota vnctionis;ſed aqua non neceſſariò ſanctificatur vt ſit conueniens materia Baptiſmi;igitur nec chriſma neceſſariò sãctificatur ab Epiſcopo, vt ſit conueniens materia Confirmationis.

3. *Reſponſio.* Dico quòd non eſt ſimile, quia Chriſtus ex contactu ſuæ ſanctiſſimæ carnis ad aquam,quando baptizatus eſt,ſanctificauit omnem aquam,& dedicauit eam, vt eſſet conueniens materia Baptiſmi & certa; ſed non ſic inſtituit ipſemet materiam huius ſacramenti Illam etiã inſtituit propter conuenientiam,& ſimilitudinem ad effectũ huius Sacramenti:Oleum enim habet nitorem, & ſupernatat aliis liquoribus,& ideò propinquũ eſt incendio,& ſignat gratiam & charitatem,quę eſt effectus principalis huius ſacramenti,per quẽ confirmàtus debet per charitatem & caſtitatem ardere amore Dei. Balſamum verò ſignat bonam famam Chriſti,qui habet odorem bonum, quem confirmatus debet exteriùs confiteri conſtanter. Præſeruat enim balſamũ à corruptione,quia illo corpora mortuorum vnguntur,ne corrumpãtur, vel putreſcant, & deſignat incorruptionem peccati,quam debet habere confirmatus.

Cur requiritur conſecratio materiæ Confirmationis, non in Baptiſmi.

4. *Forma cõfirmationis.* Forma verò huius ſacramenti exprimitur per verba certa,quæ ſunt iſta,*Signo*, vel *conſigno te ſigno crucis,& confirmo te chriſmate ſalutis*, *In nomine Patris*, *& Filij*, *& Spiritus ſancti.* Sed éſtne hæc præciſa forma Confirmationis? Dico quòd ſic.

Inſtantia. Et ſi obiiciatur contrà, Quia Chriſtus, nec Apoſtoli confirmauerunt aliquem in tali materiâ, nec per talia verba, ſed tantùm per impoſitionem manuum dando Spiritum ſanctum.

Reſponſio. An Apoſtoli confirmabant ſub eadem materia,& forma,quã nos? Reſpondeo quòd non oportuit Chriſtum neceſſariò vti hac materia, vel hac forma, quia ipſe non alligauit virtutem ſuam ſacramentis, & vt non poſſent aliter dari quàm modò dantur Quia habuit poteſtatem plenariam ſuper illam;& ipſe diſpenſauit cum Apoſtolis,vt non vterentur iſtis ſignis noſtris neceſſariò, vt chriſmate ſanctificato, & iſtis verbis propter ſigna alia, quæ tunc apparebant in collatione huius ſacramenti per impoſitionem manuum. Dabatur enim tunc Spiritus ſanctus confirmatis,ex impoſitione manuum in ſigno ſenſibili in linguis igneis, & ſtatim intellexerunt diuerſas linguas,& loquebantur eis.

5. *Chriſtus inſtituit hoc modo iſtud ſacramentũ.* Damaſcen. Supponendum eſt igitur quòd Chriſtus hanc formam,& materiam,quibus modò vtimur, etiã per ſe inſtituerit, & per miniſtrum aliquem authenticum, etiamſi ipſius inſtitutio non exprimatur promulgauit;quia ſicut dicit Damaſcenus *lib.4.cap.4.* multa tradita ſunt ab Apoſtolis, quæ nõ ſunt ſcripta,vt de adoratione ad Orientem,& huiuſmodi;multò magis ſic hîc ſupponẽdum eſt de materia,& forma huius ſacramenti.

Poſſet etiã hîc diſtingui de materia, & forma huius ſacramenti, ſicut diſtinctum eſt priùs de materia & forma Baptiſmi, quia forma huius ſacramenti eſt relatio rationis appropriatè aut ipſa verba. De hoc quære ſigna in materia Baptiſmi. *

* d.1.q.1.& d.3.q.1.

SCHOLIVM II.

De miniſtro eſt magna difficultas, an ſit Sacerdos, & ad factum Gregorij dat varias ſolutiones. Vna eſt, quòd olim non fuit differẽtia inter Sacerdotes,& Epiſcopos;verùm Hieronymus,qui hoc ſenſiſſe videtur, piè interpretari poteſt,tantùm voluiſſe, non fuiſſe differentiam quoad iuriſdictionem inter eos;bene tamen quoad conſecrationem,ſeu ordinis poteſtatem; vnde Sacerdotes,ordinare,vel confirmare nunquam potuerunt.Gregorius dans poteſtatem illis Sacerdotibus confirmandi, eos fecit quoad hoc Epiſcopos.Vel dic,& clariùs,ſuſtinendo factum Gregorij, miniſtrum ordinarium huius ſacramenti eſſe Epiſcopum; extraordinarium tamen, Papa diſpenſante,poſſe eſſe Sacerdotem:quod inſinuare videtur Florent.in decret. Eug. dicens, ordinarium miniſtrum eſſe Epiſcopũ, innuẽs per hoc extraordinariũ poſſe eſſe aliũ.Vide in Oxon. Scholium hîc ad n.4.

6. *An ſolus Epiſcopus ſit miniſter.* MIniſter hîc exprimitur,cùm dicitur *à miniſtro idoneo.* Sed vtrùm ſit ſolus Epiſcopus, vel nõ,eſt dubium,& ſunt opiniones, ſicut apparet *extrà de ſacr. vnct. c.Cùm cæteras actiones,& de conſecr.diſtinct.4.de Presbyt. c.mali quoque.*& ponitur in litera,*& d.95.cap.peruenit.* Prohibuit enim Dominus Greg.Papa Preſbyteris vnius regionis ne confirmarent pueros,cui reſcripſit Ianuarius, quòd populus ſcandalizatus erat, quòd Preſbyteri baptizabant,& non confirmabant, & tunc conceſſit eis quòd poſſent inungere in fronte. Sed hîc dicitur à Iuriſtis quòd tantùm conceſſit eis inungere in fronte pueros oleo, ſed non chriſmate ſancto.

Opinio prima Iuriſtarum refellitur primò. Sed hoc nihil eſt,quia tunc fuiſſet fictio,&deceptio populi, & dediſſet eis occaſionem idololatrandi;ſicut ſi conceſſum fuiſſet eis dare panem benedictum pro vera Euchariſtia in die Paſchæ.

Secundò. Item,tunc eis conceſſit quòd priùs prohibuerat;ſed priùs non prohibuerat Preſbyteris vngere oleo, ſed chriſmate ſancto, ſed hoc fuit verè confirmare;igitur hoc eis pòſt conceſſit.

Secunda opinio. Aliter dicitur,quòd licèt Dominus Papa hoc non poſſet concedere illis Preſbyteris,quia hoc eſſet contra præceptum,& ſtatutum Chriſti, tamen propter ſcandalum vitandum inter eos conceſſit eis hoc fieri ad tempus.

Reiicitur. Sed neque iſtud valet, quia *ſcandalum vtillus naſci permittitur,quàm veritas derelinquatur*;veritas per talem permiſſionem prætermittitur;quia nihil fieret in oleo ſimplici, quia non eſt materia determinata;& peccaret diſpenſans,vbi non potuit diſpenſare,& ita Papa hoc concedendo,peccaſſet mortaliter, quod non eſt adeò facilè admittendum.

7. *Reſolutio Doctoris.* Ad iſtud dico, quòd ſi Chriſtus inſtituit quòd ſolus Epiſcopus poſſet hoc ſacramentum conferre,& confirmare,ſicut ſolus Sacerdos conſecrare, tunc ſic Papa non potuit aliis, quàm Epiſcopis, hanc poteſtatem tribuere, quia tamen in primitiua Eccleſia non fuit tanta diſtinctio inter Sacerdotes,& Epiſcopos, vt videtur probabile, & videtur in Actibus Apoſtolorũ,quia licèt alij dicerẽtur Diaconi,qui nõ erãt Epiſcopi,tamẽ inter Epiſcopos, & Sacerdotes nulla erat diſtinctio, ſicut patet ibidem, & videtur hoc Hieronymus dicere in caput 1.Epiſt. ad Titum, & ponitur in illo Decreto diſt.95.cap.5. *Olim idem erat Presbyter,qui & Epiſcopus*, quod magis ex vſurpatione facta eſt iſta diſtinctio inter Epiſcopos,& Sacerdotes, quàm ex inſtitutione diuina. Similiter

Hieronym. An in primitiua Eccleſia diſtinguebãtur Presbyteri ab Epiſcopis?

in

in c. sequenti habetur hoc idem, & hoc potest patere per Apostolum, qui confirmare attribuit
1. Timot. 4. Presbytero indistincte. *Noli*, inquit, 1. ad Timot. 4. *contemnere datum donum per impositionem manus Presbyteri.* Si, inquam, in primitiua Ecclesia non fuit distinctio Presbyteri ab Episcopo, & tunc concedebatur Presbyteris omnibus confirmare, sicut Episcopo. Quia ex prima institutione non erat alius gradus in Ecclesia, tamen propter necessitatem multiplicati sunt Sacerdotes, & relicta est eis potestas Episcopalis, quantùm ad aliqua, quantùm verò ad aliqua reseruata sunt solùm Sacerdotibus maioribus, qui sunt dicti Episcopi, & talis actus est confirmare; igitur tunc fuerunt Episcopi, & postea distinctio facta est inter illos, & subtracta potestas à Presbyteris solum, & non ab Episcopis. Tunc benè potuit Dominus Papa concedere sacerdotibus illius regionis auctoritatem Confirmationis, & potestatem confirmandi, quia iterum posset facere omnes Sacerdotes illius regionis Episcopos, & tunc omnes ex officio possent confirmare.

Congruentia distinctionis Episcoporum à sacerdotibus.

8. *Dubium.* Et si quæras quare soli Apostoli confirmabant? Respondeo quòd hoc fecerunt, quia tunc fortè soli illi erant Sacerdotes; sed si alij Sacerdotes fuerunt, ipsi dimiserunt hoc propter excellentiam, & reuerentiam Apostolorum, & reuerentiam miraculorum, & signorum mirabilium, quæ in administratione huius sacramenti contigerunt; & hoc etiamsi tunc non fuit aliter distinctio inter Episcopos, & Sacerdotes, quia omnes Sacerdotes erant Episcopi.

An soli Apostoli ab initio erant presbyteri?

Rich. & Alens. sententia. Potest aliter dici, quòd Gregorius omnes Sacerdotes illius regionis fecit Episcopos, quoad illum actum Episcopi. Et sic patet quis est idoneus minister huius sacramenti, & quis non. Nõ enim in illa descriptione ponebatur Sacerdos, vel Episcopus, ne solùm vnus, vel solus alter, & nullo modò alius, posset hoc sacramentum ministrare. Ex parte suscipientis verò ponitur in hac definitione quòd sit *hominis non inuiti*, sicut in Baptismo, & est exponendum sicut suprà de veraciter accedente ad Baptismum.*

De suscipiente.

*d. 3 q. 1. Sed istud *ex institutione diuina signans*, ponitur vt signum ad placitum, tanquam genus; cætera verò ibi posita sunt respectu huius quod est, *ex institutione significans*. Et ista descriptio Confirmationis comprehendit totam materiam de Confirmatione; & potest per eam responderi ad diuersas quæstiones, sicut per eam de Baptismo, & possent quæri speciales quæstiones de singulis articulis hîc positis.

Propter modum tamen Confirmationis, quæro paruas quæstiones, quarum prima sit.

Qvæstio II.

Vtrùm sacramentum Confirmationis sit necessarium ad salutem?

1. *Argum.* Qvòd sic, de consecrat. dist. 5. *Omnes fideles per manuũ impositionem Episcoporũ post Baptismũ Spiritum sanctum suscipere debẽt, vt plenius Christiani inueniãtur*; Sed hoc requiritur ex necessitate salutis, quòd homo sit plenè Christianus.

Ratio ad oppositum. August. Oppositum: in Baptismo datur gratia, & gratia; vel charitas distinguit filios regni à filiis perditionis, secundùm Augustinum 15. de Trinit. c. 18. igitur Confirmatio non est necessaria ad salutem.

Qvæstio III.

Vtrùm hoc sacramentum sit dignius, & nobilius quàm sacramentum Baptismi?

2. *Argum affirmatiuum.* Qvòd sic, Magister in litera, vnũ est dignius alio, sicut à maioribus datur, & loquitur de Cnofirmatiõe. Ideò Rabãus, de cõsecr. dist. 4. *Septiformis gratiæ, &c. cum omni plenitudine.*

Ratio ad oppositum. Oppositum. In Baptismo pleniùs datur gratia; igitur est dignior.

Qvæstio IV.

Vtrùm hoc sacramentum possit iterari?

Arg. affirmatiuum. Qvòd sic, quia si morbus iteratur, igitur & medela: sed morbus cuius est medicina, est pusillanimitas confitendi fidem Christi, & est iterabilis; igitur, &c.

Ratio oppositum. Oppositum in litera, de consecr. dist. 5.

Qvæstio V.

Vtrùm in iteratione huius sacramenti incurritur irregularitas?

Richard *hîc art 6. quæst. 2.* Palud. *quæst. 2.* Gabr *quæst. 1 art. 3* Mat. *in pne dist.* Soto *hîc quæst. vn. art 5.* Suar. *3. part. 3. tom di. 1. 8 sect 1. & alij hîc citati quæst. 5.*

Vintum quæritur sine argumentis.

SCHOLIVM I.

Ad quæstionem secundam, Confirmationem non esse necessariam ad salutem, necessarium tamen esse ne contemnatur. Ita communior sententia. Vide Scholium in Oxon. hîc quæst. 2. & DD. ibi citatos, & Scot. dist. 17. quæst. 1 num. 11. Ad tertiam quæstionem, Confirmationem non esse iterabilem: ita communis, & Trid. Sess. 7. Florent. in decreto Eug. Alens. D. Thom. D. Bonau. & alij hîc citati quæst. 4.

3. *Decisio quæst. prima.* Ad primam quæstionem respondeo, quòd Confirmatio non est sic de necessitate, quin sine ipsa possit homo saluari, quia vt habetur Marci vltimo, *Qui crediderit*, &c. *saluus erit.*

Confirmatio non est necessaria ad salutem. Item, de consecr. dist. 5. *Spiritus sanctus*, &c. vnde paruulo non est necessaria, qui statim euolat: nec etiam adulto, qui remanet pugnaturus, si non dimittatur ex negligentia, vel ex contemptu. Alio modo dicitur necessarium hoc sacramentum, quia non potest salubriter contemni, neque dimitti, cùm tempus opportunum adsit; neque ex crassa negligentia, & sic est Confirmatio necessaria pugnaturo. Ad rationes dico quòd

Ad argum. sunt plenè Christiani in Baptismo: sed qui contemnit, postea non est plenè Christianus, & sic exponitur Glossa.

Deciſio 3. quæſt. Baptiſmus eſt dignior ſimpliciter, Confirmatio ſecundũ quid.

Ad ſecundam quæſtionem dico, quòd ſimpliciter dignior eſt Baptiſmus quàm Confirmatio: ſed ſecundùm *quid* dignior eſt Confirmatio. Primum patet, quia Baptiſmus confert maiorem gratiam, & congruum eſt quòd ſic fiat: quia magis aſſimilatur Paſſioni; ſecundùm *quid* verò dignior eſt Confirmatio propter materiam digniorem, & miniſtrum digniorem: & iſta concludunt non neceſſitatem ſacramenti, quia ſic haberet miniſtrum communem, & materiam ſimiliter.

Ad Magiſtrum in litera dico, quòd intelligit quòd eſt ſecundùm *quid* dignius.

Ad argum.

Ad aliud dico, quòd vna eſt gratia ſecundùm rem collata per quodlibet ſacramentum: poſſumus igitur loqui de gratia collata per Baptiſmum, & Confirmationem dupliciter; vel de ipſa totaliter, quæ confertur in Baptiſmo & in Confirmatione; & ſic iſta tota eſt amplior, & maior, quàm gratia Baptiſmalis tantùm, ſicut totum ſua parte. Et ſic poteſt dici amplior gratia conferri per Confirmationem, & gratia ſeptiformis. Vel poſſumus loqui de gratia collata in ſola Confirmatione, comparando ipſam ad ſolam gratiam baptiſmalem; & ſic dico, quòd baptiſmalis eſt maior.

Gratia baptiſmalis eſt maior gratia Confirmationis.

4. Deciſio quæſtionis tertiæ. Confirmatio eſt initerabilis.

Ad tertiam quæſtionem dico, quòd non iteratur, quia hoc Sacramentum imprimit characterem, per quem conſtituitur in determinato gradu, & obſequio in familia Chriſti. Conſtituitur homo per Sacramentum Confirmationis ſpiritualiter in ſtatu militari de familia Chriſti, ad defendendam fidem Chriſti; & hæc eſt vna congruentia. Sed cauſa principalis initerabilitatis huius Sacramenti eſt diuina inſtitutio, quia voluit Deus ipſum non iterari.

Ad argum.

Ad rationem dico, quòd non ſequitur, morbus eſt iterabilis, igitur medela; quia in prima ſuſceptione imprimitur aliquid, per quod habet medelam interiorem contra morbum futurum, quoties pœnituerit. Vel poteſt dici, quòd non iteratur morbus, contra quem inſtituitur, quia inſtituitur contra puſillanimitatem contractam ex peccato originali; & illa puſillanimitas non redit.

SCHOLIVM II.

Nulla pœna ipſo Iure affici reconfirmantes, vel reconfirmatos. Ratio eſt, quia id Iure non habetur; neque argumentum a ſimili habet locum in pœnis. Ita Doctores citati in initio q. quintæ.

5. Opinio Iuriſtarum.

QVantùm ad quartam Quæſtionem, ſunt opiniones; dicunt enim quidam quantùm eſt ex parte ſuſcipientis, quòd ſuſcipiens bis ſcienter hoc ſacramentum eſt irregularis, nec poteſt cum eo diſpenſari, niſi à ſolo Papa, & hoc tantùm ſi iuret Religionem propter fauorem Religionis. Si autem bis recipiat hoc ſacramentum ignoranter, dicunt quidam diuerſimodè ſicut ſuperiùs de iteratione Baptiſmi.*

** d. 6. q. 7. Deciſio q.*

Iuriſtæ non faciunt ius.

Reſpondeo tamen quòd iterans, ſiue recipiens Confirmationem, ſiue dans, non propter hoc eſt irregularis, quicquid Iuriſtæ dicant, non enim poſſunt Expoſitores ſtatutorum Papalium ſtatuere pœnas Irregularitatis, ſed ſolus Papa, qui illa condidit. Vnde Dominus Innocentius librum vnum, quem condidit, noluit vt haberetur tanquam ſtatuta continens, ſed ſicut opus magiſtrale, & ideò multò fortiùs; nec Gloſſatores poſſunt huiuſmodi pœnas ſtatuere. Vnde omnia argumenta, quæ ipſi faciunt per locum à ſimili, vel à contrariis ſenſibus, non concludunt in irregularitatem iterantibus ſacramentum, ſiue dando, ſiue recipiendo, quia illa ſtatuta eſt iterantibus Baptiſmum, quia non inuenitur in toto Canone, vnde talis pœna irregularitatis per iterationem huius ſacramenti ſit inflicta. Vnde regula generalis eſt mihi, quòd nunquam irregularitas incurritur, niſi in caſu à Iure, & à Canone expreſſo de hoc per ſummum Pontificem. Potuit enim Dominus Papa ita expreſsè intuliſſe pœnam irregularitatis contra iterantes ſacramentum iſtud, ſicut fecit contra iterantes ſacramentum Baptiſmi, ſi voluiſſet; fuiſſet tamen ita neceſſaria in iſto ſicut in illo, & quia hoc non fecit, nec inflixit pœnam irregularitatis iterantibus hoc ſacramentum ſicut illud, non incurritur hic, ſicut ibi, niſi explicetur à Iure, vel à Canone: fauores enim, & gratiæ ſunt ampliandi; & odia & pœnæ reſtringendæ, ſecundùm Maximam ipſorum Iuriſtarum. Nec fortè frequenter iterans hoc ſacramentum ignorans ipſum eſſe initerabile peccaret; ſicut ſi aliqua vetula frequenter illud reciperet propter deuotionem, quia ibi excuſat ignorantia.

Fundamentũ Iuriſtarum non vrget.

Irregularitas non incurritur niſi in caſu à iure expreſſo.

An ignorantia excuſet.

DISTINCTIO VIII.

De Euchariſtiæ Sacramento.

QVÆTIO I.

Vtrùm Euchariſtia ſit ſacramentum nouæ legis?

Alenſ. 4 *part. quæſt.* 30. *memb.* 1. *art.* 1. 2. & 3. D. Bonauent. *hic* 2 *part. art.* 2 *quæſt.* 2. Richard. *art.* 1 *q.* 1. D. Thom. *quæſt.* 1. *art.* 1. & 3 *part. quæſt.* 73 *art.* 1. Suar. *ibi. diſp.* 39 *ſ.* 1. Bellarm. *de ſacrament. Euchariſt. lib.* 1. & 2. Coccius *in theſ. tom.* 1. *lib.* 6. *art.* 1.



VÒD non. Quia ſacramentum nouæ legis eſt ſignum collatæ gratiæ: ſed Euchariſtia non eſt huiuſmodi, quia Euchariſtia manet in altari poſt conſecrationem, & tũc non confert gratiam; igitur.

1. Argumentũ primum negatiuum.

Item, ſacramenta nouæ legis cauſant quod figurant, non ſic Euchariſtia, quia ſignificat, & figurat corpus Chriſti, & ſanguinem contineri ſub ſpeciebus illis; ſed illæ ſpecies non cauſant corpus Chriſti, ſed hoc eſt ibi ad prolationem verborum ſacramentalium.

Secundum.

Item, ſacramenta nouæ legis habent aliquam determinatam formam vt certa verba; non ſic Euchariſtia, quia verba ſacramentalia oportet ſimul proferri, & eſſe cum ſacramento, quia ſunt forma, & ſimiliter è conuerſo oportet ſacramentum ſimul eſſe cum verbis, quæ ſunt forma eius; ſed ſacramentum Euchariſtiæ non eſt ſimul cum verbis ſacramentalibus, quia dum verba proferuntur non eſt ibi ſacramentum, ſed in fine prolationis, quando nihil verborum remanet proferendum vlteriùs.

Tertium.

Item, quod non eſt vnum, non eſt, 4. *Metaphyſ. tex.* 10. quia ens, & vnum conuertuntur, & quod

Quartum. Ariſtot.

quod non est ens, nihil est; igitur quod non est vnum, nihil significat; sed Eucharistia non est vnum sacramentum, nec significat vnum, quia non est vnum signum, sed plura, quia aliud signū est species panis, aliud species vini.

Dices quòd hæc ambo sunt vnum signum vnius rei, vt corporis Christi veri, & ideò verè sunt vnum signum.

Contrà: Nomina Synonyma, non obstante quòd significent eandem rem, sunt tamen plura signa, quia plura nomina, & nomen est signum ad placitum illius, quod est in anima 1. *Perihermenias cap.* 1. ergo eodem modo in proposito. Oppositum est *de Consecr. distinct.* 11. & ponitur in litera.

Ratio ad oppositum.

Coordinatio quæstionū.

Circa solutionem istius Quæstionis primò ponenda est ratio nominis, & quid significetur per nomen huius sacramēti, sicut *supra* ostensum est de aliis sacramentis. Secundò videndum est, si aliquid subest illi rationi nominis. Tertiò videndum est si illa res, quæ subest illi rationi, & quæ respondet ei, sit sacramentum.

SCHOLIVM I.

Ponit exactam descriptionem Eucharistiæ, & explicationem partium eius, & congruitatem institutionis ipsius.

2. *Definitio Eucharistiæ.*

QVantùm ad primum. Pono descriptionem talem Eucharistiæ: *Eucharistia est species sensibilis panis & vini post consecrationem factam à Sacerdote verbis certis cum debita intentione prolatis ex institutione diuina veraciter significans corpus Christi & sanguinem sub illis speciebus realiter cōtineri.* Hæc enim descriptio quantùm ad singulas eius partes est necessaria. Non enim est Eucharistia in materia tantùm vna species sensibilis vt panis tantū, vel vini tantùm, sed est *species sensibilis panis & vini* simul, & quia istæ species ante consecrationem non sunt sacramentum, nec aliquid sacramenti, nisi sicut quilibet panis & quodlibet vinum, ideò additur *post consecrationem*, & sequitur pro ministro *facta à Sacerdote*. Deinde ponuntur conditiones requisitæ ex parte ministri cùm dicitur *verbis certis cum debita intentione prolatis*. Præmittitur enim primò materia: posteà forma cùm dicit *post consecrationem*. Deinde minister idoneus cum requisitis necessariò quantùm est ex parte eius realiter. Deinde effectus huius sacramenti, quod est *verum corpus, verumque sanguis Christi realiter contenta sub illis speciebus*, quæ sunt vnum integrum signum huius effectus, quod est correlatiuum. Et omnes istæ particulæ in specialibus quæstionibus hìc inferiùs apparebunt.

Explicantur singula definitionis particula.

Quæ gratia huius sacramenti?

Hoc autem speciale est in hoc sacramento, quòd effectus eius est gratia subsistens nō inhærens, sicut in aliis, quæ gratia per se subsistens, scilicet totus Christus, vt effectus sacramenti, semper concomitatur inseparabiliter suum signū, scilicet tales species, & ideò additur *veraciter significans* corpus & sanguinem Christi sub illis speciebus realiter contineri. Alia sacramenta possunt esse sine suis effectibus. Patet de ficto. Hoc nullo modo.

3. *Quid contineatur sub hīs speciebus?*

Quantùm ad secundum articulum, dico quòd reale aliquid subest huic descriptioni iam positæ; aliter enim esset oratio, & ratio per se falsa, si nihil sub se contineret, sed repugnaret sibi dici de quocunque, sicut hæc ratio est in se falsa, *Chimæra est animal, habēs caput asini, & pedes leonis, & ventrem hominis*, quia nihil ei correspondet. Huic autem descriptioni correspondet vera res, vt species panis & vini continentes realiter corpus Christi, & eius sanguinem pretiosum. Quòd hoc sit possibile, scilicet sub illis speciebus contineri realiter corpus & sanguinem Iesu Christi, probabitur *distinct.* 10. Si autem hoc sit possibile corpus Christi & sanguinem sub illis speciebus contineri, congruum est Christum, qui suo sancto corpore, & sanguine nos redemit nobiscum secundùm illa, cohabitare. Vnde ait Matth. vltimo: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*, & non solùm in aliquo signo sensibili tantùm, sed realiter secundùm suum corpus, & sanguinem pretiosum, vt magis excitemur ad reuerentiam & deuotionem ei exhibendam. Nisi enim corpus Christi esset in sacramento Eucharistiæ, parum curaretur de aliis sacramentis, & periret omnis deuotio in Ecclesia, nec exhiberetur actus latriæ Deo, nisi propter reuerentiam huius. Quia tam Clerici quàm Laïci, parant se per Confessionem, & pœnitentiam ad dignam susceptionem huius sacramenti; quod si non esset in Ecclesia, parum curarent homines de confessione: Nec de hoc multi curant nisi propter hoc, quòd nollent videri præcisi, vel mali Christiani. Quia perceptio huius sacramenti ab omnibus Christianis semel in anno debet fieri ex præcepto, patet *extra de pœn. & re. omnes vtriusque*, & *de consec. dist.* 11. dicitur ter in anno.

Hæc continētia suadetur variis congruentiis.

Parua esset deuotio, si non esset Eucharistia.

4. Congruum est etiam, vt sit nobiscum in illis speciebus propter conuenientiam specialem, quam habet, quia congruum est generatos vita spirituali, nutriri alimento spirituali. Nutrimentum autem spirituale conuenienter significatur per nutrimentum corporale, cuiusmodi est vinū & panis, ideò nutrimentum spirituale, quod est Christus totus, conuenienter significatur sub speciebus panis & vini.

Similiter si congruum est, quòd sit nobiscum in illis speciebus, cōgruum est quòd sit nobiscum per actum prolationis verborum sacramentaliū; aliter enim nesciremus quando esset nobiscum, & quando non; & tunc nesciremus quando sumeremus sacramentum, & quando non; & sic periret omnis præparatio, & reuerentia ad eum debita ad recipiendum.

Item, cōgruum est quòd fiat per ministrū excellentē, & per tales cōmuniter, vt Episcopos, & Sacerdotes, quia hoc sacramentum est excellentissimum, continens Deum: Patet igitur quomodo congruum est corpus Christi, & sanguinem sub illis speciebus realiter contineri post consecrationem, & per consequens possibile. Hoc etiā factum est verè & realiter, & de facto patet Luc. 22. quando cœnās cum discipulis suis fregit panem, & dedit eis: *Hoc* inquit, *est corpus meum*, & similiter de vino in calice, quia sumitur ibi continens pro contento, dicēs: *hic est sanguis meus*, &c. *Quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*. Et Apostol. 1. ad Cor. 11. *Quotiescūque hoc facietis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, scilicet, ad iudicium, scilicet in fine mundi. Hæc quidem dixit eis, postquàm eis tradidit formam consecrationis. Et hoc firmiter tenendum est.

5. Quantùm ad tertium articulum videndum est an illa res, cui competit illa descriptio, vt *species sensibilis panis & vini*, sit sacramentum? Et

dico quòd ſic, quia cùm dicitur in definitione ſacramẽti, quòd *eſt ſignum ſenſibile inuiſibilis effectus*, non ſolùm accipitur ibi effectus inuiſibilis pro gratia gratis data, vel gratum faciente, informante animam; ſed pro effectu gratuito, & gratia per ſe ſubſiſtente; cuiuſmodi eſt totus Chriſtus in hoc ſacramento. Ideò dictum eſt ſuprà in definitione ſacramenti, quòd ſit *ſignum ſenſibile effectus inuiſibilis ordinantis hominem ad Deum & ad ſalutem. Eſſe* autem corporis Chriſti ſub illis ſpeciebus non eſt *eſſe* gratiæ informantis, ſed gratiæ per ſe ſtantis. Significat enim Euchariſtia effectum Dei gratuitum, & gratiam per ſe ſubſiſtentem, & ideò nobiliſſimum ſacramentum eſt.

Signatum huius definitionis eſt gratia ſubſiſtens.

Euchariſtia nobiliſſimum ſacramẽtum.

SCHOLIVM II.

Euchariſtiam eſſe vnum ſacramentum, & declarat optimè quomodo corpus & ſanguis faciunt vnum, & quomodo plura ſigna partialia faciunt vnum ſignum totale.

6. *Euchariſtia eſt vnum ſacramentum.*

Sed eſtne vnum ſacramentum? Reſpondeo quòd ſic, quod patet tam ratione ſigni, quàm ſignati. Ex ratione ſignati ſic: Corpus Chriſti & ſanguis aliquo modo ſunt vnum, & aliquo modo duo; ſi enim accipitur *corpus* pro toto eo, quod primò & totum animatur animâ, & habet vitam; ſic eſt corpus organicum totum corpus, excludendo ſanguinem, quia ſanguis non eſt animatus. Patet de ſe licèt ſit propinqua materia carnis, quæ poteſt animari, & ſic corpus animatum, organicum, & ſanguis ſunt duo eſſentialia, & poſſunt habere duo ſigna ea repræſentantia. Alio modo accipitur corpus non tantùm pro eo, quod animatur, vt corpore organico, ſed pro omni eo quod includit tale corpus, vt pro partibus ſolidis, vt oſſibus, & neruis, quæ ſunt in tali corpore, & humoribus omnibus, & partibus homogeniis, & heterogeniis, ſimul. Hæc omnia ſunt de veritate corporis viui, ſine enim iſtis non eſt vita, licèt in omnibus iſtis non ſit formaliter vita: & iſto modo ſunt vnum tantùm integrum corpus & ſanguis, & ita eis correſpondet vnum ſignum ſed non vnum vnitate indiuiſibilitatis, ſed vnum vnitate integritatis, quia corpus & ſanguis iſto modo non ſunt vnum indiuiſibile, ſed integritate, & differt ſanguis à corpore ſicut pars à ſuo toto, & ideò etiam iſto modo ſunt duo, vt ſunt pars, & totum, & tamen vnum totum integrum, & ſic habent vnum ſignum.

Sanguinem non eſſe animatum.

Duplex corporis acceptio.

Quomodo corpus & ſanguis faciunt vnum ſignũ.

Qualiter autem duo poſſunt concurrere ad conſtitutionem vnius ſigni integri, dictum eſt *ſuprà*, in materia de Baptiſmo *, licèt enim plura naturalia non poſſint eſſe vnum ſignum naturale alicuius effectus naturalis vnius; quia vnicum tale ſignum non habet plura pro ſuo fundamento, quod deſignat, quod tamen non eſt verum, quia vnum ſignum vt timiditatis, conſequuntur plura, vt pallor, tremor, pilorum erectio, & huiuſmodi, & ſic de ſigno verecũdiæ: Eſto tamen quòd ſit verum, tamen ad vnum ſignum ad placitum, cuiuſmodi eſt quodlibet ſacramentum, ſecundùm omnes, plura poſſunt concurrere ad omnino vnum ſignatum denotandum: Vnde oratio, quæ eſt ſignum diſcretum ex diuerſis, dicens Deum eſſe iuſtum, bonum, & ſapientem, & huiuſmodi, eſt ſignum vnius omnino ſignati, etiamſi fieret totus vnus liber de Diuinis nominibus, totum eſſet ſignum alicuius vnius indiuiſibilis, & ideò ſignum ad placitum poteſt eſſe vnum ſine vnitate fundamenti, quod deſignat: circulus enim de ligno, circumdatus foliis virentibus vitis, ſignat fundamentum, quod eſt muſtum. Patet igitur quomodo hoc ſacramentum eſt in ſe vnum integrum, & indiuiſum.

* d 3. q. 2. *Plura naturalia quam doque faciunt vnum ſignũ.*

SCHOLIVM III.

In quatuor excellentiis excedit Euchariſtia reliqua ſacramenta. Prima, quòd ſit permanens. Secunda, quòd contineat, & ſignificet gratiam ſubſiſtentem, ſcilicet Chriſtum. Tertia, quòd ſemper habet ſuum ſignificatum, ſi adſit intentio Miniſtri. Quarta, quòd ſua gratia, ſeu ſignificatum primum, id eſt, Chriſtus, eſt in ipſa.

7. *Euchariſtia eſt vna vnitate integritatis.*

Euchariſtia quadruplicitèr excellit alia ſacramenta.

Sed quomodo eſt vnum ab aliis diuiſum? Reſpondeo quòd hoc ſacramentum diſtinguitur ab aliis ſacramentis, & excellit illa in quatuor. Iſtud enim ſacramentum primò eſt permanens; al aſunt in *fieri*; non ènim eſt Euchariſtia, quouſque ſit ſignũ veraciter continẽs corpus Chriſti, ſed quando verba ſunt, & proferuntur, tunc non continet corpus Chriſti, ſed in vltimo inſtanti, quando prolata ſunt, quando etiam non ſunt, eſt ibi corpus; igitur corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus habet *eſſe* permanens, Hoc etiam eſt congruum, quia ex quo congruum eſt, quòd voluit eſſe nobiſcum in aliquo ſigno, vel ſignis ſenſibilibus, vt ſuprà dictum eſt, cõgruum eſt quòd permanenter ſit nobiſcum, quia aliter neſciremus quando eſſet nobiſcum, & quando non, & periret omnis deuotio, & reuerentia ad ſuſceptionem eius. Si enim tantùm eſſet nobiſcum in *fieri*, dum verba proferuntur in fine prolationis, non eſſent ibi ſpecies adorandæ ſine idololatria, ſed cùm hoc ſit inconueniens, ſequitur quòd quamdiu hæ ſpecies conſecratæ manent, quòd tamdiu permanenter ſit nobiſcum: ſi enim eſſet in illis ſpeciebus dum verba ſunt in continuo fluxu prolationis, tunc non eſſet nobiſcum in aliquo ſigno ſenſibili conueniente nutrimento, quia ſic non nutriunt.

Congruentia permanentiæ Euchariſtiæ.

8. *Corollarium huius doctrinæ.*

Ex hoc ſequitur vnum corollarium, quòd verba non ſunt de forma, vel eſſentia huius ſacramenti; quia quando verba deſinunt eſſe, hoc ſacramentum eſt, & quando verba ſunt, hoc ſacramentum non eſt; Illud autem quod eſt de forma, vel eſſentia ſacramenti, habet aliquam ſimultatem cum ſacramento, igitur verba non pertinent ad formam ſacramenti; ſunt tamen forma conſecrationis ſacramentalis, etſi non forma ſacramenti, quia ſacramentum permanens benè habet inceptionem conſecrationis ſacramentalis, & deſitionem talis conſecrationis, cuius verba ſunt forma, ſed non ſacramenti permanentis; quia forma talis non eſt aliquid in fluxu, vel *fieri* quia cùm vnumquodque conſtituatur in *eſſe* per ſuam formam, non eſſet tunc permanens, ſed ſucceſſiuum. Forma igitur huius ſacramenti, quæ eſt ſpecies ſenſibilis panis, & vini, poſt conſecrationem permanens eſt. Forma autem aliorum ſacramentorum eſt in continuo fluxu, & *fieri*, ita quòd poſt talem fluxum non manet forma ſacramenti alterius. Patet de ablutione, & prolatione verborum in Baptiſmo, & vnctione frontis cum chriſmate, & certis verbis proferendis in Confirmatione, & verbis in Pœnitentia, & Matrimonio,

Verba ſunt forma conſecrationis, non Euchariſtiæ.

Forma huius ſacramenti eſt ſpecies ſenſibilis panis & vini.

Matrimonio, & aliis, quæ ponuntur forma, illorum ſacramentorum.

9. *Sola Euchariſtia continet realiter quod ſignificat.*

Secundò, hoc ſacramentum differt ab aliis ratione ſignificati. Nam alia ſacramenta ſignificant gratiam accidentalem ineſſe animæ virtute ſacramenti, iſtud ſacramentum ſignificat gratiam eſſentialem, vt Chriſtum verum, qui eſt caput omnis gratiæ, & ipſum veraciter continet; & non continet gratiam accidentalem virtute ſacramenti, niſi per modum meriti, quia dignè ſe præparans ad ſuſceptionem Euchariſtiæ, recipit gratiam accidentalem etiam ab illa gratia eſſentiali, quæ hîc virtute ſacramenti veraciter, & inſeparabiliter continetur.

Tertia differentia, quòd hoc ſacramentum ſemper eſt verax, non ſolùm quantùm eſt ex parte ſui, ſicut alia ſacramenta, ſed ex omni parte continet verum corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus poſt conſecrationem, quamdiu manent illæ ſpecies, etiamſi miniſter ſic fictus, vel præciſus, vel qualitercunque malus, ſeruata forma conſecrationis Eccleſiæ, & intentione conſecrandi. Quare hoc ſacramentum ſemper infallibiliter habet ſecum ſuum ſignatum; non ſic in aliis ſacramentis. Licèt enim alia ſacramenta ſemper habeant quod figurant, ſcilicet gratiam accidentalem, & inuiſibilem, quantùm eſt ex parte ſui, tamen non ſemper illam continent, ſi impedimentum fictionis inſit. Patet de ficto accedente ad Baptiſmum, vel Pœnitentiam, vel alia ſacramenta.

Sola Euchariſtia ex omni parte eſt infallibilis in ſignando.

10. *Alia omnia ſacramenta gratiam accidentalem ſignificant.*

Quarta differentia, quòd Euchariſtia ſemper in ſe continet gratiam ſubſiſtentem, dum manent ſpecies, vt Chriſtum, quem deſignant; non ſic alia ſacramenta continent ſemper gratiam accidentalem, quam figurant. Patet ex iam dictis.

Ex prædictis patet quòd corpus, & ſanguis in ratione primi ſignati diſtinguuntur, & ſic habent propria ſigna ſua partialia diſtincta poſt conſecrationem ſanguinis, licèt in conſecratione panis corpus & ſanguis ſint vnum ſignatum integrum, ſub ſpecie panis, quia vbi eſt corpus, ibi eſt ſanguis eius; iſto modo ſumendo *corpus* pro toto integro ex partibus ſolidis, & fluidis humoribus non animatis.

11. *Ad primum argumentum principale.*

Ad primum argumentum, dico quòd perceptio ſacramenti, & manducatio iſta ſacramentorum, & iſtarum ſpecierum, eſt ſignum gratiæ collatæ accidentalis, quando debito modo ſuſcipitur ab illo, cui confertur per dignam reuerentiam, & præparationem ad illud ſuſcipiendum. Sed Euchariſtia, quæ eſt ſpecies ſenſibilis panis & vini, poſt conſecrationem eſt ſignum gratiæ eſſentialis, & effectus gratuiti permanentis, qui ſemper concomitatur ſuum ſignum: ſemper enim poſt conſecrationem confert gratiam ſubſtantialem, Chriſtum ſcilicet, quem continet, & gratiam accidentalem: ſimiliter ſi communicans eam dignè ſuſcipiat, ſicut debet.

Quomodo Euchariſtia ſignificat gratiam accidentalem.

12. *Ad ſecundũ.*

Ad ſecundũ, dico quòd iſta ratio benè cõcludit contra eos, qui ponunt ſacramenta habere cauſalitatem reſpectu gratiæ, quia cauſant diſpoſitionẽ ad eã in anima. Nõ enim poſſunt hoc ponere reſpectu gratiæ ſubſiſtẽtis, quæ eſt Chriſtus, qua ratione eſt hîc, ideò faciliter non euadunt. Ego tamen faciliter dico, ſicut priùs dixi*, quòd ſacramenta nouæ legis efficiunt quod ſignant, ſicut diſpoſitio efficit, vt meritum ad præmium, & corpus organicum ad creationem animæ, & inductionem eius in tali corpore ſic diſpoſito: ſicut enim meritũ & corpus organicum eſt diſpoſitio neceſſitans ad præmium, & inductionem vltimæ formæ; ſic ſuſceptio huius ſacramenti, & hoc ſacramentum eſt diſpoſitio neceſſitans, ſicut poteſt eſſe neceſſitas in his, quæ ſunt ex inſtitutione diuina ad placitum ad gratiam ſubſiſtentem. Et ſicut in aliis ſacramentis conceditur quòd per ſacramentum vt per diſpoſitionem, quaſi neceſſariam, habetur gratia accidentalis, quàm deſignat, ita verè hîc poteſt cõcedi quòd per ſpecies panis & vini, poſt conſecrationem habetur gratia ſubſiſtens, & verum corpus Chriſti; vt per debitam neceſſariam diſpoſitionem, ita quòd ly *per* dicat ibi circumſtantiam cauſæ inſtrumentalis. Deus enim vtitur illis ſpeciebus ſenſibilibus panis, & vini poſt conſecrationem, vt ad eorum præſentiam ſit ibi totum corpus Chriſti, non quòd ſpecies illæ habeant aliquam cauſalitatem faciendi ibi corpus Chriſti niſi ſicut quædam diſpoſitio congrua, & neceſſaria ex inſtitutione, cui aſſiſtens Deus facit quòd ſub illis ſit contentum corpus Chriſti realiter.

Quomodo ſacramenta efficiunt quod ſignificant.

Actiuitas ſpecierum reſpectu corporis Chriſti.

Ad tertium, Patèt quòd verba conſecrationis panis & vini non ſunt forma ſacramenti, vel ſpecierum panis & vini, ſed ſunt forma conſecrationis. In iſto autem ſacramento forma eſt realiter idem quod materia; panis enim eſt materia, & ſpecies panis eſt forma, conſecratio autem panis & vini habet panem & vinum pro materia, & verba pro forma, & ita non eſt eadem forma ſacramenti & conſecrationis ſacramentalis.

13. *Ad tertium.*

Euchariſtia habet formã in facto eſſe à materia realiter diſtinctam.

Ad quartum, dico quòd iſta plùra poſſunt habere rationem vnius ſigni inſtituti ad placitum totalis, & integralis, in quo tamen ſigno poſſunt diſtingui plura ſigna partialia: & ſicut ſignum eſt vnum vnitate aggregationis, & non indiuiſibilitatis, ita ſignum eſt proportionabiliter vnum vnitate ſcilicet aggregationis, & non indiuiſibilitatis, vel ſimpliciter indiuiſibilis.

Ad quartum.

QVÆSTIO II.

Vtrùm forma conſecrationis Euchariſtiæ ſit illa quæ ponitur in Canone Miſſæ.

Alens. 4. *part quæſt.* 33. *memb.* 2. & 4. D. Thom. *hic quæſt.* 2. *art.* 2. & 3. *part q.* 78. *art* 2. vbi Suar. *diſp.* 59. & 60. D. Bonau. *hic* 1. *part. art.* 1. *quæſt.* 1. 2. Richard. *art.* 3. Scot *in* Oxon. *hic quæſt.* 2.

I. *Arg. primum negatiuum.*

QVòd non. Primò quantùm ad conſecrationem corporis, quia cùm dicit *hoc eſt corpus meum*; quæro quid demonſtret hoc pronomen *hoc*? ſi ſubſtantiam panis, aut accidentia eius, propoſitio eſt falſa, quia neutrum eſt corpus Chriſti; ſi corpus Chriſti, igitur hæc oratio, *hoc eſt corpus meum*, non eſt tunc effectiua, quòd ibi ſit corpus, ſicut nec iſta, *corpus meum eſt corpus meum*, nam propoſitio, quæ eſt vera, nulla facta conuerſione alicuius in aliud, non eſt conuerſiua alicuius in illud.

Item, ſequitur quòd propoſitio ſit falſa *hoc eſt corpus meum*, quia pronomen demonſtrat pro illo inſtanti, in quo profertur hoc prono-

men, ſed in illo inſtanti, pro quo profertur, nondum eſt ibi Corpus Chriſti; igitur &c.

Secundum. Item ſecundò ſic: In forma ſacramenti tradita à Chriſto non licet aliquid regulariter interponere; ſed in forma conſecrationis tradita à Chriſto non habetur hæc coniunctio *enim*, quam regulariter interponimus.

Tertium. Item, ſicut pronomen primæ perſonæ ſignificat perſonam loquentis, ſic dicendo *hoc eſt corpus meum*, hoc pronomen poſſeſſiuum *meum* dicet relationem ad perſonam loquentem; & miniſtrum verba proferentem, & ſic erit propoſitio falſa, cùm non ſit corpus miniſtri loquentis.

Quartum. Item quartò, quòd iſta forma, qua vtimur circa conſecrationem ſanguinis, non ſit recta, quia nulla debet poni forma conſecrationis, niſi quæ tradita eſt à Chriſto in Canone, ſed nullus Euangeliſta tradidit illa verba, quibus ſanguinem conſecramus, ergo.

Quintum. Item, ſicut verba ſignificantia conuerſionem in corpus ſufficiunt ad formam conſecrationis corporis, ita videtur quòd verba ſignificantia conuerſionem vini, & ſanguinis ſufficiunt ad formam conſecrationis ſanguinis; igitur hæc verba præcisè ſufficiunt ad conſecrationem ſanguinis, *hic eſt calix ſanguinis mei*, ſicut ibi, *hoc eſt corpus meum*, quia iſta verba præcisè ſignificant conuerſionem panis in corpus, & vini in ſanguinem.

Contrà *extra de celeb. miſſ. Cùm Martha. §. Ex eo credimus*, ait Innocentius III. quòd *forma verborum, eſt ſicut in Canone ſcribitur, & à Chriſto Apoſtoli, & ab ipſis eorum acceperunt ſucceſſores; ergo* &c.

Ratio ad oppoſitum.

SCHOLIVM I.

Præmittit verba conſecrationis panis & calicis eſſe vnam formam vnitate integritatis, deinde verba, Hoc eſt corpus meum, *eſſe formam corporis, & ly* enim *non eſſe neceſſarium, neceſſitate ſacramenti, ſed præcepti. An verba præcedentia requirantur neceſſitate ſacramenti, vt dubium reliquit, vide Fabr. hic, & Pitig. art. 2. Baſſol. Rubion. Vorillõ, qui negant ſecundum Doctorem præcedentia ſic requiri. De forma Calicis non eſſe certum, an verba ſequentia* ſanguinis mei, *ſint ſubſtantialia. Ponit optimam regulam pro miniſtris ſacramentorum, vt proferant omnia verba, ante, & poſt illa, quæ cenſentur communiter eſſentialia, ea intentione, qua Chriſtus, & Eccleſia intendunt. D. Thom. ſup. a. 3. Capr. hic q. 1. art. 3. Silueſt. v.* Euchariſtia *1. q. 6. tenent verba, quæ ſequuntur* ſanguinis mei, *eſſe de ſubſtantia negant D. Bon. ſup. Albert. hic. art. 7. ad quos Scotus inclinat. Durand. q. 2. Aureol. q. 2. art. 4. Baſſol. q. 1. art. 3 Rubion. q. 2. art. 3.*

2. *Deciſio quæſtionis. verba ſunt vna forma integralis, ſed pluret partiales.*

Circa iſtam quæſtionem tria ſunt videnda. Primò quòd aliqua ſit præciſa forma conſecrationis Euchariſtiæ. Secundò, videndum quæ ſit illa forma. Tertiò quæ ſignificat illa forma, & quomodo ſit vera?

De primo, Patet ex quæſtione præcedenti, quia ſicut in ſacramento Euchariſtiæ ſunt duo ſignata, primò, vt corpus & ſanguis, quorum vtrumque habet rationem ſpecialis, & partialis ſignati, & tamen ſunt vnum ſignatum, vnitate aggregationis, vel integritatis, & non indiuiſibilitatis, ita duo ſunt ſigna partialia correſpondentia illis ſignatis, & illa ſignata propriè repræſentantia, quæ tamen faciunt vnum ſignum integrum, illud ſignatum vnum, vnitate integritatis repræſentans, vt ſicut ſignatum integrum continet in ſe plura ſignata partialia, ita ſignum integrum plura ſigna talia, & vtriuſque ſignati partialis eſt vnum ſignum partiale & vna conſecrationis inchoatio vnitate integritatis, & non indiuiſibilitatis; quod patet, quia poſt conſecrationem corporis adoratur Chriſtus, nihil adhuc facto circa ſanguinem de conſecratione eius; ſit enim magis interpolatio verborum inter conſecrationes corporis, & ſanguinis, quæ ad neutrius conſecrationem pertinent. Sacramentum igitur Euchariſtiæ, quod eſt vnum vnitate integritatis multorum correſpondentium multis, in ſignato ſuo vno, poteſt habere vnam formam vnitate aggregationis, & integritatis, vt patet. Quantùm ad ſecundum videndum quæ ſit forma huius ſacramenti, & primò quantùm ad conſecrationem corporis. Secundò quantùm ad conſecrationem ſanguinis.

Conſecratio vnius ſpeciei non dependet ab alia.

Quantùm ad primum, dico quòd hæc eſt forma conſecrationis corporis; *hoc eſt corpus meum*; hæc autem coniunctio *enim*, eſt addita per Eccleſiam, & non eſt de eſſentia conſecrationis; peccaret tamen qui illam omitteret à propoſito, propter præceptum Eccleſiæ. Cauſa autem quare hæc coniunctio additur ab Eccleſia eſt ſecundùm vnum Doctorem *, ad denotandum ordinem formæ conſecrationis ad vſum materiæ conſecratæ, qui vſus non eſt de eſſentia ſacramenti; talis autem ordo non eſt niſi per appoſitionem coniunctionis, Alia tamen ratio poteſt aſſignari, quia Eccleſia noluit aliquam rationem diſſutam ponere in Canone, ſed ante hæc verba conſecrationis præmittitur quædam hiſtoria ab illo loco: *qui pridie quàm pateretur, accepit panem & c.* & idem expreſsè videtur dicere Ambroſius de conſecr. d. 2. cap. *Panis*, exponendo verba Canonis, & ideò ſicut vna pars conditionalis ſeparata & diſſuta ab alia, nihil ſignificat, vt ſi dicerem, *Tu es homo dum tu curris & c.* ita prædicta oratio, ſi diſſuta poſita fuiſſet ſeorſum ab aliis, non fuiſſet ſententia completa, nec perfecta, & ideò vt vitaretur omnis improprietas, & inconnexio verborum ſacramentalium, in Canone eſt addita hæc coniunctio *enim*.

3. Enim *non eſt de eſſentia formæ ſacramenti Euchariſtiæ.*

* Richardum *hic.*

Cur ponatur enim.

Amb. 4. de Sacr. cap. 4.

Sed hîc eſt vnum dubium, ſi poſſet conſecrari corpus per iſta verba, *hoc eſt enim corpus meum*, non expreſſis verbis præcedentibus; vt aliquis nihil diceret ab illo loco: *Qui pridie*, &c. & dicitur communiter, * quòd ſic; quia illa verba non ſunt de eſſentia ſacramenti, ſed tantùm adducuntur propter reuerentiam ſacramenti, ſicut & in aliis ſacramentis adducuntur multa propter reuerentiam ſacramenti, quæ non ſunt de eſſentia eius; patet de Baptiſmo, Matrimonio, & omnibus.

4. Hoc eſt corpus meum *an ſola ſufficiunt.*

* D. Thom. *citat & alij affirmant.*

Contrà: Verba ſacramentalia ex vi verborum debent ſignificare contentum ſacramenti, ſed iſta verba *hoc eſt corpus meum* ſine aliis præcedentibus non ſignificant corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis realiter, licèt enim miniſter poſſit intendere vt loquatur, & proferat illa verba in perſona Chriſti, ſicut Angelus, qui loquebatur Prophetis in perſona Dei. Exo. 3. *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac*, hoc tamen non facit aliam ſignificationem verborum ſic prolatorum; igitur verba illa prolata à miniſtro non ſignificant abſolutè contentum; igitur verbis illis ſic prolatis non

Author negare videtur.

Exod. 3.

non ſit conſecratio, quia non exprimitur perſona Chriſti, cuius ſunt hæc verba, & virtute cuius ſit iſta conſecratio. Vnde ſine verbis præcedentibus non habent hæc verba quòd ſint ſacramentalia, nec quòd contineant corpus Chriſti. Vnde ſi ego dicerem *Paulus dicit; hæc eſt doctrina mea*; iam non ſignifico quòd hæc eſt doctrina mea, ſed doctrina Pauli; ſed ſi dicerem *hæc eſt doctrina mea*, non ſignifico hanc eſſe doctrinam Pauli, ſed meam; ſic in propoſito, ſi præmittantur hæc verba Canonis, *qui pridie, quam paterẽtur, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas* dicẽs, ſcilicet Chriſtus, *hoc eſt enim corpus meũ*, ſignificatur ibi corpus Chriſti contineri, & non corpus miniſtri, quia pronomen poſſeſſiuum *meum* refertur ad perſonam dicentẽ, quæ, vt conſtat, fuit Chriſtus; & ideò adhoc quòd corpus Chriſti ſignificetur ibidem contineri, oportet vti verbis præcedentibus neceſſariò vt videtur.

5. *An forma calicis eſt determinata.*

Sed de forma conſecrationis ſanguinis eſt magis dubium. Primò, cùm non habeamus formam traditam à Chriſto, eſſet dubium an aliquis vtens forma conſecrationis poſita in aliquo Euangelio peccaret, & aliquid faceret. Dicũt quidam quòd nihil faceret vtens illis verbis, ſed tantùm vtens verbis, quibus modò vtimur. Et ratio huius eſt, quia Euangeliſtæ non intendebant per illa verba tradere nobis formam conſecrationis ſanguinis, ſed tantùm narrare hiſtoriam. Alij dicunt quòd ſic. Nam Græci non habent iſtam formam conſecrationis ſanguinis, quam nos habemus, & tamen verè conficiunt, & addunt quòd quæcunque forma verborum cuiuſcunque Euangeliſtæ ſufficit ad conſecrationem ſanguinis.

Prima ſententia.

Secunda.

Aliud Dubium eſt, quia omnia illa verba, quibus nos vtimur in conſecratione ſanguinis, non videntur neceſſaria, vt quidam dicunt, ſed tantùm illa, quæ ſignificant conuerſionem vini in ſanguinem, vt hæc tantùm, *hic eſt calix ſanguinis mei noui & æterni Teſtamenti* &c. pertinent ad conſecrationem ſanguinis, quia hoc totum eſt vna oratio.

Quæ ſunt verba præcisè neceſſaria ad conſecrationem ſãguinis.

Alii dicunt, quòd non tantùm hæc, ſed & quod ſequitur, ſcilicet, *qui pro vobis tradetur* &c. qui ſcilicet ſanguis, propter implicationem, quam importat, & ſic eſt pars orationis præcedentis, & ita totum pertinet ad formam cõſecrationis ſanguinis. Aliud quod ſequitur, nullus dicit quòd ſit de forma conſecrationis, iſtud ſcilicet, *hæc quotieſcunque feceritis &c.*

D. Thom. & alij.

6. *Impugnatur primò.*

Sed vltima opinio non placet, quia ſicut ſolùm illa verba, quæ ſignant conuerſionem panis in corpus, pertinent ad formam conſecrationis panis, ita iſta verba, quæ denotant conuerſionem vini in ſanguinem, ſunt de forma conſecrationis vini.

Secundò.

Similiter quod addunt de implicatione, non mouet; quia licèt in ſenſu compoſitionis faciat illa implicatio vnam orationem cum præcedentibus, in ſenſu tamen diuiſionis ſunt ibi duæ propoſitiones & orationes. Vnde ly, *qui pro vobis* &c. exponitur per hæc verba *& ille pro vobis effundetur*; vnde ſunt duæ propoſitiones; vna: *Hic eſt calix ſanguinis mei noui & æterni Teſtamenti*, & ſequitur ſecunda, *& ille effundetur pro vobis*: Vnde propoſitio copulatiua, cuiuſmodi eſt hæc, ſi loco implicationis ponatur, *& ille* non eſt vna propoſitio, niſi ſicut hypothetica conditionalis, vel cauſalis. Nam quælibet propoſitio hypothetica habet vnam ſignificationem completam tantùm, ita quòd vna eius pars nihil ſignificat demptâ alia, vt ſi dicerem *ſi tu es animal*, nulla eſt ſignificatio; ſi tamen aliam partem conditionalem addo, *tu es ſubſtantia*, habeo orationem vnam: propoſitio autem copulatiua duas perfectas propoſitiones includit, quarum vtraque habet perfectum conceptum, & intellectum, & complexionem vnam ſine alia, vt hæc *Socrates legit & ſedet*, includit has, *Socrates legit*, & *Socrates ſedet*. Similiter dictio implicata in propoſitione, in qua cadit implicatio in ſenſu diuiſionis, includit orationem perfectam; hæc enim, *homo, qui eſt albus, currit*, valet iſtas duas, *homo currit*, & *ille eſt albus*. Ita in propoſito.

Quid ſit propoſitio hypothetica & quid copulatiua.

Quis ſit ſenſus diuiſionis, & quis compoſitionis.

Similiter cùm dicitur quòd hoc additum, *noui & æterni Teſtamenti*, eſt de forma conſecrationis ſanguinis, quia facit vnam propoſitionem cum præcedenti, non valet; non enim ſequitur quòd quicquid poteſt cum eo facere orationem vnam, quòd ſit de forma conſecrationis. Potuit enim: addidiſſe: *hoc eſt corpus meum aſſumptum de Virgine* & eodem modo hîc. Multa enim adiectiua poſſunt addi, quæ non ſunt de forma conſecrationis.

7. *Reſolutio Doctoris.*

Reſpondeo igitur breuiter quantùm ad hunc articulum, quòd Chriſtus non inſtituit nobis in Canone, quæ verba eſſent præcisè de forma cõſecrationis ſanguinis; nec Eccleſia de hoc determinat. Ideò periculum eſt dicere illa verba eſſe præcisè de forma cõſecrationis sãguinis, & illa nõ; quia periculum eſt aſſerere quod neſcitur, ſed nõ eſt periculum ignorare, quod non determinatur.

An ſacerdos teneatur ſcire præcisè formã calicis.

Ex quo patet improbatio iſtius dicti, quòd miniſter neſciens quæ verba pertinent ad conſecrationem, & quæ non, non conficit, nec conſecrat, quia oportet ipſum intendere conſecrare ſecundùm formam conſecrationis; non poteſt autem talem formam intendere niſi illam ſciat. Dico quòd hæc ratio non valet, quia tunc bonus ſacerdos, & ſimplex neſciens præcisè quæ verba pertinent ad conſecrationem calicis, ſed bona intentione legens ab illo loco, *Te igitur*, &c. vſque poſt verba conſecrationis, vòlens verba conſecrationis eſſe conſecratoria, & quæ non ſunt verba talia, non eſſe talia, non conſecraret, quod falſum eſt; quia hæc eſt ignorantia inuincibilis, & nullo modo vitioſa in tali.

Similiter etiã ſequeretur quòd miniſter baptizãs, & ignorãs præciſa verba Baptiſmi, nõ baptizaret, quod falsũ eſt, quia laïcus poteſt baptizare.

Item, ſimiliter de Pœnitentia, vbi non habẽtur certa verba, Iudex ignorans quæ præcisè pertinent ad formam ſacramenti Pœnitentiæ, & quæ non, & tamen omnia dicens ſub intentione bona, quòd ſacramentalia ſint ſacramentalia, & alia non, non abſolueret: quod eſt falſum.

Item, nullus Epiſcopus eſt, qui ſciat quibus verbis imprimatur character Ordinis, & quibus non, nec per conſequẽs ſcit quæ ſit præcisè forma ſacramenti Ordinis; igitur nullus poteſt aliquem ordinare. Vnde magnũ periculum eſt hoc affirmare, & tamen ſine periculo poteſt ignorari, quia eſt ign orantia inuincibilis, quia nitens eam vincere cadit in errorem, nec ignorans præciſam formam conſecrationis eſt perplexus, ſufficit enim quòd proferat cum iſta intentione generali, ita quòd quæ Chriſtus vult eſſe de forma conſecrationis, ſint de forma, & quæ non, non: vt quæ ſunt de forma, ſint de forma, & quæ ad decorem, & non de forma, ſic habeantur

Regula generalis pro ſacramentorum miniſtris.

habeantur coram Deo; & tunc verè consecrat, & baptizat, & absoluit habens talem intentionem generalem, & omnia accipiuntur coram Deo, quantum valent.

SCHOLIVM II.

Reijcit primò sententiam Goffredi asserentis Christum non consecrasse per illa verba, Hoc est corpus meum, *atque naturaliter tantùm proferri: de quo vide Scholium in Oxon. hic ad n. 11. Secundò refutat dicentes* hoc, *supponere pro eo, quod est, vel erit; quia sic hæc esset vera*: ignis est aqua. *Resoluit ly* hoc *supponere pro vltimo instanti prolationis verborum, & tunc haberi conceptum vnionis eorum.*

8. *Opinio Godfredi & Ocham.*

QVantùm ad tertium articulum primò videndum est circa consecrationem corporis, quid valeat, & significet illa forma, & ex hoc vlteriùs apparebit de forma consecrationis sanguinis. Dicunt enim quidā circa primum, quòd cùm dicitur, *hoc est corpus meum*, quòd ly *hoc* non demonstrat aliquid; sed tota propositio accipitur quasi materialiter, & dicta à Christo, sicut est dicere: *Domine, quis est qui tradet te?*

Impugnatur primò.

Contrà, possibile est Christum aliquibus verbis certis corpus suum consecrasse; & probabile est quòd ita fecit; non autem aliis verbis, quàm istis, igitur *hoc* aliquid demonstrat, etiam vt propositio est dicta ab eo.

Secundò.

Item, si Christus modò proferret ista verba cū intentione consecrandi, conficeret & cōsecraret, cuius probatio est, quia nō minùs sunt operatiua & actiua illa verba prolata à Christo in persona propria quàm si proferantur ab aliquo alio; sed si Christus per prolationem istorum verborum conficeret; adhuc remanet eadem difficultas quæ priùs, quia adhuc quærendum est quid demonstratur tunc per hoc pronomen *hoc*.

Richardi opin.

Alia opinio est, quòd nomen, siue adiectiuum, siue substantiuum, potest supponere pro supposito cuiuslibet differentiæ temporis; tempus enim non est accidens, vel consignificatum pronominis, sicut nec nominis, sed solius verbi, & ideò pronomen indifferens, sicut nomen, ad signandum suppositum cuiuslibet differentiæ temporis, non restringitur ad supponendum præcisè pro suppositis præsentibus, vel tunc existentibus, respectu verbi præsentis temporis. Vnde potest demonstrare suppositum præsens, vel suppositū futurum. Potest igitur pronomen, *hoc*, demonstrare quod nunc est, vel quod statim erit, vt sit sensus: hoc aliquid, quod continetur sub istis speciebus, vel in proximo est continendum est corpus meū; & hæc disiunctiua est vera pro altera eius parte, vt pronomen demonstrat, non quod nunc continetur, sed quod in futurum continebitur, pro illo *nunc*, quo prolatio est terminata, quia significatio huius pronominis, *hoc*, est in demonstrando corpus, quod statim erit cùm prolatio erit terminata.

Ratio primo significatio totius orationis debet referri ad eam tempus vel instans.

Contra istud vltimum arguo primò sic: Si hoc pronomen, *hoc*, in instanti, in quo profertur, denotat corpus pro vltimo instanti prolationis verborum, & in alio instanti pronomen demōstrat, & copula verbalis significat, quia pro instanti præsenti fit demonstratio, & in alio instanti significat, erit semper propositio falsa; quia demonstrat pro instanti futuro, quod significat per copulam præsentis instantis.

Item, disiunctiua de virtute sermonis non ponit alteram eius partem. Patet: *currit*, vel *ambulat*, non ponit aliquam partem disiunctiuam determinatè, sed vtramque, in potentia, quia si aliquis infert vnam partem ex ea, facit consequens falsum; sicut igitur nō ponit disiunctiua quòd altera pars eius poneret, ita nec efficit quod altera pars eius efficeret; igitur hæc disiunctiua, scilicet: *hoc, quod modò continetur sub istis speciebus, vel in proximo continebitur, est corpus Christi*, non est conuersiua specierum in corpus Christi, quia altera eius pars est conuersiua; igitur si hæc disiunctiua propositio sit intellectus huius propositionis *hoc est corpus meum*, non erit conuersiua.

Secundò. Disiunctiua propositio infert vtramque partem indeterminatè.

Quantùm ad hunc articulū respondeo; præmittendo quòd propositio, vel oratio, est signum alicuius conceptus habendi per eam in fine prolationis. Quando enim propositio est in *proferri*, nō est signū conceptus veri, vel falsi habendi per eā, sicut enim per nomen nō habetur simplex cōceptus de re, nisi in fine completæ prolationis, ita per propositionē non habetur aliquis conceptus cōplexus verus, vel falsus, ante finem prolationis.

9. *Resolutio Doctoris. Conceptus propositionis non habetur ante finem prolationis.*

Sed tunc est dubiū, si propositio non sit alicuius conceptus cōplexi, & veri signum, nisi in instanti post finem prolationis; pro quo instanti fiat vnio extremorū propositionis. Nō enim sequitur quòd si per propositionē habeatur conceptus determinatus in fine prolationis alicuius in instanti post finē prolationis. quòd in eodem instanti fiat vnio extremorū propositionis in re. Posset enim haberi cōceptus determinatus in fine prolationis alicuius, licèt extrema eius fuissent priùs vnita in re, ad mille annos tempore præterito; sicut patet quòd *Adam comedit de ligno*, vel *Adam est iustus*; vel vnienda in futuro in fine mundi, sicut quòd *Antichristus est malus*.

Dubium.

Respondeo, verbum præsentis temporis *est*, vel potest copulare extrema propositionis pro toto tēpore præsenti, vel pro instanti illius tēporis; & hæ sūt causæ multiplicitatis propositionis, in qua tale verbū ponitur, penès tertium modum æquiuocationis, & *non esse* veritatis talis propositionis; in qua tale verbū sic copulet inter extrema propositionis pro præsenti instanti; & tunc tātùm est propositio vera, & haberi potest cōceptus determinatus verus in instāti prolationis eius, nā tunc solùm intelligitur vnio extremorum in re; Vt si transmutatio aquæ in ignē omninò simul cōcurreret in hac prolatione huius propositionis, *quod fuit aqua est ignis*, sicut in fine transmutationis *quod fuit aqua, fit ignis*, & tunc tantùm, ita in fine prolationis propositionis hoc significantis, tantùm habetur conceptus verus, & determinatus, & tunc denotantur extrema coniungi. Si autem verbum præsentis tēporis copularet pro toto tēpore præsenti, extrema alicuius propositionis, & non in instanti eius, tunc tantùm est conceptus habēdus verus, pro toto tēpore prolationis eius, vt si hæc propositio debeat esse vera, *ego curro*, oportet quòd toto tempore prolationis, vel aliqua parte eius exerceam actum currendi, quia cursum esse in instanti est impossibile. Similiter si cœlū staret pro aliqua parte tēporis prolationis huius propositionis, *cœlum mouetur*, & pro aliqua parte temporis prolationis eius inciperet moueri, esset propositio vera. Vnde vniuersaliter illa propositio de præsenti, cuius extrema non vniuntur pro toto tempore prolationis eius, nec pro parte temporis prolationis eius, nec pro vltimo instanti prolationis

10. *Solutio. Conceptus vnionis extremorum quando habetur in propositione.*

Quæ propositio de præsenti dicitur falsa & quæ non?

tionis propoſitionis eſt ſimpliciter falſa. Vnde hæc propoſitio, *ego bibo*, de virtute ſermonis eſt falſa, à quocunque proferatur, & ſimiliter iſta: *ego dormio*, quia extrema iſtarum vniri, vel pro toto tempore prolationis, vel pro parte eius, vel pro vltimo inſtanti prolationis eſt impoſſibile; nam nullus poteſt loqui tempore, quo bibit: ſed in alio tempore præcedente, vel ſequente, & nunquam ſimul, quia neceſſariò vnus actus alteri ſuccedit.

11 Ad propoſitum applicando, dico quòd verbum præſentis temporis non poteſt hîc copulare extrema huius propoſitionis, *hoc eſt corpus meum*, pro toto tempore prolationis verborum, quia iſta conuerſio non eſt ſucceſſiua, ſed ſubita, & momentanea, & vnio extremorum fit in inſtanti, per virtutem infinitam, vt oſtendetur inferiùs; ergo conceptus habendus per illam propoſitionem & complexionem, *hoc eſt corpus meum*, expectandus eſt pro fine prolationis eius; quòd ſi tunc eſt vnio extremorum vera, tunc eſt complexio vera.

Sed poſito quòd hæc ſit vera pro fine prolationis verborum, videndum eſt pro quo tempore fiat demonſtratio corporis Chriſti per hoc pronomen, *hoc* & quid per ipſum demonſtretur.

SCHOLIVM III.

Explicat clarè, & Logicè, quomodo ly hoc, *ſupponit pro individuo entis, & oſtendit non inde ſequi, equinalere huic:* corpus meum eſt corpus meum. *Explicat quomodo forma non operatur vt vera. Vide circa veritatem propoſitionum 13. concluſiones, quas in Oxon. hîc tradit Doctor à n. 14. & per totam quæſtionem tractat pulcherrima logicalia, ſatis neceſſaria pro veritate formarum in ſacramentis. Iuxta dicta patet quid demonſtretur, per ly* hic, *in forma calicis.*

12 QVantùm ad primum, dico quòd pro illo tempore, vel pro illo inſtanti temporis, pro quo intelligitur iſta complexio, & intelliguntur termini complexionis ſignare quod ſignant, vt ſunt termini huius complexionis, quia per Philoſophum, Ariſtot. 1. Perihermenias, c. 3. *eſſe ſignificat quãdam compoſitionem, quam ſine extremis non eſt intelligere.* Pro illo igitur inſtanti pro quo intelligitur vnio extremorum, intelliguntur termini ſignificare: ſed vnio extremorũ iſtius propoſitionis *hoc eſt corpus meum*, per conuerſionẽ panis in corpus, tantùm habetur in fine prolationis iſtius propoſitionis: igitur pro illo inſtanti intelligitur pronomen ſignificare, & aliquid demonſtrari.

Conceptus propoſitionis habetur quãdo vnio extremorum intelligitur.

Inſtantia.

Contrà, ſignificatio iſtius propoſitionis prolatæ conſiſtit in ſignificatione partium eius ſucceſſiuè prolatarum; ſed ſignificationes partium prolatarum non ſunt in vltimo inſtanti prolationis orationis, ſed præcedunt completam ſignificationem orationis; igitur ſignificatio huius pronominis *hoc*, eſt tantùm in demonſtrando aliquid cùm profertur, & ita antequã detur corpus in vltimo inſtanti prolationis, quia tunc non ſignificat.

Reſponſio.

Reſpondeo, aliud eſt loqui de ſignificatione aliquorum terminorum, vt ſunt in ſe, & vt ſunt partes alicuius propoſitionis; *homo* enim per ſe ſumptus habet determinatum conceptum talis naturæ ſpecificæ, vel ſuppoſiti talis naturæ, ſed vt eſt pars huius propoſitionis *homo eſt albus*, nihil ſignificat, quia ſi dicatur *homo* antequam compleatur oratio, addendo ſibi prædicatum, vt *albus*, vel aliquid aliud, nihil ſignificat, quia terminus vt eſt pars alicuius cõplexionis, nihil ſignificat, niſi pro illo inſtanti, pro quo habendus eſt conceptus determinatus verus, vel falſus illius cõplexionis. In propoſito autem hoc pronomen *hoc*, eſt pars iſtius propoſitionis, *hoc eſt corpus meum*, quæ non demonſtrat, nec ſignificat aliquid, niſi in fine prolationis & vltimo inſtanti prolationis verborum, quia pro illo tantùm eſt ibi corpus; ergo licèt ſignificatio propoſitionis totius conſtituatur ex ſignificatione partium ſucceſſiuè prolatarum, illæ tamen partes ſucceſſiuè prolatæ non ſignificant, niſi pro illo inſtanti, pro quo conceptus totius propoſitionis complexæ eſt habendus.

Termini alicuius propoſitionis dupliciter poſſunt conſiderari.

Quomodo ſignificatio totius conſtituatur ex ſignificatione partiũ.

Sed quantùm ad ſecundum, ſuppoſito quòd ly *hoc* in fine prolationis verborum tantùm ſignificet in vltimo inſtanti prolationis propoſitionis, quid demonſtrat? Reſpondeo, quòd ſicut eſt ordo inter vniuerſalia, quòd vnum eſt communius, & prius alio, vt *animal* eſt cõmunius, & prius quàm *homo*, & ſic de aliis, ita eſt ordo ſimilis quodammodo inter ſingularia iſtorum vniuerſalium; nam ſemper ſingulare magis vniuerſale, eſt prius ſingulari minùs vniuerſali, & non communius, quia nullum ſingulare eſt commune, licèt ſingulare vnum ſit magis confuſum, quàm aliud, vt ſingulare magis vniuerſale. Nam aliquis poteſt eſſe certus de viſo à remotis quòd eſt ſubſtantia aliqua determinata, & non quòd ſit animal; & magis appropinquans poteſt eſſe certus quòd eſt animal per motum, & huiuſmodi, dubitãdo quòd ſit homo, & quòd homo, dubitando quòd ſit Socrates, vel Plato, ſicut docet Auicenna 1. Phyſ. c. 5. quære hæc diſt. 3, primi lib. de prioritate primi conceptus intellectus*.

13 *Dubium.*

Soluitur.

Vnum ſingulare dicitur magis vniuerſale altero.

Auicenna.

* q. 1.

Ad propoſitum, dico quòd ly *hoc*, cùm additur ad determinatum ſingulare, dicẽdo, *hoc animal, hic homo, hic Paulus*, tamen quando per ſe ponitur eſt ſubſtãtiuum, & non habet aliquod ſingulare inferius demonſtratum, quàm ſingulare entis, cuius primò eſt. Ad hoc eſt ratio Metaphyſica, Logica, & modus loquendi communis Grammaticalis, quia quærendo de aliquo, *quid eſt hoc*? vt de ligno, vel de lapide, vel de homine, aut ſic quærendò ſupponis quòd ſit lignum, vel lapis, vel homo, & ſic idẽ ſupponis quod quæris, & per conſequens ſoluis quæſtionem quærendo eam: Aut ſupponis ſingulare magis commune, & magis vniuerſale, & quæris de ſingulari minùs vniuerſali, & minùs cõmuni, & habetur propoſitũ, quia ſingulare vniuerſale maximè cõmuniter ſumptũ ab omnibus, nõ eſt niſi res, vel ens; ergo ſingulare entis demõſtrat hoc pronomen *hoc* quando per ſe ponitur.

Hoc *demonſtrat in forma corporis ſingulare entis.*

Oſtenditur Metaphyſicè & Logicè.

Hoc idem patet ex modo ſignificandi Grammaticali, quia adiectiuum neutrius generis ſubſtantiuum dat intelligere, nec intelligitur pro ſuo ſubſtantiuo, niſi *ens*, vel *res*. Patet de iſtis adiectiuis *iſtud*, *illud*, & huiuſmodi, quia dicendo *iſtud eſt lignum*, ly *iſtud* dat intelligere *ens*, vel *rem*, & nihil inferius de virtute ſermonis, quia deſcendere ad inferius ſingulare, eſt dicere fallaciam conſequentis, quia non valet: *iſtud eſt lignum, ergo homo, vel lapis eſt lignum*, ſed *hoc ens eſt lignũ*: Sed pronomẽ illud, quod eſt *hoc*, eſt adiectiuũ neutrius generis ſubſtantiui, quia dicẽdo *hoc eſt lignum*, nõ ſupponit, nec demonſtrat, niſi ſingulare entis, vt *hoc*, ſcilicet *ens eſt lignum*; igitur in hac propoſitione *hoc eſt corpus meum*, ly *hoc* non demonſtrat niſi ſingulare entis, quod eſt notiſſimũ ſenſui, & intellectui; & per conſequẽs tantùm id ſingulare entis. Fit autem partim demonſtratio ad ſenſum, vt quãtùm ad ſpecies cõtinentes corpus Chriſti; & partim quoad intellectum, vt quoad corpus Chriſti,

Oſtenditur Grammaticè.

Explicatur optime quid ad ſenſum, & ad intellectum demonſtret, hoc eſt corpus meum.

Christi, quod est contentum sub illis speciebus, ex quo sequitur quòd hæc propositio, *hoc est corpus meum*, licèt verificetur pro corpore Christi, non tamen hoc significat quantùm ad per se suum intellectum. Est igitur hæc complexio vera, *hoc est corpus meum*, pro vltimo instanti prolationis verborum huius propositionis, quia in eodem instanti, fit demonstratio per hoc pronomen, *hoc*, sed in hoc instanti fit translatio in corpus Christi: igitur propositio denotans terminum translationis ibi esse contentum, est vera.

14. *Obiectio.* Sed contrà, licèt hæc propositio sit vera pro vltimo instanti prolationis, quia in illo fit translatio panis in corpus Christi, non tamen est operatiua, vel conuersiua, cuius virtute fiat conuersio, vel translatio. Nam illa propositio non est operatiua, vel conuersiua panis in corpus Christi, cuius veritas sequitur conuersionem panis in corpus; quia ex hoc quòd panis conuertitur in corpus, & est sub illis speciebus, est illa propositio vera; quia conuersio huius in illud est causa veritatis propositionis: ergo non est conuersiua, quia virtute illius orationis non fit corpus Christi sub illis speciebus.

Solutio. Respondeo, in illo vltimo instanti prolationis illius propositionis possunt duo distingui ex parte illius propositionis, potest enim considerari propositio quantùm ad per se conceptum habendum per eam, cuius est signum. Secundò quantùm ad rem significatam per illum conceptum positam in *esse* à Deo. Et tertiò quantùm ad veritatem, quæ cõuenit propositioni ex positione & vnione extremorum in *esse* pro illo instanti. In primo signo intelligitur propositio vt neutra tantùm: in secundo intelligitur correspondere cõceptui aliqua res significata: in tertio signo cõsequitur veritas propositionis ex vnione extremorum in se: omnis enim propositio priùs intelligitur neutra, quàm vera; cuius ratio est, quia veritas est relatio accidentalis ad rem significatam per ipsam. Eadem enim propositio potest priùs esse vera & postea erit falsa; oratio enim, quæ est vera, dicens te sedere, dum sedes, te surgente erit falsa. In Prædicamentis cap. de substant. *Ex eo quod res est, vel non est* &c. *oratio est vera, vel falsa.* fundamentum autem naturaliter præcedit relationem, & maximè accidentalem, quia sine ipsa potest esse; igitur intelligitur priùs omnis propositio neutra, vt in se considerata secundùm suum conceptum absolutum, quàm intelligatur vera per respectum ad rem positam in *esse*, sicut priùs ponitur fundamentum, & terminus alicuius relationis quàm ipsa relatio, quæ oritur ex eis.

In vltimo instanti prolationis forma triplex natura inuenitur.

Omnis propositio prius est neutra quàm vera vel falsa.

Aristot.

15. *Quomodo propositio dicitur neutra & sua veritate prior.* Istud patet in ordine doctrinæ ex parte addiscentis. Nam conclusio sibi proposita in principio ante demonstrationem sibi factam de ea, est sibi omnino neutra. Si enim tunc mihi proponatur ista conclusio, *astra sint paria*, sine alia propositione, assentior ei, vt propositioni neutræ: sed demonstratione facta de ea assentior ei propter euidentiam veritatis principiorum eius, ex quibus ipsa demonstratur. Nunc autem si demonstratio causaret primò ipsam rem significatam, & deinde totam veritatem propositionis de illa, tunc esset omnino simile ad propositum, quia tunc primò esset propositio neutra; secundò poneretur res in *esse*; tertiò sequeretur veritas propositionis. Sic autè est in proposito, nam propositio ista pro vltimo instanti suæ prolationis, primò ordine naturæ est neutra, & nõ vera, nec falsa in se, & absolute considerata: in secundo signo virtus diuina assistẽs illis speciebus, facit corpus Christi ibi esse, quia sicut Christus, vel Deus statuit assistere signo sensibili in Baptismo, vt ablutioni sacramentali, & conferre semper signatum eius, & gratiam, nisi fictio esset, ita statuit quòd ad sensibilia panis & vini, in fine prolationis istorum verborũ, *hoc est corpus meum, hic est calix* &c. semper faceret ibidem corpus Christi sub illis speciebus realiter contineri, & istam isto modo esse dispositionem immediatam ad inductionem corporis. In tertio verò signo naturæ re posita in *esse*, sequitur veritas propositionis.

16. *Propositio hæc quomodo cõuersiua.* Dico ergo, quòd hæc propositio: *hoc est corpus meum*, est operatiua, & conuersiua panis in corpus, vt dispositio immediata ad translationem; sicut in Baptismo ablutio in aqua cum verbis fuit immediata dispositio operatiua ad gratiam; & est tale signum, quod semper consequitur suũ signatum; & præcedit hæc propositio, *hoc est corpus meum*, in ratione signi, quoad intellectum eius absolutum, rem positam in *esse*, & veritatem eius.

Ex quo patet vltimam opinionem esse falsam, quæ dicit istam propositionem, *hoc est corpus meũ*, nõ esse operatiuam, nisi inquãtùm vera; quia inquantùm operatiua, vel conuersiua, non est vera, sicut patet, sicut nec hæc: *Ego baptizo te*, est operatiua, vel causa effectus Baptismi, quia si esset omninò neutra, nec vera, nec falsa, adhuc Deus assisteret, vt cuidam signo sensibili effectus, & gratiæ inuisibilis eidem tribuendo.

Alius dicendi modus.

17. *Qua ratione hæc forma dici potest electiua.* Aliter potest dici, quòd hæc propositio: *hoc est corpus meum*, est effectiua translationis, vt dispositio prior ipsa translatione, non tantùm naturâ, sed etiam tempore aliquo modo, sicut tempus dicitur prius aliquo modo, vltimo suo instanti, licèt non propriè. Vnde hæc propositio prolata in tempore, est signum & causa translationis factæ in vltimo instanti prolationis, sicut dispositio præcedens in tempore, est quodammodo causa illius, quod fit in vltimo instãti temporis. Vnde illi dispositioni habenti *esse* in tẽpore, Deus assistit, vt in fine dispositionis sit ibi corpus Christi.

Obiectio. Et si arguas de veritate propositionis, quia in illo tempore præcedẽti non est propositio vera, cùm tunc non sit ibi corpus Christi, igitur tunc vt dispositio non est causa essendi ibi corpus, nec sic actu vera, nec falsa est dispositio ad hanc conuersionem, quæ tantùm est vera pro vltimo instanti, in quo fit conuersio panis in corpus. Nec hoc est inconueniens, quia si Deus instituisset vocem non significatiuam, vt quandam dispositionem ad corpus Christi, in fine prolationis posset ad prolationem eius transubstantiasse panem in corpus suum, sicut modò: & vox illa fuisset nõ significatiua, & operatiua illius transubstantiationis; igitur multò magis propositio neutra in instanti transubstantiationis posset dici operatiua per conceptum absolutum, licèt non per veritatem suam, quia tunc nullam haberet, vt propositum est. Ex quo patet quomodo forma corporis Christi vera est, & pro quo instanti.

Solutio.

18. *Explicatur forma calicis veritas.* Et iuxta hoc patet quomodo forma consecrationis sanguinis isto modo consimili est vera, dicendo, *hic est calix sanguinis mei*, & cet. & pronitur ibi nomen *calicis* continentis pro contento, quia aliquid non habet rationem potus, nisi in vase continente. In consecratione verò corporis Christi non ponitur continens pro contento, quia

quia corpus habens partes ſolidas habet rationem cibi, licèt non in vaſe. Vnde idem eſt dicere, *hic eſt calix ſanguinis mei*, & dicere, *hic eſt ſanguis meus*, & habet hæc propoſitio verificari in vltimo inſtanti prolationis propoſitionis, quia pro illo intelligitur vnio extremorũ in re, & pro illa fit vera demonſtratio ſanguinis in illa ſpecie.

Ad argum. primum principale. Ad primum, dico quòd hæc propoſitio, *hoc eſt corpus meum*, eſt tantùm vera pro vltimo inſtanti prolationis eius, & pro primo inſtanti fit demonſtratio ſingularis entis, quod eſt notiſſimum tam ſenſui, quàm intellectui, & non ſunt idem in conceptu demonſtrare ſingulare ens, & demonſtrare corpus poſt illud, licèt in re ſint idem, ſicut in fine huius prolationis *hoc eſt ignis*, *aër fiet ignis*, & Deus inſtituiſſet quòd ad prolationem huius propoſitionis *hoc eſt ignis*, ignis generaretur ex aëre, hæc eſſet vera, & conuerſiua, *hoc eſt ignis*, non tamen hæc, *ignis eſt ignis*, quia non ſunt idem in conceptu, quòd Deus facit hoc eſſe ignem, vt aërem, aut aquam, in inſtanti prolationis, & quòd Deus faciat ignem eſſe ignem; ſicut nec è conuerſo eſt idem dicere, *Deus facit ignem eſſe ens*, & *hoc ens*, vt ignem, *eſſe ignem*. A ſimili in propoſito non eſt idem dicere, *Deus facit hoc eſſe corpus Chriſti*, & *Deus facit hoc corpus eſſe hoc corpus*. Et cùm dicit quòd illa propoſitio non eſt vera, quæ non eſt conuerſiua, niſi facta conuerſione, concedo: ſed in propoſito hæc non eſt conuerſiua, *corpus Chriſti eſt corpus Chriſti*, vel *corpus meum eſt corpus meum*: quia quoad conceptum non eſt idem cum propoſitione iſta, *hoc eſt corpus meum*.

Ad ſecundum. Suprà hîc num. 3. Ad ſecundum patet priùs * qualiter ly, *enim*, interponitur, & auctoritate cuius hoc ſit regulariter.

Ad tertium. Ad tertium, dico quòd concludit pro me, ſcilicet quòd oportet præmittere aliqua verba, vt intelligatur hæc oratio, *hoc eſt corpus meum*, de veritate ſermonis eſſe dicta de corpore Chriſti. Vnde quando præmittimus aliqua verba dirigendo ſermonem ad alium, ſignificamus verba alterius non eſſe dicta à nobis, ſed tantùm recitata, & ab alio principaliter dicta; ſicut cùm Paulus dixit *hæc eſt doctrina mea*, vel aliquid ſimile, niſi enim illa verba præmitterentur in Canone, non videretur quòd virtute illorum verborum ſacramentalium fieret conuerſio, vt dictum eſt.

Ad alia duo argumenta patet reſponſio per dicta in corpore quæſtionis.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Euchariſtia neceſſariò debeat ſumi à ieiunis?

Alenſ. 4. *p. q.* 52. *m.* 1. Rich. *hic a.* 2. *q.* 3. D. Thom. 3. *p. q.* 80. *a.* 8. Suar. *ibi d.* 68. *ſ.* 3. 4. & 5. Palud. *hic q.* 2. Scot. *in Oxon. q.* 3.

I. *Argument. primum.* VRGET non, *Matth.* 26. patet quòd Chriſtus poſt cœnam dedit diſcipulis corpus ſuum, quando erant pranſi.

Secundum. Item, ad Corinth. 11. *qui autem eſurit, domi manducet*, vbi videtur Apoſtolus innuere quòd eſuriens non debet ſatiari in Eccleſia per acceptionem corporis Chriſti.

Ratio oppoſita. Aug. ep. 118. ad Ianuar. Contrà, *de conſecr. diſt.* 2. *cap. liquido*: *placuit Spiritui ſancto quòd in honorem tanti Sacramenti priùs in os Chriſtiani Dominicum corpus intret, quàm cæteri cibi, ideò per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur.*

SCHOLIVM.

Præmiſſa triplici Euchariſtia ſumptione, reſoluit eam ſacramentaliter, à ieiuno regulariter percipiendam eſſe; & hoc quia Chriſtus ita declarauit per ſe, vel per ſuos Apoſtolos. Ponit tamen caſus, in quibus non ieiuno liceat hoc Sacramentum ſumere, & oſtendit integritatem conſecrationis in vtraque ſpecie eſſe ex præcepto diuino; ſecus verò integritatem ſumptionis.

2. *Euchariſtia triplex perceptio.* REſpondeo ad iſtam quæſtionem, quòd Euchariſtia poteſt percipi tripliciter, vno modo vt Sacramentum tantùm, & alio modo vt Sacramentum, & ſacramentaliter. Tertiò modo vt Sacramentum ſacramentaliter, & ſpiritualiter. Primum poteſt eſſe ſine ſecundo, licèt non è conuerſo, & primum & ſecundum ſine tertio, licèt non è conuerſo. Percipitur enim Euchariſtia tantùm vt Sacramentum, quando illæ ſpecies, ſub quibus continetur corpus Chriſti poſt conſecrationem, ſumuntur ſine fide, vt ſiue brutum, ſiue homo hoc percipiat. Nec ex hoc ſequitur quòd ſumatur à bruto ſacramentaliter, quia hoc aduerbium dicit comparationem ad modum accipiendi aſſumentis, & non aſſumpti. Licèt enim brutum accipiat ſpecies, ſub quibus continetur corpus Chriſti, & ita illud, quod eſt Sacramentum, non tamen vt eſt ſignum illius, quod ibi continetur; & ita ſacramentaliter. Accipitur enim Sacramentum, & non ſacramentaliter, quando aliquis accipit cùm mala fide, ſcilicet contraria illius, quod ſub illis continetur corpus Chriſti, vt ſi aliquis paganus, vel infidelis, acciperet; & ideò dicit Magiſter in litera quòd iſtud Sacramentum tam boni, quàm mali accipiunt.

Sumptio Euchariſtiæ per modum tantum Sacramenti quid & quomodo.

Sacramentaliter ſumere quid & quomodo. Secundò, ſumitur Euchariſtia, ſcilicet vt Sacramentum ſacramentaliter, quando ſumitur cum debita intentione, & fide in generali, ſiue intendens ſumere in generali, quod etiam ibi credit cõtineri; ſiue intendens in ſpeciali accipere corpus Chriſti, ſed non cũ reuerẽtia debita, aut ſi in peccato mortali exiſtens, non contritus illud ſumat.

Euchariſtia ſacramentalis ſpiritualis ſumptio quid. Tertiò accipitur ſacramentaliter ſpiritualiter, quando ſciliçet percipiens dignè ſe præparat, per debitam reuerentiam ad iſtud Sacramentum percipiendum; quia tunc perceptio illa ſignificat ſpiritualem manducationem nutrimenti ſpiritualis, per quam percipiens ſpiritualiter nutritur, & conuertitur in corpus Chriſti, vt fiat membrum eius, dicente Auguſtino, *tu mutaberis in me, ſed ego non mutabor in te*: & hæc eſt differentia inter manducationem carnalem, & ſpiritualem, quia in manducatione carnali nutrimentum conuertitur, & tranſit in ſubſtantiam nutriendi; è conuerſo in manducatione ſpirituali quod nutritur tranſit in cibum nutrientem, quia ſumens corpus Chriſti dignè, & ſpiritualiter, incorporatur corpõri Chriſti, vt cibo ſuo ſpirituali tanquam membrum eius.

Aug. tract. 26 in Ioan. *Differentia inter manducationem ſpiritualem & corporalem.*

3. *Deciſio quæſtionis.* Dico igitur applicando, quòd tam à ieiuno, quàm à non ieiuno poteſt corpus Chriſti primo & ſecundo modo percipi, non tamen debet à malis percipi, quia non percipitur ab eis ſine damnatione eorum. Nam poteſt non ieiunus ita intendere accipere corpus Chriſti; & hoc credere ſub ſpeciebus contineri, ſicut ieiunus, & per conſequens ita poteſt ſacramentaliter recipere ſicut non ieiunus. Sed tertio modo, dico quòd tantùm accipitur à ieiuno: ſed ieiunium eſt duplex, ſcilicet Eccleſiæ, & naturæ. Ieiunium Eccleſiæ non ſoluit qualiſcunque ſit modica ſumptio cibi; patet de medicina, & ſpeciebus ſumptis cũ tali ieiunio. Ieiuniũ naturæ totaliter per quamcunque modicá cibationem, vel nutrimenti perceptionẽ ſoluitur.

Ieiunium alterum naturæ, Eccleſiæ alterum.

Dico igitur quòd regulariter percipiens corpus Chriſti tertio modo, debet eſſe ieiunus ieiu-

nio naturæ, & non tantùm ieiunio Eccleſiæ; licet tamen & quãdoque in caſibus ſpecialibus ſit licitum, imò neceſſarium, oppoſitum. Quòd autem regulariter non ſit ſumendum niſi à ieiunis, habetur *de conſec. diſt. 2. liquido*, vt argutum eſt in oppoſitum, vbi vult Spiritus ſanctus, vt ait Auguſtinus, quòd ſic percipi debeat. Vnde licèt Chriſtus tradiderit corpus ſuum poſt cœnam, & poſtquàm fuerunt pranſi, & non ieiuni, veriſimile tamen eſt quòd poſtea per ſe, vel per Apoſtolos inſtitutum denunciauerit propter reuerentiam eius, ieiuno ſtomacho debere percipi, & deinceps ſpiritualiter manducari, & hoc conuenienter, vt homo priùs intenderet quærere cibum animæ ſpirituale, quàm aliquem cibum corporis corporalem, vel aliquid aliud temporale, vt ſobriè, & deuotè acciperetur hoc Sacramentum excellentiſſimum.

Auguſtinus.

Hinc non habetur eſſe iùris diuini immediatè, ſed mediatè tantùm.

5. *Caſus in quibus non ieiunus poteſt recipere Euchariſtiã.*

In caſibus tamen poteſt hoc Sacramentum recipi à pranſis, vel non ieiunis, vt patet de infirmis in periculo mortis, quibus datur corpus Chriſti, vt bonum viaticum in ſalutem animæ.

Sed eſt alius caſus. Conſuetudo eſt in aliqua regione quòd conſecratio fit in vino albo. Ponatur igitur quòd miniſter infundat aquam in calice, credens ipſam eſſe vinum album, & dicantur omnia verba conſecrationis circa ipſam, ſicut circa vinum, & tandem recipiatur à ſacerdote poſt perceptionem corporis, & tunc primò poſt perceptionem aduertatur eſſe aqua. Quæro an talis teneatur iterum conſecrare vinum purum, & illud ſtatim ſumere: etſi ſic, cùm biberit aquam, & non ſit ieiunus ieiunio naturæ, poſſit Euchariſtiam accipere in aliis caſibus, quàm prædictis. Etſi non, igitur ſumit partem Sacramenti, & non totum Sacramentum integrum, quod prohibetur fieri à Canone.

Reſpondeo, duo ſunt capitula in decretis de iſta materia: vnum *de conſecr. diſt. 2. cap. Relatum*, & alterum, cap. 111. ſequente *Compertum*. In quorum primo præcipitur quòd quotieſcunque aliquis confecerit in pane & vino, toties percipiat totum. Hoc dicit contra ſacerdotes, qui frequenter in die conficientes corpus, & ſanguinem, nihil ſumunt de vino, vſque in fine omnium Miſſarum, & tunc totum ſumebant, & ſubdit pœnam talium, *niſi enim quotieſcunque confecerint, integrum percipiant, ab integro arceantur, & etiam à communione per annum ſe nouerint excluſos*. In ſecundo c. præcipit quòd *quotieſcunque conficit ſacerdos, quòd etiam ſanguinem conficiat, quia eiuſdem Sacramenti non poteſt fieri diuiſio ſine grandi ſacrilegio*.

6. *Si plura præcepta ſimul occurrunt, ſuperius ligat.*

Dico igitur quòd tenetur conſecrare vinum, & percipere illud, vt Sacramentum ſit integrum, & indiuiſum. Quia quando aliquis obligatur ad præcepta ſuperioris, & inferioris, ſi in aliquo caſu appareant contraria, ſicut in propoſito, non abſoluitur à præcepto ſuperioris per præceptum inferioris; ſed è conuerſo, ſemper tenetur præcepto ſuperioris obedire, prætermiſſo præcepto inferioris; nec in eo caſu, in quo repugnãt, & nõ poſſunt ſimul ambo ſeruari, & abſoluitur à præcepto inferioris, quia inferior non inſtituiſſet tale præceptum in aliquo caſu, in quo credidiſſet repugnare præcepto ſuperioris. Nunc autem de integritate iſtius Sacramenti eſt vtrumque tam ſpecies panis, quàm vini, ſimul continentes corpus Chriſti verum, & eius ſanguinem, quia ſic Chriſtus inſtituit illud confici à ſacerdotibus, & etiam confecit ſic, & ab eiſdem ſic ſumi. Patet in illis duobus cap. canonis: igitur conficiens corpus Chriſti vice Chriſti, & percipiens, licèt priùs ſuſceperit aquam, & non ſit ieiunus, tenetur ex præcepto Chriſti vinum conſecrare, vt Sacramentum ſit integrum, & non diuiſum, ſecundùm ſecundum c. & per primum c. Quotieſcunque miniſter conficit corpus Chriſti, toties tenetur illud recipere; igitur talis quicunque, licèt non ſit ieiunus, qui conficit corpus, & non ſanguinem, tenetur ſanguinem conficere, & recipere, vt Sacramentum integrum, & completè recipiat. Nec aliquis ſic non ieiunus peccat nouo peccato percipiens ſanguinem propter tranſgreſſionem præcepti Eccleſiæ. Imò peccaret peccato mortali, ſi omitteret recipere ſanguinem Chriſti, quia maius eſt præceptum Chriſti, quàm Eccleſiæ, vbi repugnat ſibi Eccleſia, & maiorem pœnam infligit conficienti tantùm in vna ſpecie, quàm recipienti corpus Chriſti ſtomacho non ieiuno. Patet in cap. præcedentibus *de conſecr. diſt. 2. & cap. liquido*, in ſignum quòd ſi præuidiſſet iſtum caſum, nullo modo propter ſolutionem ieiunij Sacramentum recipi integrè prohibuiſſet. Nec eſt aliquis hîc perplexus, quia ex lege Dei nullus eſt perplexus, ſed obediens præcepto Dei. Prætermiſſo itaque inferioris præcepto doleat de negligentia, & ſecurè in vino conficiat, & ſic non ieiunus ſanguinem ſumat, & meretur implendo præceptum Dei.

Integritas conſecrationis eſt ex præcepto diuino.

Peccaret conſecrans ſi non ſumeret.

Communicare ieiunè eſt præceptum Eccleſiæ.

Dices, ſcandalum erit, ſi poſtquàm ſumpſerit aquam, percipiatur iterum conſecrare vinum, & ſanguinem recipere. *Replica.*

Reſpondeo, *vtilius ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas derelinquatur*; & ideò ſi populus ex hoc ſcandalizatur, non eſt curandum, quia non eſt ex ſe, & ex natura ſua opus ſcandaloſum implere præceptum Dei, ſed malè interpretantibus eſt ſcandalum, quod non poteſt conuenienter vitari, & ideò non ponderandum ſicut dicitur apud Matth. c. 16. de illis ſcandalizatis, *ſinite illos, cæci ſunt*, ſi enim populus ſciret cauſam quare iterum conficeret in vino, quam poſſunt ſupponere rationabiliter, non ſcandalizarentur, ſed multùm ædificarentur. Poteſt enim ſine omni ſcandalo conficere ſanguinem, & ipſum recipere poſtquàm aquam ſumpſerit, ſupplendo quod incautè fuit omiſſum in Sacramento. Poteſt enim cautè ire ad cornu altaris, & ibi recipere magnam quantitatem de vino, ſi aliqua pars aquæ remaneat in calice; deinde redire ad medium altaris, & dicere ibi ſupra vinum ab illo loco. *Simili modo*, vſque illud *hoc quotieſcunque feceritis*, & ſine aliquo ſcandalo illud recipere.

7. *Soluitur.*

Modus conſecrandi calicis ſine vllo ſcandalo in caſu poſito.

Ad primum argumentum in oppoſitum, dico quòd Chriſtus reliquit Apoſtolis hoc ſtatuere, vt nullus ſpiritualiter hoc Sacramentum regulariter acciperet, niſi ieiunus ieiunio naturæ; vel ipſemet ſtatuit hoc, & per Apoſtolos Eccleſiæ nunciauit.

8. *Ad primum principale. Chriſtus reliquit Eccleſiæ modum quo Euchariſtia ſumeretur.*

Ad aliud, dico quòd intentio Apoſtoli eſt in oppoſitum, vt ſcilicet primò ſumat Sacramentum illud, & deinde pòſt domi manducet, quia primo tempore, quando conſecrabant ſacerdotes in magnis panibus, & magna quantitate vini, de illis aliqui eſuriebant, & ebrij erant, & erat contentio inter eos; quam volens deſtruere Apoſtolus, hortatur vt Sacramentum ſpiritualiter recipiant, & domi manducent plenum cibum. *Ad ſecũdum.*

Sed hîc eſt vnum dubium de corpore Chriſti in Paraſceue, quando ſacerdos recipit vinum puru tantùm, & non ſanguinem poſt receptionem corporis Chriſti, & per cõſequens non videtur quòd ſemper ſit neceſſarium Sacramentum iſtud recipi in vtraque ſpecie, ſicut dicit iſta decretalis. 9. *Obiectio.*

Reſpondeo, dixi priùs quòd omnis conficiens *Soluitur.*

corpus

Integritas Euchariſtiæ non requiritur in ſumptione, ſicut in conſecratione.

corpus Chriſti debet conficere in vtraque ſpecie, & hoc dicit illa decretalis, non tamen ſemper quòd recipiens recipiat in vtraque ſpecie; quia infirmus poteſt tantùm illud recipere in vna ſpecie, vt in ſpecie panis, vt patet, ſed ſacerdos in die Paraſceues non cõficit aliquid, ſed vtitur corpore Chriſti, quòd confectum erat in die præcedenti; & ideò licèt ſacerdos in illa die habeat actum aliquem ſacerdotis, offerendo ſcilicet orationes, dicendo pro ſe, & pro populo, non tamen principalem actum, qui eſt conficere corpus Chriſti.

DISTINCTIO IX.

De diſpoſitione communicantis.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm exiſtens in peccato mortali peccet nouo peccato communicando, & recipiendo corpus Chriſti?

Alenſ. 4. p. q. 46. m 5. D. Bonau. *hic art.* 2. q. 2. D. Thom. *q.* 2. & 3. *p. q.* 80. *a.* 4. & 5. Suar *ibi d.* 66. *ſect.* 1. & 2. Scot. *in Oxon. hic quæſt. vnic.*

1. *Argument. primum.*

VÒD non, quia aliquando tenetur exiſtens in peccato mortali communicare, & nullus faciendo quod tenetur, peccat. Aſſumptum patet, quia quilibet tenetur communicare ſaltem ſemel in anno ex præcepto.

Secundum. Item, *de conſecr. diſt.* 2. *relatum*, dicitur quòd ſacerdos, qui conſecratur, tenetur communicare, etſi ſit in peccato mortali, & tunc non tenetur confiteri, quia tantùm ſemel in anno ſufficit.

Tertium. Item, nullus tenetur confiteri niſi ſemel in anno ex præcepto, vt patet *extrà, omnis vtriuſque ſexus*, &c. igitur poteſt quilibet facere quod tenetur ex officio, etſi tantùm ſemel in anno confiteatur. Non enim videtur quare dictum præceptum non ſibi ſufficiat ad ſalutem, in ſemel confitendo, ſicut & alteri Chriſtiano, cùm non videatur ſpeciali lege aſtrictus.

Ratio oppoſita. Oppoſitum 1. ad Corinth. 11. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit*, &c. talis eſt huiuſmodi, qui non ſpiritualiter eſt membrum Chriſti, & percipit Euchariſtiam; quæ perceptio ſignificat ipſum ſpiritualiter incorporari Chriſto.

Auguſt. Præterea, Auguſtinus ſuper Ioan. Homil. 26. loquens de malo ſacerdote, *Tanta, inquit, rei Sacramentum ad iudicium percipit.*

SCHOLIVM.

Exiſtens in peccato mortali, & non pœnitens, aut pœnitens quidem, ſed non confeſſus, cùm habeat præſentiam confeſſarij, ſi communicet, peccat mortaliter, niſi neceſſitas ſecus facere cogat. Trid. ſeſſ. 13. *cap.* 7. *& can.* 11. *Cyprian. lib.* 3. *ep.* 15. *vnde reprehenditur Caiet. oppoſitum tenens* 3. *p. q.* 8. *a.* 4. *peccans autem venialiter, & abſque confeſſione communicans, nullo modo peccat, ſed melius & huiuſmodi peccata priùs confiteri.*

2. *Deciſio quæſtionis.*

REſpondeo, quòd tripliciter aliquis poteſt intelligi eſſe in peccato mortali, vel quia tunc actualiter peccat, vt habens propoſitum peccandi, & voluntatem actualiter malam, & peccantem, cùm peccatum ſit principaliter in voluntate, vel quia placet ſibi de peccato commiſſo præterito, vel exteriùs actualiter operatur malum, & peccatum, & iſtis tribus modis actualiter peccat.

Alio modo poteſt dici aliquis in peccato, quia poſt peccatum commiſſum non pœnituit de eo, & iſto modo dicitur eſſe in peccato, quia non eſt ſibi remiſſum quouſque pœniteat. Tertio modo aliquis contritus de peccato priùs commiſſo, & tamen non confeſſo, dicitur eſſe in peccato, & iſte licèt non ſit peccator quantùm ad maculam, quia pœnituit, eſt tamen quantùm ad reatum, quia adhuc obligatur ad confeſſionem per Eccleſiam, ſi oportunitas ſacerdotis occurrat.

Aliquem eſſe in peccato contingit tripliciter.

Primo modo exiſtens in peccato mortali, ſi communicet, addit peccatum peccato. & ſic intelligit Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. quòd percipientes hoc Sacramentum debent eſſe diligentes, ſaltem quòd non ſciant ſe eſſe in peccato mortali cùm recipiunt.

Quomodo communicans in peccato mortali ex ignorantia, excuſatur.

Secundo modo exiſtens in peccato, aut non pœnituit, cùm ſciat ſe eſſe in tali peccato, & tunc eſt in primo gradu: aut non recolit ſe eſſe in peccato; quod dupliciter poteſt contingere, aut propter negligentiam ſuam, quia non diſcutit, nec examinat conſcientiam ſuam; & tunc peccat recipiens; quia tenetur ad diſcuſſionem: ſi autem diſcutit, ſicut poteſt humano modo cognoſcere, & non inuenit in ſe peccatum, nec peccat mortaliter communicando, neque venialiter: tum, quia nullus tenetur ad impoſſibile, ſed impoſſibile eſt ſe habere certitudinem, quod non eſt in peccato mortali.

Tum, quia ſi teneretur diſcutere quouſque eſſet certus, quilibet communicans exponeret ſe periculo peccati mortalis, quia quilibet debet timere ſe eſſe in tali, & ſperare quòd non.

3. *Quandoque licet in peccato mortali exiſtenti cõmunicare.*

Tertio modo, vt qui pœnituit interiùs, ſed non ſatisfecit Eccleſiæ. Diſtinguo, aut habet oportunitatem confitendi, aut non habet; ſi habet vt quod habet confeſſorem idoneum, hoc eſt qui habet poteſtatem, & non habet firmam credulitatem quòd ipſe reuelaret confeſſionem, tunc tenetur priùs confiteri, quàm communicare: ſi autem non habet opportunitatem confitendi, aut illi incumbit ex officio communicare, aut non, ſi non incumbit, igitur tenetur expectare, vel peccat mortaliter; ſi incumbit ſibi neceſſitas, vt propter vitationem ſcandali in ſe, vel in proximo, vt ſacerdos Parochialis tenetur in ſolemni feſto celebrare: vel ſi aliquis indutus alba, & tunc occurrat ſibi aliquod mortale, quod commiſit, nec poſſit pro tunc habere confeſſorem idoneum; nec poteſt veſtimenta ponere ſine ſcandalo, debet celebrare, modò pœniteat, ad vitandum ſcandalum.

Veniale non impedit communionem.

Si autem aliquis exiſtat in peccato veniali, nullo modo peccat, nec venialiter, nec mortaliter communicando; quia veniale nullo modo repugnat effectui huius Sacramenti, nec conuerſioni ad Deum. Melius tamen eſt de illis confiteri, qui poteſt antequam communicet, licèt non ſit neceſſarium.

Ad primum principale.

Ad primum, dico quòd nullus peccat faciendo modo debito illud ad quod tenetur; benè tamen propter medium indebitum faciendi. Vnde benè poteſt contingere quòd ille, qui eſt in peccato mortali, tenetur communicare, ſed per nullam obligationem tenetur communicare in peccato mortali.

Ad ſecundum.

Ad aliud patet in poſitione, quia ſi tunc habeat memoriam primò poſtquàm confecit, nullo modo poteſt dimittere, ſicut neque in caſibus minoribus propter ſcandalum.

Ad tertium. Ad aliud, dico quòd regulariter non tenetur aliquis ad confeſſionem, niſi ſemel in anno; tamen in caſu tenetur, quòd exponens ſe periculo mortis, niſi priùs confiteatur, peccat mortaliter, tamen benè tunc poſſet pœnitere de peccatis ſuis in periculo mortis, & non damnaretur. Sed cum hoc oportet eum pœnitere de cõfeſſione omiſſa, quia fortè hoc eſt peccatum mortale. Sic etiam ſpeciali lege tenetur ſacerdos antequam exerceat iſtum actum ad pœnitentiam exteriorem. Et ſi inquiras qua lege. Dico quòd illa lege Apoſtoli, quæ habetur 2. Corinth. 11 *probet ſeipſum homo*, &c.

DISTINCTIO X.

De exiſtentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus, & de reſpectibus ad eandem conſequentibus.

QVÆSTIO I.

Vtrùm ſit poſſibile ſubſtantiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis realiter contineri?

Alenſ. 4. *p. q.* 40. *m.* 3. *a.* 1. D. Bonau. *hic a.* 1. *q.* 1. Rich. *a.* 1. *q.* 1. Gabr. *q.* 1. D. Thom *q.* 1. *art.* 1. & 3. *p. q.* 75. *art.* 1. Suar. *ibid. d.* 46. Scot. *in Oxon, hic & quodl.* 10.

1. Argument. primum negatiuum. VÒD non; ſub ſpeciebus panis non conſecrati non realiter continetur; igitur nec ſub illis continetur poſt conſecrationem. Probatio conſequentiæ, non poteſt corpus Chriſti aliter contineri ſub iſtis ſpeciebus nunc, quàm priùs, niſi aliter ſe habeat nunc quàm priùs, quia ſicut impoſſibile eſt aliquid eſſe, quod priùs non fuit, niſi mutetur ſecundùm formam, ita impoſſibile eſt quòd aliquid adſit in aliquo, vbi priùs non fuit, niſi ipſum mutetur ſecundùm *vbi*: ſed ſi corpus Chriſti nunc ſit ſub ſpeciebus panis, & priùs non fuit, & non fit mutatio in illis ſpeciebus, igitur mutatur ſecundùm *vbi* localiter; ſed non poteſt mutari localiter niſi dimittendo vnum locum, & acquirendo alium, quod non conuenit corpori Chriſti, quia ſecundùm Auguſtinum ſuper Ioan. Homil. 24. & de *conſecr. d.* 1. vbi ſuprà *donec finiatur ſæculum* 1. *Dominus eſt ſurſum in cœlo*, igitur non poteſt corpus Chriſti ſub ſpeciebus contineri magis realiter poſt conſecrationem, quàm ante.

Auguſtinus.

Secundum. Item ſecundò ſic; corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus non poteſt realiter contineri, vt non quantum exiſtens, quia cùm in cœlo ſit quantum, & ſub illis ſpeciebus eſt non quantum, ſimul eſſet quantum, & non quantum. Nec etiam poteſt ibi contineri vt exiſtens quantum, quia quantitas non poteſt ſeparari à ſuo modo quantitatiuo, ſicut nec ſubiectum à ſua propria paſſione, vt homo à riſibilitate, & triangulus ab *habere tres*; ſed modus quantitatiuus ſi eſſet aliud à quantitate, non eſſet paſſio eius; igitur non poteſt corpus Chriſti quantum exiſtens, eſſe ſub ſpeciebus panis ſine modo quantitatiuo.

Si dicas quòd corpus Chriſti quantum eſt ibi, & modo quantitatiuo.

Contra, ſi hoc eſſet verum, ſequeretur quòd dimenſio corporis Chriſti ſimul eſſet cum alia dimenſione, vt panis, quod non eſt verum; ergo nullo modo poteſt corpus Chriſti ibi contineri.

Tertium. Tertiò, ſi corpus Chriſti eſſet ſub illis ſpeciebus realiter, aut eſſet habens partem extra partem, aut non; ſi non, igitur eſſet ibi non quantum, quia definitio quanti continui ſaltem permanentis, eſt habere partem extra partem. Nec poſſet ibi eſſe primo modo, quia tunc eſſet corpus Chriſti minus ſe ipſo, quia minus corpus non poteſt eſſe ſimul cum maiori, nec è conuerſo: ſed ſi corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis haberet partem extra partẽ, eſſet maius quantitate hoſtiæ, & ſimul cum hoc, cùm eſſet cum dimenſionibus hoſtiæ, & eſſet maius ſe, & ſimul eſſet maius corpus cum minori.

Ratio ad oppoſitum. Contrà, Matth. 26. *Hoc eſt corpus meum*, vbi pronomen non demonſtrat niſi ſpecies panis pro vltimo inſtanti prolationis verborum ſub *eſſe* corporis Chriſti tanquam cuidam ſigno, ad quod voluit Deus pro illo inſtanti facere ibi corpus ſuum. *hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem.*

SCHOLIVM I.

Corpus Chriſti verè eſt in Euchariſtia; quia ſic Scriptura habet expreſsè, & conſtat non fuiſſe Chriſtum locutum Metaphoricè. Vide Trid. Seſſ. 13. c. 1. 3. & 4. & Bellarm. lib. 3. de Euchariſtia. Monet ſex quæſtiones. Ad quintum, ſententia D. Thomæ eſt, hic poni corpus Chriſti ſine vlla ſui mutatione; per mutationem panis in ipſum. Hanc refutat variis rationibus. Vide Doctorem in Oxon. hic à n. 4. Refutat aliam ſententiam, qua ad ſextam quæſtionem reſpondet, quantitatem Chriſti hìc non habere modum quantitatis, ſed ſubſtantiæ; quia proprietas naturæ non variatur ex agente, neque ex prioritate termini, ergo nihil refert, quòd quantitas hìc ſit ſecundarius terminus, vt careat ſuo modo. Secundò, ſi conuerteretur quantitas in quantitatem, ſic eſſet ſub modo quanti, in quod conuertitur. Vide Doctorem citatum à num. 12.

2. Probat auctoritate Scripturæ continentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus. REſpondeo ad quæſtionem: vbi primò oſtendo quòd ita eſt, & quòd poſſibile ſit ſub illis ſpeciebus corpus Chriſti veraciter contineri. Secundò oſtendo quomodo hoc ſit poſſibile, & quomodo hoc eſt. Quantùm ad primum, tenendũ eſt quòd de facto eſt ibi verum corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus, ſicut patet *de conſecr. diſt.* 2. *panis eſt in altari*; & infrà cap *Hoc eſt*, & c. *ego Berengarius.* Nam ſecundùm Auguſtinum 83. qq. q. 60. *Circumſtantia Scripturæ dat intelligere Scripturam.* Nunc autem Chriſtus dicens ſe ipſum eſſe vitem, & diſcipulos ſuos palmites, quo modo dixit illos palmites, eodem modo dixit ſeipſum eſſe vitem: non dixit diſcipulos ſuos palmites per naturam, ſed per quandam figuratiuam proprietatem, quia ipſi non erant veri palmites, ſed tantùm per quandam ſimilitudinem. Patet ex circumſtantia Scripturæ; igitur vt ſic fuit ipſe vitis; ſed quando dixit, Lucæ 22. *hoc eſt corpus meum*, non dixit diſcipulis ſuis, & vos membra mea, ſed quantùm ad eos, addidit, *quod pro vobis, & pro multis tradetur in remiſſionem peccatorum*, quod tantùm conueniebat vero corpori ſuo, à principio enim Chriſtianæ religionis fuit de ſubſtantia fidei corpus Chriſti realiter ſub ſpeciebus panis contineri, ſicut quædam alia veritas de Sacramentis.

3. Multa ſupponenda ad hãc poſſibilitatem probandam. Ad probandũ poſſibilitatẽ huius, ſcilicet, quòd corpus Chriſti realiter contineatur ſub illis ſpeciebus, oportet multa probare, quæ videntur includere contradictionem. Primò, quòd vnũ quantũ ſimul poſſit eſſe cum alio quanto. Secũdò, quòd maius quantum poſſit eſſe cum minori quanto. Tertiò quòd maius quantum poſſit eſſe ſimul cum qualibet parte minoris quãti. Quartò, quòd ſubiectum poſſit eſſe ſine quantitate. Quintò, quòd

quòd corpus poſſit alicubi eſſe, vbi priùs non fuit, ſine ſui mutatione de loco ad locum. Sextò, quòd quantum poſſit eſſe ſine modo quantitatiuo: quorum poſſibilitatem ad omnia eſſet nimis prolixum nunc probare, & ideò poſſibilitatem duorum vltimorum tantummodò probo, ex quibus poſſibilitas aliorum inferiùs apparebit.

4. *Per quam mutationem corpus Chriſti eſt in altari.* Opinio 1. D.Thom.

Quantùm ad primum iſtorum duorum, dicitur quòd corpus Chriſti incipit eſſe ſub ſpeciebus panis, vbi priùs non fuit, ſine ſui mutatione, ſed per mutationem alterius, quod conuertitur in ipſum, & ita non oportet quòd illud mutetur ſecundùm locum, quod nunc eſt alicubi, vbi priùs non fuit, quia aliquid poteſt eſſe conuerſum in ipſum, & mutari.

Opinio ſecunda. Henr. Ægid. & aliorum. An quantitas ſit hîc ſine modo quãtitatiuo.

Quantùm ad ſecundum articulum, dicit quidam quòd quantitas corporis Chriſti eſt ſub ſpeciebus panis ſine modo quantitatiuo, quia ſubſtantia panis ſolùm conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, vt in per ſe terminum eius; non autem in quantitatem corporis eius per ſe; ſed tantùm concomitatur, ſicut cibus naturalis ſecundùm ſubſtantiam eius conuertitur in ſubſtantiam rei alendæ per ſe, & quantitas in quantitatem, Ariſtot. 3. *de partib. Animal. c. 5.* Quantitas, & alia accidentia non ſunt hîc ex vi Sacramenti, ſed tantùm ex concomitantia naturali eorum ad ſubſtantiam, & per conſequens cùm ſubſtantia corporis immediatè ſit ſub illis ſpeciebus, & dimenſiones eius tantùm concomitentur, & per accidens, non eſt ibi corpus mediante quantitate, nec per conſequens mediante ſuo modo quantitatiuo.

Impugnatur ſententia D. Thom. primò.

Contra primum poteſt ſic argui: Tranſubſtantiatio cùm ſit mutatio ſubſtantialis, habet pro per ſe terminis ſuis ſubſtantias: per nullam autem mutationem acquiritur, niſi per ſe terminus eius; ergo per iſtam mutationem, quæ eſt tranſubſtantiatio, non habetur pro per ſe termino eius, niſi ſubſtantia, ſed præſentia corporis Chriſti modò exiſtentis ſub ſpecie panis, & priùs non, non eſt ſubſtantia, quia nec ſubſtantia panis, quia illa non manet in fine tranſſubſtantiationis; nec ſubſtantia corporis Chriſti, quia tunc aliquid ſubſtantiæ corporis Chriſti eſſet nouum, ſicut præſentia eius cum iſtis ſpeciebus eſt noua. Ex vi igitur tranſubſtantiationis ſubſtantiæ panis, non habetur præſentia corporis Chriſti ſub illis ſpeciebus; igitur vel ſine omni mutatione præcedente, eſt modò ſub illis corpus Chriſti, ſub quibus priùs non fuit, quòd videtur mirabile; vel iſta præſentia habetur alia mutatione, quam per tranſubſtantiationem. Confirmatur ratio, quia quælibet mutatio completa eſt, habito eius per ſe termino: ſed per ſe terminus tranſubſtantiationis eſt ſubſtantia corporis Chriſti; præſentia autem corporis Chriſti cum illis ſpeciebus, non eſt ſubſtantia corporis Chriſti; igitur illa præſentia corporis Chriſti ſub illis ſpeciebus non habetur ex vi tranſubſtantiationis.

Corporis Chriſti præſentia non eſt per ſe terminus tranſubſtantiationis.

Confirmatur.

6. *Secundò.* Item, ſecundò ſic: quod conuertitur in aliquid præexiſtens, magis acquirit conditiones eius, quàm è conuerſo. Patet de nutrimento conuerſo in carnem, quod accipiendo eſſe illius, accipit qualitatem, & quantitatem, & *vbi* eius; igitur panis conuerſus in corpus Chriſti, ex vi conuerſionis magis acquirit *vbi* illius, quàm è conuerſo, igitur ex ſola conuerſione corporis Chriſti magis acquirit panis *vbi* corporis Chriſti in cœlo, quàm corpus Chriſti præſentia eius in altari ſub illis ſpeciebus.

Item, conceſſa conuerſione panis in corpus, poſſet Deus conuertere ſubſtantiam panis in corpus Chriſti habens eſſe in cœlo; igitur ex vi conuerſionis non habetur quòd ſub illis ſpeciebus ſit corpus Chriſti facta conuerſione.

Tertiò. Poſſet panis conuerti in corpus Chriſti in cælo.

7. *Quartò. Ex vi conuerſionis corpus Chriſti quantum non eſſet circumſcriptiuè ſub ſpeciebus.*

Item, ſi panis quantus conuerteretur in corpus Chriſti quantum & ſubſtantia in ſubſtantiam, non haberet corpus Chriſti eſſe circumſcriptiuè ſub ſpeciebus, vbi fuit panis, ex vi conuerſionis panis in ſubſtantiam corporis Chriſti; igitur ſimiliter ex vi conuerſionis panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, non habet corpus eſſe diffinitiuè, vbi præfuit ſubſtantia panis. Conſequentia patet, quia non eſt differentia inter iſtas conuerſiones, niſi quia terminus vnius conuerſionis eſſet tantùm ſubſtantia alterius: tam ſubſtantia, quàm quantitas, per quorum primum vt ſubſtantiam, non habet eſſe alicubi, niſi diffinitiuè; per ſecundum circumſcriptiuè. Antecedens patet; quia corpus non poteſt eſſe in tam paruo loco circumſcriptiuè, in quo præfuit panis quantus: ergo ex vi conuerſionis non eſt circumſcriptiuè, vbi erat panis quantus, nec per conſequens ſubſtantia corporis eſt diffinitiuè ex vi conuerſionis vbi priùs fuit ſubſtantia panis.

Quintò. Ariſt. Subſtantia panis poſſet eſſe ſimul cum præſentia corporis Chriſti.

Item, quintò ſic: Deus poteſt abſolutè facere corpus ſuum eſſe præſens cum pane manente ſubſtantia panis, quia ad nouitatem poſterioris non ſequitur nouitas prioris, ſecundùm Philoſophum, 8. *Phyſic. t.* 74. & 75. vbi vult quòd aliquid poteſt moueri localiter ſine mutatione ab ſubſtantiam, quæ dicitur generatio, vel corruptio, vel ſine alteratione, vel augmentatione & diminutione, quia loci mutatio eſt quodammodo poſterior aliis mutationibus; ſed præſentia corporis Chriſti cum ſubſtantia panis, eſt poſterior ea, quia aduenit de nouo, & poteſt recedere ab ea, ipſa manente eadem, quæ priùs non conuerſa; igitur non requirit aliquam nouitatem circa ſubſtantiam panis propter nouitatem præſentiæ, ſed tunc poteſt conuertere ſubſtantiam panis in corpus Chriſti, ſicut ſi ſic præſentialiter non fuiſſet; igitur ſi per conuerſionem ſubſtantia panis eſt hîc ſub ſpeciebus, ſequitur quòd eſt hîc poſtquam fuit hîc.

Si dicas quòd per conuerſionem non ſit hîc, quia priùs fuit hîc, concedis propoſitum meum, quòd ex vi conuerſionis non eſt hîc ſubſtantia corporis; igitur ſubſtantia corporis Chriſti ſecundùm ſuum *eſſe* hîc, non eſt terminus huius conuerſionis, ſed ſola ſubſtantia corporis Chriſti, cui accidit eſſe hîc.

8. *Henr. & aliorum opinio circa ſecundum impugnatur.*

Circa ſecundum articulum contra ſecundam opinionem ſic arguo. Vnumquodque ſiue ſit primus terminus tranſubſtantiationis, ſiue ſecundus, ſemper habet proprietates ſuas naturales, quæ ſibi naturaliter conueniunt, & hoc ſiue fiat ab agente naturali, ſiue ſupernaturali, quia cauſalitas agentis non diuerſificat naturam producti, ſicut patet per Auguſtinum 2. *de Trin. & in fine libri ad Deo gratias*; igitur per hoc quòd quantitas corporis Chriſti eſt terminus ſecundus vnius cõuerſionis, & non primus, non amittit proprium modũ ſuũ, qui eſt quantitatiuè exiſtere; ergo, &c.

Auguſtinus. *Natura producti non diuerſificatur à cauſalitate producentis.*

Confirmatur, quia in nulla tranſubſtantiatione eſt quantitas primus terminus, ſed conſequitur primum terminum vt modus eius quantitatiuus. Similiter igitur non ſequitur quòd poſt tranſubſtantiationem ſit quantitas ſine ſuo modo quantitatiuo, quia non eſt primus terminus.

Confirmatur.

Secundò. Item secundò sic: si creat Deus aliquam substantiam de nouo tantùm, vt ignem sine omni quantitate, ista substantia potest ex se & in se causare quantitatem, si Deus illam non crearet; quia cùm quantitas sit accidens consequens naturaliter principia substantiæ, continetur in ea virtualiter, & ita potest eam causare in se ex principiis suis. Patet, nam substantia aquæ existens calida, potest virtute propria expellere calorem, & redire ad frigiditatem sine actione cuiuscunque alterius circumstantis, vel continentis, & hoc ideò est, quia virtualiter continet frigiditatem, quæ est qualitas consequens naturam eius; igitur etsi substantia sit primus terminus transubstantiationis, & non quantitas, ipsa tamen potest tam quantitatem, quàm medium eius proprium in se causare, quia vtrumque virtualiter continet; igitur non sequitur quantitatem esse sine suo modo quantitatiuo, quia non est primus terminus.

Substantia in se potest producere quantitatem.

Tertiò. Item, si per istam conuersionem corpus Christi sit hîc sub speciebus panis, habebit modum ipsius conuersi; igitur erit hîc modo quantitatiuo, sicut substantiæ potest conuenire modus quantitatiuus, quia præfuit panis modo quantitatiuo.

SCHOLIVM II.

Resoluit possibile esse corpus & sanguinem Christi esse sub speciebus panis & vini. Deinde docet in mutatione locali communiter concurrere quatuor mutationes, & octo terminos; si tamen corpus motum aliud non expelleret, tantùm essent duæ mutationes, & quatuor termini, & si ipsum locum suum non amitteret, tantùm esset vna mutatio. Resoluit non posse poni hic corpus Christi sine omni mutatione; habet ergo præsentiam realem, quæ est respectus realis extrinsecus adueniens.

9. Resolutio Doctoris. QVantùm ad primum articulum, dico quòd corpus Christi potest esse sub speciebus panis, vbi priùs non fuit, sine mutatione loci, in quo priùs fuit, ad locum specierem panis; & tamen oportet necessariò aliquam mutationem ponere circa corpus Christi. Quantùm etiam ad secundum articulum, dico quòd possibile est ita esse, quòd corpus Christi ibi sit, sine modo quantitatiuo.

In omni mutatione locali ex parte corporis moti dantur communiter duo motus, & quatuor termini. Quantùm ad primum est sciendum, quòd in omni motu locali, vbi vnum corpus expellit aliud locatum, est assignare duos motus, & quatuor terminos, quia quòd mouetur de loco in locum, habet duos motus concurrentes, & quatuor terminos. Vnus motus est à termino positiuo ad terminum priuatiuum, & dicit priuationem termini *à quo*, & potest iste motus vocari motus, vel mutatio deperditiua. Alius motus à termino priuatiuo *à quo*, ad terminum positiuum, & potest vocari hæc mutatio acquisitiua, ita quòd quilibet motus habet duos terminos. Eodem modo esset distinguendum ex parte corporis cedentis isti per motum localem. Supponatur igitur quòd Deus posset idem corpus in duobus locis facere, sicut duo corpora in eodem, (cuius possibilitas aliàs apparebit), non esset tunc nisi vna simplex mutatio à termino *à quo* priuatiuo, ad terminum *ad quem* positiuum absque eo quòd corpus motum perdat primum *vbi*. & si Deus faceret vnum corpus vt glorioſum cum alio corpore, fieret ei præsens, & non tantùm circumscriptiuè, sed circumscriptiuè, & diffinitiuè, quia dato quòd Angelus esset sic simul cum aliquo corpore, per aliquam mutationem, esset tunc simul cum corpore diffinitiuè, & non circumscriptiuè, quia præsentia Angeli cum corpore est simplicior præsentia corporis cum corpore circumscriptiuè: abstrahendo igitur ab essendo simul præsentialiter cum alio in loco circumscriptiuè, & diffinitiuè præsentiam alicuius cum alio absolutè, quod est esse præsens simplicius istis modis, sicut est in proposito, vbi corpus Christi est præsens simul cum speciebus hostiæ, oportet necessariò quòd hoc sit per mutationem in aliquo, quia non est intelligibile ipsum modò esse sub hostia, & priùs non, nisi facta mutatione in aliquo de nouo, quia impossibile est transitum fieri à contradictorio in contradictorium, nisi per aliquam mutationem factam in aliquo in fine illius transitus; igitur si corpus Christi modò sit sub speciebus, & priùs non, hoc est per mutationem factam in aliquo. Non in pane, vel circa panem fit mutatio ex vi conuersionis, quia panis non manet nec circa species, quia istæ non afficiunt corpus Christi post cõuersionem, nec aliter se habent post conuersionem quàm priùs, quia ex hoc quòd modò sunt sine subiecto, non aliter se habent, quàm si semper fuissent sine subiecto; sed si semper fuissent sine subiecto, non continerent corpus Christi de nouo per mutationem earum; igitur nec modò ex hoc quòd sunt sine subiecto aliquo variantur; igitur oportet quòd ista mutatio sit circa corpus, quod modò est sub speciebus, & priùs non fuit.

Transitus de contradictorio in contradictorium arguit necessariò mutationem.

Sed dato quòd ista mutatio sit in corpore Christi, quid est illud nouum in eo, per quod modò est hîc sub speciebus, vbi priùs non fuit.

In transubstantiatione quid nouì oriatur.

Respondeo, quòd non est aliqua forma absoluta, sed tantùm respectus extrinsecus adueniens, contingenter consequens extrema posita in *esse* vt quædam præsentia corporis Christi sub speciebus hîc, vbi priùs non fuit, nec ad istum respectum præcedit aliqua alia mutatio ad formam absolutam. Posito enim ligno, & igne, sine aliquo alio in ligno, vel in igne, facta approximatione debita per mutationem, vel motum ad *vbi*, sequitur contingenter calefactio, & hoc agit, & illud patitur; & ideò contingenter, quia positis extremis, & non approximatis, non sequitur actio, vel passio. Nec etiam motus, vel mutatio ad *vbi* necessariò requiritur ad hoc, quòd ignis agat, & lignum patiatur; quia posito obstaculo, vel impedimento aliquo inter ista summè approximata, non agent ad inuicem, & amoto impedimento, statim agunt ad inuicem sine aliquo respectu extrinsecùs adueniente, vel mutatione præcedente actionem in agente, & passionem in ligno, vel in passo. Eodem modo in proposito positis illis speciebus separatis à subiecto & corpore Christi, non necessariò sequitur præsentia Christi ad illas species, quia illa præsentia corporis ad esse sub speciebus, non est respectus oriens necessariò ex natura extremorum, sed respectus extrinsecus adueniens contingenter sequens extrema posita, quia facta conuersione panis in corpus ex vi consecrationis, sequitur præsentia eius sub speciebus vbi priùs non fuit.

10.

An & quid sit relatio extrinsecus adueniens.

Terminus mutationis corporis Christi est respectus extrinsecus adueniens.

Sed cuius generis est iste respectus nouus in corpore Christi? Dico quòd sicut *vbi* Angeli aliquo modo reducitur ad Prædicamentum *vbi*, licèt hoc non diceret Philosophus, quia non ponet

Hic nouus respectus reducitur ad vbi.

ret *vbi* poſſe cauſari, niſi ex eſſe in loco circumſcriptiuè, ſic præſentia corporis Chriſti in ſpeciebus habet reduci ad prædicamentum *vbi*, minùs tamen propriè, quia præſentia eius cum ſpeciebus ſimplicior eſt præſentia Angeli cum ſpeciebus.

SCHOLIVM III.

Reijcit aſſerentes partes corporis Chriſti non eſſe extra ſe inuicem in hoſtia, & reſoluit quantitatem corporis Chriſti habere ibi poſitionem, ſeu ordinem partium in toto, non tamen in ordine ad locum, quia hæc poſitio contingenter ei aduenit. Idem tenet D. Thom. quæſt. 36. art. 3. Alenſ. 4. part. quæſt. 10. num. 7. art. 3. D. Bonauent. hîc part. 1. art. 1. quæſt. 4. vide Scotum in Oxon. hîc à num. 14. & quodl. 10.

11. QVantùm ad ſecundum articulum, dico quòd duplex eſt poſitio; vna, quæ eſt differentia quantitatis, dicens ordinem partium in totum, ſecundùm quam vna pars totius quantitatis eſt extra aliam.

Quantitatis duplex poſitio in ſe & in ordine ad locum.

Alia eſt poſitio, quæ eſt Prædicamentum, quæ dicit ordinem partium in loco, vel in toto per comparationem ad partes continentis corporis. Quantùm ad perfectionem, quæ eſt differentia Quantitatis, dicunt aliqui quòd corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus ſine poſitione partium illo modo, quia ſine modo quantitatiuo, quia ſicut Deus poteſt facere vnum corpus ſimul cum alio corpore, ita poteſt facere partem vnius corporis, cum parte alterius, & quamlibet partem vnius corporis cum alia parte, vt manum cum digito, & quamlibet partem ſimul cum alia parte per ſubintrationem partium in ſe, vel in vnam partem, & ita poteſt facere omnia in ſe ipſo vſque ad minimam quantitatem poſſibilem in natura.

Opinio aliorum Nominalium.

Reijcitur. Chriſtus habet formam cõnaturalem ſuo corpori in Euchariſtia.

• Sed iſtud non eſt conuenienter dictum in propoſito, quia non eſt veriſimile quòd ita confundat corpus ſuum, & ita miſerabiliter diſponat illud, vt vbi ſit caput, ibi ſit pes, quia hoc tolleret formam, & omnem diſpoſitionem naturalem corporis Chriſti.

12. *Opin. Doctoris.*

Ideò dico aliter, quòd corpus Chriſti ſub ſpeciebus habet poſitionem, quæ eſt differentia Quantitatis, per quam habet partem extra partem, & tantum diſtat caput à pede, tam cùm eſt in Sacramento, quàm cùm eſt in cœlo; quia ita longus, & latus eſt hîc, & tantum diſtant partes à ſe inuicem, ſicut in cœlo, & ideò non eſt hîc ſine tali modo quantitatiuo, & poſitione partium, quæ eſt differentia quantitatis, ſed Deus aufert poſitionem, quæ eſt Prædicamentum à corpore in altari. Nam Prædicamentum poſitionis non dicit niſi *vbi* Prædicamentum cum ordine, & menſuratione partium contenti ad partes corporis continentis. Vnde præſupponit Prædicamentum *vbi*, & ſuperaddit habitionem partium totius contenti ad partes corporis continentis correſpondentes partibus locati habentibus poſitionem, & eſt reſpectus extrinſecùs adueniens, quia contingenter aduenit poſitis extremis, & ſine modo quantitatiuo. Et iſta poſitione poſſet Deus facere alicubi realiter aliquod corpus contineri, quia ex quo ego poſſum facere corpus meum ſine hac poſitione in illo, & ſine quacunque demonſtrata, non eſt mirum ſi Deus poteſt facere corpus Chriſti ſine quacunque tali poſitione vniuerſaliter; nam Deus poteſt facere ſuperficiem ſine hoc colore, & ſine iſto, & ſine omni vniuerſaliter, quia color eſt extra per ſe rationem ſuperficiei; igitur ſimiliter cùm quælibet talis poſitio ſit reſpectus extrinſecùs adueniens corpori, & contingenter; poteſt Deus facere corpus eſſe ſine omni tali reſpectu; & per conſequens poteſt facere quòd aliquod corpus in partibus eius non habeat ordinem ad partes loci, etſi natura hoc non poſſit; & ita corpus Chriſti ſine illo modo quantitatiuo poteſt eſſe ſub ſpeciebus Sacramenti, & iſtam poſitionem partium corporis, quam habet in cœlo reſpectu continentis, non habet in Sacramento, & per conſequens ſine omni reſpectu illo extrinſecùs adueniente, quem habet in cœlo, poteſt facere corpus ſuum hîc. Nam *vbi* quod habet in cœlo, eſt prius poſitione.

Quantitati contingenter aduenit commenſuratio loci.

Quàtùm poteſt habere ordinem partium inter ſe ſine coëxtenſione ad locum.

13. *Quid eſt conſeruare quantum ſine modo quantitatiuo.*

Dico igitur quòd eſſe quantum ſine modo quantitatiuo, eſt habere poſitionem partium in toto ſine ordine partium totius ad partes corporis continentis, & quia hoc Deus poteſt facere, poſſibile eſt corpus Chriſti quantum ſine modo quantitatiuo eſſe ſub ſpeciebus panis, corpus autem quantùm habet modum quantitatiuum ex hoc, quòd habet partes eius coëxtenſas partibus corporis continentis, & per oppoſitum corpus quantum, quod non habet ſic partes eius extenſas, & commenſuratas partibus corporis continentis; cuiuſmodi eſt corpus Chriſti in altari, non habet modum quantitatiuum.

Replica.

Sed dices, poſito fundamento & extremis neceſſariò etiam ponitur relatio, ſicut poſitis duabus ſubſtantiis æqualibus, vel aliis neceſſariò ſequitur æqualitas, & ſimilitudo; igitur poſitis extremis, corpore ſcilicet Chriſti contento, & corpore continente; neceſſariò, vt videtur, ſequitur coëxiſtentia partium contenti ad partes continentis, & ita poſitio & modus quantitatiuus.

Solutio.

Differentia reſpectus intrinſeci, & extrinſeci.

Reſpondeo, quòd non eſt ſimile, quia æqualitas eſt paſſio relatiua, & relatio intrinſecùs adueniens, oriens ex extremis neceſſariò, & ideò neceſſariò ſequitur ea ipſis extremis poſitis in *eſſe*; poſitio Prædicamentum eſt reſpectus tantùm extrinſecùs, & contingenter adueniens, quia eſt tantùm quædam extenſio partium totius contenti ad partes continentis, ſine qua corpus poteſt eſſe.

Exemplificatur.

Exemplum iſtorum eſt; quia ſi aliquod corpus eſſet extra cœlum, in illo vacuo imaginario, verè eſſet æqualè corpori intra cœlum, vel inæquale, non tamen eſſet ei coëxtenſum, quia non eſſet aliud extremum coëxtenſionis, ad quod neceſſariò extenſio ſequeretur, ſicut eſt æqualitas, & ſi eſſet aliud extremum, adhuc non neceſſariò ſequeretur coëxtenſio, quia coëxtenſio, & commenſuratio eſt relatio, vel reſpectus contingenter tantùm, & extrinſecùs adueniens.

14. *Ad argum. principalia.*

Ad primam rationem, dico quòd oportet neceſſariò ponere aliquam mutationem circa corpus cùm modò eſt ſub ſpeciebus, vbi priùs non fuit; non mutationem ad formam abſolutam, quia nulla ſubſtantia, nec qualitas, nec quantitas mutatur in eo, nec incipiendo, nec deſinendo; nec mutatur propriè ad *vbi*, quia ex quo Angelus non propriè mutatur, ſed mouetur ad *vbi*, multò minùs corpus Chriſti mutatur ad *vbi*, propriè loquendo, multas enim conditiones loci habet *vbi* Angeli, quas non habet præſentia corporis ſub illis ſpeciebus: mutatur tamen aliquo modo ad *vbi*, quia ſicut præſentia ſua poteſt variare locum aliquo modo, ita & *vbi*.

Ad ſecundum. Ad ſecundum, dico quòd corpus eſt ibi ſine modo quantitatiuo, qui eſt poſitio Prædicamentum, nam poſitio talis in partibus totius non eſt niſi accidens per accidens quanti, & non propria paſſio eius, vt ſumit ratio. Et ideò poteſt Deus facere quantum corpus ſine tali modo quantitatiuo, vel tali poſitione partium.

Ad tertium. Ad tertium, quòd ſi partes comparentur ad inuicem, pars corporis Chriſti eſt extra partem ſub ſpeciebus in Sacramento, & ita longus, & latus eſt Chriſtus ſub hoſtia ſicut in cœlo. Si autem partes corporis comparentur ad partes corporis continentis, vt ad partes hoſtiæ, ſic non ſunt coëxiſtentes illis, nec per hanc comparationem habet corpus Chriſti partem extra partem; nec hoc eſt inconueniens, quia partes totius poſſunt habere ordinem in toto ſine ordine earum ad tertium, & ad partes corporis continentis.

Corpus Chriſti habet eãdem longitudinem in Euchariſtia, & in cœlo.

QVÆSTIO II.

Vtrùm poſſibile ſit corpus Chriſti realiter ſimul eſſe in cœlo, & in altari ſub Sacramento?

Henric. *quodl.* 9 *quæſt.* 32. D. Thomas 3. *part. quæſt.* 75. *art.* 1. *ad* 3. *& hic quæſt.* 1. *art.* 1. Palud. *quæſt.* 1. Durandus *quæſt.* 1. Capreol. *quæſt.* 1. Heruæus *quodl.* 11. *quæſt.* 12. negant vnum poſſe eſſe in pluribus quantitatiuè, ſed affirmant cum Scoto. Alenſ. 4. *part. quæſt.* 44. *membro* 7. Richard. *hic art.* 2. *quæſt.* 2. Maior. *quæſt.* 1. Gabr. *quæſt.* 1. *art* 2. Bellarm. 3. *de Euchar. cap.* 3. & 4. Suarez *diſp.* 48. *ſect.* 4.

I. *Argum. negatiuum primum.* VÒD non ſecundùm Auguſtinum. & ponitur, *de Conſecr. diſt* 2. vna hæreſis. *Corpus Chriſti ex quo ſurrexit, in vno loco eſſe oportet.*

Secundum. Item, formalis ratio eſſendi in loco eſt quantitas. patet per Philoſophum 4. *Phyſ. text.* 14. ſed nihil poteſt plurificari niſi plurificata eius formali ratione; igitur ſi corpus Chriſti ſimul eſſet in duobus locis, vt in cœlo, & in altari, ſequeretur quòd haberet duas quantitates corporales, & ita eſſent duo corpora.

Tertium. Tertiò ſic: Quæcunque vni, & eidem ſunt eadem, inter ſe ſunt eadem; igitur à ſimili, quæcunque ſunt ſimul cum alio, inter ſe ſunt ſimul; ergo ſi corpus Chriſti ſit ſimul in cœlo, & in Euchariſtia, cœlum, & Euchariſtia ſunt ſimul, quod falſum eſt.

Quartum. Item, quod diſtat ab alio, eſt aliud ab illo; ſed ſi aliquid ſimul eſſet in cœlo, & in altari, diſtaret à ſe per ſpacium medium, in quo non eſſet; igitur eſſet aliud à ſe.

Quintum. Item quintò ſic: Si corpus Chriſti ſimul eſſet in cœlo, & in Euchariſtia, igitur ſimul poſſet moueri, & quieſcere: conſequens eſt impoſſibile, igitur antecedens.

Probatio conſequentiæ, in cœlo quieſcit, & in hoſtia mouetur, mota hoſtia, ſi ſit ibi, *quia motis nobis mouentur omnia, quæ in nobis ſunt* 2. Topicor. cap. 3.

Ratio ad opp. Contrarium patet per multas auctoritates in litera, & *extra de Conſecr. diſt.* 2. dicitur quòd verum corpus Chriſti eſt in altari ſub ſpeciebus Euchariſtiæ, & conſtat quòd verè etiam eſt in cœlo, quia ſecundùm Auguſtinum, *donec finiatur ſæculum ſurſum eſt Dominus.*

Aug. tract. 50. in Ioan.

QVÆSTIO III.

Vtrùm corpus Chriſti, vel aliquod aliud corpus poſſit ſimul eſſe in diuerſis locis localiter?

Doctores citati quæſtione præcedenti.

2. *Argumẽtum primum negatiuum.* ARGVITVR quòd non. Primò, ex parte relationum oppoſitarum. Idem non poteſt referri ad ſe oppoſitis relationibus, quia illæ includunt contradictionem: ſed ſi idem poſſet eſſe in duobus locis ſimul, poſſet ſecundùm illa idem dici inferius & ſuperius ſeipſo, & reſpectu eiuſdem. Similiter poſſet dici dextrum reſpectu ſui, & ſiniſtrum reſpectu ſui, & iſtæ relationes ſunt oppoſitæ, & reales; igitur.

Secundum. Item, ſi ſic, in eodem reſpectu eiuſdem eſſent ſimul contrariæ relationes; conſequens eſt impoſſibile; igitur & antecedens. Probatio conſequentiæ, quia ſi idem poſſet eſſe in duobus locis, igitur idem reſpectu eiuſdem corporis poſſet eſſe diſtans & propinquum; ſed diſtãs & propinquum ſunt relatiua contraria, ſicut igitur impoſſibile eſt idem reſpectu eiuſdem eſſe ſimile, & diſſimile, ita propinquum & diſtans reſpectu eiuſdem. Hæc ratio differt à priori, quia illa concludit de relationibus oppoſitis in communi, hæc concludit de relationibus contrariæ oppoſitionis, non autem omnes relationes ſunt contrariæ, ſuperius enim & inferius ſunt relatiua oppoſita, quia extrema relationis ſunt oppoſita; ſed non contraria relatiua, ſicut iſta.

Tertium. Item tertiò ſic: Idem temporale non poteſt eſſe in diuerſis temporibus; igitur nec idem locale ſimul in diuerſis locis. Antecedens eſt manifeſtum. Conſequentia probatur, quia ſicut temporale ad tempus, ſic locale ad locum.

Quartum. Item, ſi idem corpus poſſet ſimul eſſe in diuerſis locis, idem corpus poſſet ſimul moueri, & quieſcere. Conſequentia patet, quia in vno loco poſſet quieſcere, in alio moueri; ſed conſequens eſt impoſſibile; igitur, &c.

Quintum. Item quintò ſic: Si corpus Chriſti poſſet ſimul eſſe in cœlo & in altari, tunc ſimul videret aliquid, & non videret illud; conſequens falſum; ergo & antecedens. Probatio conſequentiæ, quia exiſtens in cœlo videret ibi aliquid ſibi approximatum approximatione debita, & requiſita ad actum videndi, exiſtens in terra non videret illud ibi, quia non eſt ſibi debitè approximatum, quod neceſſariò requiritur ad actum videndi, quia viſio eſt in organo, quod non poteſt in quodcunque diſtans.

Ratio ad opp. Contrà, Hugo de ſacr. lib. 2. part. 2. cap. 8. *qui fecit vnum corpus eſſe in loco vno, fecit ſicut voluit, & ſi aliter voluiſſet, aliter feciſſe potuiſſet.*

SCHOLIVM I.

Sententia D. Thomæ, Henric. & aliorum, vnum corpus non poſſe poni quantitatiuè in diuerſis locis, per Dei potentiam. Primò quia poſſet ſic poni in infinitis. Secundò, ſequerentur hinc multa contraria ſimul. Tertiò, idem eſſet extra terminos proprios. Quartò, Angelus non poteſt eſſe ſimul in diuerſis locis, &c.

3. *Opinio D. Thomæ. Gandauenſ. & aliorum.* INter iſtas quæſtiones primò reſpondeo ad ſecundam, quia ex ſolutione ſecundæ dependet ſolutio

ſolutio primæ, & non multùm differunt, quidquid dicant alij. Dicunt igitur quidam quòd non eſt poſſibile idem corpus eſſe in diuerſis locis ſimul, quod oſtendunt. Primò ſic: quando aliquid, quantùm eſt ex parte potentiæ agentis, poteſt fieri ſecundùm varios modos circa idem ſuſceptiuum, ſi impoſſibile eſt ipſum fieri ſecundùm vnum modorum illorum, & ſecundùm omnem fieri eſt impoſſibile. Nunc autem quantùm eſt ex parte potentiæ diuinæ vt agentis, ſi corpus poteſt eſſe in duobus locis, & in quibuſcunque, igitur ſi non repugnat corpori eſſe in duobus locis per virtutem diuinam, nec repugnat ſibi eſſe vbique per potentiam diuinam, hoc eſt falſum, quia eſſe vbique eſt proprium ſolius Dei.

Prima ratio Gandauenſ.

Secunda.

Item, arguunt ſic: Sicut dimenſiones corporis localis, vel locati, commenſurantur ſecundùm quantum, & continuum, dimenſionibus loci, ita commenſurantur ei per multum, & minimum; ergo ſicut corpus locatum eſt vnum continuum, ex hoc quòd commenſuratur dimenſionibus vnius loci, ita & non vnum, ſed plura ſi commenſuratur dimenſionibus plurium locorum.

Tertia.

Tertiò, hoc poſito ducunt ad multas contrarietates, & contradictiones; quia ſi aliquod corpus ſimul eſſet in diuerſis locis, ſimul eſſet frigidum & calidum reſpectu eiuſdem, quia in vno loco poſſet calefieri, in alio frigefieri.

Item, in vno loco ex intemperie aëris ibidem circumſtantis, poſſet infirmari, & in alio loco ex temperie aëris benè diſponi, & ſic ſimul eſſet benè diſpoſitus, & infirmus.

Item, in vno poſſet vulnerari & occidi, & in alio non; igitur occideretur, & non occideretur, quæ omnia ſunt abſurda, quia includunt contradictionem.

Item, in vno loco eſuriret, & in alio ſaturaretur, quia in vno poſſet comedere, in alio non.

4. *Idem inconueniens obijcitur de Chriſti corpore.*

Etſi obiiciatur contra ſic opinantem, quòd idem inconueniens ſequeretur contra ipſum de corpore Chriſti in cruce, & in pyxide, quia in cruce vulnerabatur, & moriebatur, in pyxide non, igitur ſimul vulnerabatur & non vulnerabatur, moriebatur, & non moriebatur.

Reſponſio.

Reſpondetur, quòd non eſt ſimile, quia quod conuenit alicui ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam natum eſt ſibi illud conuenire, ſimpliciter conuenit ſibi; ſicut ſi alicui criſpitudo conuenit ſecundùm caput, ſecundùm quod natus eſt homo eſſe criſpus, ſimpliciter dicitur eſſe criſpus. Modò autem vulnerari conuenit corpori habenti modum quantitatiuum, quem modum habuit Chriſtus in cruce, & non in pyxide, & ideò ſequitur ſi vulneratur in cruce, igitur ſimpliciter vulneratur; ſed non ſequitur, non vulneratur in pyxide; igitur non vulneratur, quia in pyxide non habet modum quantitatiuum, qui per ſe concludit vulnerationem; ſed ſi eſſet in duobus locis ſimul ſecundùm iſtum modum quantitatiuum, in vno poſſet vulnerari, & in alio non, & ita vulneraretur, & non vulneraretur, quod non conuenit in propoſito; & ideò non eſt ſimile.

5. *Prima ratio D. Thomæ.*

Aliter arguit pro iſta opinione alius Doctor ſic: termini loci & locati ſunt ſimul; igitur ſi locatum ſit extra terminos loci, quod contingeret, ſi eſſet in duobus locis ſimul, ſequeretur quòd locatum eſſet extra terminos proprios, quod eſt impoſſibile.

Secunda.

Item, Angelus magis abſtrahitur à loco, & minùs limitatur ad locum, quàm corpus Chriſti; ſed idem Angelus non poteſt ſimul & ſemel eſſe in duobus locis; igitur nec corpus.

6. *Ratio Ægidij prima.*

Aliter arguit alius Doctor ſic: Sicut res per vnam naturam habet vnam ſpeciem, & eſt in vna ſpecie; ſic per vnam dimenſionem eſt in vno loco; ſed per vnam naturam non eſt, niſi in vna ſpecie: igitur nec per vnam dimenſionem, niſi in vno loco. Et non valet hæc conſequentia, niſi per hanc propoſitionem, quam non exprimit, quòd ſicut res per naturam conſtituitur in ſpecie vna, ita per vnam dimenſionem conſtituitur in loco. Sic non differt hæc ratio ab vna ad principale facta, vbi arguitur quòd *quantum* eſt forma, vel ratio eſſendi aliquid in loco.

Rationes Alan. & aliorum.

Item, ſecundò ſic: Si corpus poſſet eſſe ſimul in diuerſis locis, aut igitur vna mutatione, aut duabus? non vna, quia vna mutatio eſt ad vnum terminum: nec duabus, quia ſi ſic, aut eiuſdem ſpeciei, aut alterius ſpeciei: non duabus mutationibus *ex 3. Phyſ. text. 10. & 5. Metaph. cap. de eodem*, ad minus eiuſdem ſpeciei; nec duabus alterius, & alterius ſpeciei, quia illæ ſunt ad terminos ſpecie diuerſos; igitur nullo modo.

Ariſtot.

Tertia.

Item, in eodem termini motus ſunt incompoſſibiles; ſed duo *vbi* ſunt termini eiuſdem motus ſecundùm locum; igitur ſunt incompoſſibiles in eodem.

Confirmatio.

Confirmatur, niſi eſſet formalis incompoſſibilitas inter duo *vbi*, agens naturale mouendo aliquod corpus in aliquod *vbi*, in quo priùs non fuit, non indigeret mouere illud ab *vbi*, in quo priùs erat, quia agens per ſe, tantùm intendit inducere terminum *ad quem*, & non intendit corruptionem termini *à quo*, niſi per accidens. Vnde agens naturale nunquam corrumpit neceſſariò aliquam formam, niſi incompoſſibilem formæ, quam intendit inducere; igitur hæc ratio eſt benè euidens.

Agens intendit ſolùm per ſe inducere terminum ad quem.

SCHOLIVM II.

Refutat negantes poſſe eſſe vnum corpus in diuerſis locis quantitatiuè. Primò, quia plura corpora poſſunt poni in eodem loco, idque factum eſſe fide conſtat, & reijcit fusè reſponſionem ad hoc. Secundò, poteſt Deus conuertere quantitatem in quantitatem, & tunc eadem eſſet vtrobique dimenſiuè, & reijcit reſponſionem ad hoc. Tertiò, facilius eſt ponere corpus in pluribus locis cum modo ſuo naturali, quàm modo ſacramentali. Vide Doctorem in Oxon. hic fuſius à num. 5.

7. *Refutat Gandauenſem.*

SEd contra hanc opinionem arguo ſic primò, & per rationes, quas nititur præſens Doctor ſoluere, quas ipſe ponit. Deus poteſt facere duo corpora in eodem loco; igitur & idem corpus in duobus locis. Antecedens eſt manifeſtum, quia duo corpora naturalitèr fortè per dotem ſubtilitatis ſunt in eodem loco, & non miraculosè, vel ſaltem, hoc eſt poſſibile, ſiue per miraculum, ſiue non, quia factum eſt. Patet, quando Chriſtus intrauit ad diſcipulos ianuis clauſis, & ſimiliter quando egreſſus eſt Virginis vterum parte clauſa, & reſurrexit de ſepulchro ipſo clauſo. Conſequentia patet, quia æquè impoſſibile eſt ſecundùm naturalem rationem: & Philoſophi minùs hoc concederent, ſcilicet duas dimenſiones eſſe ſimul in eodem, quàm vnam eſſe ſimul in diuerſis.

De fide videtur penetrationem eſſe poſſibilem.

Sed ad hanc rationem reſpondet quòd non eſt ſimile, quia ad *eſſe* eiuſdem corporis in diuerſis, vel

Henrici Reſponſio.

vel in duobus locis, ſequitur contradictio, cuius altera pars non poteſt abſolui à tota. Sequitur enim quòd idem ſit vnum, & non vnum. Quia ſicut argutum eſt ſuprà, ſicut corpus dimenſionatum, & quantum commenſuratur dimenſionibus loci, ita connumeratur ſecundùm quantum, & continuum, numerato loco; ſed ſic non eſt ex alia parte. Quia quòd duo corpora non ſint ſimul in eodem loco, hoc non eſt niſi propter impedimentum diſpoſitionis contrariæ; à qua poſſunt abſolui; non enim repugnat duo corpora eſſe ſimul; niſi propter modum quantitatiuum, quem habent, vt ſit ordo partium in loco; ab hoc autem poteſt abſolui per dotem ſubtilitatis, quæ eſt quædam potentia excludens iſtam diſpoſitionem contrariam.

8. *Reijcitur primò.*

Sed iſta ratio nihil facit ad ſolutionem argumenti, quia ſi oporteat neceſſariò dimenſiones locati commenſurari dimenſionibus loci, aut hoc eſt præcisè, quia dimenſiones locati commenſurantur dimenſionibus loci, aut non præcisè propter hoc, ſed propter aliud cum tali commenſuratione, vt quia dimenſiones locati commenſurantur cum quadam prioritate dimenſionibus loci, & ideò commenſurantur eis, licèt non è conuerſo, quia ad commenſurationem prioris, ſequitur commenſuratio poſterioris, licèt non è conuerſo? Si primo modo, cùm commenſuratio ſit relatio mutua, per conſequens locus commenſuratur locato, ſicut è conuerſo, quia in relationibus mutuis eſt mutua dependentia. Si propter ſolam commenſurationem locati ad locum commenſurantur dimenſiones locati dimenſionibus loci; igitur è conuerſo dimenſiones loci commenſurabuntur dimenſionibus locati, & ita commenſurantur dimenſiones loci dimenſionibus locati, ſicut è conuerſo, quia commenſuratio eſt relatio mutua, & per conſequens ſi propter commenſurationem ſolam ſequatur corpus exiſtens in duobus locis eſſe vnum, & non vnum: ita ſi in eodem loco eſſent duo corpora, ſequeretur quòd locus eſſet vnus, & non vnus. Si propter ſecundum, videlicet propter commenſurationem dimenſiuam locati, & loci cum quadam prioritate earum, ſequitur commutatio dimenſionum vnius ad commutationem dimenſionum alterius, cùm dimenſiones locati ſint priores dimenſionibus loci, vt probabo, ſequitur quòd ad menſurationem dimenſiuam locati ſequitur menſuratio dimenſionum loci, & tunc vltrà ſequitur inconueniens ſuum contrarium, quòd duo corpora non poſſunt eſſe ſimul in eodem loco, niſi vnus locus ſit duo loca.

Non minùs impoſſibile eſt duo corpora eſſe in vno loco, quàm vnum corpus in duobus locis.

Dimenſiones locati ſunt priores loci dimenſionibus.

9. *Probatur primò.*

Aſſumptum probatur tripliciter. Primò, quia dimenſiones locati ſunt cauſa quare dimenſiones loci, & ſuperficiei continentis ſint in actu. Nam ſuperficies corporis continentis non eſt in actu niſi facta diuiſione partium continentis per dimenſiones locati, ſiue contenti.

Secundò.

Secundò probatur idem. Quia illud eſt prius, quod poteſt eſſe ſine alio ſecundùm definitionem Philoſophi 2. *Metaphyſ. cap.* 2. hoc non è conuerſo, ſed dimenſiones corporis poſſunt eſſe, & ſunt ſine dimenſionibus loci. Patet de vltima ſphæra, quæ non eſt in loco, quia non continetur ab aliquo alio, quia nihil ſuperius eſt ad ipſam, cùm ſit vltimum contentiuum omnium locorum; locus autem & dimenſiones eius, vel non poſſunt eſſe ſine dimenſionibus locati, vel ſaltem non ſunt; nec vnquam fuerunt ſine ipſis, quia tunc fuiſſet vacuum; igitur dimenſiones locati ſunt priores dimenſionibus loci.

Ariſtot. *Vltima ſphæra non eſt in loco.*

Tertiò probatur idem: in mutatione ſecundùm locum manent eædem dimenſiones locati, & mutantur dimenſiones loci, quia non mutatur, nec mouetur locatum de loco ad locum, quantumcunque paruum, quin dimenſiones loci varientur, vt ſi ſphæra intret poſt ſphæram, igitur dimenſiones locati ſunt priores dimenſionibus loci: igitur à primo ſi propter commenſurationem dimenſionum, & earum proprietatem, ſequeretur dimenſiones vnius commenſurari dimenſionibus alterius, cùm dimenſiones locati non ſolùm commenſurantur dimenſionibus loci, ſicut è conuerſo, ſed ſunt priores eis, ſequitur quòd ſi ſint duo corpora in eodem loco, quòd ille locus erunt duo loca, quia magis ſequitur menſuratio poſterioris, quàm è conuerſo. Vnde credo quòd apud Ariſtotelem, & Philoſophos eſſet impoſſibilius duo corpora eſſe in eodem loco, quàm idem corpus eſſe in duobus locis.

Locus non datur ſine locato. Tertiò.

Commenſuratio poſterioris magis ſequitur ad commenſurationem prioris quàm è contra.

10. *Reijcitur ſecundò Henr.*

Secundò arguo per illam regulam Ariſtotelis, ad quam nititur reſpondere, ſic: ſicut eſt poſſibile Deo conuertere ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis ſui in multis locis, ita etiam poſſet conuertere quantitatem in multis locis dimenſionabiliter; ſed facta tali conuerſione quantitatis in quantitatem, quantitas eſt primus terminus conuerſionis localis, licèt ſubſtantia ſit primus terminus conuerſionis ſubſtantialis; ergo ſicut ſubſtantia ſecundùm modum ſubſtantiæ, eſt primus terminus conuerſionis ſubſtantialis, ita quantitas corporis Chriſti poſt talem conuerſionem ſecundùm modum eius quantitatiuum, & dimenſiuum eſt primus terminus localis conuerſionis.

Quantitas poteſt conuerti in quantitatem.

Reſponſio Henric.

Reſpondet, quòd aut conuertitur ſola quantitas in quantitatem, & tunc non eſt ibi Chriſtus dimenſiuè, quia dimenſiones eius non ſunt ibi, niſi ratione ſubſtantiæ panis, quæ ſubſtantia panis non eſt dimenſionabiliter ibi; aut ſi dicat quòd totum conuertitur in totum, tunc multò minùs eſt ibi corpus Chriſti dimenſionabiliter.

Item, dicit quòd non eſt ponendum totum conuerti in totum, quia tunc eſſet ſubſtantia panis, & quantitas eius ibi, non ſacramentaliter, quod nullo modo eſt ponendum.

11. *Refellitur.*

Sed hæc reſponſio non ſoluit rationem, vt videtur, quia poſſibile eſt Deum conuertere tantum de aëre in corpus Chriſti, & eiuſdem figuræ, quantum eſt corpus Chriſti: ſed, vt ſuppono, vbi conuerſum præfuit, ibi eſt quod conuertitur in illud. Et ex hoc dicunt aliqui ſubſtantiam corporis Chriſti eſſe ſub ſpeciebus panis poſt conuerſionem, quia ibi præfuit ſubſtantia panis, ante conuerſionem, & ideò eſt ibi, quia aliud conuertitur in ipſum; igitur totum corpus Chriſti quantum poſt conuerſionem aëris in ipſum erit dimenſiuè, vbi aër priùs fuit.

Vbi præfuit conuerſum, ibi eſt quod conuertitur.

Quod autem dicit, quòd non debet poni corpus Chriſti alicubi non ſacramentaliter, verum eſt quòd Deus de facto non ordinauit ipſum eſſe alicubi non ſacramentaliter; ſed quæſtio eſt de poſſibili, & videtur hoc poſſibile, quòd faciat corpus ſuum dimenſiuè, vbi priùs erat corpus aëris eiuſdem quantitatis, & eiuſdem figuræ, nam ibi eſt corpus, in quod conuertitur aliquid, vbi præfuit conuerſum in eo, & ideò non videtur magis impoſſibile idem corpus eſſe in pluribus locis, quàm corpora plura eſſe in eodem

Poſſibile videtur corpus Chriſti poſſe eſſe dimenſiuè vbi eſſet aër in ipſum conuerſum.

loco

loco ſimul, nec tantùm ſecundùm Philoſophos. Sicut vnum fuit impoſſibile, ſic & aliud; ſed magis ſecundùm quòd arguit Ariſtoteles 4. *Phyſic. text.*47. ſi duo corpora poſſunt eſſe ſimul, & infinita, & quodlibet corpus cum quocunque, & maius cum minori.

12. *Chriſtus poteſt eſſe hic ſine conuerſione alterius in ipſum.*

Tertiò arguo ſic: corpus Chriſti poteſt fieri hîc in altari ſine modo quantitatiuo, & ſine conuerſione alterius in ipſum, vt probabo: ſed vbicunque Deus poteſt facere aliquam ſubſtantiam ſine ſuo modo naturali, & ſine conuerſione alterius in ipſum, & è conuerſo poteſt eam facere ſub modo conuenienti ſuæ naturæ; quia in primo facto facit duo miracula, in ſecundo non niſi vnum; ſed modus naturalis corporis Chriſti quanti eſt modus eius quantitatiuus; modus oppoſitus modo eius naturali eſt modus eius non quantitatiuus; igitur ſi poteſt facere duo corpora in eodem loco ſine conuerſione aliqua alterius in ipſum, vel è conuerſo, & ſine modo quantitatiuo in vno loco, vt communiter dicitur, per dotem aliquam; vel aliquod aliud donum ſupernaturale; multò magis poteſt facere ipſum in duobus locis ſub modo naturali talis corporis, vt dimenſiuè, & localiter, ſine conuerſione alterius in ipſum, vel è conuerſo. Probo maiorem, conuerſio alterius in corpus Chriſti non eſt formalis ratio præſentiæ eius in altari, quia præſentia eius in altari manet toto tempore poſt conſecrationem vſquequo percipiatur quòd ſpecies ſunt integræ; conuerſio autem panis in corpus non manet, ſed tranſit.

Conuerſio nõ eſt ratio formalis præſentiæ corporis Chriſti in altari.

Inſtantia.

Reſponſio.

Etſi dicas quòd iſta conuerſio, quia præterita, ſit cauſa præſentiæ eius cum hoſtia. Contrà, quia tunc ſequitur quòd ſicut eſt impoſſibile quin iſta conuerſio ſit ſic præterita; nec Deus poſſet facere eam non eſſe præteritam, ita erit impoſſibile quin corpus Chriſti ſit præſens in altari, ſub ſpeciebus, quod eſt manifeſtè falſum. Non eſt igitur iſta conuerſio formalis ratio eſſendi corpus Chriſti præſentialiter in altari. Sed Deus poteſt facere quodlibet ſine eo, quod non eſt ratio formalis eius: igitur poteſt facere corpus ſuum in hoc loco eſſe præſens ſine conuerſione alterius in ipſum.

Nouitas prioris non infertur ex nouitate poſterioris. Ariſtot.

Aliter probatur illa maior ſic: Poſſibile eſt eſſe nouitatem circa poſterius nulla facta nouitate circa prius. Patet de motu locali, & aliis motibus 8. *Phyſic. cap.* 1. quia vbi poteſt eſſe nouitas, licèt non ſecundùm aliquam formam priorem; ſed præſentia noua corporis Chriſti in altari, vbi non fuit priùs, non eſt aliquid ſubſtantiæ eius, quia hæc præſentia eſt noua, & ſubſtantiæ corporis Chriſti nihil eſt nouum per iſtam præſentiam. Nec etiam eſt ſubſtantia panis, quia iſta iam non eſt; igitur poſterior omni ſubſtantia, & per conſequens hæc præſentia poteſt eſſe noua, ſine nouitate alicuius ſubſtantiæ, ita & ſine quacunque conuerſione alterius ſubſtantiæ in corpus Chriſti.

SCHOLIVM III.

Reſolutio, vnum corpus poni poſſe in diuerſis locis dimenſiuè, quia hoc tantùm eſt habere plures reſpectus extrinſecùs aduenientes, ſicut vna albedo habet multas ſimilitudines. Ratio, quia hoc non repugnat; ergo fieri poteſt à Deo. Antecedens patet, reſpondendo ad omnia in contrarium. Præmittit tria pro ſolutione argumentorum. Primum, forma præcedens vbi *non variatur, variato* vbi. *Secundum, paſſum idem patitur in diuerſis* vbi *à diuerſis agentibus, quòd patereturab eiſdem in eodem* vbi, *ſi applicarentur. Tertium, quòd agens ageret in vno* vbi, *in vnum, vel plura paſſa, idem in pluribus* vbi.

13. *Reſolutio Doctoris. Corpus eſſe in loco quid.*

REſpondeo igitur ad quæſtionem, dicendo omnipotentiæ Dei eſſe poſſibile omne illud quod non includit manifeſtam contradictionem, & ſic quòd poteſt facere corpus Chriſti, ſiue quodcunque aliud corpus, eſſe in duobus locis ſimul dimenſiuè, localiter, & modo quatitatiuo, cum omnibus accidentibus ſuis abſolutè, ſicut concludunt iſtæ rationes. Modus ponendi eſt iſte: corpus eſſe in loco nihil aliud eſt, quàm habere *vbi*, id eſt, circumſcriptionem paſſiuam à circumſcriptione actiua loci præcedentem, non eſt autem actiua propriè circumſcriptio loci reſpectu *vbi*, ſed ſicut imaginamur ibi eſſe actionem, & paſſionem. Iſtud autem *vbi*, ſiue circumſcriptio paſſiua, eſt reſpectus extrinſecùs aduenientes, & non forma aliqua abſoluta, alioquin cœlum toties acquireret formam abſolutam, quoties moueretur ſecundùm *vbi*, & ita reciperet impreſſiones peregrinas corruptiuas, præter illuminationes, quod negat Philoſophus 1. *cœli text.*22. quia ſecundùm eum, cœlum non mouetur ad formam, ſed tantùm ad *vbi* nouum, quod eſt reſpectus extrinſecùs aduenientes. Iſte autem reſpectus extrinſecùs aduenientes poteſt de nouo aduenire ſine aliqua forma abſoluta noua, quia tantùm contingenter ſequitur extrema poſita, vt *ſuprà* oſtenſum eſt quæſt. de charactere *. Nam reſpectus extrinſecùs aduenientes non aduenit poſito ſolo fundamento, quia relatio, quæ eſt talis reſpectus intrinſecus, non poteſt intelligi ſine termino, quia aliter non eſſet relatio, quia eſſentialiter relatio, vel reſpectus talis, aliquando reſpicit pro correlatiuo; igitur relatio non aduenit, niſi poſito fundamento, & termino; igitur relatio, vel reſpectus ille, quia extrinſecùs aduenit, non neceſſariò aduenit iſtis poſitis, quia ſi iſta relatio, quæ eſt extrinſecùs aduenientes, ſicut neceſſariò ſequitur poſitis extremis: & per conſequens ſi reſpectus extrinſecùs aduenientes eſſet reſpectus intrinſecùs aduenientes; *vbi* igitur, quod eſt reſpectus extrinſecùs aduenientes, tantùm contingenter poſitis extremis iſtis aduenit: ſed idem corpus eſſe in duobus locis, eſt idem corpus habere duo *vbi*, & duos reſpectus extrinſecùs aduenientes, & contingenter inexiſtentes poſitis extremis; ſed in eodem corpore eſſe duos reſpectus extrinſecùs aduenientes ad duos terminos, & eiuſdem ſpeciei, non videtur impoſſibile, quia duo reſpectus extrinſecùs aduenientes, & eiuſdem ſpeciei poſſunt eſſe in eodem ad duos terminos, vt duæ ſimilitudines in eodem albo ad duo alba poſſunt eſſe ſimul, vt patet. Minùs autem videtur illas relationes intrinſecùs aduenientes, quæ neceſſariò conſequuntur extrema poſita, eſſe in eodem, quàm duas relationes extrinſecùs aduenientes, quæ contingenter conſequuntur extrema poſita eſſe in eodem, niſi alter eorum eſſet adæquatus ſuo fundamento, & niſi adæquaret ſuum fundamentum. Nunc autem ſecundùm aliam opinionem, vna quantitas tantùm limitatur ad vnum *vbi*, & ideò non eſt poſſibile illa duo *vbi* eſſe in eodem fundamento.

Ariſtot.

* d.6.q.1. n. 4.

Quid ſit vbi.

Quid eſt idẽ corpus eſſe in duobus locis.

Vbi *multiplicari poteſt in eodem fundamẽto ſicut alij reſpectus.*

14. *Impugnantur prædicta.*

Sed iſtud dictum eſt fruſtrà, & ſine ratione. Nam vna quantitas non adæquatur in ratione funda

fundamenti vni æqualitati, quia potest fundare plures æqualitates; igitur cùm respectu *vbi* talis non sit maioris perfectionis, quàm æqualitas, potest eadem quantitas fundare plures tales respectus de genere *vbi*. Quòd si negetur similitudo, detur causa negationis eius, aliter petitur.

Substantia non limitatur ad vnã præsentialitatẽ, nec quantitas ad vnũ vbi.

Item, non magis est quantitas limitata ad suum *vbi* propriè dictum, quàm substantia creata; & quantà, ad suam præsentialitatem, vel *vbi*, quod sibi conuenit suo modo; sed substantia non limitatur ad vnam præsentialitatem, vel vnum *vbi*, quia substantia corporis Christi potest esse simul præsens cum pluribus hostiis, & in pluribus speciebus panis, & in diuersis altaribus, licèt sit ibi sub quantitate panis: igitur si substantia non limitatur ad suam præsentialitatem; igitur nec quantitas limitatur ad suam præsentialitatem vnam, vel *vbi* vnum.

Dico igitur quòd Deus potest facere idem corpus in pluribus locis localiter, sicut potest facere duo corpora in eodem loco; & si nulla ratio esset ad hoc, nisi quòd rationes in oppositum possunt solui, non debet poni impossibile Deo, quia multa potest Deus, quæ nos non possumus intelligere secundùm Hilarium.

Hilar. lib. con. Constãr. August. an. finẽ.

SCHOLIVM IV.

Soluit argumenta posita à num. 2. quæ ferè omnia sunt Henrici, per optimam doctrinam, quam recentiores tam in 4. Physic. quàm in hac materia mutuati, & secuti sunt, vt in plurimum. Vide ipsum in Oxon. hîc à num. 21. & 4. Physic. quæst. 1. 3. & 4.

15. *Tria notanda.*

AD solutionem argumentorum præmitto tres propositiones, quarum prima est hæc: *Quæcunque forma, quæ prius naturaliter inest alicui, quàm* vbi, *non variatur, nec aliter inest, vel aliter se habet in illo propter aliud* vbi, *vel variationem circa* vbi, *quia prius non variatur ad variationem posterioris*, sed quæcunque forma simul inest alicui *vbi*, vel posterius, quàm *vbi*, variatur ad variationem *vbi*, quia posterius variatur ad variationem prioris, & ea quæ sunt simul, simul variantur.

Quæ sunt simul, simul variantur.

Secunda propositio est ista, quòd *si passum existens in vno* vbi, *haberet duo agentia simul approximata, quicquid possunt agere, vel facere in passum existens in vno* vbi; *hoc possunt passo existente in diuersis* vbi *approximatione priori debita*. Hæc propositio sequitur ex prima, quia cùm actio non præsupponat *vbi*, sed potiùs è conuerso, ad variationem *vbi* non sequitur variatio actionis, & ideò quicquid possunt duo agentia in passum existens in vno loco, vel in vno *vbi*, hoc possunt saluata æquali approximatione, quantumcunque passum sit in diuersis locis, vel in diuersis *vbi*.

Tertia propositio est conuersa secundæ, *quicquid ageret vnum agens in vno loco in duo passa simul existentia, hoc ageret si esset in duobus locis approximatis illis passis.*

16. *Ad rationes Henr. n. 3. pro sententia opposita.*

Ex his patet solutio ad argumenta. Ad primum alterius opinionis, quando dicitur quòd si aliquod esset possibile fieri quantum ex parte agentis, secundùm vnum modum, & secundùm omnem; & si impossibile fieri secundùm vnum modum, & secundùm omnem; hæc propositio, si intelligatur vniuersaliter assumpta, est falsa. Deus enim potest causare omnem visionem, nec tamen sequitur quòd si potest eam causare in omni susceptiuo, secundùm omnem modum, quòd etiam potest causare eam in eodem susceptiuo secundùm omnem modum; quia licèt causam posset in vespertilione aliquam visionem, non tamen visionem aquilæ, nec modum videndi eius, quia non potest modum visionis aquilæ creare in omni susceptiuo visionis.

Item, conclusio, quę concluditur, non sequitur; quia sicut proprium est Deo esse vbique secundùm locum, & localiter, ita est proprium sibi esse vbique secundùm præsentiam corporis sui: sed secundùm istos ipse potest facere corpus suum præsentialiter vbique secundùm substantiam corporis sui, quia sicut potest conuertere substantiam panis in substantiam corporis sui, ita & omne aliud corpus; igitur si non est inconueniens ipsum quantum esse vbique dimensionabiliter, & localiter.

17. *Ad rationem primam.*

Dico igitur ad rationem, quòd proprium est Deo, quantum est ex proprietate sua naturali, esse vbique, propter suam immensitatem, quia impossibile est esse locum, in quo non sit per essentiam, potentiam, & præsentiam propriam; non sic autem est de alio corpore virtute propria, quia quodlibet determinat sibi locum, in quo sit diffinitiuè, & circumscriptiuè; sed quin posset esse virtute Dei nondum est probatum.

Deus est vbique sua immensitate per præsentiam, essentiam, & potentiam.

Ad secundam.

Ad secundam rationem, cùm arguitur, quòd si locatum commensuratur loco secundùm quantum continuum, quod connumeratur ei, nego consequentiam; sicut neque sequitur è conuerso secundùm eos, etsi locus commensuretur locato, non debet locus locato necessariò connumerari, quia plura corpora esse in eodem loco non est impossibile Deo; & maximè hoc est possibile Deo in proposito, quia cùm ad mutationem posterioris non necessariò sequatur mutatio prioris, ad mutationem corporis secundùm *vbi*, non sequitur mutatio eius secundùm quantitatem, & quantitas inest prius corpori, quàm esse in loco, vel aliquis respectus extrinsecus aduenies, imò secundùm idem corpus, inquantùm quantum, vel continuum, potest fundare plures respectus extrinsecùs aduenientes, & referri ad plura loca, vel plura *vbi*, nec hoc repugnat sibi, quia essentialiorem comparationem non habet ad respectus extrinsecùs aduenientes, qui contingenter sibi aduenium, etiam positis ex remis.

18. *Ad primum inconueniens.*

Ad primum igitur inconueniens, quod infertur, quòd idem esset calidum & frigidum, & calidum & non calidum. Respondeo secundùm prædictas propositiones, applicando eas, quòd quicquid esset à duobus agentibus contrariis, & approximatis eidem passo existenti in vno loco, hoc idem faceret in passum, si passum esset in duobus locis, dummodò sint approximata æquè passo in duobus locis, sicut in vno; sed si duo agentia contraria approximantur eidem passo existenti in vno loco, vt calidum, & frigidum corpori existenti hîc, aut mutuò se impedirent, vt si essent in summo, & omnino virtutis æqualis, vel nihil facerent, vel formam mediam remissam inducerent, vel si virtus vnius excederet virtutem alterius, prohiberet effectum eius in passum: eodem modo si passum esset approximatum eis existens in diuersis locis, æquè perfectam formam reciperet ab eis, sicut si tantùm approximarentur ei in vno loco, & iam forma absoluta non variatur propter variationem *vbi*. Vnde quod facerent duo agentia in passum approximatum eis in vno loco, causando in ipso effectũ perfectiorem & nobiliorem, quàm

Duo agentia contraria, & æquè applicata, ita agerẽt in passum in diuersis locis ac in vno.

quàm alterum eorum tantùm, hoc idem facerent in illud paſſum approximatum eis in diuerſis locis.

19. *Ad ſecundũ.* Per hoc ad illud inconueniens, quòd tunc idem corpus ſimul eſſet ſanum & ægrum, ſic exiſtens in diuerſis locis. Reſpondeo quòd ſi eſſet tanta intemperies aëris in vno loco, quòd excederet temperiem in alio loco, corpus exiſtens in vtroque eſſet infirmum, quia intemperies vnius loci vincens temperiem alterius loci, ſimpliciter cauſaret infirmitatem in corpore exiſtente in loco vtroque, ſicut faceret ſi tantùm eſſet in vno loco, & ita eſſet infirmum in loco vbi eſt temperies, ſicut in loco vbi eſt intemperies; quia ſanitas & ægritudo ſunt formæ abſolutæ. Priores in ſubiecto quàm quicunque reſpectus extrinſecùs aduenies, & ita quicquid faceret viſionem in oculo Chriſti exiſtentis in cœlo, faceret illam in potentia viſiua eius ſub Sacramento, licèt non eſſet ibi primò, ſed tantùm concomitanter, vt inferiùs dicetur.

20. *Ad tertium inconueniens. Occiſio 2. eſt corpus quod in vno loco occiditur, in alio etiam occiditur.* Ad tertium inconueniens, cùm infertur quòd ſi eſſet in duobus locis, ſimul occideretur, & non occideretur. Dico quòd *occiſio* accipitur pro ſeparatione animæ à corpore facta per violentiam, ſi iſto modo occiditur in vno loco, & in omni, quia agens & actio ita comparatur ad ipſum in duobus locis, licèt ſi eſſet tantùm in vno. Si autem accipiatur *occiſio* pro pœna, vel violentia inflicta ſuo corpori, vt in lanceationem, vel crucifixionem, ſic occiditur in vno loco, & non in alio, in vtroque tamen loco moritur, quia in vtroque loco ſeparatur anima à corpore. Vnde ſicut ipſi dicunt de corpore Chriſti in cruce, & in pyxide, quòd fuit mortuum, accipiendo *mortem* pro ſeparatione animæ à corpore; non tamen fuit ſimul mortuum vtrobique, accipiendo *mortem* pro pœna inflicta ducente ad mortem, vt vulneratione, vel lanceatione, quia ſic tantùm fuit mortuum in cruce, & non in pyxide, quia vulneratio, quæ eſt diuiſio continui, ſequitur motum localem, & non præcedit eum. Sic dico de corpore alio exiſtente ſimul localiter in diuerſis locis.

Vulneratio ſequitur ad vbi.

Ad quartum inconueniens. Quid ſit eſuries, & ſatietas. Ad quartum dico, quòd eſuries eſt actus appetitus, & ideò non dependet ab *vbi*, vel motu locali; & ideò corpus exiſtens in duobus locis, ſi eſuriat in vno loco, & in alio; ſi ſaturaretur in vno, & in alio, licèt ibi nunquam haberet ad comedendum; ſatietas enim & eſuries ſunt formæ abſolutæ, priùs conſequentes ſubiectum, quàm *vbi*, & ideò ad variationem poſterioris non ſequitur variatio prioris, vt iſtius formæ.

21. *Contra ſolutiones allatas inſtat Doctor primò.* Contra iſta inſtatur ſic: ſi idem corpus poteſt eſſe ſimul in duobus locis, ponatur igitur idem nutrimentum ſumi à diuerſis in diuerſis locis; hoc ponendo, virtus nutritiua vtriuſque ageret in nutrimentum approximatum, conuertendo ſubſtantiam nutrimenti in ſubſtantiam eius, & tunc ſequitur hoc inconueniens, quòd eadem materia informata erit duabus formis ſubſtantialibus eiuſdem ſpeciei, vt forma carnis huius, & forma carnis iſtius. Similiter quòd animetur eadem materia nutrimenti duabus animabus.

Secundò. Item, poſito quòd idem lignum eſſet in duobus locis, ſi duo ignes agant in illud, imprimunt in illud duos calores, vel duos ignes, & ita eadem materia reciperet duas formas eiuſdem ſpeciei, quod eſt inconueniens.

Tertiò. Item, ſequitur quòd paruus ignis poſſet comburere omnia ligna combuſtibilia vniuerſi, quia ſi poteſt eſſe ſimul in pluribus locis, vel omnibus, in quibus poteſt approximari combuſtibilibus, &, per te, quicquid agens poteſt in vno loco reſpectu paſſi, hoc poteſt in omnibus ſi approximetur; igitur ſimul combureret omnia combuſtibilia vniuerſi, quod videtur inconueniens.

Quartò. Item, ſi idem poſſet ſimul eſſe in pluribus locis, igitur poſſet aliquis naturaliter eſſe in alio loco, & ibi continuè ſuſtentari per quodcunque tempus naturaliter, & ſine aliquo nutrimento ibi ſumpto, quia ſatiaretur in alio loco, & ibi haberet cibum; igitur ſi hîc eſuriret, ſemper eſuriret, quia hîc nunquam ſumeret cibum, & ita ſimul ſatiaretur, & eſuriret, quia ſatiaretur in vno loco, vbi nunquam acciperet cibum, & ſemper eſuriret in loco vbi acciperet cibum, quæ videntur abſurda.

Quintò. Item, ponatur quòd in duobus locis exiſtens haberet duo nutrimenta totalia ſufficientia ad nutriendum quodlibet per ſe, igitur in duobus illis locis ſumeret nutrimenta, quorum vtrumque ſufficienter nutriret ſine alio, quæ videntur inconuenientia.

Reſponſio Aliorum ad primam inſtantiam. Ad primum, poſſet concedi quòd vna materia hoc poſito informaretur duabus formis eiuſdem ſpeciei, nec tunc eſſet nouum miraculum, quia ex quo ponitur in duobus locis, ponitur aliquo modo in ratione duplicis paſſi.

22. *Solutio propria.* Dico tamen aliter, quòd non in eadem parte materiæ inducerentur duæ formæ eiuſdem ſpeciei, quia aut virtus nutritiua vtriuſque eſſet æqualis, & tunc æqualiter vtraque virtus conuerteret nutrimentum in ſuam ſubſtantiam, & neutra ſumeret totum, ſed vna virtus vnius acciperet vnam partem, & alia aliam, & per conſequens vna pars materiæ informaretur forma ſubſtantiali carnis vnius, & alia pars materiæ informaretur forma carnis alterius.

Si verò virtus nutritiua in vno ſit efficacior, & potentior, quàm in alio, plus conuerteret, alia tamen aliquid, & ideò nunquam ſequitur eandem partem materiæ recipere plures formas ſubſtantiales eiuſdem ſpeciei.

Ad ſecũdam. Quomodo lignum idem multiplicatũ & vtrobique combuſtum caperet duas formas ignis. Ad ſecundum, dico quòd lignum qualemcunque reciperet formam à duobus agentibus, exiſtens in vno loco, talem formam reciperet ab eiſdem approximatis, ſi eſſet in duobus locis.

Vnde ſicut duo ignes approximati eidem ligno in vno loco, perfectiorem ignem generabunt, ita etiam in duobus locis, ſi eſſent approximati eidem ligno, hoc idem facerent.

Ad tertiam. Ad tertium, dico quòd illud idem, quod faceret vnus paruus ignis in vno *vbi*, in quo eſſent omnia combuſtibilia, ſimul aggregata, ſicut in vno loco, hoc idem faceret approximatus illis combuſtibilibus in diuerſis locis; vnde ſicut ageret alia actione remiſſa in omnia combuſtibilia ſimul exiſtentia in vno loco, ſic etiam ageret in diuerſis locis approximatis illis.

Adquartam. Animal hîc ſine ſumptione nutrimẽti, nutriretur alimento ab eo alibi ſumpto. Ad quartum, concedo quòd ſi haberet cibum ad ſufficientiam in vno loco, & eſſet ſimul in alio, vbi nihil vnquam haberet de cibo, quòd ibi non eſuriret, ſed eſſet ſemper ibi ſatiatus, non quòd ibi ſatiaret ſe, quia per poſitum, vt ibi exiſtens non ſumeret cibum, ſed quia ſufficienter ſatiaretur in alio.

Vnde ſicut in vno loco eſſet ſatiatus, ita & in infinitis, etiamſi in illis nihil ſumeret.

Ad quintum. Ad vltimum, dico quòd non sumeret totum cibum suum hîc, & totum ibi, sed partim hîc, & partim ibi, sicut si tunc esset in vno loco.

SCHOLIVM V.

Soluit argumenta D. Thom. Ægid. & aliorum contra replicationem vnius corporis in diuersis vbi *dimensiuè. Solutiones sunt clarę, & singulares, quas communis schola in hac materia sequitur. Hic pleniùs tractantur, quàm in scripto Anglicano.*

23. Ad rationes D. Thomæ pro eadem sententia oppositæ.

AD rationem alterius opinionis, cùm arguitur, quòd si locatum esset extra terminos loci, quòd esset extra terminos proprios. Dico quòd non sequitur, quia anima mea ideò est in digito meo, quia termini eius essentiales sunt simul cum terminis digiti; igitur si est extra terminos digiti, vel in manu, vel in pede, est extra terminos proprios, sed quando aliquid habens terminos illimitatos ad alia, comparatur ad terminos limitatos alterius, cum quibus est simul, non sequitur, si est extra terminos limitatos limitati ad ipsum, quòd sit extra terminos suos, quia termini sui sunt illimitati ad illos, & ad alios. Aliud exemplum, est aliquis illimitatè præsens huic loco, & loco qui est Romæ, & simul cum eis, igitur si est extra terminos limitatos huius loci inquantùm est simul cum terminis alterius loci, igitur est extra terminos proprios. Eodem modo est in proposito, quia nullum corpus comparatum ad diuersa est limitatum ad vnum locum.

24. Ad secũdam. Ad rationem Ægidij.

Ad aliud, dico quòd Angelus eo modo, quo sibi competit locus, potest esse in diuersis locis, sicut corpus suo modo.

Quiditas non est ratio formalis essendi in loco.

Ad aliud, cùm dicitur quòd sicut res per vnam naturam ponitur in vna specie, ita per vnã quantitatem in vno loco. Dico quòd non est simile, quia res est in vna specie per suam naturam, tanquam per rationem formalem & quiditatiuam, qua est in vna specie, nõ sic est dimensio, formalis ratio, & quiditatiua essendi aliquid in loco, sed est ratio formalis prior illa ratione, qua aliquid est formaliter in loco, vt circũscriptione passiua, qua aliquid est formaliter in loco. Dimensio enim, vel quantitas, est ratio formalis essendi in loco, quia est ratio formalis eius, quod est esse in loco, sicut albedo dicitur esse formalis ratio, qua aliquid est simile alteri, non quia sit ratio quiditatiua similitudinis, quare hoc sit simile alteri, quia ratio formalis eius est similitudo, qua formaliter hoc est simile alteri similitudine, & non albedine, nisi sicut ratione causali, & fundamentali, & sicut non sequitur relationes plurificantur, igitur & fundamenta plurificantur, quia idem potest esse plurium relationum eiusdem speciei, & alterius. Patet de se. Ita non sequitur, plurificatur, vel numeratur *vbi*, igitur dimensio, vel quantitas numeratur. Et ratio vtriusque est, quia nunquam ad numerationem posterioris sequitur numeratio prioris, formaliter loquendo.

Ratio formalis proxima essendi in loco est ipsa vbicatio.

Numeratio prioris non sequitur ad numerationẽ posterioris.

25. Ad rationes Goffr. Alan. & aliorum.

Ad aliud, cùm dicitur, si posset esse in duobus locis, aut vnica mutatione, aut duabus? Respõdeo quòd vnica mutatione, & duabus: vnica quidem, vt si quiescens in cœlo faceret se in alio loco localiter; & iste motus, vel mutatio esset vna, quia esset tantùm ad vnum terminum acquisitum: licèt enim haberet plura *vbi*, vt illud, in quo quiesceret, & aliud, ad quod de nouo mutaretur, & ita esset in pluribus locis; vna tamen mutatione esset in pluribus, vt per illam, quæ nouum *vbi* acquisitum haberet, quia habet aliud *vbi* non acquisitum. Similiter posset esse in pluribus locis pluribus mutationibus eiusdem speciei, vel alterius. Et cùm dicis quòd impossibile est idem mutari duabus mutationibus eiusdem speciei, proba mihi impossibilitatem, vel incompossibilitatem terminorum in eodem, ad hoc vt ostendas duos motus eiusdem speciei esse impossibiles, quia si termini aliquarum duarum mutationum possunt esse in eodem, multò magis mutationes ipsæ possunt esse in eodem. Probas igitur inconuenientius tibi, per minus inconueniens, & sicut inconuenientior est mihi possibilitas duorum *vbi*; ita & minùs inconueniens possibilitas duarũm mutationum: termini enim non sunt nisi quidam respectus eiusdem speciei contingenter extrinsecùs, & non necessariò aduenientes, quos ostensum est posse esse simul in eodem loco. Dato etiam quòd istæ mutationes sint alterius speciei, adhuc proba impossibilitatem terminorum; hoc enim oportet priùs probare, quia motus non sunt compossibiles, nisi quia termini eorum sunt tales. Vnde si quid potest esse simul sursum & deorsum, multò magis potest moueri simul sursum & deorsum.

Nouum vbi acquiri potest vna, vel pluribus mutationibus.

Incompossibilitas mutationum prouenit ex incompossibilitate terminorum.

26. Ad secũdam rationem.

Ad aliud, cùm dicit quòd termini cuiuslibet motus, vel mutationis sunt impossibiles, & incompossibiles, verum est de primis terminis cuiuslibet motus; vel mutationis, cuiusmodi sunt priuatio formæ, & ipsa forma inducta per motum, vel mutationem; sed non semper termini consequentes tales primos terminos, sunt incompossibiles. Exemplum in infusione animæ, facta enim completa organizatione corporis, fit mutatio talis corporis absolutè à non esse animato, ad esse animatũ; quia modò animatur animâ intellectiuâ, & priùs non animabatur sine corruptione cuiuscunque termini *à quo*, & isti termini sunt incompossibles, scilicet animatio corporis, & inanimatio eius præcedens; sic etiam priuatio, & forma in generatione, & è conuerso in corruptione forma & priuatio, quia isti termini nunquam sunt simul. Sed termini consequentes possunt esse simul, & non sunt incompossibiles, quia terminus *à quo* concomitans, vel consequens priuationem formæ, vt inanimationem corporis, est corpus organicum, quod nullo modo corrumpitur in aduentu formæ, vt animæ, sed magis perficitur ea; aliter non magis animaret anima corpus organicum, quàm materiam primam, si semper corrumperetur terminus *à quo* concomitans in aduentu animæ. Similiter in corruptione, quando corpus fit de animato inanimatum, primi termini incompossibiles sunt forma, vt anima, & eius priuatio, vt inanimatio; sed terminus *à quo* corruptionis concomitans, vt corpus organicum, vel cadauer, secundùm nullam formam absolutam corporis corrumpitur, sed semper manet quousque per proprias corruptiones tollatur. Nam cadauer mortuum non tantùm est materia prima. Patet ad sensum.

Exemplificatur.

Quinam sunt termini motus incompossibiles.

Corpus organicum est solùm terminus à quo concomitans animationis.

27. Similiter in generatione, & corruptione elementorum ad inuicem, primi termini sunt incompossibiles, vbi concurrunt duo motus, vel mutationes, & quatuor termini, vt non ignis, & ignis generatus sunt incompossibiles. Similiter aër, & non aër corruptus, sunt incompossibiles. Quòd enim sunt duæ mutationes, & quatuor termini, patet, quia Deus posset per potentiam suam, vnam separare ab alia, & posset aliquid per respe-

ctum

ctum ad eum generari, & non priùs corrumpi, & è conuerſo, ſicut ſeparat mutationem poſitiuam à priuatiua in infuſione animæ,& è conuerſo in ſeparatione, quia alia eſt mutatio à non igne ad ignẽ,& alius motus, vt ignitio & generatio ignis. Alia eſt mutatio ab aëre ad non aërem, quæ eſt corruptio aëris,& tamẽ termini iſtorum motuum primi compatiuntur ſecum terminos concomitantes, quia generatio ignis eſt de materia aëris, & è conuerſo,generatio aëris eſt de materia ignis nulla corruptione facta in iſtis terminis concomitantibus, quia ſemper manent iidem termini ſub vtraque mutatione,alioquin generatio eſſet creatio. Similiter eſt de motu augmentationis & diminutionis, nam in augmentatione priuatio formæ aduenientis, ſcilicet quantitatis maioris, & ipſa forma de nouo aduenies ſunt incompoſſibiles; ſed termini concomitantes non,quia in aduentu formæ maioris gradus quantitatis, non corrumpitur quantitas præexiſtẽs,ſed manet cum maiori; aliter nihil augmentaretur; ſimiliter è conuerſo in diminutione. Similiter in motu alterationis,vbi eſt latitudo graduum in forma,& eſſentia eius, in aduentu ſecundi gradus non corrumpitur primus gradus,ſed manet & augetur,licèt priuatio illius gradus, & iſte gradus ſint incompoſſibiles;ſicut in aliis vniuerſaliter priuatio eſt incompoſſibilis ſuæ propriæ formę,& poſitiuo habitui. Similiter in propoſito, *vbi* hoc & eius priuatio ſunt incompoſſibiles. Similiter motus ad hoc *vbi*, & priuatio eius ad hoc *vbi*, ſunt incompoſſibiles,quia iſti ſunt primi termini motus; ſed termini motus concomitantes, qui ſunt duo *vbi* poſitiua,vt *vbi* à quo,& *vbi* ad quem,ſi aliquid ſit ſimul in duobus locis,ſiue in duobus *vbi*,non ſunt incõpoſſibiles,& ita patet quomodo in omni motu & mutatione primi termini ſunt incompoſſibiles,concomitãtes verò termini non,ſed neceſſarij.

28. *Quinam ſunt termini à quo augmẽtationis, & diminutionis.*

Soli primi termini motus ſunt incompoſſibiles formaliter.

29. *Ad confirm.*

Ad confirmationem illam, cùm dicitur quòd agens naturale non intendit corruptionem formę præcedẽtis,niſi propter incompoſſibilitatem eius ad formam inducendam,& per conſequens agens mouens corpus ad aliquod *vbi*, non expellit eum de *vbi* præcedenti, niſi propter incompoſſibilitatem iſtorum *vbi* adinuicem. Reſpondeo quòd propoſitio iſta non valet, quia æqualiter probaretur per eam quòd duo corpora non poſſent eſſe ſimul in eodem loco, quòd non eſt verum, quia aut eſt formalis incompoſſibilitas quanti ad quantum, quòd non poſſunt eſſe ſimul, & tunc non poſſet Deus facere duo corpora eſſe ſimul in eodem loco, quia formaliter repugnantia non poſſunt eſſe formaliter conuenientia per potentiam motiuam ſtantibus naturis eorum, quia includunt contradictionem. Sed ſi non ſit formalis incompoſſibilitas,tunc arguo ſicut tu arguis: Agens non intendens per ſe expulſionem alicuius de aliquo loco, niſi propter incompoſſibilitatem illius ad terminum inducendum, in quem per ſe intendit, non expellit corpus de aliquo loco,in quem per ſe intẽdit mouere corpus aliud;igitur poſſunt ſe ſimul cõpati in eodem loco; ita ego arguo in propoſito.

30. Dico igitur quòd aliqua incompoſſibilia ſunt alicui virtuti naturali, quæ non adeò ſunt impoſſibilia,nec incompoſſibilia formaliter. Exemplum Virginem parere eſt incompoſſibile virtuti naturali, quia naturaliter nulla parit, niſi ex ſemine, quod non recipit Virgo,non tamen eſt formaliter repugnantia partus ad Virginem, quia tunc hoc nunquam fuiſſet, quòd Virgo exiſtens Virgo periſſet. Virtus autem naturalis, quia finita, non poteſt ſuper quæcunque finita extrema, quæ non concludunt formalem repugnantiam,quia virtuti tali poſſunt multa repugnare,quæ in ſe formaliter non repugnant. Ad propoſitum dico, quòd licèt duo *vbi* eſſe in eodem corpore non ſubſit virtuti naturali,nec poſſit eſſe per virtutem creatam,quæ non poteſt ſimul ſuper vtrumque extremum, & ideò inducens vnum corrumpit aliud,per comparationem tamen ad virtutem illimitatam potentem ſuper extrema omnia,ſecundùm quòd conuenit eis, poſſunt duo *vbi* eſſe in eodem, quia inter ſe formaliter non repugnant.

Virtuti naturali finita multa repugnant quæ in ſe formaliter nõ repugnãt.

SCHOLIVM VI.

Satisfacit argumentis poſitis in initio tertiæ quæſtionis,eáque facilitate,& dexteritate omnia ad hanc difficultatem ſpectantia tractat,vt nihil videatur ſupereſſe.

31. AD primam rationem principalem huius quæſtionis dico,quòd plures relationes oppoſitas reales eſſe in eodem,reſpectu eiuſdem,non negatur à pluribus tenentibus opinionem improbatam,vt quòd idem ſit mouens & motum,igitur non video quare debeant negare idem eſſe ſuperius,& inferius ſe ipſo. Dico tamen quòd eſſe ſuperius eſt quædam relatio fundata ſuper *vbi* ſuperius, & illa relatio fundatur ſuper relationem. Similiter eſſe inferius eſt quædam relatio fundata ſuper *vbi* inferius, nec eſt inconueniens relationem, vel reſpectum fundari ſuper alium reſpectum, vel relationem, vt patuit priùs, & inferiùs apparebit. Dico igitur quòd ibi corpus eſt inferius & ſuperius ſe,ſecundùm duo accidentia extrinſecùs aduenientia relatiua, quæ ſunt duo *vbi*, nec hoc eſt magis inconueniens, quàm quòd aliquis ſit ſimilis alicui ſecundùm ſcientiam, & diſſimilis eidem ſecundùm albedinem. Ita eſt in propoſito.

Ad primum principale, in initio huius quæſt.

Quomodo eidem conueniunt rationes oppoſite.

Ad aliud cùm dicitur quòd nihil refertur ſimul relationibus contrariis,concedo ſecundùm idem, per accidens tamen, vel ratione alterius, & alterius in ipſo non eſt inconueniens eidem inheſſe contrarias relationes.

Ad ſecundũ.

Ad propoſitum ratione iſtius *vbi* poteſt corpus diſtare ab alio, quia *vbi* in illo eſt fundamentum diſtantiæ reſpectu alicuius corporis; ratione alterius *vbi* poteſt eſſe propinquum alicui, quia *vbi* eſt in eo fundamentum relationis propinquitatis ad illud;igitur eſt ſimul diſtãs,& propinquum, concedo, nec hoc eſt inconueniens; nec includit contradictionem reſpectu diuerſorum.

Quomodo eidẽ conueniũt propinquum, & diſtans.

32. Ad tertium, cùm dicitur quòd idem temporale non poteſt eſſe in diuerſis temporibus,igitur nec idem corpus in diuerſis locis. Reſpondeo quòd in antecedente, aut accipitur ſimultas temporis, aut ſimultas loci, aut ſimultas rei temporalis, & rei localis. Si primum, ſic eſt antecedens verum, quòd idem temporale ſimultate temporis non eſt in duobus temporibus, quia ſi ſic, vnum tempus eſſet duo tempora,& includitur oppoſitum in adiecto, & iſto modo ſequitur conſequentia, quia idem corpus ſimultate corporis localis non poteſt eſſe in duobus. Alio modo poteſt accipi ſimultas in Antecedente ſecundo modo, & ſic eſt antecedens falſum, quia idem temporale exiſtens in vno loco poteſt eſſe in diuerſis temporibus, & ex iſto antecedente ſic accepto, ſequitur conſequens, tanquam falſum ex falſo, quia ſi idem temporale exiſtens ſimul in vno loco non poteſt eſſe in diuerſis temporibus, igitur nec idem loca-

Ad tertium. Quomodo idem temporale poteſt, & non poteſt eſſe in diuerſis temporibus.

le simul potest esse in pluribus locis. Consequentia patet, sicut ex falso falsum, & ita quando antecedens est verum, non tenet consequentia, quando est falsum tenet; & ideò antecedens vno sensu est negandum, & alio sensu consequentia. Eodem modo potest distingui in consequente de simultate locali, vel loci; primo modo est falsa, quia idem simultate locali potest esse in pluribus locis. Secunda valet, quia idem simultate loci non potest esse in pluribus locis, quia significatur tunc quòd vnus locus esset duo loca. Potest etiam ratio duci in oppositum per consimile sophisma illi, quod faciunt ipsi, idem locale simul in eodem loco potest esse in diuersis temporibus; igitur à simili è conuerso idem temporale simul existens in vno tempore potest esse in pluribus locis. Respondeant ipsi, & si sit sophisma sicut argumentum eorum.

33. Ad quartum. Quomodo corpus simul moueri, & quiescere possit.

Ad quartum, cùm infert sic: idem simul quiesceret & moueretur. Respondeo secundùm præmissa, quòd illa quæ consequuntur *vbi*, vel sunt simul cum *vbi*, variantur secundùm variationem *vbi*. Nunc autem omnis motus localis, vel totius corporis, vel partis corporis, posterior est ipso *vbi*, & ideò motus diuersi totius, vel partis corporis possunt eidem competere secundùm diuersa; & ideò existens in vno *vbi* potest moueri, & ferri motu locali, vel quiescere secundùm *vbi* vnum, & moueri secundùm aliud, si habeat duo *vbi*, & ita quiescit & mouetur, non respectu eiusdem, sed diuersorum. Mouere enim secundùm locum non est aliter se habere nunc quàm priùs secundùm locum, sed secundùm istum locum mouere, & quiescere secundùm illum, & aliter se habere secundùm istum locum, quæ non contradicunt.

Instantia.

Sed dices, saltem sequitur contraria eidem inesse, quia sequitur, mouetur secundùm hunc locũ, ergo mouetur; & similiter quiescit circa hunc locum, ergo quiescit, igitur simul mouetur & quiescit, quod videtur impossibile, & sequitur vltrà, quòd quiescit, & tunc mouetur, & è conuerso, mouetur, & nunc quiescit, igitur quod mouetur, non mouetur, quia quiescit, & quod quiescit non quiescit, quia mouetur, quæ videntur contradicere. Respondeo, ista contraria non conueniunt eidem *vbi*, nisi secundùm diuersam relationem. Motus autem localis non est magis, quàm *vbi*, quod est terminus eius. Nunc autem quòd contraria relatiua insint eidem secundùm diuersa, non est inconueniens. Potest enim aliquis esse dissimilis alicui secundùm scientiam, & similis secundùm albedinem, & ita similis, & dissimilis respectu diuersorum. Similiter in proposito, aliquid potest simul dici moueri & quiescere, quæ sunt quasi opposita contraria relatiua, quia duo *vbi*, secundùm quorũ vnum attenditur motus, & secundùm aliud quies, possunt simul eidem inesse, in quibus *vbi* fundantur respectus oppositi. Non sic possunt contraria absoluta eidem inesse, quia tales formę, ex quo sunt absolutæ, natæ sunt totum denominare, & ideò respectu totius expellunt se mutuò, & ideò nunquam insunt duo contraria absoluta, nisi secundùm *quid*. Relationes verò, & respectus, quia sunt ad aliquid, tantùm possunt plurificari plurificatis terminis qualitercunque, & ideò possunt plures inesse eidem. Concedo igitur illas affirmatiuas, mouetur simul, & quiescit; & nego negatiua. Non enim sequitur, quiescit, ergo non mouetur, quæ cùm motus localis, vel moueri localiter non sit nisi secundùm *vbi*, negatur in consequente omne *vbi*, quia sequitur, non mouetur, igitur secundùm nullum *vbi* mouetur. Antecedens verificatur pro vno *vbi* tantùm, & ideò est consequens falsum in argumento, non mouetur in isto *vbi*, in quo quiescit, ergo non mouetur in alio *vbi*. Similiter est illud consequens, hoc est simile secundùm hoc, igitur non est dissimile.

Soluitur.

Contrà: absoluta expellũt se mutuo.

In respectiuis oppositis non sequitur absoluta affirmatio, & negatio.

Ad quintum, dico quòd omnis visio, vel actus immanens, qui infuisset Christo in cœlo, inesset etiam in pyxide, & in terra, licèt non primò. Primò infuisset sibi in cœlo, & concomitanter infuisset sibi in pyxide. Vnde quantùm ad terminationem visionis, vel actum visus requiritur certa approximatio visibilis ad visum, aliter enim non esset visio, quia positio visibilis super visum prohibet visionem esse, & eodem modo de nimia distantia. De istis actibus immanentibus quomodo cõueniunt in cœlo, & in Eucharistia, dicetur infrà.

Ad quintum.

Visibile positum supra visum non facit visionem.

SCHOLIVM VII.

Ad quæstionem secundam resolutio. Posse corpus Christi simul esse in cœlo, & in altari, quia ibi non est contradictio. Et regula Doctoris hîc notanda est, nempè, nihil est denegandum Deo, licèt ei conuenire non probes, modò soluere possis rationes in contrarium. Vide eum in Oxon. hîc quæst. 3. & Scholium ibi num. 2.

34. Ad quæstio. secundam. Responsio D. Thom.

QVantùm ad solutionem primæ ex his duabus quæstionibus, dicunt aliqui quòd corpus existens in cœlo dimẽsionabiliter potest realiter esse in Eucharistia per conuersionem alterius in ipsum, non per proprias dimensiones, quia propriæ eius dimensiones non sunt alicubi præterquam in cœlo, nisi tantùm concomitanter, quia si primò esset dimensionabiliter in Eucharistia sub hostia consecrata, sequitur quòd simul esset dimensionabiliter in diuersis locis, quod videtur impossibile.

Reijcitur.

Contrà: Istud primum istorum est improbatum superiùs in ista dist. secundum etiam improbatur in quæstione præcedente. Ideò dico aliter, quòd corpus Christi existens in cœlo potest realiter non tantùm secundùm modum eius naturalem esse in alio loco, vel in altari, & non solùm per conuersionem alterius in ipsum, vt patet ex prædictis, sed etiam alio modo, sine omni conuersione. Patet ibi.

Resolutio propria.

35. Ad primum principale.

Ad rationem primam in oppositum, cùm arguitur, quòd corpus Christi in vno loco esse oportet. Respondet, *oportet*, id est, oportunum est, quia realiter verum est, quòd est in cœlo corporaliter, tamen aliquando de potentia absoluta posse esse alibi corporaliter, quàm tantùm ibi. Et hoc credimus esse necessarium, quia aliquando factum, quia piè creditur quòd in assumptione matris suæ occurrit ei corporaliter.

Ad secundum. Ratio formalis duplex.

Ad secundum, cùm dicit quantitatem esse formalem rationem alicuius essendi in loco; dico quòd ratio formalis alicuius potest intelligi dupliciter. Vno modo quòd sit quo aliquid est formaliter tale, vt calor est formalis ratio, quo aliquid est calidum, & similitudo ratio formalis, qua aliquid est simile, & albedo, qua aliquid est album; & ideò nullo modo plurificatur, nisi plurificata sua ratione formali. Alio modo accipitur ratio formalis alicuius pro causa proxima elicitiua alicuius effectus, vel causa fundamenti proxima alicuius, sicut dicimus quòd calor est formalis ratio calefaciendi, & albedo disgregandi, & assimilandi; & isto modo quantitas

Quantitas est ratio formalis causalis, siue fundamentalis essendi in loco.

33. Ad quartum. Quomodo corpus simul moueri, & quiescere possit.

Ad quartum, cùm infert sic: idem simul quiesceret & moueretur. Respondeo secundùm præmissa, quòd illa quæ consequuntur *vbi*, vel sunt simul cum *vbi*, variantur secundùm variationem *vbi*. Nunc autem omnis motus localis, vel totius corporis, vel partis corporis, posterior est ipso *vbi*, & ideò motus diuersi totius, vel partis corporis possunt eidem competere secundùm diuersa; & ideò existens in vno *vbi* potest moueri, & ferri motu locali, vel quiescere secundùm *vbi* vnum, & moueri secundùm aliud, si habeat duo *vbi*, & ita quiescit & mouetur, non respectu eiusdem, sed diuersorum. Mouere enim secundùm locum non est aliter se habere nunc quàm priùs secundùm locum, sed secundùm istum locum mouere, & quiescere secundùm illum, & aliter se habere secundùm istum locum, quæ non contradicunt.

Instantia.

Sed dices, saltem sequitur contraria eidem inesse, quia sequitur, mouetur secundùm hunc locũ, ergo mouetur; & similiter quiescit circa hunc locum, ergo quiescit, igitur simul mouetur & quiescit, quod videtur impossibile, & sequitur vltrà, quòd quiescit, & tunc mouetur, & è conuerso, mouetur, & nunc quiescit, igitur quod mouetur, non mouetur, quia quiescit, & quod quiescit non quiescit, quia mouetur, quæ videntur contradicere. Respondeo, ista contraria non conueniunt eidem *vbi*, nisi secundùm diuersam relationem. Motus autem localis non est magis, quàm *vbi*, quod est terminus eius. Nunc autem quòd contraria relatiua insint eidem secundùm diuersa, non est inconueniens. Potest enim aliquis esse dissimilis alicui secundùm scientiam, & similis secundùm albedinem, & ita similis, & dissimilis respectu diuersorum. Similiter in proposito, aliquid potest simul dici moueri & quiescere, quæ sunt quasi opposita contraria relatiua, quia duo *vbi*, secundùm quorũ vnum attenditur motus, & secundùm aliud quies, possunt simul eidem inesse, in quibus *vbi* fundantur respectus oppositi. Non sic possunt contraria absoluta eidem inesse, quia tales formę, ex quo sunt absolutæ, natæ sunt totum denominare, & ideò respectu totius expellunt se mutuò, & ideò nunquam insunt duo contraria absoluta, nisi secundùm *quid*. Relationes verò, & respectus, quia sunt ad aliquid, tantùm possunt plurificari plurificatis terminis qualitercunque, & ideò possunt plures inesse eidem. Concedo igitur illas affirmatiuas, mouetur simul, & quiescit; & nego negatiua. Non enim sequitur, quiescit, ergo non mouetur, quæ cùm motus localis, vel moueri localiter non sit nisi secundùm *vbi*, negatur in consequente omne *vbi*, quia sequitur, non mouetur, igitur secundùm nullum *vbi* mouetur. Antecedens verificatur pro vno *vbi* tantùm, & ideò est consequens falsum in argumento, non mouetur in isto *vbi*, in quo quiescit, ergo non mouetur in alio *vbi*. Similiter est illud consequens, hoc est simile secundùm hoc, igitur non est dissimile.

Soluitur.

Contrà: absoluta expellũt se mutuo.

In respectiuis oppositis non sequitur absoluta affirmatio, & negatio.

Ad quintum, dico quòd omnis visio, vel actus immanens, qui infuisset Christo in cœlo, inesset etiam in pyxide, & in terra, licèt non primò. Primò infuisset sibi in cœlo, & concomitanter infuisset sibi in pyxide. Vnde quantùm ad terminationem visionis, vel actum visus requiritur certa approximatio visibilis ad visum, aliter enim non esset visio, quia positio visibilis super visum prohibet visionem esse, & eodem modo de nimia distantia. De istis actibus immanentibus quomodo cõueniunt in cœlo, & in Eucharistia, dicetur infrà.

Ad quintum.

Visibile positum supra visum non facit visionem.

SCHOLIVM VII.

Ad quæstionem secundam resolutio. Posse corpus Christi simul esse in cœlo, & in altari, quia ibi non est contradictio. Et regula Doctoris hîc notanda est, nempè, nihil est denegandum Deo, licèt ei conuenire non probes, modò soluere possis rationes in contrarium. Vide eum in Oxon. hîc quæst. 3. & Scholium ibi num. 2.

34. Ad quæstio. secundam. Responsio D. Thom.

QVantùm ad solutionem primæ ex his duabus quæstionibus, dicunt aliqui quòd corpus existens in cœlo dimẽsionabiliter potest realiter esse in Eucharistia per conuersionem alterius in ipsum, non per proprias dimensiones, quia propriæ eius dimensiones non sunt alicubi præterquam in cœlo, nisi tantùm concomitanter, quia si primò esset dimensionabiliter in Eucharistia sub hostia consecrata, sequitur quòd simul esset dimensionabiliter in diuersis locis, quod videtur impossibile.

Reijcitur.

Contrà: Istud primum istorum est improbatum superiùs in ista dist. secundum etiam improbatur in quæstione præcedente. Ideò dico aliter, quòd corpus Christi existens in cœlo potest realiter non tantùm secundùm modum eius naturalem esse in alio loco, vel in altari, & non solùm per conuersionem alterius in ipsum, vt patet ex prædictis, sed etiam alio modo, sine omni conuersione. Patet ibi.

Resolutio propria.

35. Ad primum principale.

Ad rationem primam in oppositum, cùm arguitur, quòd corpus Christi in vno loco esse oportet. Respondet, *oportet*, id est, oportunum est, quia realiter verum est, quòd est in cœlo corporaliter, tamen aliquando de potentia absoluta posse esse alibi corporaliter, quàm tantùm ibi. Et hoc credimus esse necessarium, quia aliquando factum, quia piè creditur quòd in assumptione matris suæ occurrit ei corporaliter.

Ad secundum. Ratio formalis duplex.

Ad secundum, cùm dicit quantitatem esse formalem rationem alicuius essendi in loco; dico quòd ratio formalis alicuius potest intelligi dupliciter. Vno modo quòd sit quo aliquid est formaliter tale, vt calor est formalis ratio, quo aliquid est calidum, & similitudo ratio formalis, qua aliquid est simile, & albedo, qua aliquid est album; & ideò nullo modo plurificatur, nisi plurificata sua ratione formali. Alio modo accipitur ratio formalis alicuius pro causa proxima elicitiua alicuius effectus, vel causa fundamenti proxima alicuius, sicut dicimus quòd calor est formalis ratio calefaciendi, & albedo disgregandi, & assimilandi; & isto modo quantitas

Quantitas est ratio formalis causalis, siue fundamentalis essendi in loco.

titas eſt formalis ratio eſſendi in loco; quia eſt cauſa & proximum fundamentum plurium *vbi*, & eſſendi & de iſta ratione formali: non oportet quòd plurificetur, & plurificata illa, cuius ratio eſt formalis, vel cauſalis, quia nunquam plurificato poſteriori eſſentialiter, quod contingenter ſibi conuenit, multiplicatur de neceſſitate ſuum prius.

Ad tertium. Non omnia quæ ſunt ſimul cum tertio, ſunt ſimul inter ſe.

Ad tertium cùm dicitur, quæ ſimul ſunt cum tertio, inter ſe ſimul ſunt. Dico quòd hæc propoſitio vniuerſaliter eſt falſa, niſi quando illud tertium, cum quo ſunt illa ſimul, ſit limitatum, ſecundùm illud *eſſe*, ſecundùm quod illa dicuntur eſſe ſimul cum illo; quia quando eſt illimitatum ad illud *eſſe*, ſecundùm quod alia dicuntur eſſe ſimul cum eo, & ad aliud, eſt propoſitio falſa. Exemplum, æternitas eſt ſimul cum hoc *nunc*, & anima Antichriſti eſt ſimul cum æternitate quando eſt, igitur hoc *nunc* eſt ſimul cum illo, in quo anima Antichriſti erit, non valet; quia æternitas eſt quoddam illimitatum ad extrema, cum quibus dicitur eſſe ſimul. Similiter quod eſt hîc, eſt ſimul cum Deo, & quod eſt Romæ, eſt ſimul cum Deo; igitur iſta inter ſe ſunt ſimul; non valet, quia tertium non eſt præcisè cum extremis, quando concluditur eorum ſimultas inter ſe. Eodem modo eſt in propoſito, corpus enim de ſe non eſt formaliter limitatum, & de neceſſitate ad vnum *vbi*, vel ad vnum locum, quia vt comparatur ad virtutem & potentiam diuinam, poteſt eſſe in pluribus locis, vt priùs patuit, ideò non ſequitur; vnum corpus poteſt eſſe ſimul, ſimultate corporis in duobus locis; igitur & iſta loca poſſunt eſſe inter ſe ſimul.

Ad quartum.

Anima eſt tota in qualibet parte.

Ad quartum, cùm arguitur quòd ſi corpus diſtaret à ſe; eſſet aliud à ſe. Reſpondeo, quòd non ſequitur, ſicut patet de anima exiſtente in capite, & in pede, & diſtante à ſe per medium, ſcilicet in totum corpus, & tamen eſt eadem; ex illimitatione ſua ad omnes partes, & tota in qualiber. Similiter *eſſe*, quod habet homò modò, & *eſſe*, quod poſtea habebit in fine vitæ ſuæ, diſtant ab inuicem, ſecundùm durationem mediam, nec tamen ſequitur quòd eſt aliud & aliud *eſſe*, ſed omninò idem *eſſe*. Vnde conſequentia non valet, quia diuerſitas in poſteriori non concludit diuerſitatem in priori, vt ſunt duo loca, igitur duæ quantitates.

Ad vltimum: Vtrùm corpus Chriſti ſub hoſtia moueatur mota hoſtia, vel non? & quomodo non, & quomodo ſic, dicetur inferiùs.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm corpori Chriſti naturaliter exiſtenti in ſe, & eidem realiter exiſtenti ſub Sacramento Euchariſtiæ, inſint eædem proprietates, & partes?

Alenſ. 4. *part. quæſt.* 40. *memb.* 3. *art.* 4. & 5. D. Bonauent. *hîc* 2. *part. art.* 1. *quæſt.* 2. Richard. *art.* 1 *quæſt.* 2. D. Thom. *q.* 3. *art.* 2. & 3 *part. quæſt.* 76. *art.* 4. Suarez *ibi diſp.* 52. *ſect.* 2. & 4. & *diſp.* 48. *ſect.* 1. Scotus *in Oxon. hic quæſt.* 4.

1. Argumẽtum primum negatiuum.

ARGVITVR quòd non. Primò de proprietatibus, quia nihil exiſtens hîc poteſt eſſe alibi, niſi illud, quod eſt alibi, conuertatur in ipſum; ſed proprietates ſubſtantiæ panis & vini manent poſt conſecrationem panis, & conuerſionis panis in corpus, nec ſi conuertitur in corpus, conuertitur in proprietates eius; ergo non ſunt eædem proprietates corporis Chriſti in cœlo, & in Euchariſtia. Maior probatur, quia nihil poteſt eſſe alicubi, vbi priùs non fuit, niſi per aliquam mutationem factam in aliquo; ſed corpus Chriſti, nec aliqua eius proprietas mutatur, quia eſt vbi fuit in cœlo ſemper vniformiter, & in ſe ſemper eodem modo ſe habet; igitur per mutationem alicuius alterius eſt modò hîc, vbi priùs non fuit, vt quia aliud conuertitur in ipſum.

Secundum.

Item, in hoc Sacramento vno, non eſt niſi ſemel ſanguis Chriſti ibi, ſicut niſi ſemel corpus Chriſti, aliter enim bis poneretur, & eſſet fruſtrà ibi: ſed ſanguis eſt ſub ſpeciebus vini; igitur non ſub ſpeciebus panis: ſanguis autem eſt pars vera corporis; igitur non inſunt ei eædem partes in cœlo, & in Euchariſtia.

Tertium.

Item, nihil incipit eſſe, poſtquam eſt ſimpliciter, igitur à ſimili nihil incipit eſſe ſacramentaliter poſtquàm eſt ſacramentaliter; igitur ſi ſanguis Chriſti eſſet ſub ſpeciebus panis poſt conſecrationem eius, non inciperet poſtea ſacramentaliter eſſe ſub ſpeciebus vini poſt conſecrationem; ergo non priùs fuit ſub ſpeciebus panis.

Quartum.

Item, arguitur hîc ſpecialiter de quantitate corporis Chriſti ſic: Quantitas eſt proprietas corporis Chriſti; ſed non eſt realiter in corpore Chriſti ſub ſpeciebus panis, quia quantitas non eſt alicubi, niſi localiter, & in continente aliquo; ex natura iſtorum extremorum oritur relatio circumſcriptionis paſſiuæ, quæ eſt *vbi*, & per conſequens non poſſet quantitas corporis Chriſti eſſe in Euchariſtia poſito continente, quod natum eſt continere *vbi*, niſi haberet ibi circumſcriptionem, & eſſet ibi localiter, quod eſt incõueniens; igitur.

Quintum.

Item quintò ſic: nunquam eſt ponenda multitudo ſine neceſſitate in operibus miraculoſis, ſicut nec in operibus naturæ, & per conſequens in Euchariſtia, non ſunt plura ponenda, quàm per ſe ſufficiant ad veritatem huius Sacramenti; ſed Euchariſtia verè eſſet Sacramentum, & quantùm ad ſignum, & quantùm ad ſignatum, licèt non ſit ibi anima, nec ſanguis, vt partes, nec aliqua proprietas, quia ſpecies panis eſt ſignum huius Sacramenti, & ſubſtantia corporis Chriſti, verè ſignatum primum, quia in iſta ſola fit conuerſio; ſed ſubſtantia corporis Chriſti poteſt eſſe ſine anima, & ſanguine & quantitate, quia prius poteſt eſſe ſine poſteriori: igitur videntur illa alia fruſtrà poni ſub ſpeciebus panis.

Ratio ad opp.

Contrà, Innocentius de officio Miſſæ part. 3. c. 2. & ponitur in litera Diſt. 11. ſcilicet, *tale corpus, dedit Chriſtus quale habuit*, &c.

SCHOLIVM I.

Primum dictum; corpus Chriſti eſſe in cœlo, *ex Trid. ſeſſ.* 13. *cap.* 1. & *Auguſt. de conſecrat. d.* 2. *c.* 1. hæreſis, *idque modo naturali. Secundum*; eſſe ſub ſpeciebus ſacramentaliter. *Tertium*; corpus, vt eſt terminus conſecrationis panis, non includit animam, nec accidentia, licèt hæc comitentur. *De anima patet, quia ſi fieret conſecratio in triduo mortis, eodem modo poneretur corpus ſub ſpeciebus ſicut nunc, & tamen non eſſet ſine anima, ſub ipſis. Videtur hoc dicere Trid. ſeſſ.* 13. *c.* 3. *dum ait animam ex vi verborum non poni ſub ſpeciebus. Quartum*, corpus includere ſanguinem, vel non, incertum eſt; & *idem eſt de reliquis humoribus, an includantur in corpore, vt eſt terminus conſecrationis, nécne.*

2. *Duo certa ſupponenda.*

REſpondeo, hîc primò videndum eſt de ſuppoſitis in quæſt. 2. Illis ſuppoſitis declaratis reſpondendum eſt ad quæſtionem. De primo dico, quòd ſupponitur in quæſtione corpus Chriſti exiſtere in cœlo naturaliter, & modo naturali: ſupponitur etiam quòd ſit ſub ſpeciebus panis ſacramentaliter, & quæritur deinde ſi eædem proprietates, & partes conueniant ei vt exiſtit hîc, & ibi? Iſta ſuppoſita ſunt vera. Primum exiſtit in cœlo, quia tenemus ex fide quòd Chriſtus veraciter in corpore reſurrexit, & aſcendit in cœlum totaliter, & quòd ibi ſit corporaliter: *Donec finiatur ſaculum, ſurſum eſt Dominus*, dicit Auguſt.

Vide de conſecr. d. 2. c. 1. Prima hæreſ. Aug. tract. 50. in Ioan.

Et ſecundum eſt verum, quia iſtæ ſpecies facta conſecratione ſunt vnum ſignum corporis Chriſti veri, tanquam primò contenti, licèt ex conſequenti, & concomitanter poſſit alia, quæ conſequuntur primum ſignatum, conſequenter ſignare: ſicut eſt de ſigno naturali, vt rubore, qui vt primum ſignatum denotat, & ſignificat verecundiam ineſſe, ex conſequenti verò apparens turpe. Sic eſt in propoſito, quia Euchariſtia primò ex inſtitutione ſignificat corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus contineri realiter, quia placuit Deo in ſpeciebus poſt conſecrationem, vt quodam ſigno vero, & efficaci corpus Chriſti realiter contineri, & hoc congruum erat, quia, vt dictum eſt, ex quo voluit corpus ſuum eſſe nutritionem, & cibum animæ ſpiritualem, congruum fuit inſtituere aliquod ſignum illud repræſentans, cui conueniret nutritio, & cibatio corporalis, cuiuſmodi eſt ſpecies panis. De ratione autem cibi, vt diſtinguitur contra potum, eſt, quòd habeat partes ſolidas, & ideò voluit ſpecies panis eſſe ſignum proprium cibi ſpiritualis, & carnis ſuæ, vt diſtinguitur contra ſanguinem, licèt ex conſequenti ſignificet ſanguinem, quia nec corpus, nec caro ſua eſt ſine ſanguine. Eodem modo voluit vinum eſſe primum ſignum partium non ſolidarum, vt ſanguinis, licèt concomitanter ſignificet partes ſolidas; vnde ſiue fiat conuerſio ſpecierum panis in corpus, & ſpecierum vini in ſanguinem, ſiue non; ſemper iſtæ ſpecies ex inſtitutione diuina ſignificant corpus Chriſti, & ſanguinem ſub illis realiter contineri, non ex vi conuerſionis, ſed ex vi Sacramenti, & inſtitutione diuina ſemper ſuum ſignificatum ſimul cum eis, & ita corpus eſt primum ſignatum huius ſigni.

3. *Corpus non includit animam, vt terminus conſecrationis panis.*

Sed quid includit corpus Chriſti, vt primum ſignatum huius ſigni? Reſpondeo quòd non animam, quia ſi fuiſſet conſecratio corporis Chriſti facta in triduo fuiſſet tantùm corpus ſignatum huius ſigni, & non anima; quia tunc corpus Chriſti ſub ſpeciebus non habuiſſet animam, quia fuit mortuum, & ſimul non potuit eſſe animatum, & non inanimatum: certum eſt etiam quòd accidentia non pertinebant ad rationem primi ſignati, quia quod continetur ibi, vt primum ſignatum, eſt nutrimentum ſpirituale, reficiens animam, ſicut ſignum eius eſt ſpecis panis corporaliter nutrientis, & ideò licèt accidentia concomitantur primum ſignatum, vt corpus Chriſti reale, non tamen ſunt ipſum primum ſignatum, ſed ſubſtantia corporis Chriſti, quod eſt primum contentum, tanquam primum nutrimentum.

Accidentia non pertinent ad primum terminū huius conuerſionis.

4. *An ſanguis ſit de primo ſignato conſecrationis corporis.*

De ſanguine verò eſt dubium, de quo facta ſunt argumenta ad quæſtionem, an ſcilicet includatur ſub corpore, vel in corpore, vt eſt ſignatum primum huius ſigni, an verò corpus ex partibus ſolidis, diſtinguendo eas à partibus fluidis, & vt cibus ſit primum contentum huius Sacramenti, an omnia illa comprehendat?

Corpus Chriſti, vt eſt primum ſignatum, includit neceſſariò ſolas partes ſolidas.

Reſpondeo quòd corpus Chriſti, vt eſt primum ſignatum huius Sacramenti, non neceſſariò includit niſi partes ſolidas, & ita dico primò, quia poſſibile eſt non includere partes fluidas, vel humores. Secundò, quia hoc congruit. Tertiò, quia ita ſit.

Primum, quòd hoc ſit poſſibile, probo, quia quæcunque poſſunt habere diuerſa ſigna naturalia, poſſunt habere diuerſa ſigna ad placitum multò magis, quia minor diſtinctio ſufficit ad diuerſa ſigna ad placitum, quàm ad diuerſa ſigna naturalia, quia iſta conſequuntur rem, ſed corpus vt includit tantùm partes ſolidas, & ſanguis, poſſunt habere diuerſa ſigna naturalia, vt diuerſos conceptus in anima, quia conceptus ſunt ſigna rerum 1. *Perihermenias, cap.* 1. igitur poſſunt habere diſtincta ſigna ad placitum; ſed cuilibet ſigno proprio correſpondet proprium ſignatum; igitur poſſibile eſt primum ſignatum ſpeciei panis non includere ſanguinem, & nec è conuerſo.

Ariſtot.

Item, ſecundò dico quòd iſtud congruit, quia ſicut in cibatione, vel nutritione corporali ſunt diſtincta cibus & potus, quorum ſpecies ſunt huiuſmodi ſigna, ita correſpondent eis in refectione ſpirituali duo huiuſmodi ſigna. Primò corpus. Secundò ſanguis, quæ ſunt nutrimenta, & refectio animæ ſpiritualis.

5. *An in triduo mortis ſanguis Chriſti fuerit ſeparatus à corpore eius.*

Tertium probo, quòd ita fortè eſt, quia ſicut in morte Chriſti fuit anima ſeparata à corpore, ita veriſimile eſt tunc temporis totum ſanguinem à corpore eius eſſe effuſum, vel parum, vel nihil inde remanſiſſe de ſanguine, & ſicut tunc ſi fuiſſet in triduo verum Sacramentum Euchariſtiæ, anima non pertinuiſſet ad primum ſignatum, vel ad rationem primi ſignati corporis, quia corpus tunc non fuit viuum, ſed mortuum; ita nec ſanguis, quia tunc nihil habuiſſet de ſanguine in corpore Chriſti, & tamen potuit fuiſſe tunc vera conſecratio corporis, & verum Sacramentum Euchariſtiæ. Et ſecundùm hoc haberet dicendum ſicut priùs, quòd *corpus* poteſt capi dupliciter.

Corpus dupliciter accipi poteſt.

Vno modo, vt eſt aggegatum ex partibus ſolidis & fluidis, vt carnibus, & ſanguine, & ſic eſt primum ſignatum totius Sacramenti Euchariſtiæ vnitate integritatis, & non indiuiſibilitatis; quia ſic ei correſpondet vnum ſignum, ſcilicet ſpecies panis & vini. Alio modo poteſt ſumi *corpus* tantùm pro partibus ſolidis, diſtinguendo eas à partibus fluidis, & ſic ſunt duo ſignata ſpecialia, contenta ſub proprio ſignato, ſicut ſunt huius duo ſigna, vt ſpecies panis ſit vnum ſignum proprij ſignati, vt carnis corporis Chriſti tantùm; & ſpecies vini ſit proprium ſignum proprij ſignati, vt ſanguinis, & ita corpus non continet ſanguinem, niſi concomitanter ſolùm, vt eſt primum ſignatum, & proprium ſpecierum panis, ſicut priùs dictum eſt, quia ſanguis eſt primum contentum ſub ſpeciebus vini.

Vt corpus Chriſti eſt primū ſignatum includit ſanguinem concomitanter.

SCHOLIVM II.

Præmiſſa diſtinctione duplicis neceſſitatis, primum ait poſſe corpus Chriſti habere partes & proprietates, ſub modo naturali, & non ſub modo ſacramentali, quia hic modus poſt iudicium non perſeuerabit. Secundo è conuerſo dicit poſſe habere partes, & proprietates ſub modo ſacramentali, & non ſub naturali; quia iſte non dependet

dependet neceſſariò, & ſimpliciter ab illo : quod latè probat contra D.Thom. hinc inferens duo corollaria. Primum: Euchariſtiam potuiſſe inſtitui ante incarnationem, *hoc eſt, ante formationem ex Virginis vtero, ſi natura humana aliàs vniretur perſonæ diuinæ. Secundum,* corpus Chriſti poſſe manere ſub ſpeciebus, licèt modus exiſtentiæ naturalis definiret. *Ita omnes Scotiſtæ.*

QVantùm ad ſecundum articulum, eſt ſciendum, quòd non quæritur de exiſtentia extremorum, an ſcilicet corpus habeat neceſſariò *eſſe* modo naturali; vel ſacramentali: nec etiam de abſoluta inhærentia proprietatum corporis Chriſti ad corpus Chriſti, vt exiſtit in cœlo, & in altari, modo ſcilicet naturali, & ſacramentali, vt vtrùm ſub quolibet iſtorum modorum eſſendi conueniunt ſibi proprietates, paſſiones, & partes eædem; ſed quæritur an poſitis extremis cum ſuis proprietatibus, vt corpore Chriſti in cœlo modo naturali, & corpore Chriſti in Euchariſtia modo ſacramentali, vtrùm neceſſariò proprietates, & partes, quæ inſunt corpori exiſtenti ſub vno modo, inſunt corpori exiſtenti ſub alio modo.

Deciſio quæſtionis. Neceſſitas duplex.

Et reſpondeo, diſtinguendo de *neceſſitate*, quia *neceſſitas*, poteſt intelligi dupliciter: vno modo ſimpliciter, & abſolutè. Vt abſolutè & ſimpliciter ſit neceſſitas, quòd proprietates, quæ inſunt corpori exiſtenti ſub vno modo, & eædem neceſſariò, ſimpliciter, & abſolutè inſint eidem exiſtenti alio modo. Alio modo poteſt intelligi neceſſitas ſecundùm *quid*, vel concomitanter aliquorum, non quòd fiat quæſtio de neceſſitate conſequentis, ſcilicet ſacramentali exiſtentia corporis Chriſti in altari, quia neceſſitas extremorum ſupponitur; ſed quæritur poſita exiſtentia ſubiecti, conſequenter de proprietatibus ipſum conſequentibus, & concomitantibus, an proprietates concomitantes corpus Chriſti in cœlo, concomitentur ipſum in altari neceſſariò.

7. *An abſolutè neceſſe ſit omnes proprietates, quæ inſunt corpori Chriſti in cælo, eidem ineſſe alteri. Poſt extremum iudicium non erit Euchariſtia.*

Si fiat quæſtio de neceſſitate abſoluta, dico quòd non ſic eſt neceſſarium abſolutè omnem proprietatem, nec etiam aliquam, quæ ineſt ſibi, vt exiſtit modo naturali in cœlo, conuenire ei, vt exiſtit in ſacramento modo non naturali; quia non eſt neceſsè corpus Chriſti eſſe modo non naturali, vt modo ſacramentali, quia poſt iudicium extremum in fine mundi non exiſtet corpus Chriſti ſacramentaliter ſub ſpeciebus, nec habebit eſſe tunc tale, & per conſequens tunc non inhærebunt ſibi paſſiones, nec proprietates corporis Chriſti proprij, ſicut modo non naturali, vel ſacramentali exiſtentis, quia habebit *eſſe* ſolùm modo naturali.

An ſit neceſſe abſolutè omnes proprietates corporis Chriſti vt in altari, ei ineſſe vt in cælo. Sententia D.Thom. Reiicitur. Modus ſacramentalis non dependet ſimpliciter ab exiſtentia naturali Chriſti.

Sed eſt nè neceſſe abſolutè modo è conuerſo, quòd omnes proprietates, vel aliquæ, quæ inſunt corpori Chriſti exiſtenti modo non naturali, vel ſacramentali, quòd inſint neceſſariò corpori Chriſti modo naturali exiſtenti? Videtur quòd ſic, quia ſi aliqua paſſio ineſt corpori Chriſti modo non naturali alicubi, ineſt ſibi alibi, vbi exiſtit modo naturali, quia quod nihil eſt in ſe naturaliter, nihil eſt in alio naturaliter: igitur omnes proprietates inexiſtentes ei, vbi eſt modo non naturali, inſunt ei, vbi eſt modo naturali.

Sed iſtud non videtur mihi verum, quòd poſito corpore Chriſti habere *eſſe* modo non naturali ſub ſacramento, quòd oporteat ipſum habere *eſſe* alibi neceſſariò modo naturali, quia poteſt eſſe alicubi modo non naturali, abſque hoc, quòd ſit modo naturali.

8. *Corollarium primum.*

Et ex hoc ſequitur quoddam corollarium, quòd corpus Chriſti ante incarnationem potuit primò fuiſſe ſub ſpeciebus panis & vini, ſicut modò eſt, modo non naturali, abſque hoc quòd neceſſariò fuiſſet alibi modo naturali: hoc autem, quod prædictum eſt, probatur ſic: Vbicunque res temporalis poteſt habere veram exiſtentiam temporalem, ibi poteſt incipere eſſe ſimpliciter; ſed Chriſtus ante incarnationem, & antequam Abraham fuit, in principio mundi potuit habuiſſe veram exiſtentiam temporalem, & modo non naturali; igitur tunc potuit incepiſſe eſſe ſimpliciter, & habere *eſſe* modo non naturali.

Euchariſtia potuit eſſe ante incarnationem. Probatur primò.

Secundò.

Item ſecundò ſic: quando aliqua exiſtentia realis eſt indifferens ad duos modos eſſendi, ſi poteſt incipere ſub vno modo ſine hoc, quòd incipiat ſub alio modo, poteſt & è conuerſo incipere, ſine hoc, quòd incipiat eſſe ſub iſto modo; ſed exiſtentia corporis eſt indifferens ad modum eſſendi naturaliter, & ſacramentaliter; igitur ſicut incepit ſub modo eſſendi naturali, antequam eſſet ſub modo ſacramentali, vel non naturali, vt in incarnatione, & in tempore incarnationis; ita potuit tunc incepiſſe ſub modo eſſendi non naturali, vt ſacramentali.

Euaſio.

Dices quòd maior eſt vera, quia illi duo modi eſſendi æqualiter ſe habent ad illam exiſtentiam realem; tunc enim ſicut poteſt eſſe ſub vno modo ſine alio, ita è conuerſo; & ita non eſt minor vera, quia modus eſſendi non naturaliter præſupponit modum eſſendi naturaliter, & per conſequens ab ipſo dependet.

9. *Impugnatur.*

Contra hæc arguo, & poteſt eſſe triplex ratio principalis. Exiſtentia modo naturali non eſt de eſſentia exiſtentiæ modo non naturali, nec cauſæ eius: igitur exiſtentia modo non naturali non dependet ab exiſtentia modo naturali. Conſequentia patet, quia nihil dependet ab aliquo, quod non eſt de eſſentia eius, vel cauſa eius. Antecedens probo. De eſſentia huius ſacramenti non eſt niſi res & ſignum. Exiſtentia verò modo naturali non eſt ſignum huius ſacramenti, quia exiſtentia corporis Chriſti modo naturali non eſt ſpecies ſenſibilis panis & vini; nec etiam eſt res huius ſacramenti, vel ſignatum contentum ſub ſacramento, quia exiſtentia ſub modo naturali non eſt res contenta ſub ſacramento iſto: quia exiſtentia vt ſub modo non naturali, vel ſacramentaliter, non eſt exiſtentia ſub modo naturali, licèt hæc exiſtentia realiter ſit illa; igitur nec eſt de eſſentia ſigni, vel ſignati huius ſacramenti, nec etiam ſignati huius ſacramenti vt ſic, modo ſcilicet non naturali exiſtat, nec etiam eſt cauſa ſigni, quia ex conditione, & ſimilitudine naturali, habet eſſe tale ſignum ex inſtitutione diuina. Dico igitur ſine aſſertione, quòd corpus Chriſti ſimpliciter potuit incepiſſe fuiſſe modo non naturali, & ſacramentaliter, & habuiſſe tunc proprias paſſiones ſuas modo non naturali, ſicut modò habet in Euchariſtia, & non habuiſſe *eſſe* modo naturali ſub ſpeciebus conuenientibus ſibi modo naturali, ſicut modò conueniunt ſibi. Quod ſi verum eſt, ſequitur quòd ante conceptionem, & formationem corporis Chriſti de puriſſimis ſanguinibus, potuiſſet eſſe Euchariſtia.

Exiſtentia naturalis non eſt de eſſentia exiſtentiæ ſacramentalis.

10. *Secundum Corollarium.*

Sequitur etiam aliud Corollarium, quòd poſt formationem corporis, & eius incarnationem, poſſet Chriſtus manere ſub Sacramento, & modo

Posset corpus Christi desinere esse secundùm modum naturalem, & manere sacramentaliter.

non naturali; licèt desineret esse modo naturali; cuius probatio est, quia quando existentia alicuius est indifferens ad duos modos, quorum vnus non necessariò dependet ab alio, potest manere sub vno, licèt non sub alio, sed desinat esse. Existentia corporis Christi est indifferens ad illos duos modos, & neuter dependet ab alio, vt probatum est; igitur modò post incarnationem potest manere corpus Christi in Eucharistia sacramentaliter, licèt non maneat, vel desinat esse quantùm ad modum essendi naturaliter.

Obiectio.

Sed contra istud est, quod priùs argutum est, mirum enim videretur quomodo posset corpus Christi esse, antequam esset modo essendi naturali, & quomodo posset esset postquàm desineret esse modo naturali, quia quod nihil est in se, nihil est in alio, & ideò si Christus secundùm *esse* suum naturale non sit in se, non videtur quòd possit esse in alio sacramentaliter.

Soluitur. Quomodo corpus Christi inciperet esse simpliciter, & quomodo secundùm quid.

Respondeo, quòd si corpus Christi priùs incepisset modo naturali, vel sacramentaliter, vt si Deus produxisset corpus Christi solùm secundùm illud *esse*, quod modò habet sub speciebus in Sacramento Eucharistiæ, simpliciter incepisset esse, & illud *esse* fuisset suum *incipere* simpliciter, & tunc incepisse fuisse sub Sacramento Eucharistiæ fuisset simpliciter incepisse; & tunc fuisset verum quòd Christus secundùm suum *esse* esset simpliciter in Eucharistia, sicut modò est simpliciter in cœlo, & tunc de nouo incepisse esse modo naturali fuisset suum *incipere esse* secundùm *quid*, quia priùs incepit esse alio modo simpliciter. Vnde si primò incepisset esse modo non naturali, vt in Sacramento, & postea naturali modo vt per incarnationem, non incepisset bis esse simpliciter; sicut modò incipit esse præsens alibi in Eucharistia, vbi priùs non fuit; & incipere esse secundùm istum modum, vt non naturaliter post modum essendi naturalem, est incipere esse secundùm *quid*, nam per incarnationem priùs incepit esse sub modo essendi naturali, ita si ante incarnationem incepisset esse sub modo essendi non naturali, sicut est modò in Eucharistia, incepisset simpliciter; & post habens *esse* modo naturali, incepisset tantùm esse secundùm *quid*.

Replica.

Sed dices quòd ex hoc sequeretur non fore tunc veram incarnationem Christi, nec veram eius generationem de virgine, ex quo priùs habuit *esse* simpliciter per inceptionem simpliciter alio modo dictam.

12. *Soluitur.*

Respondeo quòd licèt isto casu posito, priùs incepisset esse simpliciter modo non naturali, quàm naturali, verissimè tamen fuisset post incarnationem, & genitus de sanguinibus virginis gloriosæ, & alitus, & nutritus & augmentatus, & sic incepisset de nouo esse modo naturali: nec hæc inceptio fuisset inceptio eius simpliciter, vt modò eius; quia priùs incepisset esse simpliciter alio modo, vt modo non naturali, & ita hæc inceptio eius secundùm modum essendi naturalem fuisset inceptio eius secundùm *quid*; & ita patet quòd potuit fuisse simpliciter modo non naturali, antequam fuisset incarnatus, & nec postea incepisset esse per incarnationem simpliciter, sed secundùm *quid* tantùm, quia præintelligeretur esse simpliciter alio modo.

Quomodo corpus Christi moueret sacramentaliter si desineret naturaliter.

Sed quomodo posset modò desinere esse secundùm modum eius naturalem, & tamen esse modo non naturali in Eucharistia; videtur enim quòd tunc esset postquàm desineret esse secundùm modū, & *esse* eius naturale, & maneret in Eucharistia.

13. *Soluitur.*

Dico quòd sicut corpus Christi existens modo non naturali in Eucharistia potest desinere esse, manente secundùm suum *esse* naturale, & modo naturali, vt in cœlo, quia neuter modus essendi dependet ab alio; & desinit esse secundùm *quid*, & manet secundùm *esse* simpliciter: ita è contra posset Christus desinere esse sub modo essendi naturali, vt si incineraretur totaliter excepta substantia eius, & tamen maneret sub modo essendi non naturali in Eucharistia, & tunc desineret esse secundùm *quid*, & maneret secundùm suum *esse* simpliciter, nam ita verum, & simpliciter *esse* habet in Eucharistia, sicut in cœlo.

Ad' obiectionem in forma. Esse rei simpliciter non dependet à modo naturali.

Ad rationem igitur illam, cùm dicitur, quod nihil est in se, nihil est in alio, concedo, quia si Christus nullum *esse* verum, & simpliciter haberet in se, nullùm haberet *esse* in Eucharistia. Sed dico quòd Christus si non est secundùm modum essendi eius naturalem nihil est in se, falsum est; quia illa hypothesi posita ita vera, fuisset tunc corpus Christi in Eucharistia, sicut modò est in cœlo, & ita simpliciter & realiter; nam realis existentia corporis est indifferens ad istum & ad illum, & ita potuisset simpliciter esse sub vno modo, & sub alio. Christus enim habet suum *esse* naturale in Eucharistia, sicut in cœlo, licèt non modo essendi naturali. Sic igitur patet quomodo non est necesse necessitate simpliciter necessaria proprietate inexistenti corpori Christi in cœlo naturaliter, inesse necessariò idem existenti in Eucharistia modo non naturali, nec è conuerso.

Esse naturale & esse modo naturali differunt.

SCHOLIVM III.

Supposita duplici necessitate, & existentia corporis Christi in cælo & in Eucharistia, resoluit Doctor, partes, proprietates, omniaque absoluta, quæ conueniunt corpori in vno loco, ipsi conuenire & in alio. Primò, quia absoluta priùs insunt, quàm vbi, *& ita sicut non variantur per* vbi, *ita non desinunt esse per respectum de nouo aduenientem. Secundò, alioquin contradictoria dicerentur de eodem secundùm idem. Vide Doctorem in Oxon. num.* 10.

14. *Sed quid de necessitate secundùm quid.*

SEd quid est dicendum de necessitate conditionata, supposita existentia subiecti, an scilicet consequenter est necesse quòd proprietates, quæ insunt corpori Christi in cœlo, insint eidem in Eucharistia. Respondeo quòd sic, quod probo. Nam quæcunque sunt priora ipso respectu vbicali, in omni respectu consimili, ad respectum *vbi* non variantur propter variationem *vbi*, vel alicuius respectus similis respectui vbicali, quia non variatur prius ad variationem posterioris. Nunc autem proprietates, & partes corporis Christi, siue in cœlo, siue in Eucharistia, sunt priores ipsis *vbi*, & omnibus respectibus consimilibus: igitur non variantur huiusmodi partes, & proprietates corporis Christi propter variationem ipsius *vbi*, vel alicuius respectus consimilis. Sed per hoc, quòd corpus Christi nunc est sub speciebus, & priùs non fuit, non est variatio nisi secundùm *vbi*, vel aliquem alium respectum consimilem, quia tantummodo est præsens quantitati, & speciebus panis, quibus priùs non fuit sic præsens, quando tantùm erat in cœlo; & ita præsentia solùm dicit respectum vbicalem, vel alicuius consimilis, & variatio secundùm istam præsentiam est variatio secundùm *vbi*, vel respectum similem respectui

Resolutio Doctoris affirmatiua probatur primò.

reſpectui vbicali; corpus enim Chriſti licèt non ſit localiter ſub ſpeciebus panis, eſt tamen ibi ſuo modo ſimili præſentiæ locali, ſicut Angelus ſuo modo eſt in loco. Præſentia tamen corporis Chriſti eſt multò ſimplicior ſub ſpeciebus panis, quàm præſentia Angeli in loco. Non igitur proprietates, & partes corporis, quas habet in cœlo, variantur propter *vbi* variatum in Euchariſtia.

Suo modo Angelus eſt in loco.

Abſoluta non deſinunt eſſe in toto propter nouum vbi, vel reſpectum.

Reſpondendum eſt itaque ad quæſtionem, quòd corpus Chriſti exiſtens in Euchariſtia habet eaſdem partes, & proprietates, quas habet in cœlo; licèt alio modo eſſendi, & de hoc ſic arguitur ſub alia forma: nullum abſolutum ſimpliciter deſinit eſſe in toto propter nouum reſpectum, & maximè, ſi ille reſpectus ſit extrinſecùs aduenies, igitur quantitas, vel partes aliquæ abſolutæ ſimpliciter in toto deſinunt eſſe propter nouum reſpectum, & maximè ſi iſte reſpectus ſit extrinſecùs aduenies; ſed corpus Chriſti in cœlo propter hoc, quòd de nouo eſt in Euchariſtia, vbi priùs non fuit, nihil acquirit niſi nouum reſpectum; igitur quodlibet abſolutum, quod ſibi conuenit in cœlo, conuenit eidem, vt eſt in Euchariſtia.

15. *Probatur ſecundò. Contradictoria ſunt ſimul natura.*

Item hoc ſecundò probo ſic: contradictoria intelliguntur ſibi contradicere pro eodem inſtanti, non tantùm temporis, ſed naturæ; ita quòd in quocunque inſtanti temporis, vel naturæ, vnum ineſt, reliquum non inerit, & è conuerſo; ſed hæc affirmatio habere proprietates & partes, præcedit ſaltem natura reſpectum ipſius corporis, cuius ſunt iſtæ paſſiones & partes, ad eſſe *vbi*, vel eſſe in loco, & omnem etiam reſpectum conſimilè reſpectui vbicali; ergo ſimiliter negatio contradicens, ſcilicet non habere huiuſmodi proprietates, & partes, intelligitur præcedere *vbi*, & omnem talem reſpectum in cœlo; ergo ſi haberet partes, & proprietates in cœlo, & non habet eas in Euchariſtia, vtrumque præcedit ipſum *vbi*; igitur propter huiuſmodi reſpectus ſequentes non tollitur quin hæc contradicant, habere partes, & proprietates; & non habere eas. Si igitur corpus Chriſti habeat huiuſmodi partes, & proprietates in cœlo, & non habeat eas in Euchariſtia, non obſtante alio, & alio *vbi* eius in cœlo, & in Euchariſtia, verè, & ſimul verificabuntur contradictoria de eodem, vt de corpore Chriſti, niſi in Euchariſtia haberet eaſdem proprietates & partes, quas in cœlo, quia ibi eſt verè, & realiter, quod eſt impoſſibile.

16. *Obiectio.*

Dices quòd ita poteſt concludi contra me, quòd contradictoria ſimul dicerentur de eodem, & verè, ſi ſimul moueretur, & non moueretur, quod priùs conceſſi, vt videtur, quia dixi corpus Chriſti vt in cœlo quieſcere, & in Euchariſtia localiter moueri, & ſi quieſcit, non mouetur; igitur ſimul mouetur, & non mouetur, quod videtur impoſſibile. Vt poſſit ſolui, ſi ratio iſta valeat; reſpondeo quòd moueri ſecundùm locum ex Philoſopho, 8. *Phyſic. text. comm.* 2. eſt aliter ſe habere nunc quàm priùs; ſed quia iſta competunt eidem corpori ratione diuerſorum reſpectuum vbicalium in eo, ideò non ſunt contradictoria; quæ inferuntur, quia inſunt reſpectu diuerſorum, & nulla eſt incompoſſibilitas, vel contradictio, vel contrarietas, quòd idem corpus moueatur ſecundùm vnum *vbi*, & quieſcat, vel non moueatur ſecundùm aliud; ſicut nulla eſt contrarietas quòd idem ſit alicui ſimile ſecundùm albedinem, & diſſimile ſecundùm ſcientiam; & ita ſimile & diſſimile reſpectu diuerſorum.

Solutio. Ariſtot.

Non inconuenit idem corpus ſimul moueri & quieſcere reſpectu diuerſorum vbi.

Contraria enim relatiua non deſtruunt ſe, nec repugnant reſpectu diuerſorum; conceditur igitur iſta affirmatiua, quòd ſimul mouetur, & quieſcit, ſecundùm tamen diuerſa. Sed non ſequitur, quieſcit, ergo non mouetur; ſicut nec ſequitur, eſt diſſimilis, ergo nullo modo eſt ſimilis; ſed eſt fallacia Conſequentis ſemper ex altera parte contradictionis inferre negatiuam ſimpliciter; ſed tantùm habet inferri ſecundùm *quid*; nam non ſequitur, quieſcit, ergo non mouetur, de corpore exiſtente in duobus locis, in quorum vno mouetur, & in alio quieſcit; quia in conſequente negatur omnis motus, in antecedente tantùm pro vno *vbi*, ſed non valet, non mouetur in iſto *vbi*, ergo non mouetur in aliquo *vbi*, negatio enim, quæ infertur ex altera parte, eſt negatio ſecundùm *quid* tantùm, & non ſimpliciter, quia quieſcens in vno *vbi*, non mouetur in illo *vbi*; ſed non ſequitur ſimpliciter, igitur nullibi mouetur gratia formæ, quanquam tamen tenet gratia materiæ, vt reſpectu illius, quod tantùm habet vnum *vbi*; gratia tamen formæ ſemper eſt fallacia Conſequentis in tali modo arguendi ab inferiori ad ſuperius.

Non ſequitur eſt diſſimilis, ergo nullo modo ſimilis.

A negatione ſecundùm quid ad negationem ſimpliciter vi formæ non tenet.

Ad rationes. Ad primam, quando arguitur quòd nihil manens hîc poteſt eſſe alibi, niſi per conuerſionem alterius in ipſum, verum eſt, niſi mutetur in ipſum, vel in aliquid aliud quod ipſum concomitatur, anima autem, & quantitas concomitantur corpus Chriſti, in quod fit conuerſio, ideò hæc per ſolam conuerſionem alterius in corpus Chriſti, poſſunt eſſe in altari.

17. *Ad primum principale.*

Sed contrà eſt, hîc non eſt niſi quidam reſpectus præſentialitatis ad aliquid; ſi igitur iſte reſpectus habeatur ex vi conuerſionis; igitur quodlibet habens iſtum reſpectum præſentialitatis, habet illum ex vi conuerſionis: ſi igitur anima habeat iſtum reſpectum præſentialitatis in Euchariſtia, ſicut dices, ſequitur quòd eſſet ibi ex vi conuerſionis, quod omnes negant; igitur non eſt hîc præſens anima manens alibi, niſi præſentialitas corporis poſſet haberi ſine conuerſione alterius in ipſum.

Confirmatur.

Confirmatur ratio, quia idem reſpectus non poteſt eſſe diuerſorum fundamentorum; ſed reſpectus præſentialitatis hîc eſt vnus reſpectus; igitur ſi fundetur in corpore, quia aliquid eſt conuerſum in ipſum, non poteſt fundari in anima, nec in quantitate, in qua nihil eſt conuerſum, & per conſequens anima, & quantitas, & aliæ proprietates corporis, & partes, non ſunt hîc in Euchariſtia; vel ſi ſic, hoc non eſſet niſi per nouam mutationem, vel conuerſionem alterius in ipſa, quod eſt falſum.

18. * Quæſt. 1. huius diſt. num. 12. *Ad hoc vt aliquid ſit hîc de nouo non ſufficit, quòd aliud in ipſum conuertatur.*

Ideò dico ad rationem, quòd iſta propoſitio maior eſt falſa, quia, ſicut patet ex præcedentibus*, non ſequitur ad hoc, quòd aliquid hîc manens ſit alibi, quòd ſit ibi per conuerſionem alterius in ipſum. Nec hoc ſufficit ad hoc quòd aliquid de nouo ſit hîc, quòd aliquid conuertatur in ipſum, imò è conuerſo magis per hoc quòd aliquid conuertatur in ipſum, ſit ipſum conuerſum, vbi priùs non fuit, quàm illud, in quod conuertitur aliquid, ſit vbi priùs non fuit. Ex hoc enim quòd panis conuertitur in corpus Chriſti: exiſtens in cœlo, potiùs acquirit *eſſe* in cœlo, quàm è conuerſo, quòd corpus Chriſti in cœlo ſit hîc in Euchariſtia, quia ſemper ex vi conuerſionis

conuer

conuerſum in aliud magis acquirit *vbi* eius, quàm è conuerſo, ſicut & *eſſe*.

Ad ſecundam. *An ſanguis ſit ſub ſpecie panis ex vi verborum.*

Ad ſecundam, quando arguitur quòd ſufficit ſanguinem eſſe ſemel in iſto Sacramento. Reſpondeo ſecundùm iſtas duas vias ſuperiùs poſitas in primo articulo, quòd ſi ſanguis pertineat ad integritatem corporis, vt eſt primum ſignatum ſpecierum panis, dico quòd tunc eſt ibi ſanguis bis ex vi Sacramenti, ſed non eodem modo, quia ex vi Sacramenti continetur ſub ſpecie panis per ſe, ſed non primò, vt primum ſignatum, ſed vt pars primi ſignati, quia totum corpus & continens ſanguinem vt partem eius, eſt eius primum ſignatum: ſanguis etiam continetur ſub ſpeciebus vini ſicut primum ſignatum, & ideò non continetur ſub ſpeciebus panis, & vini, bis eodem modo, quia duo ſigna omnino diſtincta, non habent idem ſignatum primum inquantùm imponitur ad diuerſa ſignandum primò.

Ad tertium.

Per hoc dicendum eſt ad tertium quòd alio modo incipit eſſe ſacramentaliter ſub ſpeciebus panis & vini, quia incipit eſſe ſub ſpeciebus panis, vt contentum per ſe ſub eis, & non primò ſub ſpeciebus vini, vt primò contentum, & per ſe, & tunc habens *eſſe* ſimpliciter, priùs autem ſecundùm *quid*. Si autem teneatur via alia, quòd corpus ſolùm inquantùm corpus, tantùm includit partes ſolidas, ſicut primum ſignatum ſub ſpeciebus panis, tunc non includitur in eo ſanguis per ſe. Et tunc poteſt faciliter reſponderi ad iſta duo argumenta, quòd non continetur ſub ſpeciebus panis ex vi Sacramenti, ſed tantùm concomitanter, ſicut anima, & quantitas, & ſic tantùm ibi eſt ſanguis ſolùm ex vi Sacramenti, ſub propriis ſpeciebus vini per ſe contentus, & per conſequens per conſecrationem panis & conuerſionem eius in corpus verum incipit ibi eſſe ſanguis ex vi Sacramenti.

19. *Ad quartum.*

Ad quartum dico quòd in Euchariſtia eſt quantitas corporis Chriſti, vt eſt in cœlo. Et cùm dicit quòd quantitas non eſt præſens, niſi alicubi circumſcriptiuè. Dico quòd hoc eſt falſum, tu probas, quia poſitis extremis ſequitur relatio, quæ apta, & nata eſt ineſſe, & ita poſito loco, & quantitate, ſequitur circumſcriptio paſſiua. Reſpondeo quòd verum eſt, ſi talis relatio ſequitur ex natura extremorum, ſicut ſimilitudo ſequitur ex duobus albis, ex natura rei; ſed hæc relatio cùm extrinſecùs ſit aduenies contingenter, non ſequitur ex natura extremorum, quia extrema non determinantur naturaliter ad iſtum reſpectum, poteſt tamen talis reſpectus ineſſe contingenter poſitis extremis, quia poſito loco & corpore continente, & corpore contento ſequitur quædam capacitas ad talem reſpectum, ſed non neceſſitas.

Ad vltimum.

Ad vltimum, dico quòd abſolutè poteſt ſaluari veritas huius Sacramenti, ſcilicet ſi tantùm contineretur ſub ſpeciebus panis ſubſtantia corporis. Vnde in morte Chriſti, quando anima fuit verè ſeparata, potuit fuiſſe facta conſecratio panis, & tamen anima non fuiſſet tunc ſub illis contenta, ſed ſuppoſita naturali exiſtentia corporis Chriſti, oportet quòd vbicunque ſit, quòd ibi ſint eius proprietates, & partes naturales poſt conuerſionem. Quia enim iſtæ partes & proprietates naturales priùs conueniunt ei, quàm aliquod *vbi*, contradictio eſſet quòd corpus Chriſti verum & naturale eſſet in Euchariſtia, & non haberet illas. Nam contradictio eſt quòd habeat eas in cœlo, & non in Sacramento, poſito quòd verè ſit ſub ſpeciebus in Sacramento.

QVÆSTIO V.

Vtrùm quæcunque actio immanens, quæ eſt in Chriſto exiſtente naturaliter in cœlo, inſit ſibi ſacramentaliter in Euchariſtia?

D. Thom. 3. *p. q. 76. art. 3. & q. 91. a. 4.* D. Bonau. *hic 2. p. a. 2. q. 2.* Rich. *art. 3. q. 2.* Palud *q. 4.* Capr. *q. 4.* Marſ. *q. 8.* Suar. *3. tom. d. 53. ſect. 2.* Scot. *in Oxon. hic quæſt. 5.*

1. *Argument. primum negatiuum.*

ARGVITVR quòd non: *Videre* eſt actio immanens 9. *Metaph. text.* 15. ſed Chriſtus aliqua videt in cœlo, quia ibi non eſt cæcus, quæ non videt vt in Euchariſtia; tum, quia ibi non habet organum modo quantitatiuo, & viſio non recipitur niſi in organo potentiæ viſiuæ quanto; in quo etiam recipitur ſpecies. Tum quia exiſtens in Euchariſtia non habet obiectum viſibile ſibi præſens, ſicut habet in cœlo; obiectum autem proportionabiliter præſens requiritur neceſſariò ad viſionem; tum, tertia quia obſtaculum inter potentiam & obiectum impedit viſionem, illud obſtaculum eſt plura interponi inter oculum Chriſti in Euchariſtia, & obiectum viſibile quàm in cœlo; igitur propter iſta tria non videtur habere eandem viſionem in cœlo, & in Euchariſtia.

Secundum.

Secundò arguo ſic: ſi poteſt videre, quæ videt in cœlo, & audire ſimiliter, igitur iſtius obiecti præſentis hîc poteſt videre colorem, & audire ſonum; conſequens eſt falſum, quia tunc organum potentiæ ſuæ viſiuæ, & auditiuæ haberet, ſicut in Euchariſtia, modum naturalem, quo poſſet pati & immutari in obiectis, & ita poſſet pati hîc à calore & frigore, & ab eis corpus ſuum corrumpi, quod omninò eſt falſum.

2. *Argument. primum affirmatiuum.*

Contrà. Idem non eſt ſimul videns, & non videns; igitur Chriſtus videns in cœlo videbit in Euchariſtia.

Dices, quod ſimpliciter videt in cœlo, & ſecundùm *quid* videt in Euchariſtia, quia ſecundùm *quid* exiſtit ibi ſub modo, cui non competit viſio.

Videre, eſt perfectio intrinſeca videntis.

Contrà arguo ſic: contradictoria non tantùm contradicunt ſibi pro eodem inſtanti temporis, ſed naturæ; igitur ſicut affirmatio præcedit aliquid, ita negatio eius vt intelligitur ſibi contradicere, præcedit illud, quia contradictoria ſunt ſimul tempore, & natura inquantùm talia. Viſio autem priùs competit Chriſto, quàm talis præſentia in ſpeciebus. Nam quicquid intrinſecè competit alicui, prius ineſt ſibi, quàm quodlibet extrinſecè ſibi aduenies. *Videre* enim eſt perfectio intrinſeca videntis, & abſoluta; eſſe autem hîc præſens, vel ibi, eſt reſpectus extrinſecùs aduenies. Similiter negatio viſionis in non habente eam, præcedit quamcunque præſentiam in quocunque *vbi*, igitur nulla præſentia variat contradictionem; ſi igitur videt in cœlo, & non videt in Euchariſtia, contradictoria conueniunt eidem ſimul, quod eſt impoſſibile. Similiter ſi videt ſimpliciter in cœlo, & ſecundùm *quid* in Euchariſtia, idem quod priùs.

Secundum.

Item; ſenſus Chriſti ſunt ſuo modo beati in cœlo,

cœlo, & in operationibus, ſicut potentiæ ſeparatæ, vt intellectiua, & volitiua in ſuis operationibus; ſi igitur ſenſus Chriſti non haberent ſuas proprias operationes in Euchariſtia, vt videre, & audire, tunc quando inciperet eſſe in Euchariſtia, inciperet fieri de beato non beatus quantùm ad iſtos ſenſus; ſed hoc videtur inconueniens, quia Deus, vel Chriſtus non inſtituit hoc Sacramentum, vt per illud faceret aliquam potentiam eius non beatam. Et vltrà ſequitur quòd cùm contra inclinationem naturalem appetitus ſui ſit non videre ſenſibile conueniens; ſequitur quòd cauſabit triſtitiam in ſuo appetitu ſenſitiuo; quia impediens delectationem cauſat triſtitiam, ſicut vniuerſaliter diſpoſitio ad vnum contrariorum eſt impedimentum alterius; ſed cùm hoc ſit falſum, ſequitur quòd ſicut in Chriſto eſt maxima delectatio in videndo viſibilia conuenientia in cœlo, vt matrem ſuam, & talia pulchra quòd ita habeat eundem actum videndi in Euchariſtia.

Diſpoſitio vnius contrarij eſt impedimentum alterius.

SCHOLIVM.

Omnes actiones immanentes, tam intellectiuas, quàm ſenſitiuas, internas, & externas, qua inſunt Chriſto in cœlo, eidem ineſſe in Euchariſtia. Ratio præcipua ſæpè dicta: quia abſoluta præcedunt vbi, *& non deſinunt eſſe, neque variantur per illud: circa quod habet optimam doctrinam; ſed immanentes ſenſitiua inſunt Chriſto primò, vt in cœlo, & concomitanter tantùm vt in Euchariſtia: intellectiuæ verò æquè primò hîc & ibi. Explicat clarè vtriuſque dicti rationem.*

3. *Actio immanens eſt duplex. Chriſtus habet omnem actionem immanentem in Euchariſtia quam habet in cœlo.*

REſpondeo ad quæſtionem, quòd actus immanentes ſunt in duplici genere, ſicut dicit Philoſophus *in 4. Metaph. text. 24.* Quædam enim ſunt partis intellectiuæ, & quædam partis ſenſitiuæ. Dico igitur in generali, ſicut quæſtio quærit in generali, quòd omnem actum immanentem, quem habet Chriſtus in cœlo, vbi exiſtit modo naturali, in Euchariſtia habet, vbi exiſtit modo non naturali, vel ſacramentali, licèt verè ſit vbique. Cuius probatio eſt iſta in generali. Nulla forma deſinit eſſe in ſubiecto propter nouum reſpectum aduenientem contingenter, quia eſt prior omni tali reſpectu, & prius non deſinit ad deſitionem poſterioris, niſi habeat neceſſarium ordinem ad ipſum. Sed actiones immanentes omnes ſunt formæ abſolutæ, vt probatum eſt in primo libro *, quia ſunt perfectiones ſimpliciter, & fines potentiæ operantis. Patet de volitione, & viſione, quia viſio eſt perfectio, & finis potentiæ viſiuæ: eſſe autem in Sacramento non addit ſuper *eſſe* Chriſti, niſi nouum reſpectum vbicalem extrinſecum, & contingenter aduenientem; igitur non tollitur à Chriſto aliqua talis actio immanens, propter variationem cuiuſlibet reſpectus talis; igitur ſicut videt, intelligit, &c. in cœlo, ita & in Euchariſtia.

* Diſt. 3. quæſt. 5. *Actio immanens & forma abſoluta.*

Inſtantia. Dices quòd maior eſt vera vniuerſaliter de formis merè abſolutis, quæ non requirunt neceſſariò reſpectum, ad hoc quòd ſint. Iſtæ autem rationes immanentes partis ſenſitiuæ maximè requirunt approximationem potentiæ cum obiecto; quia viſio non eſt in quodcunque diſtans, vel propinquum. Approximatio eſt reſpectus vbicalis; ergo ſine reſpectu non ſunt actiones tales.

4. *Soluitur.* Contrà, non ſolùm formæ iſtæ abſolutæ, ſed etiam qualitates naturales ſimpliciter abſolutæ, quantùm ad *fieri*, requirunt determinatam approximationem agentis ad paſſum, & tamen ſecundùm omnes, quælibet qualitas naturalis abſoluta, quæ fuit in corpore Chriſti mortuo, fuiſſet tamen in corpore eius in Euchariſtia, & in pyxide, ſi Sacramentum Euchariſtiæ tunc fuiſſet. Vnde ſicut corpus ſuum mortuum fuit frigidum in cruce, ita & in pyxide, ſed non fuiſſet ibi approximatio agentis infrigidantis. Requirunt ergo iſtæ qualitates determinatam approximationem & diſtantiam vbi inſunt, & fuerunt primò; ſed non vbi inſunt, & fiunt concomitanter: licèt igitur requiratur approximatio agentis ad paſſum, vbi actio ineſt primò & ad tales qualitates; ſimiliter vbi inſunt primò, non tamen vbi inſunt non primò, ſed concomitanter, nam licèt frigus, vel calor priùs cauſaretur in corpore Chriſti in cruce, quàm in pyxide; concomitanter tamen cauſabantur tunc in corpore eius, vt in pyxide, & vbicunque fuit, non tamen vbique, vel vbicunque cauſabantur per talem approximationem, ſed tantùm vbi cauſabantur primò; & non vbi cauſabantur tantùm per concomitantiam, ſicut eſt in propoſito de actibus immanentibus, quòd vbi primò ſunt, requirunt talem approximationem, non tamen vbi concomitanter inſunt. Nec video maiorem dependentiam in actibus ad aliquos reſpectus, quàm in qualitatibus naturalibus abſolutis. Nec etiam eſt verum abſolutè, quod ſupponitur, quòd ad actionem neceſſariò requiratur approximatio vbicalis, quia aliqua ſummè approximata impedita per obſtaculum, poſſunt immediatè agere, & pati ad inuicem, ſine quacunque approximatione vlteriori. Patet in actione exteriori ignis, & ligni approximatorum impeditorum per obſtaculum aliquod, vt per humiditatem, vel viriditatem ligni.

Naturales qualitates non requirunt certam approximationem vbi inſunt concomitanter.

Abſolutè poteſt agens agere in diſtans.

Replica. Sed dices quòd non ſolùm habent actiones immanentes cauſari præſentia & approximatione obiecti ad potentiam, ſed etiam habent ſpecialem dependentiam ad obiectum, quia obiectum determinat eas.

Solutio. Obiectum requiritur indiſtans non ad terminandum, ſed ad cauſandum. Reſpondeo quòd non requiritur ad dependentiam actionis quòd dependeat ad obiectum inquantùm terminat eam, ſed inquantùm obiectum cauſat eam. Obiectum igitur vt cauſans actionem reſpectu potentiæ, requirit determinatam diſtantiam ad eam, ſed non vt terminans actionem primò, ſed vt cauſans eam primò. Quòd enim obiectum eſſe præſens potentiæ viſiuæ requiritur, hoc non eſt inquantùm terminat viſionem, ſed inquantùm cauſat eam, quia præſentia non requiritur ad terminandum actionem, ſed ad cauſandum eam, vbi primò ineſt actio, ſed non vbi concomitatur, vt priùs dictum eſt.

5. *Operatio intellectiua abſtrahit à loco.* Secundò, hoc ſpecialiter arguitur de actione immanente partis intellectiuæ ſic: illud quod abſtrahit à loco, & conditionibus loci, non impeditur propter aliam, & aliam præſentiam in loco, vel alium, & alium modum eſſendi in loco; ſed actus intellectus, vt intellectio, abſtrahitur à loco proprio, quia quantò res magis abſtrahitur à loco certo, vt hîc & nunc, rantò magis ſunt intelligibiles: igitur propter aliam, & aliam præſentialitatem corporis Chriſti in cœlo, & in Euchariſtia non impeditur eius intellectio, quin eandem quam abſtrahit ab omni loco, quam habet in cœlo, habeat in Euchariſtia.

Tertiò, à parte actus immanentis partis ſenſitiuæ arguo ſic: Viſio, vel cognitio intuitiua intellectus

tellectus requirit determinatam diſtantiam; nimia etiam impedit cognitionem intuitiuam Angeli, vt dictum eſt in ſecundò *, ſed conceditur ab omnibus quòd Chriſtus in Euchariſtia habere poteſt aliquam cognitionem intuitiuam intellectus rei, quam intuetur in cœlo; igitur ſimiliter in Euchariſtia exiſtens poteſt habere viſionem intuitiuam ſenſitiuam cauſatam ab obiecto viſibili in potentiam viſiuam, vt exiſtit in cœlo.

* In Oxon. d. 1. q. 9.

Idem eſſet dolor corporis Chriſti in cruce & in pyxide.

Item, ſi corpus Chriſti in paſſione fuiſſet ſacramentaliter in pyxide, idem dolor fuiſſet eius in pyxide, qui fuit eius dum pendebat in cruce, & per conſequens eadem fuiſſet ſenſatio eius hîc & ibi. Antecedens patet, quia corpus Chriſti ſicut fuit mortuum in cruce, ita fuiſſet in pyxide, ſi ibi fuiſſet ſacramentaliter: ſed mors ſequitur dolorem, qui cauſatur ex vehementia doloris; ſed idem effectus non eſt niſi ab eadem cauſa, niſi per miraculum: igitur ſi idem dolor fuiſſet in appetitu Chriſti exiſtentis in cruce, & in pyxide, eadem fuiſſet ſenſatio eius vtrobique, niſi ponatur miraculum; eſſet enim miraculum, dolorem eſſe in parte appetitiua, ſine ſenſatione, vel apprehenſiua ſenſitiua in ſenſum.

Euaſio.

Dices fortè, quòd dolor infuiſſet corpori Chriſti in pyxide tunc tantùm ex imaginatione, vel apprehenſione interiori; quia obiectum infligens dolorem, non eſt ibi præſens.

Reijcitur. Quid eſt phãtaſia.

Contrà, iſta reſponſio deſtruit ſe, quia interior imaginatio, vel apprehenſio, non eſt ſine exteriori ſenſatione, quia *phantaſia eſt motus factus à ſenſibili in actu.*

Non idem dolor ſequitur imaginationem & ſenſationem.

Item, apprehenſio interior non ſufficit ad dolorem cauſandum, quia non idem dolor ſequitur apprehenſionem interiorem, & exteriorem. Patet, alioquin idem dolor eſſet dormientis, & vigilantis; dolor autem phantaſticus interior, & ſenſatio eius exterior differunt, ſicut dolor dormientis, & vigilantis; igitur hæc apprehenſio, & illa differunt. Sic patet quomodo omnis actio immanens, ſiue intelligendi, ſiue ſentiendi, inexiſtens Chriſto in cœlo, ſibi etiam in Euchariſtia conueniat.

6. *Actiones ſenſitiuæ inſunt Chriſto in Euchariſtia concomitanter.*

Dico tamen ſecundò ſicut prædixi, quòd nullus actus immanens partis ſenſitiuæ, vt viſio, nec auditio, ineſt primò Chriſto, vt eſt ſacramentaliter ſub Euchariſtia, ſed tantùm concomitanter. Ad hoc eſt breuis probatio: Talis ſenſatio non ineſt proprio ſenſui actus, niſi vbi cauſatur primò ab obiecto ſenſato; ſed ad hoc quòd ſenſatio primò inſit & cauſetur ab obiecto, requiritur determinata diſtantia obiecti imprimentis ad potentiam, cui fit impreſſio: requiritur etiam organum, quod patitur ab obiecto, quòd habeat modum eſſendi naturalem, vt ſic poſſit pati ab eo. Primum non eſt hîc neceſſarium in Euchariſtia, nec ſecundum hîc eſt, quia in Euchariſtia non habet corpus Chriſti ſuum modum eſſendi naturalem; igitur nulla ſenſatio ineſt primò corpori Chriſti, vt exiſtit in Euchariſtia ſacramentaliter.

7. *Aliqua cognitio intuitiua poteſt competere Chriſto in Euchariſtia primò, ſed concomitanter vt in cœlo, & è contra.*

Tertio, dico quòd quædam operatio intellectiua, vel intuitiua, poteſt primò ineſſe intellectui Chriſti in Euchariſtia, quæ non primò infuit, nec inerit ei vt exiſtit in cœlo, & è conuerſo; ſed tantùm concomitanter, quia ſicut dictum eſt, quòd anima ſeparata, non impedita per corpus, & Angelus poſſunt habere naturaliter aliquam cognitionem intuitiuam illorum, quibus ſecundùm determinatam diſtantiam ſunt præſentes, quorum nullam huiuſmodi cognitionem haberent, ſi indeterminatè diſtarent; quia talis diſtantia impedit cognitionem intuitiuam animæ ſeparatæ, & Angeli, licèt non cognitionem eorum abſtractiuam, quæ eſt imperfectior; igitur anima Chriſti in Euchariſtia exiſtens poteſt habere cognitionem intuitiuam aliquorum ſibi præſentium, vt ibi eſt, quæ non primò inſunt ſibi in cœlo.

Ad hoc enim quòd intellectus cognoſcat aliquid intuitiuè, non requirit determinatam dimenſionem in organo aliquo, vel in aliquo loco, quia vt ſic, abſtrahit ab omni loco; igitur cùm non ſit in cognitione intuitiua impeditus per aliquod corpus (patet de anima ſeparata, ſicut etiam de Angelo) poteſt aliqua cognitio intuitiua in Euchariſtia ſibi ineſſe, primò reſpectu intuibilium ibidem ſibi præſentium, vt Sacerdotis, & verborum eius, & cogitationem eius, quæ non primò ineſt animæ eius, vt exiſtit in cœlo; ſed tantùm concomitanter; ſicut è conuerſo, cognitio intuitiua, quæ primò ineſt animæ Chriſti, vt exiſtit in cœlo, vt omnium rerum in proprio genere, & cogitationum animarum ſanctarum tantùm concomitanter inſunt ſibi, vt exiſtit in Euchariſtia, quæ tamen realiter conuenit ſibi in vno loco, & in alio licèt non eodem modo.

Corollarium. Chriſto vt in Euchariſtia competunt operationes, plures quàm ſi ibinon eſſet.

Ex hoc ſequitur quoddam corollarium, quòd non priuatur Chriſtus aliqua actione immanente per hoc, quòd eſt in Euchariſtia; non enim priuat ſe aliquo bono eſſentiali ſibi propter neceſſitatem noſtram, imò habet aliquam operationem, quam non haberet, ſi non eſſet ibi. Habet enim vt ibi exiſtens, omnem cognitionem ſenſitiuam, & intellectiuam, quam habet in cœlo, & præter hoc habet ibi cognitionem aliquorum intuitiuam intuibilium ſibi, vt ibi præſentium, quorum huiuſmodi cognitionem non haberet ſi tantùm eſſet in cœlo, quia diſtantia determinata illorum, quæ hîc videt, impediret cognitionem eorum intuitiuam, vt exiſtit in cœlo, quia vt ibi non haberet obiectum in determinata diſtantia, ſicut hîc.

8. *Ad argum. primum principale. Modus quantitatiuus non requiritur vt ſenſatio concomitanter cauſetur.*

Per hoc ad argumenta. Ad primum de organo, dico quòd non requiritur ad organum viſum habere *eſſe* modo quantitatiuo, & naturali, ad hoc vt in eo cauſetur viſio, niſi vbi primò immutatur organum, ab obiecto tali, quia & aliter exiſtens in Euchariſtia, quàm ſub iſto modo quantitatiuo poteſt habere actum viſionis concomitanter, ſed non primò, vt dictum eſt. Ad aliud de obiecto, dicendum quòd propinquitas non requiritur reſpectu actus, quantùm ad rationem terminandi actum, ſed quantùm ad rationem cauſandi illum, vel immutandi potentiam ad illum. Per hoc patet ad rationem de obſtaculo, quod non impedit, niſi quantùm ad modum immutandi primò, ſed non quantùm ad concomitantiam, quin concomitanter ſit in potentia.

Non ſemper requiritur præſentia obiecti ad ſenſationem.

Ad ſecundam. Modus quantitatiuus requiritur ſenſationem primo cauſandam.

Ad ſecundam rationem principalem, dico ſecundùm prædicta, quòd in Euchariſtia poſſit habere viſionem, & auditionem, ſed non primò cauſatam in eo, vt in cœlo, & ſic, non primò cauſatur in eo, vt eſt ſub Sacramento, nec haberet potentia ſenſitiua præſens ſibi obiectum vt in Euchariſtia, & ita non primò conueniret ei vt ibi, nec auditio, nec viſio, ſed tantùm concomitanter; quia ad hoc quòd fiat immutatio potentiæ ab obiecto tali, & quòd potentiæ primò conueniat talis actus, requiritur quòd organum eius habeat *eſſe* modo naturali; ſed nõ requiritur hoc vbi actus ſibi conuenit tantùm concomitanter, non primò.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm corpori Christi vt existit in Eucharistia, possit inesse motus corporalis?

D.Thom.1.*p.q.76.a.6.* Rich.*hic a.4.quæst.2.* Gab.*q.vn. a.3.* Capr.*q.3.* Suar.*3.tom.d.53.sect.1.* Scot.*in Oxon.hic quæst.6. Vide eum 9.Metaph.quæst.14.*

1. *Argument. primum affirmatiuum.*

ARGVITVR quòd sic:quia idem non potest esse simul continuum, & non continuum, quia continuitas præcedit omne *vbi*, corpus Christi in cruce per vulnerationem factum est non continuum, & per consequens diuisum. Similiter si tunc fuisset in pyxide,fuisset diuisum diuisione motus corporalis:ergo.

Secundum. Item, idem corpus non simul potest nutriri, & non nutriri, quia nutritio necessariò est acceptio alicuius formæ absolutæ,quia nutrimentum transit in substantiam rei alendæ,aliter in eodem aliud generaretur in substantia, & non aliud generaretur: sed corpus Christi semper nutriebatur ipso viuente, quia homo semper nutritur secundùm Philosophum, 1. *de Gener. text. comm.*41. igitur si tempore vitæ mortalis fuisset sub Sacramento, sicut fuit continuè, semper fuisset nutritus; sed nutritio est motus corporalis:ergo.

Aristot.

Tertium. Item, *motis nobis mouentur ea quæ in nobis sunt*, ex 2. Topicorum, cap.3. sed species panis & vini verè mouebantur secundùm locum, & secundùm *vbi*;igitur cùm corpus sit sub speciebus, mouebitur saltem per accidens ad motum earum.

Aristot.

Confirmatur. Confirmatur, quia impossibile est aliquid habere aliud,& aliud *vbi*, nisi moueatur aliquo modo;sed cùm hostia consecrata est translata de vno loco ad alium, corpus contentum sub ea habet aliam præsentialitatem ad corpus continens hîc & ibi;igitur mouetur motu hostiæ de loco in locum.

Quartum. Item, subiectum habens omnes dispositiones requisitas ad recipiendam formam absolutam de genere Qualitatis, vt ad frigus, & ad huiusmodi, potest talem formam susciperе;sed corpus Christi in Eucharistia sic disponitur, quia habet quantitatem, & alia accidentia, quæ præexiguntur ad susceptiuum talis formæ;igitur ab agente præsente potest moueri ad talem formam.

Ratio ad oppositum. Aristot.

Contrà, 5.*Physic.text. comm.*8. omne quod mouetur,est in loco;corpus Christi,vt in Eucharistia, non est in loco;igitur.

SCHOLIVM I.

Primum dictum: Corpus in Eucharistia non potest moueri motu strictè sumpto, *id est, ad substantiam, quantitatem, qualitatem, vel* vbi, *per virtutem creatam; quia non se habet ibi vt possibile, neque ad Angelum vt locale; vel quia non habet* vbi, *vel quia ipsi anima Christi tantùm subest quoad lationem, esto non ex natura rei, sed ex speciali priuilegio.*

Secundum: Deus potest illud motu strictè sumpto mouere, *quia quod possent alia agentia cum dimensione, potest Deus se solo.*

2. *Quid est primò inesse alicui, & quid concomitanter.*

RESpondeo motus inesse corpori Christi potest intelligi dupliciter, vel primò, vel concomitanter, vt priùs ostensum est. Primò autem inest corpori Christi in Eucharistia, quod sibi inesset, etiamsi non existeret modo naturali. Illud autem concomitanter sibi inest, quod primò sibi inest, vt alicubi, vbi habet *esse* modo naturali, & concomitanter sibi inest vt hîc,sed non primò,sed tantùm concomitanter, tamen realiter sibi inest vtrobique,ratione suæ identitatis vtrobique.Item, potest motus strictè, & propriè accipi, vt dicitur habere quatuor species.Et sic dicitur quòd quæstio potest intelligi de motu, vel prout sumitur largè,& extensè pro simplici translatione præsentialitatis alicuius alicubi,vbi priùs nó fuit præsẽs.

Motus duplex.

Item,quæstio potest intelligi an à virtute creata Angeli,vel homini, possit corpus Christi moueri in Eucharistia,vel tantùm à virtute diuina.

Resolutio quæstionis. Dico ergo quòd si quæratur vtrùm à virtute creata quacunque possit moueri primò,secundùm motum corporalem, propriè, & strictè loquendo de motu,dico quòd non,quia omnis virtus creata agens circa corpus,requirit determinatam distantiam passi in loco ad ipsum agens, vt patet *ex 3. & 4. Physic. & ex 1. de Generatione:* sed corpus Christi non est in loco secundùm determinatam distantiam, & approximationem ad agens creatum, quia corpus Christi est in Eucharistia, non sicut in loco, quia tantùm dimensiones panis sunt in illo; igitur. Dixi autem de Angelis, sicut de aliis, quia licèt ex parte ipsorum non sit impedimentum quin possent mouere corpus, non tamen sine determinata conditione passi, & quia talem conditionem non habet corpus Christi in Eucharistia,ideò non potest moueri ab Angelo.

Aristot. *Corpus Christi non est in loco in Eucharistia.*

3. *Corpus Christi non potest in Eucharistia moueri ab Angelo.*

Sed potéstne moueri à virtute diuina?Respondeo quòd sic, quia non video repugnantiam inter extrema, nam Deus potest passo imprimere omnem formam, quæ sibi non repugnat, maximè si passum sit susceptiuum talis formæ: corpus Christi, ex quo est verè ibi compositum,& quantum habet rationem susceptiuam formæ accidentalis;igitur à Deo agente, qui non respicit determinatam approximationnem passi in loco ad ipsum agens, potest talis forma accidentalis imprimi,vt ibi est.

Corpus Christi potest moueri motu propriè dicto immediatè virtute diuina. Si autem quæstio quærit de motu extendendo vocabulum *motus* ad quamlibet variationem præsentialitatis corporis Christi respectu alterius corporis;sic dico quòd potest corpus Christi moueri in Eucharistia, quia licèt non habeat ibi aliquod *vbi*, propriè loquendo, quia non circumscribitur, tamen ita est infra ambitum specierum, quòd non est extra illas, & sicut species possunt mutari secundùm suum *vbi*, quia hostia non est semper in eodem *vbi*, ita & corpus Christi mutari potest secundùm præsentialitatem suam, quam habet cum eis, quia non semper habet eandem præsentialitatem,sed continuè variatur ad motum continuum,& variationem hostiæ.

Corpus Christi mouetur motu impropriè dicto ad motum hostiæ. Sciendum tamen quòd corpus Christi non variat suam præsentialitatem per comparationem ad species,quia manentibus speciebus panis, semper corpus est eis præsens,sed variatur sua præsentia per comparationem ad continens species, respectu cuius species variantur secundùm locum. Et addo quòd illud competit sibi primò, quia non ratione eius, vt est in cœlo, quia non oportet quòd semper moueatur in cœlo, quando species hîc mouentur. Et ratio tacta est suprà, quia talis motus tantùm competit sibi ratione *vbi*, & non ratione alicuius absoluti, & ideò potest quiescere in cœlo secũdùm illud *vbi*,& moueri hîc simplici translatione præsentialitatis suæ ad aliud *vbi*, quod est aliud ab illo,quod habet in cœlo.

Corpus Christi quiescere in cœlo quando mouetur.

SCHOLIVM II.

Tertium dictum ; ſacerdos dum eleuat hoſtiam, non mouet corpus Chriſti, etiam impropriè, ſed Chriſtus ipſe comitatur ſua ſponte ſpecies; *ſicut ſi Angelus inſideret lapidi, quem aliquis ferret, non moueretur à portante lapidem.*

Quartum, corpus in Euchariſtia mouetur concomitanter ad omnem formam abſolutam, quam recipit ſub modo naturali. *Vide in Oxon. Scholium hic n.7. & ibi Doctorem, vbi fuſius de his motibus agit.*

Quintum, ſi deſinat forma corporeitatis informare corpus naturaliter exiſtens, non manebit corpus in Euchariſtia : *de quo latè Doctor in Oxon. hîc à num.8.*

5. *Sententia & ratio D. Thomæ.*

SEd videtur quòd motus præſentialitatis alius, & alius conſequens motum hoſtiæ ſit effectiuè à ſacerdote mouente hoſtiam, & non tantùm à Deo, vt agente ; quia à quo eſt motus alicuius per ſe moti, ab eodem eſt motus eius, quod per accidens mouetur, cum ipſo ſcilicet ad motum tantùm per ſe moti; ſed motus hoſtiæ, quæ per ſe mouetur, eſt à ſacerdote, corpus etiam Chriſti mouetur motâ hoſtiâ : igitur videtur quòd motus eius eſt à ſacerdote.

Corpus Chriſti non mouetur à ſacerdote, ſed à ſolo Deo in altari.

Mouens lapidem cui inſideret Angelus non ideò mouet Angelum.

Hîc dico ſine aſſertione, quòd à ſolo Deo mouetur corpus in hoſtia mota. Et ratio eſt, quia illud quod nullam virtutem motiuam habet ad mouendum aliquid per ſe, quando eſt per ſe, non habet virtutem mouendi illud per accidens cum alio, cum quo nihil vnum facit, ſed eſt omnino diſtinctum ab eo ; vt ſi Angelus tantùm ſit præſens voluntariè lapidi, quem poſſum mouere, & nullo alio modo, non ſequitur quòd ſi poſſem mouere lapidem, quòd poſſem mouere Angelum, nec per ſe, nec per accidens. Si enim cum motione lapidis mouetur ſimul Angelus, hoc non eſſet virtute motionis meæ, quia non vnitus lapidi naturaliter inquantùm habeo virtutem mouendi ipſum, ſed ſimul moueretur ſola voluntate, & beneplacito libero, quia ſic tantùm eſt vnitus lapidi, ſuper quem non habeo virtutem motiuam.

Eadem voluntate qua decreuit præſentiam ſui corporis ſub ſpeciebus decreuit ipſum mouere ad motum ipſorum.

In propoſito, corpus Chriſti ex mera voluntate ſua tantùm eſt præſens hoſtiæ, & ſic voluntariè tantùm ei coniungitur; & ideò licèt corpus Chriſti mutetur ad mutationem hoſtiæ, non tamen dependet à voluntate motiua ſacerdotis per ſe mouentis hoſtiam, ſed à ſola voluntate diuina immediatè, ſicut ſi eſſet ſine ſpeciebus, vel hoſtia. Nec propter hoc idem poteſt ab aliquo Angelo moueri corpus Chriſti in Euchariſtia, quia reſpectu nullius agentis eſt paſſum diſpoſitum d recipiendum actionem eius, quia tantùm eſt præſens ei definitiuè. Sic enim eſſet Angelus præſens corpori in Euchariſtia, & nullo alio modo ; igitur tantùm à ſolo Deo mouetur, quia eadem voluntate antiqua, qua ab æterno inſtituit corpus ſuum eſſe præſens hoſtiæ in tempore, eodem modo diſponit quòd ad motum hoſtiæ factum per ſacerdotem, vel aliud agens creatum, corpus ſuum mouere ſecundùm ſuam præſentialitatem eius cum ea, & ab ipſo ſolo, & eadem voluntate ſine nouo miraculo, qua voluit corpus ſuum ſemper eſſe præſens huic hoſtiæ, manente ſpecie eius, voluit ipſum eſſe præſens alteri noua præſentialitate.

Ad rationem D. Thomæ.

Ad rationem in oppoſitum, cùm dicitur quòd illud, quod mouetur per ſe ab aliquo, mouetur per accidens ſecundùm quodlibet in eo, quod conſequitur motum eius. Dico quòd illud argumentum decipit multos. Maior enim ſolùm vera eſt quando ſunt vnita aliqua vnione naturali, vt per grauitatem, vel per aliquod aliud, & ſic in ſic vnitis, vera eſt propoſitio, quòd mouens vnum per ſe, mouet aliud per accidens. Sed propoſitio non eſt vera, ſed ſemper eſt falſa, ſi ſit vnio illorum tantùm per actum voluntatis extrinſecè, contingenter, & non ex natura rei. Exemplum huius eſt, ſi Angelus voluntate ſua faciat ſe præſentem huic ligno, vt loco ſuo, & aliquis traheret lignum, Angelus remaneret in eodem loco non motus, nec per ſe, nec per accidens, niſi voluntate moueret ſe ad motum ligni tracti. Eodem modo eſt in propoſito, quia ſola voluntate diuina contingenter, & non ex natura rei, corpus Chriſti eſt præſens hoſtiæ conſecratæ, & non vnione naturali, & ideò non ſequitur quòd Sacerdos mouens hoſtiam poſſit mouere corpus Chriſti, nec per ſe, nec per accidens, ſed ſolùm mouetur à Deo ſine nouo miraculo, extendendo *motum* ad præſentialitatem nouam, vt dictum eſt; & ita patet quomodo motus poteſt dici ineſſe corpori Chriſti primò, & quomodo non.

Mouens aliquid per ſe mouet per accidens quod eſt in illo, declaratur.

6. *An corpus motum primò in cœlo moueatur in Euchariſtia concomitanter.*

Sed potéſtne corpus primò motum in cœlo concomitanter dici moueri in Euchariſtia ? Reſpondeo quòd ſecundùm omnem motum excepto motu locali, vel motu locutionis, corpus Chriſti per ſe, & primò motum in cœlo mouetur in Euchariſtia concomitanter, ſed non motu locali motum. Cuius probatio eſt, quia quod competit alicui ſecundùm vnam formam, non oportet quòd competat eidem, vel alteri ſecundùm aliam formam ; ſed moueri localiter corpori Chriſti competit ſecundùm vnum *vbi*, quod habet in cœlo; igitur non oportet quòd competat ei ſecundùm aliud *vbi* in Euchariſtia, vbi non habet *vbi*, quod haber in cœlo; igitur motum primò in cœlo non mouetur concomitanter in Euchariſtia.

Concomitanter corpus Chriſti in Euchariſtia mouetur omni motu excepto motu locutionis.

Quòd autem moueatur concomitanter ſecundùm omnem alium motum, probatur primò de motu augmentationis, quia ſi à tempore natiuitatis Chriſti fuiſſet Sacramentum Euchariſtiæ, ſicut corpus ſuum tunc in naturali exiſtentia fuiſſet continuè augmentatum per cibum, vel nutrimentum ; ita fuiſſet augmentatum in Euchariſtia. Similiter ſi fuiſſet Euchariſtia tempore ſuæ paſſionis, ſicut tunc per flagella fuit diminutum, ita in Euchariſtia. Et ratio eſt, quia forma abſoluta non poteſt ſimul ineſſe, & non ineſſe, ſine contradictione ; forma acquiſita per motum augmenti eſt forma abſoluta; & ideò corpus Chriſti exiſtens modo naturali acquirens maiorem quantitatem in vno *vbi*, acquireret eam in omni *vbi* ſuo. Nam ſicut dictum eſt, propter aliud, & aliud *vbi*, impoſſibile eſt ſimul corpus Chriſti augmentari, & non augmentari, quia varietas iſtorum *vbi* poſteriorum, non tollit contradictionem priorum. Eodem modo dicendum eſt de diminutione, nam quantitas corporis Chriſti diminuta *vbi* exiſtit modo naturali, diminuitur vbicunque exiſtit, etiam quocunque alio modo. Similiter eſt dicendum de nutritione, quæ eſt motus aliquo modo ad ſubſtantiam ; quia ſicut quantitas nutritionis tranſiit in quantitatem nutriti, & augmentat ipſum, ita ſubſtantia in ſubſtantiam, 3. *de partibus Animal. cap.5.* quia ſi nutriebatur, vbi eſt modo naturali, vt in cœlo, nutriebatur etiam in Sacramento, vbi non exiſtit illo modo, quia impoſſibile eſt aliquam partem ſubſtantiæ nutritiuæ

Ariſtot.

nutritiuæ conuerti in ſubſtantiam corporis Chriſti exiſtentis alio modo. Nam quæcunque partes conueniunt Chriſto ſub modo eſſendi naturali, conuenient eidem ſub modo eſſendi ſacramentali, vt dictum eſt, aliter non eſſet tota ſubſtantia corporis ſub Euchariſtia, quod eſt falſum.

7. *Dubium de corruptione corporis in pyxide.*

Sed de corruptione corporis Chriſti, quod potuit fuiſſe reſolutum in materiam primam in triduo, exiſtens modo naturali poſt ſeparationem animæ, & ita corruptum, ſi non fuiſſet conſeruatum per miraculum, vel per nouum, vel antiquum, vt propter vnionem eius ad Verbum, eſt dubium ſi fuiſſet tunc concomitanter corruptum in Euchariſtia, & in pyxide, ſi hoc Sacramentum tunc extitiſſet.

Solutio.

Reſpondeo quòd ſi fuiſſet corruptum in cruce, vbi extitit modo naturali, quòd non fuiſſet concomitanter corruptum in Euchariſtia tunc exiſtente.

Primũ ſignatum Euchariſtiæ eſt compoſitum ex materia & forma corporeitatis.

Ad cuius declarationem ſciendum eſt, quòd ſicut anima primò informat totum corpus organicum, & non primò partem aliquam, niſi ratione totius corporis, & ideò ceſſante toto informabili, ceſſat anima informare, non ſolùm totum, ſed etiam partes, ita ad *eſſe* corporis in Sacramento ſacramentaliter, requiritur quòd ibi ſit totum corpus vno duorum modorum, ſumendo *corpus* provt dicit tantùm partes ſolidas, vel provt cum his includit ſpiritus, & humores; & vtroque iſtorum modorum includit primò materiam, & formam corpoream, vt partem: alia autem ſunt ibi tantùm concomitanter, & ideò quando deſinit ibi eſſe totum primum hoc modo, ceſſat ibi corpus Chriſti ſacramentaliter, & quodlibet eius, nam ceſſante primo contento in Sacramento, ceſſat quidquid continetur ſub eo, nam nihil rei huius Sacramenti manet in Sacramento, non manente tota re, quia totius rei eſt Sacramentum ſignum verum, & per conſequens ſeparata, vel corrupta forma corporeitatis in materia, non

In corruptione ſemper remanet materia vbi præfuit corruptum. Nihil corporis remanet in Euchariſtia ſi alibi corrumpitur ſubſtantialiter.

ampliùs remanet ſub Sacramento forma coniuncta cum materia, quia tunc contradictoria eſſent ſimul vera de eodem, ſcilicet quod eadem forma corporeitatis vniretur materiæ, & non vniretur materiæ; igitur ſi corpus corrumpatur, vt exiſtit modo naturali, non eſſet ſub Sacramento, nec ſecundùm totum, nec ſecundùm partem, quod eſt contra rationem Sacramenti primò continentis totum corpus, vt primum contentum, nec tamen ſequitur corruptio illius, vt exiſtit ſub Sacramento, ſicut alibi, quia nihil corrumpitur, niſi vbi remanet materia, nam vbi præfuit corruptum, ibi manet materia eius poſt corruptionem, nihil autem corporis Chriſti, nec materia, nec forma, manet ſub Sacramento, ſi corpus Chriſti corrumpitur alibi, quia nullo modo eſt ſub Sacramento, niſi ſit ibi ſecundùm totum, quia totum eſt primum ſignatum Sacramenti; quare ſi totum non ſit per corruptionem formæ eius alibi, nec ibi manet.

8. *Inſtantia.*

Dices quòd priùs dictum eſt in quæſtione præcedente; quòd deſinente corpore eſſe ſub modo naturali poſſet remanere ſub modo ſacramentali, & modò dicis quòd non, ſolùm deſinente corporeitate, ſed tantùm corrupta, vel ſeparata altera parte, quod nullo modo manet ſub Sacramento, quæ videntur oppoſita & contradictoria. Reſpondeo quòd iſta non contradicunt, quia ſi priùs fuiſſet ſub Sacramento, quàm modo naturali, ſi tunc deſineret eſſe modo naturali eſſendi, non eſſet contradictio, quia tunc ſecundùm exiſtentiam totaliter remaneret, licèt deſineret eſſe ſub modo naturali eſſendi; nec eſſet illa deſitio tunc niſi ſecundùm *quid*; quia tantùm deſineret eſſe tunc corpus Chriſti quantùm ad modum eſſendi naturalem, non autem quantùm ad ſubſtantiam eius, quæ primò & ſimpliciter eſſet ſub Sacramento, ſed è conuerſo ſequeretur. Vnde ſi corrumperetur in Sacramento, corrumperetur vt exiſteret modo naturali; quia ad corruptionem alicuius, vbi ſimpliciter, & primò exiſtit, ſequitur corruptio eiuſdem, vbi ſecundùm *quid* exiſtit, ſicut ex alia parte, vt ſcilicet modò contradictio eſſet, quòd corrumperetur ſub modo eſſendi naturali, ſub quo eſt primò & ſimpliciter; & tamen quòd maneret ſub Sacramento, quia forma, & materia eſſent hîc coniuncta, & ibi non, & deſitio ſub illo modo eſſet deſitio ſimpliciter, cum qua non poſſet manere ſub Sacramento, propter repugnantiam.

nere deſinente modo naturali.

Ad corruptionem alicuius ſimpliciter ſequitur corruptio ipſius ſecundùm quid.

Forma corporeitatis à materia ſeparata ſub modo naturali deſinit corpus in Euchariſtia.

Quomodo igitur deſineret eſſe corpus Chriſti ſub Sacramento, ſi corrumperetur alibi? Dico quòd ſi partes eius corrumperentur in ſepulchro, & ſepararetur vna pars ab alia per corruptionem, vt forma corporeitatis à materia eius, deſineret eſſe corpus Chriſti in Euchariſtia primum contentum, quod eſt totum corpus, vt dictum eſt. Deſinente autem primo contento contineri ſub Sacramento, deſinit ibi eſſe quodlibet eius, & ideò non corrumpitur, vt eſt in Euchariſtia, quia non remanet ibi materia, niſi extendatur corruptio ad annihilationem, nec eſt ſimile hinc & inde, vt argutum eſt.

9. *Ad argum. primum principale.*

Ad rationem primam de continuo, & non continuo, dicunt aliqui quòd vulnerabatur corpus Chriſti, & diuidebatur in cruce, non tamen in pyxide. Dico tamen aliter, quòd ſi loquantur de vulneratione per approximationem vulnerantis ad corpus vulneratum, cui primò infligebatur vulneratio, ſic concedo quòd in pyxide non vulnerabatur, quia vt ibi non approximatur agens vulnerans Chriſto vulnerato, nec vt ibi exiſtens infligerentur ſibi illa vulnera. Si autem loquantur de vulneratione pro diuiſione carnis, ſic dico quòd fuiſſet vulneratum & diuiſum in pyxide, ſicut in cruce; quia quæcunque diuiſio eſt ibi exiſtens in vno loco, & in alio, licèt non primò, quia tantùm diſtabat vna pars diuiſa ab alia in pyxide, ſicut in cruce: non tamen infligebatur primò in vno loco, ſicut in alio, ſed tantùm concomitanter.

Vulneratus in cruce vulneraretur in pyxide concomitanter.

Vulneratio ſequitur vnionem partium in toto.

Sciendum tamen quòd iſta vulneratio, vel diuiſio non fuit in corpore Chriſti per comparationem ad continens, quaſi partes iſtæ eſſent diuiſæ loco, ſed per comparationem ad vnionem partium in toto, quæ fuerint verè diuiſiuæ in pyxide, ſicut in cruce, & tamen diſtabant hîc, ſicut ibi, non tamen reſpectu continentis, quia non habuerunt diſtantiam in comparatione ad continens.

Soluitur.

Et per hoc ſoluitur inſtantia aliquorum de vino clauſo in dolio, non currente extrà, & in alio dolio perforato de currente ad extrà, nam vinum in vno dolio diuideretur ſecundùm partes, inter ſe comparatas, ſicut in alio, & tantùm diſtarent partes vini in vno dolio, ſicut in alio; comparando partes inter ſe, ſed tamen in vno dolio non diuiderentur partes vini, ſicut in alio, quia non fluunt hîc ſicut ibi, quia non comparantur ad locum continentem in

Soluitur. Modus eſſendi ſacramentaliter poteſt ma-

vno dolio, ſicut in alio; Vnde iſta inſtantia non impedit quin idem corpus poſſit eſſe in duobus locis.

Ad ſecundum. Ad aliud de nutritione, dico quòd quicquid abſolutum fuiſſet in corpore Chriſti vt exiſtit modo naturali, quodcunque ſibi adgeneratur per nutritionem, quòd hoc idem fuiſſet in corpore eius ſub Euchariſtia, ſed non primò, quia ibi non erat prima acceptio nutrimenti, quia corpus Chriſti non nutritur in Euchariſtia, vt nutrimentum eſt ibi conuerſum in corpus eius, ſed per conuerſionem nutrimenti in corpus eius, vt exiſtit alibi modo naturali; non enim fuiſſet reſpectus debitus, vel approximatio conueniens agentis ad paſſum nutrimentum ad nutribile in Euchariſtia, ſicut alibi eſt.

Ad tertium. Ad aliud de motu locali; patet reſponſio per prædicta, conceditur enim quòd ſecundùm ſimplicem tranſlationem, præſentialitatis ſuæ mutaretur, vt prædictum eſt.

Ad quartum. Nullum agens creatum agit in corpus niſi localiter approximatum. Ad vltimum, quando arguitur de diſpoſitione requiſita ad formam, dicendum quòd iſta ratio probat verum: probat enim quòd à Deo agente, qui in agendo non requirit niſi paſſum ſuſceptiuum, poteſt imprimi quæcunque forma in Euchariſtia, quæ poteſt imprimi in ipſo, vbi exiſtit naturaliter, ſed tamen ab illo agente, quod requirit paſſum in loco debito modo approximatum, non poteſt imprimi quæcunque talis forma in corpus Chriſti in Euchariſtia, à quo tamen imprimeretur talis forma, ſi eſſet alibi modo naturali.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm Chriſtus in Euchariſtia poſſet tranſmutare aliud ad ſe?

Henr. *quodl.* 5. *q.* 6. D. Thom. 3. *p. q.* 76. *art.* 7. *& q.* 91. *art.* 4. Rich. *hîc art.* 5. *q.* 2. Palud *q* 4. Capr *q.* 4. Occam *hîc q.* 4. Mair. *q.* 5. Suar. 3. *tom. d.* 53. *ſect.* 2.

1. *Ad argum. primum affirmatiuum.* Ariſtot. VRsvs ſic. *Potentia actiua eſt principium tranſmutandi aliud inquantùm aliud, ex* 5. *Metaph. text.* 17. *&* 9. *text.* 2. ſed Chriſtus vt in Euchariſtia habet eandem potentiam actiuam, quam habet in cœlo; igitur ſi in cœlo exiſtens poteſt tranſmutare aliud, ita in Euchariſtia.

Secundum. Item, homo viuens vita mortali ſemper nutritur 1. *de Generatione, text.* 4. *&* 2. *de Anima, text.* 47. ſed corpus Chriſti in Euchariſtia vixiſſet vita mortali dum Chriſtus eſſet mortalis: ergo ſemper nutriretur, & ſic conuertiſſet nutrimentum in ſe per virtutem nutritiuam, & ita trãſmutaret aliud.

Tertium. Item, homo viuens vita mortali indiget inſpiratione, & reſpiratione aëris, ad temperandum calorem circa cor, ne ſuffocetur: ſed Chriſtus ſic vixit vita mortali; igitur tali refrigerio indiguit; ſi Chriſtus manſiſſet ſub Euchariſtia, hoc habuiſſet; inſpirare, & reſpirare aërem, eſt ipſum aërem localiter mouere; igitur.

Quartum. Item, Chriſtus in Euchariſtia habet virtutem motiuam ſecundùm locum; ſed habens virtutem motiuam ſecundùm locum in Euchariſtia, poteſt tranſmutare corpus ſuum, & mouere ſecundùm locum, & eadem ratione aliud corpus.

Ratio ad oppoſitum. Contrà, omne agens phyſicè in agendo repatitur, 3. *Phyſic. text.* 8. *&* 1. *de Gener. text.* 54. *&* 55. ſed corpus Chriſti in Euchariſtia non poteſt pati phyſicè; igitur vt ibi exiſtens nõ poteſt in aliquod agere, nec per conſequens aliud tranſmutare.

SCHOLIVM.

Primum dictum: Non poteſt Chriſtus in Euchariſtia habere actionem corporalem in aliud, *quia non poteſt agere corporaliter, niſi exiſtens dimenſiuè.*

Secundum, Poteſt agere ſpiritualiter in aliud, *vt illuminando Angelos.*

Tertium, Poteſt actione ſpirituali mouere corpus inorganicè, *id eſt, totum ſimul, qua virtute videtur viſus, Luc.* 4. *quando elapſus eſt de manibus Iudæorum, & quando aſcendit ſuper pinnaculum templi, de quo* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 14.

2. *Deciſio quæſtionis. Virtus actiua hominis alia ſpiritualis, alia corporalis. Varia in homine potentia.* REſpondeo ad quæſtionem, quòd cùm homo ſit compoſitus ex materia & forma, corpore, & anima, eius poteſt eſſe duplex virtus actiua in genere. Vna ſpiritualis, quæ conuenit ei ex parte animæ. Alia corporalis ex parte corporis: & ſecundùm hoc ſunt in homine aliæ, & aliæ potentiæ; quædam ſpirituales, & quædam corporales. Potentiæ, quæ conueniunt homini ex parte animæ, ſunt ſpirituales aliquo modo, quia licèt quantùm ad *eſſe* coniungantur corpori, ſicut anima informat corpus, tamen ſeparantur ad ſeparationem animæ omni modo, quia ſunt eadem eſſentia cum anima. Potentiæ verò, quæ conueniunt homini ex parte corporis, vt corporales, in multiplici differentia ſunt. Quædam enim conueniunt corpori non inquantùm animatum, ſed inquantùm eſt corpus mixtum, compoſitum ex elementis. Quædam autem conueniunt ei, inquantùm eſt animatum, & ſunt totius coniuncti ex anima & corpore, vel organo & potentia, ſicut patet ex lib. de Senſu & Senſato. Iſtis ſuppoſitis,

Potentiæ corporales hominis multiplices.

Ariſtot. Chriſtus in Euchariſtia non poteſt habere vllam actionem corpoream. Dico quòd Chriſtus ſecundùm potentias corporales, ſiue ſint tantùm ipſius corporis mixti, ſiue ipſius coniuncti ex anima & corpore, non poteſt aliud tranſmutare, quia omnis actio corporalis fit per contactum, & debitam diſtantiam, & approximationem actiui, & paſſiui ſecundùm locum, vel mediatè, vel immediatè: talem autem approximationem ſecundùm locum, & diſtantiam non poteſt corpus Chriſti habere in Euchariſtia ad aliud, quia ſic eſt ibi, ac ſi non eſſet ibi, vt in loco; igitur ſicut corpus Chriſti non poteſt naturaliter pati, nec moueri à virtute creata, vt exiſtit in Euchariſtia, vt prædictum eſt; ita nec poteſt actione corporali potentiæ corporalis in aliud agere, nec per conſequens tranſmutare.

3. *Chriſtus in Euchariſtia poteſt habere actiones ſpirituales.* De potentiis ſpiritualibus, quæ conueniunt homini tantùm ratione animæ; dico quòd quamcunque actionem, qualem poteſt cauſare ſecundùm talem potentiam ſpiritualem, ſi eſſet alicubi localiter, & modo naturali, omnem eandem poteſt cauſare eadem potentia, vt exiſtit in Euchariſtia, & ratio huius eſt per oppoſitum ad rationem præcedentem, quia iſta virtus, vel potentia ſpiritualis, ad hoc quòd agat, non requirit per ſe locationem agentis, vt quòd agens per ſe ſit in loco, quia non indiget tali approximatione locali agentis ad patiens; ad hoc vt ſequatur actio ſpiritualis, ſicut requirit actio corporalis.

Dubium primum. Sed habétne anima Chriſti aliquam talem virtutem, quæ poteſt agere in aliud extrà ſe, & illud tranſmutare per quancumque virtutem in eo vndecunque ſit.

4. *Soluitur.* Reſpondeo, quòd virtute naturali eius, vel virtute vnionis ad Verbum, vel virtute gloriæ habet aliquam actionem ſpiritualem reſpectu ſpiritus, extra ipſum, vt actionem illuminandi, vel

Anima Chriſti in Euchariſtia poteſt illuminare, & loqui mentaliter.

vel mentaliter loquendi. Et ratio huius eſt, quia vbicunque eſt principium ſufficiens actiuum & paſſiuum debitè approximatum, & præſens, poteſt ex eis ſequi actio conuenies tali principio; ſed anima Chriſti vbicunque exiſtit, naturaliter eſt ſufficiens principium actiuum illuminationis, vel locationis mentalis, reſpectu paſſiui conuenienter potentis recipere talem actionem ſpiritualem.

Secundum.

Sed habétne virtutem motiuam ſpiritualem ad mouendum corpus locatum.

5. *Soluitur. Anima ſeparata habet virtutem ſpiritualem ad mouendum corpus aliam ab illa qua modò vtitur.*

Reſpondeo quòd ſic, quia tam anima Chriſti, quàm quælibet anima etiam noſtra infima, habet virtutem motiuam ſpiritualem reſpectu corporis, alteram ab illa motiua, qua modò vtitur, quia dum anima noſtra coniungitur noſtro mortali corpori, non vtitur illa potentia motiua, ſed poſt reſurrectionem cùm coniungetur corpori ſuo glorioſo, tunc poteſt vti ea, & non modò, quia non eſt datum homini ad vtendum ea pro ſtatu iſto, quia modò vtimur aliquibus potentiis inferioribus, vt guſtu, & quibuſdam aliis, quibus in perpetuum poſt reſurrectionem non vtemur, nec tamen ſunt in nobis frustrà poſt reſurrectionem, ſed neceſſariæ. Sic in propoſito, potentia motiua, qua anima poſt reſurrectionem mouebit corpus ſuum glorioſum quocunque voluerit, non per paſſum greſſiuum, ſicut modò mouet illa omnia potentia motiua in nobis; ſed alio modo nobiliori, non eſt fruſtrà. Vnde non credo quòd in morte hominis anima ſemper remaneret in corpore ex ſe, neque ſi ſibi derelinquatur, ſit illigata ſèper illi *vbi*, & quòd non habeat virtutem mouendi ſe extra corpus; quia licèt Angeli boni ſint aſſociantes eam volantem in cœlum, vel mali deſcendentem ad inferna, ipſi tamen non cauſant in ipſa talem motum, ſed ipſa anima de ſe propria virtute mouetur ad illa loca. Et hac fortè potentia motiua vſus eſt Chriſtus, quando elapſus eſt de medio Iudæorum, quando duxerunt eum ad ſupercilium montis, vt inde præcipitarent eum.

Aliqui ſenſus erunt in beatis ſine ſuis actibus.

Origen. Luc. 2. Anima Chriſti in Euchariſtia poteſt mouere corpus aliud non moto corpore.

Hac etiam vtebatur, quando exiſtens 12. annorum remanſit in Ieruſalem ignorantibus parentibus, & ibi elapſus eſt à parentibus, ſicut exponit eum Origen. *in homil. primæ Dominicæ poſt octauam Epiphaniæ.* Si igitur potuit tunc corpus ſuum, & aliud corpus virtute animæ naturaliter ſic mouere, magis, vel ſaltem æqualiter, poteſt modò exiſtens in Euchariſtia, & aliud corpus ſibi præſens mouere, cùm aliud corpus non impeditur à corpore ſuo ibidem exiſtente, nec tamen mouendo aliud corpus, oportet neceſſariò quòd corpus ſuum moueat, ſicut aliquis mouens aliud corpus, mouet ſuum ad hoc quòd moueat illud, quia corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtens non eſt mobile à natura creata, vt dictum eſt: iſto modo fortè iſtæ ſpecies aliquando motæ ſunt virtute Chriſti præſentialiter exiſtentis, & ſic mouentis. Ratio omnium iſtorum eſt, quia omnis perfectio homini poſſibilis eſt attribuenda ſibi, nam dignificanda eſt natura quantum poteſt, niſi manifeſtum inconueniens appareat.

Ad primum principale. Potentia actiua aliquando impeditur ob defectū paſſi, vel modi agendi.

Ad primum argumentum de 4. & 9. Metaph. *Potentia eſt principium tranſmutandi aliud inquantùm aliud*, &c. Verum eſt quantùm eſt ex parte ſui, quia habens potentiam actiuam, quantùm eſt ex parte ſui poteſt tranſmutare aliud, aliquando tamen non agit ſecundùm illam potentiam, vel propter defectum paſſiui, vel propter defectum modi agendi conuenienter ex parte agentis, quo deficiente poteſt actus impediri; ſic eſt in propoſito, quia in Euchariſtia non habet corpus Chriſti conuenientem modum actioni naturali, nec modum requiſitum, ad hoc quòd agens naturale agat, ſicut dictum eſt in primo * de potentia generandi reſpectu filij.

* Diſt. 20. quæſt. 2.

Ad ſecundum. Corpus Chriſti in Euchariſtia ſolùm concomitanter nutritur.

Ad ſecundum concedo quòd adgeneratur ſupra corpus Chriſti hîc ſicut ibi, non tamen primò per oppoſitionem nutrimenti, nec per conuerſionem factam per approximationem agentis, & patientis ſicut alibi, vt habet *eſſe* naturale, & ideò concomitanter fit hîc adgeneratio, & nutritio, ad hocenim vt hîc primò nutriretur, oporteret quòd nutrimentum hîc primò conuerteretur, quod nullus dicit.

Ad tertium.

Ad aliud, dico quòd idem corpus Chriſti, quod eſt exiſtens modo naturali alicubi, & infrigidatum primò per actionem aëris, fuiſſet, & eſt infrigidatum concomitanter in Euchariſtia, & æquè frigidum eſt in Euchariſtia, ſicut quando fuit in terra viuens, licèt non cauſetur in eo ibi per inſpirationem, vel reſpirationem aëris primò, ſed concomitanter.

Quare in Euchariſtia non poteſt mouere ſe nec aliud à ſe organicè.

Ad vltimum de potentia motiua, dico quòd ſi loquamur de potentia motiua organica, quæ corporalis eſt, & ipſius compoſiti, primò dico quòd hac non poteſt Chriſtus vti, vt exiſtit in Euchariſtia, quia ibi non exiſtit ſecundùm modum conuenientem actioni naturali, & neceſſariò tali actioni requiſitum, vt debitam diſtantiam agentis, & paſſi, & approximationem. Si verò loquamur de alia potentia motiua, quæ eſt virtus ſpiritualis, & primò ipſi animæ, ſic dico quòd non poteſt ea vti in Euchariſtia. Ratio huius nunc tacta eſt, reſpectu tamen corporis alterius, & etiam reſpectu ſui corporis, vbi exiſtit modo naturali, poteſt vti ea.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm aliquis intellectus creatus poſſit naturaliter videre Chriſtum, vt exiſtit in Euchariſtia?

D. Thom. 3 *p. q. 76. a. 7 &* Rich. *q. 4. a. 4.* D. Bonau. *p. 2. art. 2. q. 1.* Rich. *art. 5. q. 1.* Maior. *q. 5* Occam 4. *q. 5.* Palac. *hic d. 3.* Rub. *q. 8.* Scot. *in Oxon. hic quæſt. 8.*

Argument. Primum negatiuum.

VÒD non; exiſtentia illa eſt ſupernaturalis, & per conſequens verum cognoſcibile ſupernaturale; igitur non poteſt vt ibi cognoſci, niſi ſupernaturaliter. Vltima conſequentia probatur, quia ens factibile ſupernaturale non poteſt fieri niſi ſupernaturaliter, & actione ſupernaturali; igitur nec cognoſcibile ſupernaturale poteſt cognoſci ſupernaturaliter.

Secundum.

Item, cognitio per fidem ſimpliciter eſt altior, & eminentior omni cognitione naturali; ſed exiſtentia Chriſti in Euchariſtia, & cognitio fidei; igitur nulla cognitio naturaliter poteſt ad hoc cognoſcibile attingere in cognoſcendo illud propter eius eminentiam. Maior probatur, quia niſi actus fidei eſſet eminentior omni cognitione naturali, non eſſet neceſſe habere habitum fidei de credibilibus per infuſionem, quia ad omnia æquè eminenter ſufficeret cognitio naturalis; quod eſt falſum.

Tertium.

Item, ſi intellectus creatus poſſet videre exiſtentia Chriſti in Euchariſtia, ergo & Angeli ma-

li,& Dæmones,in quibus remanent naturalia integra,qui ſunt inimici gratiæ, poſſent hoc Sacramentum ſummæ gratiæ cognoſcere, quod videtur inconueniens.

Ambroſ. Item, Ambroſius ſuper illud Lucæ 10. *Miſſus eſt*, quòd *abſconditum eſt à Dæmonibus cognoſcere virginem parere poſſe*;ergo multò magis Chriſtum in Euchariſtia verè eſſe.

Damaſc. Item, Damaſcenus lib.4. c.6. quòd *illud intelligere,& ſcire eſt vltra humanam intelligentiam*; igitur & vltra cognitionem creatam,& naturalem.

Quartum. Item, nulla creatura poteſt naturaliter cognoſcere futurum contingens; ſed exiſtentia Chriſti eſt merè contingens, dependens ſolùm ex voluntate diuina immediatè, quæ eſt prima cauſa contingentium;igitur.

Ratio prima ad oppoſitum. Contrà, exiſtentia Chriſti in Euchariſtia non excedit intellectum cognoſcentem eum in Euchariſtia;ſed Chriſtus vt exiſtens ibi eſt naturaliter cognoſcibilis ab intellectu ſuo creato, quia intellectus eius nouit ſe naturaliter ibi exiſtentem; igitur poteſt etiam exiſtentiam ibidem cognoſcere.

Secunda. Vnus beatus naturaliter videt beatitudinem alterius beati; ſed beatitudo cuiuſliber eſt ens æquè ſupernaturale, ſicut exiſtentia Chriſti in Euchariſtia;igitur ſicut poteſt in vnum naturaliter, non obſtante ſupernaturalitate obiecti, ita & poteſt in aliud.Iuxta iſtud quæritur,

QVÆSTIO IX.

Vtrùm exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia poſſet videri ab aliquo oculo corporali glorificato?

Alenſ.4.*p.q.*10.*m.*7 *a.*3.D.Thom.3.*p.q.*76.*art.*7.*& hic q.*2. *a.*2.Rich.*art.*2 *q* 2. D Bonau.2.*p.art.*2. *q.*2. Durand.*q.*4. Maior *q.*5. Suar.3.*tom.d* 53.*ſect.*4.Scot.*hic q.*9.

2. *Argument. primum affirmatiuum.* ARGVITVR quòd ſic: quia aliter viſus glorificatus poſſet decipi ſicut noſter in videndo tantùm ſpecies, quia ſpecies tantùm decipiunt, nam videndo ſpecies panis naturaliter panem repræſentantes,putaret ibi eſſe ſubſtantiam panis,quod non eſt verum.

Secundum. Item, lux punctualis ſi eſſet, viſibilis eſſet. Patet de luce,quæ videtur per reflexionem à puncto in ſpeculo; ſed corpus Chriſti in Euchariſtia non minùs eſt,quàm punctualiter;igitur.

Argument. primum negatiuum. Contrà, omne viſum videtur ſub aliqua pyramide cuius conus eſt in oculo, & baſis in re viſa:ſed quorum baſes videntur æquales; & ipſæ res iudicantur æquales;ſed corpus Chriſti non eſt extra baſes ſuas; igitur baſis pyramidis, ſub qua videtur,non excederet baſem ſpecierum viſarum, & per conſequens videretur eſſe æqualis ſpeciebus,quod tamen falſum eſt.

Secundum. Item, cuius pyramis, ſub qua videtur aliquid, habet baſem rotundam, ipſum iudicatur eſſe rotundum; ſed corpus Chriſti non eſt rotundum; igitur ſub illis ſpeciebus, quæ habent baſem rotundam,non poteſt corpus Chriſti videri.

SCHOLIVM I.

Sententia D.Thomæ ad primam quæſtionem eſt;intellectum creatum naturaliter non poſſe videre corpus Chriſti in Euchariſtia: videtur tamen ab intellectu creato beato in Verbo. Conuenit Richardus, ſed ait à beato videri in proprio genere, ſicut & omnia alia, quæ ſunt fidei.

3. *Opinio D. Thom. & Richardi. Richardus diſcordat.* AD primam quæſtionem dicunt aliqui quòd nullus intellectus creatus cognitione naturali poteſt videre Chriſtum vt in Euchariſtia;cognitione tamen ſupernaturali poteſt aliquis, vt beatus, eum ibidem videre. Et iſtorum duorum dicit alter, quòd tantùm beatus viſione beatifica poteſt ipſum cognoſcere & videre.Alter verò dicit quòd cognitione ſupernaturali poteſt beatus videre corpus Chriſti in Euchariſtia, non ſolùm cognitione beatifica in Verbo, ſed etiam cognitione illius in proprio genere.

Ratio vtriuſque quantùm ad primam partem, ſtat in hoc, quòd cognitio fidei tranſcendit cognitionem naturalem, hoc ibi eſſe cognoſcitur per fidem;ergo non cognitione naturali, ſed quia fidei viæ ſuccedit viſio patriæ: ideò dicit primus quòd illa, quæ cognoſcuntur hîc per fidem, poſſunt ibi videri in cognitione, ſiue viſione beatifica. Alter ponit iſtam rationem, naturale non attingit ſupernaturale: ſed modus huius exiſtentiæ eſt ſupernaturalis;igitur.

4. *Quæ ſit viſio intuitiua, & quæ abſtractiua.* Reſpondeo ad quæſtionem aliter,& primò expono terminos poſitos in titulo quæſtionis. Secundò reſpondebo ad quæſtionis formam in ſe, & ex declaratione iſtorum apparebit in quibus contradicam opinionibus præcedentibus. Ponitur enim in quæſtione *videre*, qui eſt actus intellectus intuentis rem in propria exiſtentia,ſicut in ſe eſt, diſtinguendo iſtam intellectionem intuitiuam,ab intellectione abſtractiua, ſicut priùs diſtinctum eſt. De cognitione verò intuitiua, quæ propriè dicitur viſio,eſt quæſtio, & non de intellectione abſtractiua, qua res intelligitur per ſuam ſimilitudinem,& non in ſe;nam de corpore Chriſti in Euchariſtia benè habemus cognitionem abſtractiuam. Nam complexio non poteſt intelligi, niſi præcognoſcantur termini, ex quibus eſt complexio; ſed articulum complexum de Sacramento Euchariſtiæ modò intelligimus cognitione abſtractiua, aliter non haberemus actum intellectus circa illud,nec per conſequens actum fidei,vt credere; igitur intelligimus modò Chriſtum vt ibi exiſtentem, & Euchariſtiam,qui ſunt termini articuli illius, quia ſemper oportet primò habere cognitionem de Chriſto, antequam credamus articulum de eo formatum, quia cognitio principaliùs dependet ex cognitione terminorum.

Auguſtinus. *Quomodo poteſt haberi cognitio de Chriſto non viſo nec cognito in ſe.* Sed quomodo fiat in nobis illius cognitio,docet Auguſtinus *ſuprà* 8. *de Trin. cap.*4. quia intelligendo,& etiam cognoſcendo aliquod ſingulare, poſſumus per illud abſolutè de alio ſingulari cognitionem abſtractiuam acquirere,& ita videndo aliquem hominem, poſſumus habere cognitionem de Chriſto, ſimiliter complexionem facere, & illa cognitione abſtractiua intelligere,ſiue in re ſunt cõiuncti,ſiue nõ,dũmodo ſibi nõ repugnent.

Naturale quid. Secundò expono illud vocabulum *naturaliter*: non enim illud dicitur ſolùm naturaliter fieri, quod ab aliqua natura poteſt geri, ſed quod ab omnibus cauſis naturalibus actiuis, & paſſiuis ſimul concurrentibus,poteſt fieri.

Intellectus dupliciter accipitur. Tertiò,diſtinguo de *intellectu*,& poteſt dupliciter conſiderari, vel ſecundùm ſe, vel vt eſt coniunctus corpori pro ſtatu iſto, in quo nihil intelligit niſi per ſpecies ſenſibiles, & ſenſus corporales,qui multum aggrauant ipſum ad cognoſcendũ iſta quæ ſunt pura,& ſeparata ab iſtis ſenſibilibus.

SCHO

SCHOLIVM II.

Primum dictum, Intellectus noſter non poteſt videre corpus Chriſti ſub ſpeciebus. *Ratio; quia ſpecies eodem modo mouent, dum ibi eſt, & non eſt, & intellectus noſter vniformiter intelligit, ſenſibilibus vniformiter immutantibus.*

Secundum, Intellectus non alligatus ſenſibus poteſt naturaliter videre corpus Chriſti in Euchariſtia. *Probatur, quia ſubſtantia corporis eſt obiectum proportionatum talis intellectus, ergo poteſt tendere in illud, non obſtante modo accidentali, quo exiſtit, quia ſicut ſubſtantia prius habet eſſe, quàm ille modus, ſimiliter & prius habet cognoſcibilitatem. Secundò, omne ens creatum eſt obiectum proportionatum intellectus creati. Facit etiam quòd intellectus ſeparatus poteſt cognoſcere cogitationes cordis, iuxta Doct. 2.d.9.quæſt. 2.num.10. Sequuntur Maior q.5.Palac.diſp.3.con.7. Ocham.4.q.5.Gabriel.lect.45.in Can.Ægid.theor.16. Rub. Baſſol. Mayron. citati, & omnes Scotiſtæ, tamen non deſunt, qui poſitionem hanc tam firmis rationibus, & authoribus munitam, grauiter cenſurant.*

5. *Deciſio prima quæſtionis.*

Dico igitur ad primam quæſtionem, quòd ſi quæſtio quærat vtrùm intellectus creatus pro tempore, & ſtatu miſeriæ huius, quo eſt coniunctus corpori corruptibili, poſſit naturaliter videre Chriſtum in Euchariſtia? Dico quòd non, quia intellectus, qui non intelligit niſi ex apprehenſione ſenſibilium, ſemper vniformiter intelligit ſenſibus vniformiter ſentientibus; ſed quamdiu intellectus noſter eſt ſic coniunctus corpori, tam diu ſenſus vniformiter immutatur ab accidentibus in Euchariſtia, ſiue corpus Chriſti ſit ſub Euchariſtia, ſiue non; igitur intellectus noſter quamdiu eſt ſic coniunctus, non poteſt naturaliter cognoſcere intuitiuè corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtere realiter.

6. *Reſolutio Doctoris.*

Si autem quæſtio quærat non ſolùm de intellectu creato, vt dependet à ſenſibilibus, quia tantùm intelligit illa, ſed magis de abſtracto à ſenſibilibus, & dependet ab intelligibilibus tantùm, quæ ſunt ſibi magis conformia ex natura potentiæ, dico contrario modo opinioni prædictæ, quòd talis poteſt naturaliter videre corpus Chriſti in Euchariſtia, & non cognitione beatifica tantùm, ita quòd beatitudo ſit ſibi ratio videndi.

Intellectus ſeparatus, vel Angelicus poteſt videre corpus Chriſti in Euchariſtia. Probatur primò. Ariſtot.

Hoc probatur, quia intellectus ſe habens ad intelligibilia, ſicut ipſa ſunt in ſe intelligibilia, priùs intelligit illud, quod priùs intelligibile eſt in ſe, & per conſequens illud quod priùs eſt in ſe ens; quia vnumquodque ſicut ſe habet ad *eſſe*, ita ad veritatem, id eſt, intelligibilitatem, ſecundùm ſe *ex 2.Metaph.text.com.4.* intellectus autem talis reſpicit totum ens, & quandoque ſecundùm ordinem ſuæ intelligibilitatis: ſubſtantia autem eſt prior, ſicut in entitate, ſic in cognoſcibilitate quocunque modo accidentali ipſius ſubſtantiæ; ergo talis intellectus priùs intelligit ipſam ſubſtantiam, quàm quemcunque modum eius, & per conſequens nullus modus, ſub quo eſt ſubſtantia, poteſt impedire intellectionem ſubſtantiæ à tali intellectu. Et hoc eſt ſic arguere: Modus accidentalis, qui non variat rationem per ſe obiecti, non variat cognitionem eius: ſed eſſe ſub Sacramento eſt modus accidentalis ſubſtantiæ corporis Chriſti, & contingens, quia non eſt ſemper ſub ſpeciebus, nec ex natura ſua, ſed ſola voluntate ſua; igitur non variat ſubſtantiam, quod eſt primum obiectum intellectus reſpectu accidentium, nec per conſequens cognitionem eius naturalem, ſiue ibi, ſiue in cœlo.

Accidentalis modus non variat rationem obiecti per ſe.

Reſponſio Thomiſtarũ.

Dices quòd intellectus creatus poteſt naturaliter cognoſcere ſubſtantiam corporis Chriſti vbique, ſed non exiſtentiam eius vbique, quia exiſtit ſupernaturalis, & ſupernaturaliter.

7. *Reijcitur 1.*

Sed iſtud non valet, quia virtus, quæ poteſt naturaliter cognoſcere rem, & ſubſtantiam rei dum eſt præſens, poteſt cognoſcere naturaliter abſentiam eius quando eſt abſens, & è conuerſo *2.de Anima, text. 103.* Si igitur intellectus poteſt cognoſcere exiſtentiam, & ſubſtantiam panis, dum eſt præſens ſub ſpeciebus eius, & abſentiam corporis Chriſti, dum manet ſubſtantia panis; poteſt naturaliter cognoſcere exiſtentiã corporis Chriſti ſub illis ſpeciebus, quando ſubſtantia panis ibi non eſt; ſed iam conuerſa eſt in ſubſtantiam corporis Chriſti, ſub illis ſpeciebus, & ſicut videt naturaliter abſentiam ſubſtantiæ panis, ita & præſentiam, vel exiſtentiam corporis Chriſti. Argumentum etiam, contra quod eſſet iſta reſponſio, ſtat, & deſtruit iſtam reſponſionem, quia ſicut modus accidentalis obiecti non variat rationem eius, ita nec eius cognitionem.

Ariſtot. *Cuius eſt cognoſcere abſentiam, eiuſdem eſt cognoſcere præſentiam.*

Secundò. Omne ens creatum eſt obiectum proportionatum intellectus creati.

Item, totum ens creatum eſt obiectum proportionatum intellectui Angeli ex natura potentiæ: igitur ſicut poteſt quodlibet ens creatum cognoſcere cognitione abſtractiua, quando non eſt ſibi præſens, ita poteſt quodlibet ens cognoſcere cognitione intuitiua, quando eſt præſens, determinata, & certa præſentialitate, quia in hoc diſtinguitur cognitio abſtractiua ab intuitiua; igitur. Maior patet de ſenſibilibus, & conceditur ab omnibus. De intelligibilibus etiam patet, quia intellectus Angeli reſpectu ſubſtantiæ propriæ cognoſcendæ, eſt proportionatus; igitur multò magis eſt reſpectu ſubſtantiarum inferiorum. Similiter entia magis immaterialia ſunt magis proportionata, & ſimilia intellectui ſuo, quàm alia; igitur ſi poteſt cognoſcere illa, & alia.

8. *Naturalitas, & ſupernaturalitas deſumuntur in ordine ad agens.*

Contra rationem de naturali, & ſupernaturali. Naturale, & ſupernaturale non dicunt differentias quiditatiuas entis in ſe formaliter, & quiditatiuè, ſed dicunt in comparatione ad agens; ſed comparatio ad agens tantùm non facit aliquid in ſe perfectius, vel eminentius, quia etiam poteſt ens imperfectum eſſe ab agente nobiliſſimo, & per conſequens non facit eminentius eſſe in cognoſcibilitate; igitur cognitio ſupernaturalitatis non facit rationem obiectiuam in ſe formaliter eſſe nobiliorem, vel minùs nobilem; ſubſtantia enim in ſe eſt eminentior, & perfectior naturaliter omni accidente in natura ſua, & tamen aliquod accidens poteſt eſſe ſupernaturale, & ſubſtantia naturalis: igitur intellectus potens intelligere quamcunque ſubſtantiam in ſe, poteſt cognoſcere omne accidens qualecunque, ſiue ſit naturale, ſiue ſupernaturale.

Separatus intellectus poteſt naturaliter videre fidem, ſpem, & charitatẽ ſupernaturales.

Item, charitas licèt ſit ens ſupernaturale, quia per creationem ſolùm, ſicut & aliæ virtutes Theologicæ, tamen poſtquam poſita eſt in *eſſe*, vera eſt perfectio naturalis ipſius voluntatis, quia in prima ſpecie Qualitatis, & poteſt naturaliter ab Angelo cognoſci, cùm ſit determinata ſpecies vniuerſi; igitur prima conditio ſupernaturalitatis non impeditur ab aliquo quin ſit cognoſcibilis ab Angelo, vel quocunque intellectu creato ex natura intellectus.

Confirmatio.

Confirmatur, quia ſecundùm multos, Angelus habet omnium rerum ſpecies ſibi innatas, & con-

creatas; igitur & charitatis & cuiuslibet rei supernaturalis, cùm sit in determinata specie, & per illas potest quodlibet ens naturale, siue supernaturale, naturaliter cognoscere; igitur non obstante quòd aliquid supernaturale existat, potest tamen eius existentia naturaliter cognosci ab intellectu creato.

SCHOLIVM III.

Tertium dictum: Beatos non videre existentiam Christi in Eucharistia actu beatifico tantùm; *ita quòd beatitudo sit sibi ratio formalis videndi illum: Tum, quia non est obiectum beans, nec in eo includitur, nec ad eius perfectionem spectat, aliàs eodem actu omnes articuli fidei viderentur; Tum etiam, quia videri potest naturaliter; & sic multò minùs videre prædictam existentiam in proprio genere spectat ad beatitudinem.*

Quartum dictum, posse Angelos malos videre corpus Christi in Eucharistia, sed non permitti.

9. *Beatitudo nõ est ratio formalis intellectus ad existentiã Christi in Eucharistia cognoscendam,*

QVantùm ad secundum articulum dico quòd actu beatifico non cognoscit intellectus Angeli, vel alterius beati, existentiam corporis Christi in Eucharistia, ita quòd beatitudo sit formalis ratio cognoscendi illud *vbi*, beati enim distinguuntur à non beatis in videndo verbum, & essentiam diuinam, quæ est primũ obiectum actus beatifici, & in hoc distinguuntur perfectè à non beatis, quia in illa essentia visa, & amata, sunt perfectè beati. Tunc arguo: Beatus, inquantùm beatus, per actum beatificum non cognoscit, nisi obiectum beatificum; igitur quod non pertinet ad perfectionem obiecti beatifici, inquantùm est obiectum beatificum, non cognoscitur per actum cognoscendi beatificum, inquantùm talis actus; sed existentia corporis Christi in Eucharistia non pertinet ad obiectum beatificum, nec perfectionem eius, inquantùm est tale obiectum beatificum, plus quàm collatio gratiæ pueto in Baptismo; quia sicut potest vnum reuelare in Verbo, ita aliud. Cognoscere autem conferre gratiam in Baptismo, vel in Pœnitentia est extra rationem beatitudinis formaliter, & tamen ita formaliter pertinet ad illa Sacramenta, sicut existentia corporis Christi pertinet ad veram Eucharistiam; igitur non per actum beatificum, inquantùm talis, cognoscitur existentia corporis Christi in Eucharistia.

Scire existentiam Christi in Eucharistia non spectat ad beatitudinem.

Et hoc est sic arguere: Illud quod non pertinet, nec facit ad perfectam beatitudinem beati, non cognoscitur in beatitudine beati, secundùm quam distinguitur à non beato; sed scire, & cognoscere existentiam corporis Christi in Eucharistia non spectat ad beatitudinem perfectam beati, sicut nec cognoscere gratiam conferri huic in Baptismo, vel cognoscendo effectus cuiuscunque Sacramenti, igitur nullus hoc cognoscit præcisè, vt est beatus.

10.

Et ex hoc appareat contra secundam opinionem, quòd multò minùs pertinet ad rationem beatitudinis videre existentiam corporis Christi in proprio genere, quia per cognitionem, & visionem rerum in proprio genere non distinguitur beatus à non beato; igitur non magis conuenit beato secundùm rationem beatitudinis eius cognoscere res in proprio genere, quàm non beato.

Sed posśúntne Angeli mali cognoscere existentiam corporis Christi in Eucharistia? Dico quòd sic, si permitterentur, sed verisimile est quòd non permittuntur; sicut nec permittuntur scire secreta cordium nostrorum, & cogitationes nostras. Similiter potuissent cognoscere integritatem mentis, & corporis beatæ Virginis stetisse cum nuptiis in partu filij Dei, sed prohibiti sunt propter demeritum eorum tantùm nosse mysterium. Ideò secundùm Ambrosium *suprà citatum* mysterium Incarnationis meritò latuit præsentiam mundi, quousque fuit per Apostolos publicè prędicatum.

An Damon posset videre integritatem mẽtis & corporis beatæ Virginis. Ambros.

Ad rationes. Ad primam, cùm dicit, si est ens supernaturale, igitur est cognoscibile supernaturale. Dico quòd si supernaturalitas in consequente se teneat ex parte entis obiecti, sicut ponitur in antecedente, concedo consequentiam, & consequens, quia tum est sensus, quòd ens supernaturale est cognoscibile. Si verò supernaturalitas determinet cognoscibilitatem cognoscibilis, nego consequens, & consequentiam, nec magis sequitur tunc si est ens supernaturale, igitur est cognoscibile supernaturale, quàm sequeretur sic, istud ens, quocunque ente demonstrato non potest creari nisi à Deo: igitur non potest cognosci, nisi à Deo. Per hoc ad probationem consequentiæ, quòd non est simile; nam ens scibile supernaturale non potest fieri nisi ab agente supernaturali, & actione supernaturali, & tamen licèt sit ens supernaturale est cognoscibile naturaliter, ita quòd supernaturalitas non determinet cognoscibilitatem, sed entitatem, & est in se naturale cognoscibile, & potest naturaliter ab intellectu creato cognosci, licèt sit ens supernaturale, & supernaturaliter causetur, licèt enim per comparationem ad agens naturale non ponitur in *esse*, & nullam possit habere causalitatem effectiuam respectu eius; postquàm tamen positum est in *esse*, naturaliter potest cognosci, vt quoddam ens naturale in se, & formaliter in determinata specie Qualitatis, vel Substantiæ, vel alicuius alterius generis determinati.

11. *Ad primum principale, quæstionis octauæ.*

Est tantùm factibile supernaturaliter, ergo cognoscibile supernaturaliter tantùm: non sequitur.

Ad secundam, dicendum quòd cognitio fidei est nobilior, & excellentior aliquo modo omni cognitione naturali, & aliquo modo minùs nobilis, & minùs excellens. Nam cognitio fidei per comparationem ad causam suam, est excellentior omni alia cognitione, quia non potest causari nisi à solo Deo, & causa supernaturali. Si tamen consideretur vt aliquid in se formaliter, & vt aliqua perfectio intellectus, & etiam in comparatione ad subiectum suum formale, sic est propositio falsa: Angeli enim possunt habere perfectiorem notitiam, quia magis euidentem, & claram in se, & respectu obiecti perfectioris, quàm sit obiectum fidei, quia respectu obiecti supernaturalis in se visi. Patet hoc in nobis, qui tantùm habemus cognitionem fidei de passione Christi, quam ipsi & Christum passum intuitiuè viderunt; & ideò simpliciter nobiliorem cognitionem habuerunt, quàm sit illa fidei.

12. *Ad secũdum.*

Ad tertiam, de Angelis damnatis dictum est.

Ad Damascen. dico quòd loquitur de intellectu nostro pro statu isto, vnde intelligit comparando vtrumque ad hominem pro statu isto, & hoc est verum, licèt vnus Doctor dicat quòd intelligit tam de nobis, quàm de Angelis, & est superiùs improbatum.

Ad Damasc.

D. Thom.

Ad vltimam de contingente, dico quòd contingens vt contingens, non potest sciri, nec cognosci, nec videri, nisi visa determinatione suæ causæ, vt visa determinatione voluntatis diuinæ, sed

Ad quartum.

ſed quando poſitum eſt in *eſſe*, & non ampliùs futurum, tunc poteſt naturaliter videri, quia tunc eſt determinatum iam exiſtens, & poſitum, non ampliùs contingens futurum ponendum in *eſſe*.

13. *Ad rationes pro ſententia D. Thom.*

Ad argumentum primæ opinionis de fide, dictum eſt, & ad probationem, quæ probat quòd habitus fidei non eſſet neceſſarius, ſi notitia naturali poſſet hic cognoſci; dico quòd verum eſt de nobis, quia tantùm nobis eſt neceſſarius, & hoc ſolùm pro ſtatu iſto, & non ſimpliciter, quia non excedit omnem notitiam naturalem creatam, vt priùs patuit.

Quantum ad primum, & principale obiectum viſio ſuccedit fidei.

Ad aliud, quando arguitur quòd fidei ſuccedit viſio, dico quòd hoc eſt verum quantùm ad primum, & principale obiectum fidei, vt quòd Deus ſit trinus & vnus, non autem quantùm ad omnia, quæ modò credimus, quia tunc non oportet beatum videre in quot millibus hoſtiarum fuerit totus Chriſtus, quæ credit per fidem, nec oportet eum videre Chriſtum realiter pendentem in cruce, & naſci, & multa alia, quæ non oportet, nec eſt poſſibile, quia tranſiuerunt in præteritum, nec poſſunt aliàs fieri, vel ſaltem non fient, quia ſecundùm Apoſtolum Rom. 6. *ſcimus quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis, non moritur*, &c. nec iſta videre pertinet ad perfectam rationem beatitudinis, ſed quòd alicui aliorum, ſuccedit viſio, hoc eſt de congruo, & non neceſſarium.

SCHOLIVM IV.

Nullum ſenſum etiam glorioſum, poſſe videre corpus Chriſti in Euchariſtia. Eſt contra D. Thomam, & Nominales. Ratio, quia corpus non poteſt immutare potentiam corpoream, niſi ſub dimenſione.

14. AD ſecundam quæſtionem, dico quòd licèt viſio corporis Chriſti in Euchariſtia poſſit cauſari in oculo corporali glorificato à Deo, non poſſet tamen illa viſio terminari ad corpus Chriſti, vt in Euchariſtia exiſtit; quia obiectum, quod naturaliter primò immutat ſenſum ad actum ſui, & primò terminat actum eius, eſt obiectum habens eſſe in loco modo naturali ſecundùm approximationem eius ad ſenſum, vt actiui ad paſſum; ſic non eſt corpus Chriſti in Euchariſtia reſpectu cuiuſcunque oculi corporalis, quia probatum eſt de corpore Chriſti in Euchariſtia, & de Angelo in loco, quòd ita eſt ibi, ac ſi non eſſet in loco; ergo, &c.

Nullus ſenſus etiam glorificatus poteſt videre corpus Chriſti in Euchariſtia.

Item, omne agens naturale agit per contactum, vt priùs argutum eſt; ſed corpus Chriſti in Euchariſtia non agit in ſenſum per contactum, quia non eſt ibi ſibi debitè approximatum; igitur. Et iſta ratio eſt eadem cum priori. Nec poſſet Deus miraculosè facere quòd corpus Chriſti eſſet primò viſibile ab oculo corporali, quia tunc vt in Euchariſtia eſſet primò viſibile, & non viſibile.

15. *Ad primum principale. quæſtionis none.*

Ad rationem primam, dico quòd viſus videndo hoſtiam, vel ſpecies, non decipitur, licèt non videat ibi eſſe corpus Chriſti, cuiuſcunque viſus ſit, ſiue beati, ſiue non beati, quia viſus non percipit in ſubiecto ſuo niſi colorem, & figuram; & illud quod viſibile nunciat, ſcilicet color, & figura, ibi eſt. Sed intellectus occaſionaliter, & per ſimilitudinem in aliis viſionibus huiuſmodi concipit ibi ſub ſpeciebus panis, eſſe ſubſtantiam panis, & decipitur, ſed non decipitur ex viſu, quia viſus non dicit ibi ſubſtantiam, vel præſentiam panis eſſe, quia cuius abſentiam non dicit, nec

Senſus non decipitur circa Euchariſtiam, ſed intellectus arguens ex ſenſibilibus.

percipit aliqua potentia, quando res eſt abſens; nec eius præſentiam dicit, quando res eſt præſens. Viſus autem non cognoſcit præſentiam ſubſtantiæ panis, quando eſt, nec eius abſentiam, quando non eſt, ſed vniformiter immutatur ſpeciebus, ſiue res ſecundùm ſubſtantiam ſuam ſit præſens, ſiue non, quia nòn iudicat niſi ſubſtantiam panis, quando eſt præſens: igitur non decipitur intellectus ex viſu, ſed ex imperfectione, quam habet pro ſtatu, quia intellectus beatus non ſic decipitur.

Ad ſecundum.

Ad ſecundum, dico quòd dato quòd aliqua lux eſſet punctualis, adhuc non fieret multiplicatio lucis à puncto, ſicut tu ſumis, ſed ab eodem fit multiplicatio, à quo fit reflexio, & multiplicatio eius ſecundùm lineam rectam, vſque ad punctum, & eadem virtute ibi lux refracta multiplicatur; ſicut enim multiplicaret ſe, ſi non eſſet obſtaculum, ſic eadem virtute multiplicat ſe ſecundùm lineam rectam, quia hæc eſt propinquiſſima lineæ rectæ.

Reflexio fit à luce vt in puncto.

16. Circa viſionem Chriſti ſi poſſet ſenſibiliter videri in Altari ponuntur caſus, quia aliquando apparuit ibi ſpecies paruuli, vel fruſtum carnis; ſiue diſtincta forma humana. Dico quòd poſſibile eſt tales apparitiones eſſe Chriſti in propria ſpecie, & in alia ſpecie, quia talis apparitio facta eſt tantùm vni, vel omnibus aſſiſtentibus, & hoc vel tranſeunter, vel permanenter? Si apparuit vni tantùm, non eſt ibi Chriſtus realiter dimenſiuè in hoſtia, quia nihil erat ibi extra ſenſibile, niſi quod priùs, ſed apparuit ſe videnti interiùs, vel in aëre iuxta oculum, & tunc apparet ſibi quaſi eſſet obiecti hîc exiſtentis, cùm tamen non ſit ibi aliter, quàm priùs. Si tamen appareat omnibus aſſiſtentibus realiter, credo quòd eſt ibi; quia vult apparere ſenſibiliter propter fidem confirmandam, & vult ibi verè adorari ſicut in hoſtia; igitur veriſimile eſt quòd ibi eſt verus Chriſtus ſenſibiliter; quia nec vult fidem confirmare per phantaſticas apparitiones, nec quòd communitas faciat idololatriam, adorando aliud, quàm verum Deum. Si autem appareat permanenter, credo quòd eſt ibi realiter ſenſibiliter: ſed non eſt in Euchariſtia apparenter, ſed regulariter eſt in Euchariſtia, licèt poſſit præſentiam ſuam cauſare ſine Euchariſtia, ſi velit. Vnde ſecundùm propriam dimenſionem, quam habet in cœlo, non poteſt eſſe in parua hoſtia dimenſiuè, quia non poſſet eſſe in ita paruo loco. Non debet autem quamdiu apparet ſub ſpecie carnis, ſumi ab illo, cui ſic apparet, ſed ab alio, cui non ſic apparet, cùm non appareat ſub ſpecie conuenienti humana refectioni.

An & quomodo Chriſtus apparuit in altari ſenſibiliter.

DISTINCTIO XI.

De tranſubſtantiatione.

QVÆSTIO I.

Vtrùm tranſubſtantiatio ſit poſſibilis?

Alenſ. 4. *part. quæſt.* 38. *memb.* 1. & 2. D. Bonauent. *hîc art.* 1. *quæſt.* 1. Richard. *art.* 1. *q.* 2. D. Thom. 3. *part.* 75. *q. art.* 4. Suarez *ibi d.* 50. *ſect.* 1. & 2. Bellarm. *l.* 3. *de Euchariſtia.*

ARGVITVR quòd non, quia ſi ſic, eſſet mutatio ad ſubſtantiam, hoc enim ſonat ipſum nomen, *Tranſubſtantiationis*; ſed non eſt mutatio in ſubſtantiam, quia non eſt generatio, neque corruptio,

1. *Argumẽtum primum negatiuum.*

corruptio, & non ſunt plures ſpecies mutationis ad ſubſtantiam ; ergo, &c. Probatio aſſumpti, quia tam in generatione, quàm in corruptione manet materia communis; hîc nihil commune manet ; igitur.

Secundum. Item, ſecundò ſic : Si tranſubſtantiatio eſſet aliquid, eſſet mutatio, quia non eſt aliquid permanens, nec ſucceſſiuum. Patet diſcurrendo ; nec eſt motus, nec tempus, ſed non eſt mutatio, quia in omni mutatione, manet aliquod ſubiectum commune, quod non eſt hîc ; igitur.

Tertium. Item, tertiò ſic: In omni mutatione termini ſunt incompoſſibiles, ſed ſi eſſet tranſubſtantiatio, termini non eſſent incompoſſibiles, quia corpus Chriſti compatitur ſecum in eſſendo ſubſtantiam panis in eodem loco ; igitur.

Ratio ad opp. Contrarium vult Ambroſius lib. de Sacramentis, & habetur de conſecr. diſt. 2. c. *Reuera mirabile non minùs, eſt dare quàm mutare nouas naturas rebus.*

SCHOLIVM.

Poſita & explicata definitione tranſubſtantiationis, ſcilicet quòd ſit tranſitio totalis ſubſtantiæ in ſubſtantiam: reſoluit eam eſſe poſſibilem, ſed ſoli Deo, quia termini eius tantùm ſunt in perfecta obedientia ipſius, & ſicut poteſt vtramque ponere, vel tollere totaliter ſeorſim, ita & facere vnum alteri ſuccedere, putat contra alios non eſſe propriè mutationem, quia hæc dicit ſubiectum quod mutatur, & formam, ad quam eſt, & ſucceſſionem informationis ad non informationem, vel è contra ; impropriè tamen dicitur mutatio, ſeu verſio à ſubiecto in ſubiectum.

2. Deciſio quæſtionis. REſpondeo quòd quæſtio de poſſibili, qualis eſt iſta, nihil præſupponit niſi ſignificatum nominis, quid ſcilicet per nomen? Primò videndum eſt quid dicitur per nomen *Tranſubſtantiationis.* Secundò, hoc habito videndum eſt ſi aliquid ſubſit ſignificato huius nominis. Tertiò, quid eſt illud, cui conuenit aliquid actiuè tranſubſtantiare, & cui non? Quartò, quomodo habet ſe tranſubſtantiatio ad mutationem?

Tranſubſtantiatio quid ſit. De primo, dico quòd *Tranſubſtantiatio*, quantùm ad nomen, dicitur *eſſe totalis tranſitio ſubſtantiæ in ſubſtantiam.* Quod expono ſic ; tranſitio totius in totum poteſt intelligi dupliciter ; *totum* enim vno modo poteſt eſſe idem quòd perfectum ex partibus. Alio modo *totum* idem eſt quod quælibet pars ; & ſecundùm hoc dupliciter poteſt intelligi tranſitio vnius in aliud, & totius in totum, quia totum perfectum ex partibus tranſit in totum, vel quia quælibet pars totius tranſit in aliud totum. Primo modo loquitur Philoſophus

Tranſitio ſicut & totum duplex.

Quid ſit generatio. 1. *de Generatione, text.* 10. & 24. cùm dicit quòd *Generatio eſt mutatio totius in totum, non cuiuſlibet in quamlibet partem*, quia materia manet communis ſub vtroque terminorum, & ideò ſecundùm ipſum, generatio eſt perpetua & ſemper, quia nunquam eſt materia ſine omni forma, quia cùm ſpoliatur ab vna, induit aliam, & *Generatio vnius eſt corruptio alterius, & è conuerſo*, & ideò dicitur totum tranſire in totum, quia vna pars vnius tranſit in partem alterius, & ſic tranſit totum perfectum,

Quomodo generatio ſit tranſmutatio totius in totum? quia non manet totum perfectum, nec tamen totum perfectum tranſit totaliter, quia vna pars eius, vt materia, manet communis, & aliud totum fit, quod priùs non fuit, niſi tantùm ſecundùm vnam partem; quod non eſt in alteratione, quia illud totum perfectum per ſe vnum manet, & non tranſit in aliud per ſe totum, ſed fit ibi tranſitio vnius totius per accidens in aliud totum per accidens, vt hominis albi in hominem nigrum. Ex hoc eſt differentia inter generationem & corruptionem, & alterationem, quia ſubſtantia compoſita eſt per ſe, & verè vnum totum, non ſit terminus alterationis, qui eſt quoddam totum per accidens ex ſubſtantia, & accidente, & ideò in generatione vnum per ſe totum tranſit in aliud per ſe totum vnum, ita quòd non manet in generatione aliquid per ſe totum poſtquàm tranſit in fine alterationis in aliud. Sed in alteratione manet aliquid per ſe totum, & aliquod totum per accidens ſolùm mutatum in totum per accidens.

Diſcrimen inter generationem, & alterationem, & corruptionem.

3. Secundo modo, dicitur totum tranſire in totum, quia quælibet pars eius tranſit in aliud, quia nihil eius manet commune, ſed quælibet pars vnius tranſit in aliam partem alterius, nullò communi remanente, & ſic non poſuit Philoſophus aliquod totum tranſire in aliud totum, ſed ſemper præſupponit materiam, quia omnis conceptio apud eum erat, quòd *ex nihilo nihil fit* : ſed ſic loquimur nos in propoſito de tranſitione ; & ideò dixi, quòd tranſubſtantiatio non eſt totius in totum tantùm, ſed eſt totalis tranſitio ſubſtantiæ in ſubſtantiam.

Sed quomodo hæc totalis tranſitio fiat, poſſumus intelligere per partialem tranſitionem vnius in aliud, ſecundùm partem, vt contingit in generatione. Dupliciter enim poteſt intelligi tranſitio. Vno modo, vt ſubiecti communis tranſeuntis ad formam, quam recipit. Alio modo fit tranſitio vt termini *à quo* corrupti, tranſeuntis in terminum oppoſitum, quia ſecundùm Philoſophum

Ariſtot. *Aliquid fit ex aliquo dupliciter.*

1. *Phyſ. text.* 16. dupliciter fit aliquid ex aliquo. Vno modo ſicut ex ſubiecto, ſicut nigrum in actu ex nigro in potentia. Alio modo dicitur aliquid fieri ex alio, ſicut ex oppoſito, vt album ex non albo, & ex nigro, ignis ex aëre, & è conuerſo, ſed in tranſubſtantiatione, cùm nihil remanet commune ſub vtroque termino, quia eſt totalis tranſitio, non poteſt ibi intelligi tranſitio, niſi vno modo, termini ſcilicet in terminum.

Tranſubſtantiatio totalis eſt poſſibilis. Quantùm ad ſecundum articulum dico quòd poſſibile eſt tranſubſtantiationem ſic dictam de aliquo verè dici, cuius probatio eſt iſta: Quidquid poteſt eſſe totaliter nouum, non repugnat ſibi ſuccedere alteri totaliter deſinenti eſſe ; aliqua ſubſtantia poteſt habere *eſſe* nouum totaliter, & aliqua ſubſtantia poteſt deſinere eſſe totaliter, hæc tranſitio totalis vnius ſubſtantiæ in aliam, etiam non præëxiſtentem, eſt tranſubſtantiatio: igitur eſt poſſibile eſſe. Minor patet de ſe. Maior patet per ſimile de partiali tranſitione, quia ſicut illud, quod partialiter eſt nouum, ſuccedit illi, quod deſinit eſſe partialiter, vel ſaltem ſic ei poteſt ſuccedere; ita illud, quod totaliter eſt nouum, &c. & ſicut eſt tranſubſtantiatio partialis, quando partialiter nouum ſuccedit partiali deſinenti, ita eſt totalis tranſubſtantiatio, quando totaliter nouum ſuccedit deſinenti totaliter.

4. *Tranſubſtantiatio eſt ſolè Deo poſſibilis.* Quantùm ad tertium articulum, cui ſit poſſibilis tranſubſtantiatio? Dico quòd illi virtuti eſt poſſibile aliquid tranſubſtantiare in aliud, in cuius virtute actiua ſunt totaliter eſſe, & non eſſe vtriuſque extremi ; & illi nihil conuenit tranſubſtantiare per oppoſitum, cui non eſt talis virtus, & poteſtas ſuper extrema.

Vnde arguo ſic : In cuius virtute actiua eſt totaliter *eſſe*, & *non eſſe* duorum extremorum, poteſt

teſt tranſubſtantiare vnum in aliud, & vnum totaliter conuertere in aliud, ſed in virtute actiua Dei eſt totale *eſſe*, & *non eſſe* panis, & ſubſtantiæ corporis Chriſti, quia poteſt vtrumque creare, & annihilare; igitur in virtute ſua eſt totaliter vnum in aliud tranſubſtantiare.

In cuius virtute eſt creare & annihilare, in eius eſt tranſubſtantiare.

Et ſimiliter poteſt argui negatiuè: In cuius virtute actiua non eſt totaliter *eſſe*, & *non eſſe* aliquorum, eius virtute non poteſt vnum totaliter conuerti in aliud, tale eſt omne ens creatum, quia nullum tale agens poteſt creare, & annihilare; igitur. Probatur minor per ſimile de virtute partiali, quia ſicut in cuius virtute ſunt partialiter *eſſe*, & *non eſſe* aliquorum, in eius virtute actiua eſt partialiter hoc conuertere in illud per generationem; ita in cuius virtute actiua ſunt totaliter *eſſe*, & *non eſſe* aliquorum extremorum, poteſt totaliter hoc conuertere in illud, & hoc eſt tranſubſtantiare; igitur eſt poſſibile alicui conuenire.

5. *Var. & alij. An tranſubſtantiatio ſit mutatio.*

Quantùm ad quartum articulum, quomodo ſe habet tranſubſtantiatio ad mutationem? diſtinguunt aliqui de mutatione ſubiectiua, & obiectiua, quia vtroque modo dicitur aliquid mutari.

Sed iſta verba ſunt nimis extranea, quia nec Theologicè, nec Philoſophicè dicta; quia nec Sancti, nec Philoſophi ſic ſunt locuti de mutatione, quia non video quòd aliquid dicatur congruè mutari obiectiuè. Quia ſi aliquid diceretur mutari obiectiuè, maximè diceretur de termino mutationis, ſed terminus non dicitur propriè mutari obiectiuè, quia *mutari eſt aliter ſe habere nunc quàm priùs*, ex ſexto Phyſic. text. 32. & 40. ſed terminus *ad quem* per hoc quod eſt terminus *ad quem*, non aliter ſe habet nunc quàm priùs, ſed ſubiectum tantùm: igitur terminus *ad quem* non videtur propriè mutari obiectiuè, ſed proprium ſubiectum.

Obiectiua mutatio reijcitur. Ariſtot.

Aliter ſe habere eſt entis.

Probatio minoris. Nihil dicitur aliter ſe habere nunc quàm priùs, niſi ſit ens, ſicut enim eſſe eodem modo ſe habens, non eſt niſi in ente, ita nec aliter ſe habere eſt niſi in ente; eo quòd eodem modo ſe habere, & aliter ſe habere, ſunt oppoſita, & habent fieri circa idem. Sed tunc eſt terminus *ad quem*. Primò ens, quando eſt terminus *ad quem*, & priùs non ens; igitur terminus *ad quem* non aliter ſe habet nunc quàm priùs, quia vtrumque extremum alietatis dicitur eſſe: igitur.

6. Gregor.

Item, Gregorius lib. 5. Moral. cap. 20. *mutari eſt ex vno in aliud ire*, hoc enim non competit niſi ſubiecto, quod priùs eſt ſub vno termino, & poſtea ſub alio. Vnde & liberum arbitrium in Angelis, de quo loquitur ibi Gregorius, mutabile eſt ab vna affectione ad aliam; ſed terminus ad quem itur, non mutatur ab vno in aliud, quia tunc non eſſet terminus; igitur nihil dicitur propriè mutari obiectiuè, & multò minùs poteſt dici aliqua mutatio, vel generatio obiectiua, alia ſubiectiua, qua aliquid fit, & ſic dicitur generari; licèt enim dicatur generari obiectiuè, non tamen poteſt dici alia mutatio, vel generatio obiectiua, & alia ſubiectiua. Et ratio huius eſt, quia quando forma eſt abſtracta ſecundùm ſe vltima abſtractione tantùm, vniuoca eſt & ſimplex; ſed quando non eſt ſic abſtracta vltima abſtractione, poteſt habere multas habitudines ad diuerſa, vt ad ſubiectum, in quo eſt, & ad obiectum, ad quod eſt; & ſecundùm hoc poſſunt formari diuerſa concreta, quæ ſignificent iſtas diuerſas habitudines, vt à forma, quam ſignificat *potentialitas*, poteſt imponi hoc nomen concretum *potens*, quod dicit habitudinem ad ſubiectum, & *potentia*, quod eſt aliud concretum, licèt magis abſtractum quàm aliud importans habitudinem ad obiectum; & ita licèt abſtractum ſit vnicum & vniuocum, tamen concretum ſignificans formam illam ſecundùm illas diuerſas habitudines, eſt æquiuocum, ſicut *ſanitas* eſt vna forma, quæ diuerſas poteſt habere habitudines, ſignificatas per concretum ſuum, quod eſt *ſanum*, quia concretum impoſitum ab illa forma, vt *ſanum*, quod ſignificat eam ſub omnibus illis habitudinibus, ſcilicet ad ſubiectum, quod dicitur *ſanum* formaliter; ad ſignum quod dicitur ſignificatiuè; ad agens, quod dicitur ſanum cauſaliter, eſt æquiuocum ad omnia iſta, licèt forma abſtractiuè ſumendo, ſit vniuoca, & abſtrahat ab omnibus iſtis habitudinibus, quia *humanitas tantùm eſt humanitas* ſecundùm Auic. tract. 5. Metaph. cap. 1. Eodē modo eſt de *lucido*, & *luminoſo*, quæ ſunt concreta eiuſdem abſtracti, vt *lucis*, quæ ſunt æquiuoca ſecundùm iſtas habitudines, licèt forma in abſtracto ſit vniuoca, & ab illis abſtrahat, ſic in propoſito, licèt *generari*, & *mutari* poſſint habere iſtas diuerſas habitudines ad ſubiectum, & terminum, quia poteſt imponi vnum concretum æquiuocum ab illa forma, quam ſignificat generatio, vel mutatio, vt generari; vel mutari, quod ſignificet ſimpliciter generationem, & denotet ſubiectum, vt ſic dicatur materia generari, & ſimiliter idem concretum ſignificet generationem, & denotet terminum, quomodo dicitur generari; ſed ſic diuerſimodè non ſignificatur forma in ſe, quia ſic abſtrahit ab omni reſpectu, tam ad ſubiectum, quàm ad terminum, & ideò licèt concedatur quòd *generari*, & *mutari* ſunt æquiuoca ad generari obiectiuè, & ſubiectiuè, non tamen conceditur quòd generatio ſit æquiuocum ad generationem talem, & talem.

Forma non vltimatè abſtracta dicit diuerſas habitudines.

Sanitas dicit diuerſas habitudines ſignificatas per ſanum.

Auicenna.

Quomodo materia dicitur generari.

Ad propoſitum dico, quòd omnis mutatio, vel generatio eſt ſubiectiuè mutabilis tantùm, tranſubſtantiatio non: igitur non eſt mutatio.

7. *Obiectio.*

Sed contra hoc obiicitur, corruptum non aliter ſe habet nunc quàm priùs, & non vadit de vno in aliud, ſed tunc primò eſt, quando terminus eſt; igitur corruptio non eſt mutatio, nec corruptum mutatur. Cùm enim quando corruptum eſt, ſit non ens, non poteſt tunc aliter ſe habere, quàm priùs, nec ſic ire de vno in aliud, quia non eſt ens.

Reſponſio. Toti poteſt conuenire ſer accidēs quod parti conuenit per ſe.

Reſpondeo, aliquando verum eſt quòd totum denominatur per accidens ab illo, quòd primò conuenit parti, & ſic eſt in propoſito; nam in ipſo corrupto pars mutatur in materiam, & aliter ſe habet nunc quàm priùs, quia aliud *eſſe* formale habet in fine corruptionis, quàm priùs; & ideò totum corrumpitur per accidens, & dicitur mutari, & non primò, materia autem primò, & per ſe ratione formæ, quia forma eſt formalis terminus corruptionis: non autem eſt inconueniens conuenire toti per accidens, vel non primò, quod conuenit ei per ſe, & primò, ratione partium.

8. *Tranſubſtantiatio ſub quo genere contineatur.*

Sed ſi tranſubſtantiatio non ſit aliqua mutatio per ſe, ſub alio igitur genere continebitur.

Reſpondeo quòd ſtrictè ſumendo *mutationem*, non continetur tranſubſtantiatio ſub aliquo genere mutationis, quia omnis mutatio, vt Philoſophus loquitur de ea, præſupponit aliquid commune; hîc non eſt aliquid commune manens; igitur. Sed ſumendo *mutationem* largè, poteſt dici quòd

Forma vltimatè abſtracta eſt vniuoca.

quòd ſicut in naturalibus triplex eſt mutatio, ſecundùm Philoſophum 5. *Phyſ. text.* 7. & 17. ſcilicet à non ſubiecto in ſubiectum, à ſubiecto in non ſubiectum; & à ſubiecto in ſubiectum. Et ſumitur *non ſubiectum* priuatiuè, ſicut *ſubiectum* poſitiuè: ſicut in ſupernaturalibus quædam eſt tranſubſtantiatio de *non eſſe* ad *eſſe*, & dicitur creatio; & quædam ab *eſſe*, ad *non eſſe*, & dicitur annihilatio; tertia ab ente formaliter in ens, & dicitur tranſubſtantiatio. Sed in naturalibus ſumitur ex parte vnius termini *non ens* priuatiuè. Patet in ſecundo, & primo modo ſupponendo ſubiectum commune; in tranſubſtantiatione autem ſumendo, terminus *à quo* poteſt ſumi contratiè, quia nihil eius manet, nec ſupponitur tranſubſtantiationi: de iſtis autem diceret Philoſophus quòd non ſunt mutationes, niſi quia termini ſunt in ſe incompoſſibiles, quia non negauit eas, imò ſi conceſſiſſet eas, ſicut nos concedimus, adhuc non diceret quòd eſſent tranſmutationes, quia ſecundùm eum in omni mutatione aliquid præſupponitur, hîc nihil.

Ariſtot.

Mutatio triplex.

Philoſophus negaret trãſubſtantiationem eſſe mutationem, ſi illam admiſiſſet.

Differt autem dicere Philoſophum iſtas mutationes non poſuiſſe, & dicere quòd poſuiſſet, ſi illas nobiſcum conceſſiſſet; ſicut negauit, vel non poſuit aliquos habitus infuſos, & ſupernaturales, quia poſuit alios ſufficere; ſi tamen illos poſuiſſet nobiſcum, conceſſiſſet nobiſcum eos eſſe in genere Qualitatis. Sic etiam negauit à ſubſtantiis ſeparatis accidentia, quia poſuit eas æternas, & non productas, & in eis idem eſſe *quod eſt*, & *quo eſt*. Si tamen poſuiſſet eas creati, ſicut nos ponimus, conceſſiſſet eas habere accidentia, & multa, quæ ab eis modò negat. Et ſic patet quomodo tranſubſtantiatio eſt poſſibilis, & quomodo eſt tranſitio totalis ſubſtantiæ in ſubſtantiam, ſicut verſio in vniuerſali eſt totius in totum.

Cur Philoſophus negauit habitus infuſos.

Ad argum. primum principale.

Ad primum in oppoſitum, quando arguitur, ſi eſſet poſſibile, eſſet mutatio ad ſubſtantiam, nego, quia talis mutatio non eſt, niſi vbi manet aliquod commune, hîc nihil manet; Philoſophus enim ponit in ſubſtantia ſolùm acquiri nouum *eſſe* per generationem, vel corruptionem, & non totaliter *eſſe*, quia negaſſet materiam eſſe in virtute cuiuſcunque agentis, quia Philoſophus poſuit eam perpetuam, & æternaliter neceſſariò manere.

Philoſophus ponit materiam æternã.

Ad ſecũdum.

Ad ſecundum, patet per idem, quòd non eſt mutatio.

Ad tertium.

Ad tertium, quando arguitur quòd cuiuſcunque mutationis termini ſunt incompoſſibiles. Dico quòd verum eſt de terminis primis, vt de priuatione, & forma reſpectu eiuſdem, quia tunc contradictoria eſſent ſimul in eodem. Vnde ignis generatus, & non ignis, vel aër corruptus, non poſſunt eſſe ſimul, quia tunc eadem materia eſſet ſimul ſub formis oppoſitis, quod eſt impoſſibile; ſed non eſt ſic in tranſubſtantiatione, quia ſi aër tranſubſtantiaretur in ignem, nullum ſuſceptiuum maneret ſub vtroque termino, quod modò eſſet ſub vna forma, modò ſub alia, ſicut eſt in aliis mutationibus; & ideò non eſt eadem cauſa incompoſſibilitatis. Vnde propoſitio aſſumpta eſt intelligenda de mutatione propriè dicta, vbi aliquid manet ſub vtroque termino, quomodo non eſt hîc.

Quomodo termini trãſubſtantiationis non ſũt incompoſſibiles.

QVÆSTIO II.

Vtrùm quodlibet poſſit conuerti in quodlibet?

D. Thomas 3. *part. quæſt.* 75. *art.* 4. Richardus *d.* 10. *art.* 3. *q.* 1. Palud *hic quæſt.* 3. Maior. *q.* 1. *art.* 3. Gabriel *q.* 2. Durand. *quæſt.* 2. Suar. 3. *tom diſp.* 50 *ſect.* 10. omnes præter Dur. & Suar. affirmant.

ARGVITVR quòd ſic, & primò quòd creatura in naturam diuinam, tres enim perſonæ operabantur Incarnationem Filij; igitur Filius fuit ibi ſubiectum huius Incarnationis, vel terminus; igitur non repugnat perſonæ, vel naturæ diuinæ, quòd ſit ſubiectum, vel terminus actionis diuinæ, & per conſequens non repugnat ſibi, quòd ſit terminus conuerſionis, quia conuerſionem iſtam nullus operatur, niſi ſolus Deus; igitur ſicut Deus poteſt eſſe operans Incarnationem, & terminus illius operationis, ita & hîc. 1.

Argumẽtum primum affirmatiuum.

Item, non repugnat naturæ diuinæ terminare illam actionem, quæ non requirit mutationem in termino. Patet de actu intelligendi, & volendi, quarum actionum Deus eſt terminus; ſed conuerſio non requirit mutationem in termino, quia tunc mutaretur corpus Chriſti in fine conuerſionis; quando alterum conuertitur in ipſum, quod falſum eſt. igitur. *Secundum.*

Item, quòd quælibet creatura poſſit conuerti in quamlibet creaturam, probatur, quia nulla creatura poteſt conuerti in vnam, non in aliam, niſi quia magis conuenit in ſuſceptiuo cum vna, quàm cum alia; ſed conuerſio non requirit ſuſceptiuam; igitur. *Tertium.*

Contrà, per oppoſitum primi, primò quòd creatura non poteſt conuerti in diuinam naturam. In quodcunque poteſt aliquid conuerti, illud poteſt è conuerſo conuerti in ipſum; ſed natura diuina non poteſt conuerti in naturam creatam, quia neceſſe eſſe non poteſt in aliquod poſſibile conuerti; igitur, &c. 2.

Ratio ad opp. Prima.

Item, ſecundò quòd nihil poteſt in aliud conuerti: quia ſi ſic; igitur ſubſtantia panis poſſet conuerti in quantitatem corporis Chriſti; ſed terminus conuerſionis eſt primò vbi præfuit ipſum conuerſum; igitur ſi ſubſtantia panis conuerteretur in quantitatem corporis Chriſti, quantitas illa foret vbi præfuit ſubſtantia panis, ſub illis ſpeciebus primò, & ita localiter eſſet ſub ſpeciebus, ſicut ſubſtantia localiter præfuit ſub eis ſuo modo; ſed hoc eſt impoſſibile, quia cùm locatum non poſſit eſſe extra locum, & quantitas illa ſit maior quantitate hoſtiæ, ſiue corpus Chriſti quantum ſit maius ipſa hoſtia, maius corpus poſſet eſſe in loco minoris corporis localiter; quod eſt impoſſibile. *Secunda.*

Item, ſi ſic, tunc abſolutum poſſet conuerti in reſpectiuum, ſed cùm abſolutum non habeat fundamentum, in quo ſit, nec extrema, inter quæ habeat *eſſe*, ſequitur quòd relatio eſſet ſine fundamento, & terminis, quod eſt impoſſibile. *Tertia.*

Iterum arguitur de ſubſtantia, quòd non quælibet ſubſtantia poſſet conuerti in aliam, quia ſecundùm Auguſtinum 7. ſuper Geneſi ad literam cap. 4. *Corpus in ſpiritum nequaquam mutari poteſt*; & idem dicit Boëtius in libr. de duabus naturis, & vna perſona Chriſti, cap. 7. *Quarta.* Auguſt. Boët.

SCHO

SCHOLIVM

Deum non poſſe conuerti in creaturam, nec è contra; quodlibet tamen creatum, in quodlibet creatum conuerti poſſe. Ratio primæ partis, quia vterque terminus debet eſſe in obedientia conuertentis, & Deus non eſt in obedientia Dei, quia non poteſt ſe deſtruere, vel annihilare. Ratio ſecundæ partis oppoſitæ huic, loquitur de conuerſione lato modo, prout idem eſſe videtur, quòd conſeruatio vnius poſt aliud, quod ad hunc finem deſtruitur: de quo quodlib. 10. vide ibi Scholium ad num. 19.

5. REſpondeo ad quæſtionem, & dico quòd quæſtio includit tres articulos, quos tangunt argumenta priùs facta. Primò ſi creatura poſſit conuerti in diuinitatem? Secundò, ſi quælibet creatura abſoluta poſſit conuerti in quamlibet aliam abſolutam, vt ſubſtantia in qualitatem? Tertiò, ſi poſſet abſolutum cõuerti in reſpectiuum?

Creatura nequit conuerti in Deitatem, nec è contra.

Quantùm ad primum articulum dico, quòd non eſt poſſibile creaturam conuerti in naturam diuinam, ſicut nec è conuerſo. Et ratio tacta eſt ſuperiùs in quæſtione præcedente; nam impoſſibile eſt iſtam conuerſionem ſupernaturalem fieri, niſi ab agente in cuius virtute actiua totaliter eſt *eſſe* & *non eſſe* vtriuſque extremi conuerſionis, ſicut nec conuerſio partialis per generationem & corruptionem poteſt alicui ineſſe, niſi agenti, cuius virtuti actiuæ ſubeſt partialiter *eſſe*, & *non eſſe* generati, & corrupti. Sed natura diuina non ſubeſt ſuæ potentiæ, vt cauſetur quantùm ad *eſſe*, & *non eſſe*, quia ipſa primò eſt ex ſe neceſſe eſſe formaliter, & radicaliter, & aliquo modo formaliùs, quàm ſua potentia quia ipſa eſt fundamentum, & pelagus neceſſitatis, & omnium perfectionum in diuinis eſſentialium; igitur nec poteſt conuerti in aliam, nec alia in ipſam; ſola enim poſſibilia ſubſunt potentiæ diuinæ actiuæ, cuiuſmodi ſunt *eſſe*, & *non eſſe* eorum, non autem entia, quæ ſunt ex ſe neceſſe eſſe formaliter, cuiuſmodi eſt eſſentia, vel natura diuina.

Natura diuina eſt pelagus omnium eſſe.

4. Quantùm verò ad entia creata, reſpondeo vniuerſaliter, quòd quodcunque ens poteſt conuerti totaliter, virtute diuina, in quodcunque tale ens; vt materia in formam, & è conuerſo; ſubſtantia in accidens, & è conuerſo; accidens in ſubſtantiam; abſolutum accidens in reſpectiuum, & reſpectiuum in abſolutum. Ratio communis pro omnibus iſtis, eſt illa priùs poſita, quòd in cuius virtute actiua eſt tam *eſſe*, quàm *non eſſe* aliquorum totaliter, in eius virtute actiua, eſt totaliter indifferenter; vnum conuertere in aliud, & è conuerſo; probatur ſicut priùs; ſed talis eſt virtus increata diuina reſpectu *eſſe*, vel *non eſſe* entis cuiuſlibet; igitur quodlibet ens creatum poteſt conuerti in quodlibet.

Quodlibet creatum poteſt conuerti in quodlibet tale.

5. Ad primum argumentum, cùm dicitur quòd Filius Dei eſt terminus Incarnationis; nego, quia impoſſibile eſt neceſſe eſſe formaliter eſſe ſubiectum, vel terminum nouæ actionis de genere Actionis. Poteſt tamen eſſe terminus, vel obiectum operationis, vt intellectionis, vel volitionis, quia iſtæ operationes cùm in ſe ſint fines, & perfectiones operantis, nihil nouum cauſant, circa terminum, qui terminat eas, ſicut eſt de aliis actionibus. Et ideò non eſt ſimile de actione Incarnationis, & de *intelligere*, & *velle*. Nam ad Incarnationem ſequebatur opus operatum nouum extrà; non ſic ad *intelligere*, & *velle*.

Ad primũ in principio quæſtionis An Verbum terminet incarnationis actionem.

Inſtantia prima.

Sed adhuc videtur argumentum ſtare, quia illud quod incarnabatur, & generabatur, fuit terminus, & ſubiectum Incarnationis, & talis generationis; ſed Filius Dei generabatur & incarnabatur de Virgine; igitur fuit obiectum, & terminus iſtius actionis, & per conſequens paſſionis.

Secunda.

Item, cuilibet actioni correſpondet propria paſſio: ſed tres perſonæ operabantur iſtam Incarnationem; igitur actioni vni in eis correſpondet aliqua paſſio in aliquo, terminans illam, non niſi Incarnatio in Filio; igitur Filius fuit terminus Incarnationis.

Solutio vtriuſque. Incarnari nõ dicit paſſionem. Incarnatio in Verbo dicit tantùm relationem rationis.

Reſpondeo: quædam ſunt verba paſſiua, ſecundùm modum ſignificandi Grammaticum, quæ tamen veraciter ſignificant actionem, ſicut è conuerſo, quale eſt hoc Verbum *incarnari*, nam filium incarnari, idem eſt, quòd vnire ſibi carnem, & eam aſſumere: & dicit in filio tantùm relationem rationis ad carnem aſſumptam, quia nulla relatio realis eſt in Deo, in comparatione ad creaturas: è conuerſo autem carnis aſſumptæ ad filium aſſumentem, eſt relatio realis; & ideò in carne aſſumpta eſt realis paſſio de genere Paſſionis, correſpondens actioni tõtius Trinitatis. Vnde in iſto ſenſu impropriè dicitur quòd caro vnitur Verbo, quia ſecundùm iſtum modum ſignificandi Verbi tantùm, & non ſecundùm veritatem ſignificationis; quia caro non vnit ſibi Verbum, ſed è conuerſo. Ideò impropriè dicitur quòd Verbum eſt terminus paſſionis, quia non paſſionis realis, & veræ, ſed tantùm ſecundùm modum ſignificandi Grammaticalem, & ſecundùm hoc dictum eſt quòd ibi eſt actio realis, & ibi correſpondet aliqua paſſio realis, & hoc vel in vniente, vel vnito.

6. Subiectum Incarnationis eſt natura humana vnita Verbo.

Quando igitur quæris, quid eſt Incarnationis ſubiectum, & quid terminus? Reſpondeo quòd ſubiectum eſt natura humana vnita Verbo, & ita eadem natura humana eſt etiam terminus iſtius vnionis per Incarnationem, quia in ſubiectis, & in indiuiſibilibus mutationibus, idem eſt ſubiectum & terminus. Si autem vis habere aliquod totum pro termino: ſic dico, quòd Chriſtus in natura aſſumpta à Filio, cum reſpectu rationis filij ad naturam aſſumptam, eſt terminus Incarnationis; & iſto modo nihil addit terminus ſuper ſubiectum eius, niſi reſpectum rationis. Eodem modo eſſet communiter in generatione, ſi per eam generans ſolùm acquireret nouum rationis reſpectum.

Terminus incarnationis ſupra ſubiectum eius addit relationẽ rationis ſolum.

Ad ſecundũ principale. Deus non poteſt eſſe terminus actionis de genere actionis, benè de genere qualitatis.

Ad ſecundum, cùm arguitur, quòd natura diuina poteſt eſſe terminus actionis, quæ non includit mutationem in termino, negandum eſt, ſi illa actio ſit in genere Actionis, quia tunc aliquid nouum neceſſariò fieret in ea, quod eſt impoſſibile. Et cùm dicitur quòd poteſt eſſe terminus intellectionis, & volitionis; dico quòd non eſt ſimile, quia iſtæ operationes ſunt abſolutæ perfectiones operantis, & fines, & non actiones de genere Actionis,

nis, quæ non dicuntur actiones, niſi metaphoricè; ſed operationes, quæ præſupponunt actionem de genere Actionis in quibuſdam. De hoc amplius dictum eſt ſuprà primo libro. *

* dist. 5. *Ad ſecundũ principale negatiuum.*

Tertium argumentum, concedo gratiâ concluſionis. Et ſimiliter argumentum primum negatiuum pro parte oppoſita.

Ad ſecundum in oppoſitum, cùm dicit quòd tunc panis poſſet conuerti in quantitatem, concedo; & cùm infertur, igitur quantitas corporis Chriſti poteſt eſſe vbi præfuit panis, &c. nego conſequentiam; quia quantùm eſt ex vi conuerſionis, magis eſt conuerſum, vbi eſt illud, in quod conuertitur quàm è contra, quia conuerſum in aliud capit *eſſe*, & naturam illius, in quod conuertitur, & per conſequens locum illius magis quàm è conuerſo. Vnde ex vi conuerſionis magis conuerteretur in quantitatem, vt eſt in cœlo, quàm è conuerſo.

Replica.

Et ſi dicatur, illud in quod aliud conuertitur, eſt in illo loco, in quo præfuit conuerſum; nego. Et ſi probes ſicut aliàs probabatur, nec ſoluebatur, quia generatum eſt in eodem loco, vbi præfuit corruptum. Dico quòd verum eſt, ſed non eſt ſimile, quia ibi, vbi præfuit corruptum, manet materia communis vtrique termino; ideò ibi recipit formam; & per conſequens compoſitum nouum generatum eſt ibi, vbi præfuit corruptum; hîc nihil manet, & ideò non ſequitur.

Soluitur. Quare genitum eſt vbi præfuit corruptum.

8. *Replica.*

Si dicitur quòd materia non eſt circumſcriptiuè in loco, & ſic non eſt cauſa eſſendi, ſic in illo loco generato, vbi præfuit corruptum: ſed quantitas eſt ratio circumſcriptionis alicuius in loco: igitur cùm generatum ſit circumſcriptiuè, vbi præfuit corruptum, hoc non eſt ratione materiæ, ſed ratione quantitatis.

Solutio. Materia vbi vnum eſt definitiuè, aliud circumſcriptiuè.

Reſpondeo, materia habet duplex *vbi*, vnum *vbi* definitiuè, quod correſpondet ei, ſecundùm propriam eſſentiam ſuam, & inquantùm eſt quædam ſubſtantia; & habet aliud *vbi* circumſcriptiuè, ratione quantitatis, quæ in ea fundatur, & per quam ſic extenditur: *vbi* autem definitiuè eſt ratio ſuſcipiendi *vbi* circumſcriptiuè, aduenientе noua quantitate, quia materia eſt fundamentum quantitatis, & ideò materia in generatione definitiuè manet vbi præfuit forma corrupti, & non circumſcriptiuè ratione quantitatis corrupti, quia illa non manet in generato Et ideò materia in eodem *vbi* definitiuo recipit formam, & quantitatem nouam, per quam acquirit nouum *vbi* circumſcriptiuè; nec poſſet naturaliter alibi fieri circumſcriptiuè, niſi materia eſſet alibi definitiuè.

Materia nullibi eſſet circumſcriptiuè, vbi non fuiſſet definitiuè.

Sic igitur patet quomodo materia eſt definitiuè vbi præfuit corruptum, ſed tolle materiam, quod eſt commune manens ſub vtroque termino, generato ſcilicet, & corrupto, non ſequitur quòd generatum ſit vbi præfuit corruptum, ſed magis è conuerſo, & ideò non ſequitur abſolutè quòd ex vi conuerſionis, illud, in quod conuertitur aliud, ſit vbi præfuit conuerſum, ſed magis è conuerſo; ſed tantùm ratione materiæ, quæ eſt ratio recipiendi *eſſe*, quod recipitur in eo ſuo modo, licèt non ſit ratio eſſendi in loco.

Conceſſo tamen ſecundùm omnem opinionem, quòd quantitas corporis ſit ibi, vbi præfuit conuerſum, ſcilicet ſubſtantia panis, & quòd illud, in quod aliud conuertitur, poteſt eſſe, vbi præfuit conuerſum, verum eſt, ſed non præcisè, quia ſi præcisè eſſet, vbi præfuit conuerſum, contradictio eſſet; quia tunc extenderetur corpus extra locum ſpecierum ſecundùm proportionem quantitatis ſuæ, & præcisè eſſet vbi præfuit ſubſtantia panis, quod eſt impoſſibile.

Non oportet terminum conuerſionis eſſe præcisè & adæquatè vbi præfuit corruptum.

Si dicas quòd modò illud, in quod conuertitur panis, non eſt extra dimenſiones panis; igitur nec tunc. Reſpondeo quòd non ſequitur, quia poſita hypotheſi, quæ modò non eſt, oportet conſequenter ſequi aliquod impoſſibile, & aliud, quàm modò ſit.

9. *Ad tertium. Quomodo abſolutum poſſet conuerti in reſpectiuũ.*

Ad tertium, cùm dicit quòd ſi abſolutum conuerteretur in reſpectiuum, relatio eſſet tunc ſine fundamento, & extremis. Reſpondeo quòd licèt conuerſa ſequerentur ſe in eſſendo, non tamen in informando, vel in modo, quia ſi ſcientia, quæ eſt in anima, conuerteretur in lapidem, lapis tunc non informaret animam; ſicut ſcientia informat eam. A ſimili dico in propoſito, quòd licèt Deus conuerteret ſubſtantiam in relationem, non tamen eſſet tunc ſine fundamento, & terminis, ſicut priùs fuit, non conuerſa; ſed poneret eam in fundamento, & terminis: Fundamento quidem de nouo creato, vel præexiſtente; ſicut relatio, in quam conuertitur, neceſſariò, & eſſentialiter requirit fundamentum, & terminum, & hoc vel fundamentum præexiſtens ad conuerſionem ſubſtantiæ in relationem; vel non præexiſtens, ſed ſimul de nouo productum per creationem, vel conuerſionem, ſicut relatio in iſta conuerſione ſubſtantiæ in eam, eſt noua. Non enim oportet neceſſariò quòd ſi relatio ſit noua per conuerſionem alicuius in ipſam, quòd fundamentum eius ſit ſimpliciter nouum, quia non eodem modo eſt relatio noua, & fundamentum eius, quia ſi Deus conuertat aliquid in corpus hominis, non præexiſtens, ſed de nouo habens *eſſe* ex vi conuerſionis, & haheat tunc anima nouum *eſſe* per creationem, quia crearetur tunc de nouo, non eodem modo habet vtrumque nouum *eſſe*, & ideò non oportet quòd omne illud, quod in relationem conuertitur nouam, conuertatur in fundamentum, & extremum eius, quia fundamentum antiquum poteſt eſſe nouæ relationis.

Fundamentũ præexiſtens poteſt eſſe relationis noua.

10. *Ad vltimũ. Henr. & Egidij reſponſio refellitur.*

Ad vltimum de conuerſione corporis in ſpiritum, dicitur quòd hoc eſt impoſſibile agenti creato, licèt non agenti increato. Iſta reſponſio non ſufficit, quia ita eſt impoſſibile agenti creato conuertere quodcunque corpus in quodcunque, quia nullum agens creatum habet ſufficientem virtutem ſuper *eſſe*, & *non eſſe* vtriuſque extremorum conuerſionis, & per conſequens non ſoluit illas auctoritates.

Doct. reſponſio ad Aug. & Boëtium.

Ideò reſpondeo aliter, quòd poſſe, & non poſſe, ſimile, & diſſimile non currunt ſemper ſimiliter & æquali paſſu, quia licèt Deus vtrumque poſſit conuertere, ſcilicet corpus in corpus, & corpus in ſpiritum, plures tamen ſunt impoſſibilitates, & repugnantiæ ex parte conuerſionis corporis in ſpiritum, quàm ex parte conuerſionis corporis in corpus, & plures rationes poſſibilitatis è conuerſo de conuerſione corporis in corpus, quà in ſpiritũ. Licèt enim impoſſibile ſit agenti creato conuertere corpus in corpus, tamen corpora videntur in ſe habere multas

multas poſſibilitates ad conuerſionem mutuam, quæ non apparent inter corpus & ſpiritum: conueniunt enim corpora in materia, corpus & ſpiritus non, quia non ponuntur habere materiam; & dato quòd ſic, non tamen materiam quantam, quam habent multa corpora, & ideò propinquior poſſibilitas ad conuerſionem appareret in corporibus, quàm in corpore, & ſpiritu; non quòd abſolutè ſit poſſibile per reſpectum ad quodcunque agens creatum, quia ita impoſſibile eſt vnum, ſicut aliud per reſpectum ad omne tale agens. Sed non ſunt tot rationes impoſſibilitatis, & repugnantiæ formalis reſpectu conuerſionis corporis in corpus, ſicut reſpectu corporis in ſpiritum. Ex parte enim corporis videtur poſſibilitas reſpectu principij actiui abſolutè, & etiam reſpectu principij paſſiui, vt materiæ communis in corporibus; ex parte autem ſpiritus tantùm eſt poſſibilitas ex parte principij actiui abſolutè.

Corpus difficilius poteſt in ſpiritum quàm in aliud corpus conuerti.

QVÆSTIO III.

Vtrùm panis tranſubſtantietur in corpus Chriſti?

D. Thom. 3 *par quæſt. 75. art. 6. & hic quæſt. 2.* Dur. *quæſt. 3.* Palud. *quæſt. 2.* Occam *quodlib. 4. quæſt. 20.* Gab. *lect. 45. in Can.* Bellarm. *lib. 3. de Euchariſtia.* Suar. 3 *to. diſp. 49. ſect. 2.* Scot. *hic quæſt. 3.*

ARguitur quòd non: Aug. 3. de Trin. cap. 4. *Corpus Chriſti dicimus quod ex terræ fructibus, collectum eſt*: ſed collectum ex fructibus terræ non eſt niſi panis; igitur corpus Chriſti eſt panis, & ita manet panis non tranſubſtantiatus.

1. Auguſt. *Arg. negatiuum.*

Item, Damaſc. lib. 4. c. 6. & 14. vel in numero capitulorum c. 89. dicit ſentèialiter, quòd *ſicut in Baptiſmo lauantur corpora hominum aqua exteriùs, vt mundentur interiùs; ſic inſtituit Deus Euchariſtiam vt in ea reficerentur homines exteriùs ad ſignificandum refectionem animæ interiùs*: ſed aqua manet in ſacramento Baptiſmi; igitur & panis in ſacramento Euchariſtiæ.

Secundum. Damaſc.

Item, Euchariſtia & corpus Chriſti vnum ſignificant, ſcilicet corpus myſticum: patet per Magiſtrum diſt. 8. & Auguſt. in gloſſa exponentem illud 1. Corinth. 10 *vnè corpus ſumus in Chriſto, quia ſicut vnus panis conficitur ex multis granis, & corpus vnum ex multis membris, ita totum corpus Eccleſiæ ex multis fidelibus componitur.* Sed conuenit pani componi ex multis granis, ex ratione panis realiter in Euchariſtia, quia aliter non repræſentaret corpus Chriſti myſticum; igitur ibi manet realiter, & per conſequens non tranſubſtantiatur.

Tertium. Auguſt.

Item, in omni mutatione poſitiua, terminus *ad quem* accipit aliquod *eſſe* poſitiuum; ſed in tranſubſtantiatione panis in corpus Chriſti, ſi ponatur terminus *ad quem*, non accipit aliquod *eſſe*, quia tunc corpus Chriſti acciperet de nouo multa *eſſe*, ſecundùm multas conuerſiones multorum conuerſorum in ipſum, quod eſt inconueniens, igitur.

Quartum.

Item, quod conuertitur in præexiſtens magis acquirit *vbi* illius, in quod conuertitur, quàm è conuerſo, quia per conuerſionem habet *eſſe*, & per conſequens accidentia conſequentia: ſed ſi panis tranſubſtantiaretur in corpus Chriſti, ſequeretur quòd panis magis haberet *eſſe* corporis Chriſti in cœlo, quàm è conuerſo, quòd corpus Chriſti haberet *eſſe* ſub ſpeciebus hoſtiæ, quod eſt falſum.

Quintum.

Item, Si panis conuerteretur in corpus Chriſti, & non maneret panis, tunc oporteret eſſe terminum aliquem iſtius conuerſionis, non autem naturam diuinam, nec aliquod accidens eius, vt patuit priùs; igitur terminaretur, vel ad materiam corporis Chriſti, vel ad formam eius, vt animam intellectiuam; non eſt alia forma, quàm anima intellectiua, quia vnius entis vna eſt forma. Nec poteſt dici quòd anima intellectiua terminet hanc conuerſionem, quia anima intellectiua non eſt ibi, ex vi conuerſionis, ſed tantùm ex conſequenti, nec materia, quia tunc non eſſet tranſubſtantiatio; nam forma vel eſt tota ſubſtantia rei, vel magis quàm materia, & per conſequens ſi conuerſio eſſet ad materiam, magis diceretur reſolutio, vel annihilatio, quàm tranſubſtantiatio.

Sextum.

Ratio ad oppoſitum.

Contrà, Damaſc. lib. 4. c. 6. & 14. patet in litera: *Panis non manet ſed tranſiuſtantiatur in corpus Chriſti: interrogas quomodo &c. ſpiritus ſanctus ſuperuenit, & totum facit.* Item, Ambroſius de ſacramentis, & ponitur de conſecr. diſt. 2. *panis eſt in altari, vbi acceſſit conſecratio de pane fit corpus Chriſti &c.*

Damaſc.

Ambroſ.

SCHOLIVM I.

Prima ſententia eſt, panem ſimul cum corpore Chriſti manere. Prima affertur ratio, quia ita ſufficienter ſaluatur veritas ſacramenti, & minora miracula requiruntur. Secunda, pauciores difficultates hæc via occurrunt. Tertia, panem deſinere non habetur ex creditis. Hanc tenent Huſſite, & Lutherani, de quibus Bellarm. cap. 13. Secunda ſententia ait, panem annihilari, vel reſolui in materiam primam. Ponitur impugnatio D. Thom. contra vtramque, & clarè oſtenditur eam nihil concludere, ſolutis omnibus rationibus eius.

Circa ſolutionem huius quæſtionis tria ſunt videnda, quæ tacta ſunt in argumentis. Primum, ſi tranſubſtantiatio facta ſit panis in corpus, & non maneat ſubſtantia panis? Secundò videndum qualiter hoc factum ſit, vel quomodo poſſit aliquid conuerti in præexiſtens? Tertiò, quid eſt primus terminus conuerſionis?

2. *Status quæſtionis.*

Quantùm ad primum, dico quòd ibi verè eſt corpus Chriſti, & omne dictum contrarium eſt manifeſtè error, quia à principio fidei de ſubſtantia fidei fuit ſub ſpeciebus illis corpus Chriſti realiter contineri.

Hoc ſuppoſito, fuerunt tres circa hoc dubitationes. Vtrùm ſubſtãtia panis ibi maneat ſub ſpeciebus, vel tranſeat? Patet per Dominum Innocẽtium de officio Miſſæ. Quarum vna opinio dicit quòd in Euchariſtia eſt verum corpus Chriſti, & tamen ſubſtantia panis eſt ſimul cum eo cum ſuis accidentibus, verè manens. Et ad hoc adducitur talis ratio: Sicut in natura non ſunt plura ponenda in aliqua re ſine neceſſitate, quàm ſint neceſſaria ad *eſſe* talis rei, ita nec in operibus miraculoſis, vel fidei, ſunt plura ponenda quàm ſint neceſſaria ad ſaluandum tale opus, vel miraculum. Hoc accipitur à Philoſopho 1. *Phyſic. tex 50.* & per conſequens ad veritatem Euchariſtiæ non

3. *De modo quo corpus Chriſti eſt in Euchariſtia.*

Prima opinio

Probatur primò.

Ariſtot.

ſunt plura ponenda, quàm ſufficiant ad veritatem eius ſaluandam; ſed ponendo ſubſtantiam panis cum ſuis accidentibus remanere in Euchariſtia poſt conuerſionem, ſaluantur omnia neceſſaria ad veritatem huius ſacramenti; ſicut ponendo quòd tranſeat; & minora miracula: ergo. Probatio minoris, ad veritatem huius ſacramenti ſolùm requiritur ſignum & ſignatum, quæ æquè verè ſaluantur in Euchariſtia, ſi ſubſtantia panis maneat, ſicut ſi non maneat. De ſigno patet, nam ſubſtantia panis cum ſuis accidentibus ita verè ſignificat corpus Chriſti verũ, ſicut ſpecies panis, & magis, quia panis ex naturali ſimilitudine ſua magis repræſentat corpus verum, quod eſt cibus animæ, quàm ſolæ ſpecies, quia ſubſtantia panis magis habet nutrire & reficere corpus, quàm ſpecies, quia ſolæ ſpecies non nutriunt, niſi in virtute ſubſtantiæ. Deus enim potuit ita inſtituiſſe ſubſtantiam panis cum ſpeciebus eſſe ſignum corporis, vt ſignati, ſicut ſpecies ſolas.

De re contẽta etiam patet; quia ſimultas ſubſtantiæ ad ſubſtantiam, non videtur repugnare, niſi propter repugnantiam quantitatis ad quantitatem. Vnde Angelus conceditur ſimul poſſe eſſe cum lapide, quia non habet dimenſiones repugnantes dimenſionibus lapidis; ſed quantitati corporis Chriſti non repugnat ſimul eſſe cum quantitate panis, nam modò ita eſt de facto, quia quantitas corporis Chriſti eſt ſub ſpeciebus panis, ſed non quantitatiuè: igitur videtur ſimiliter quòd ibi poſſint ſimul manere, & eſſe ſubſtantia panis, & ſubſtantia corporis Chriſti.

Quantitas corporis Chriſti eſt cum quantitate panis in Euchariſtia.

4. *Secundò probatur. Via ad quam ſequuntur pauciora difficilia, eſt eligenda.*

Item ſecundò ſic: In concluſionibus confuſè, & indeterminatè cognitis magis eſt eligendus ille modus tenendi illam concluſionem, ad quem pauciora ſequuntur inconuenientia, vera, vel apparentia, & minùs difficilia; ſed ponendo ibi manere ſubſtantiam panis, ſaluantur omnia, quæ credere oportet circa Euchariſtiam, ſcilicet quòd ibi ſit ſimul cum ea verum corpus Chriſti, & minùs difficilia ſequentur, & pauciora inconuenientia vera, vel apparentia, quàm ſi ponatur ſubſtantia panis tranſire in corpus Chriſti, quia tunc vitatur illud difficile, ponendo panem manere, de accidentibus manentibus ſine ſubiecto, quod non ponerent Philoſophi.

Item, ſi in tranſſubſtantiatione non maneat ſubſtantia panis, ſed conuertatur in corpus Chriſti, difficultas maxima videtur de differentia huius conuerſionis ad omnes alias, quia impoſſibile videtur per naturam quòd aliquid poſſit conuerti, & mutari in aliquem terminum, qui in nullo ſe haberet aliter nunc quàm priùs: iſte autem modus, qui ponit ſubſtantiam panis ibi manere, ſubterfugit vtramque iſtarum difficultatum; igitur eſt magis eligendus.

5. *Tertiò.*

Item tertiò ſic: In veritatibus credendis nihil eſt tenendum ſicut articulus fidei, niſi quod inuenitur per Scripturam traditum, tanquam articulus fidei, vel per Eccleſiam explicatum, vel per rationem neceſſariam ex creditis manifeſtè deductum: ſed per Scripturam ſacram non habetur quòd ſubſtantia panis ibi non maneat, imò magis quòd maneat. Patet, in Ioan. 6. dicit Saluator: *Panis, quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* Et Apoſtolus. 1. ad Corinth. 11. *Quotieſcunque manducaueritis panem hunc, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, ſcilicet ad Iudicium. Item idem, Ioannis 6. *Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi.* Non eſt etiam explicatum ab Eccleſia quòd ibi non maneat ſubſtantia panis, vel deductum per rationem neceſſariam ex manifeſtè creditis, quòd tota veritas huius ſacramenti poteſt teneri ſine hoc magis, quàm cum hoc, vt priùs eſt oſtenſum: igitur.

1. Cor. 11.

Si dicas, ſicut dicit vnus Doctor *, quòd imò poteſt probari per Scripturam, quia dicit Saluator Matth. 26. *Hoc eſt corpus meum*, ly autem *hoc* non poteſt demonſtrare ſubſtantiam panis, quia tunc eſſet propoſitio falſa ſecundùm eum; nam hoc demonſtratum, quod eſt *panis*, non eſt corpus Chriſti, & propter eandem auctoritatem dicit iſte Doctor, quòd hoc dicere eſt hæreticum. 6. * D. Thom.

Refutatur.

Sed iſtud dictum non cogit, quia dato quòd ſubſtantia panis maneat ibi, adhuc demonſtrari poteſt corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus ſimul cum illa ſubſtantia realiter contineri, quia pronomen demonſtratiuum poteſt oſtendere tam ſecundò contentum, quàm primò contentum. Patet ex modo loquendi, nam nos aliquando demonſtramus non primò contentum, ſed ſecundò contentum; vt ſi plures formæ ſint in eodem compoſito, dicimus quòd hoc corpus eſt primò quantum, & tamen ſolum demonſtratur ibi corpus ſub ratione corporeitatis, quod eſt ſecundum contentum, & non ſub ratione vltimæ formæ, quod eſt primum contentum. Vnde pronomen demonſtratiuum poteſt oſtendere vtrumque contentum; nam aliter eſſet hoc modo falſa, *hoc eſt corpus meum*, ſi ſola accidentia manent, quia iſta accidentia non ſunt corporis Chriſti, licèt maneat ſub eis realiter. Sicut igitur poſſibile eſt modò corpus Chriſti demonſtrare ſub accidentibus, ſine ſubſtantia panis, ita eſt poſſibile demonſtrare illud contineri ſub accidentibus manentibus cum ſpeciebus panis, quamuis ſubſtantia panis ibi eſſet.

Si ſubſtantia panis maneret, adhuc corpus Chriſti ibi demonſtraretur.

Pronomen demonſtratiuũ oſtendit, tam primò quàm ſecundò contentum.

7. *Secunda opinio.*

Alia eſt opinio, quam Magiſter recitat in litera, quòd quando eſt ibi corpus Chriſti, deſinit eſſe ſubſtantia panis, ita quòd non conuertitur in corpus Chriſti, & quòd ſic deſinit eſſe, hoc eſt, quia reſoluitur in materiam primam, vel annihilatur. Pro iſta opinione poteſt argui ſicut pro priori. Iſta etiam opinio ſaluat commune dictum, quòd accidentia ſunt ibi ſine ſubiecto, & non per nouum miraculum. Opinio prior non ponit accidens eſſe ſine ſubiecto, quia ponit ibi ſubſtantiam panis manere.

Quod Deus poteſt creare poteſt etiam annihilare.

Iſta opinio non poteſt improbari per hoc quòd ſubſtantia panis annihilatur, quia hoc poteſt Deus de potentia ſua abſoluta; quia omne quod à nihilo incipit per creationem, poteſt in nihilum tendere per annihilationem, & agens, cui totaliter ſubeſt *eſſe* eius, poteſt ſimpliciter facere illud non eſſe. Nec poteſt improbari quin Deus poſſet reſoluere panem in materiam, vel faciendo iſtam materiam ſub alia forma, vel conſeruando eam in ſe ſine omni forma.

8. *D. Thomas impugnat primam ſententiam. Primò ex inconuenientia.*

Contra iſtas opiniones, & primò contra primam arguitur tripliciter. Primò, quòd ſit inconueniens. Secundò quòd ſit impoſſibilis. Tertiò, quòd ſit hæretica. Primum quòd ſit inconueniens, patet ex tribus. Primò, quia tollit

tollit omnem reuerentiam,& honorem debitum Chriſto, quia in Euchariſtia adoratur vt Deus, nam ſibi debetur cultus latriæ: ſed ſi ſubſtantia panis maneret ſub ſpeciebus illis, ibi honor ſoli Deo debitus exhiberetur creaturæ,& per conſequens eſſet occaſio Idolatriæ.

Secundò.

Secundò, tollit ſignificationem huius ſacramenti, ſacramentum enim iſtud primò ſignificat corpus Chriſti, vt primum ſignificatum; ſed ſi ſubſtantia panis maneret ſub ſpeciebus panis, ſpecies illæ primò ſignificarent ſubſtantiam panis,& non ſubſtantiam corporis Chriſti.

Tertiò.

Tertiò ſequitur quòd tollitur debitus vſus huius ſacramenti, nam vſus huius ſacramenti eſt,vt ſit cibus ſpiritualis;ſed ſi ibi maneret ſubſtantia panis,eſſet cibus corporalis,& non ſpiritualis,quod eſt inconueniens.

Vtramque ſententiam reiicit ſecundò ex impoſſibilitate.

Item, quòd ſit impoſſibilis tam prima, quàm ſecunda, probatur, quia impoſſibile eſt aliquid eſſe vbi priùs non fuit, niſi per aliquam mutationem ſui, vel alterius in ipſum; ſed corpus Chriſti de nouo eſt in Euchariſtia, vbi priùs non fuit; igitur non ſine mutatione ſui, vel alterius. Non ſui, quia cùm ſimul poſſet eſſe in diuerſis locis, vt altaribus, ſimul poſſet mutari, vel moueri diuerſis motibus contrariis,vel eiuſdem ſpeciei, quod eſt inconueniens; igitur eſt in altari per mutationem alterius;non niſi alterius conuerſi in ipſum;igitur illud non manet, nec annihilatur.

Tertiò quia hæretica.

Tertiò quòd ſit hæretica, probatur, per iſtam auctoritatem Saluatoris præallegatam *hoc eſt corpus meum* Matth.26.

9. Secundam ſententiam refellit D. Thomas.

Contra ſecundam opinionem arguitur quantùm ad id, quod dicit de reſolubilitate in materiam; nam ſi fieret talis reſolutio, aut igitur in materiam primam nudam ab omni forma, vel in materiam ſub aliqua forma elementari? Non primum, quia hoc includit contradictionem; tunc enim ſimul eſſet in actu, & ſine actu, ſecundùm Commentatorem 1. *de Gener. text.com.* 23. *&* 24. Nec ſecundùm poteſt dari, quia ſi ſic, aut ſimul maneret illud corpus elementare cum corpore Chriſti ſimul,quod eſt inconueniens æqualiter ſicut primum, quia ſcilicet ſubſtantia ponitur ſimul manere cum corpore Chriſti, aut mutaretur de vno loco in alium in aduentu corporis, quod etiam eſt inconueniens, quia motus iſte localis poſſet tunc percipi per expulſionem aëris, vel corporis ſibi propinqui,quod non contingit:igitur.

10. Primam rationem D. Thom. reiicit Doctor.

Quicquid ſit de concluſione in ſe, iſtæ rationes non cogunt. Prima non, quia ſi ſubſtantia panis remaneret ſub ſpeciebus, non eſſet tunc maior occaſio Idololatriæ,quàm modò ſit,quando ſimul adorantur ſpecies ſenſibiles continentes corpus,& ipſum corpus à ſimplicibus,qui indiſtinctè adorant continens,& contentum in fide Eccleſiæ, quia Eccleſia tradidit ipſum ſub ipſis contineri,& ſub illis,& in illis adorari,non quòd adoratio fiat ſpeciebus, ſed contento ſub eis,licèt ipſi non diſtinguant:nec tamen propter hoc ſunt Idololatræ, quia adorant in fide Eccleſiæ indiſtinctè, ſicut Eccleſia docet, quia neſcirent ibi eſſe corpus Chriſti,niſi in ſpeciebus talibus,& ideò vtrumque adorant indiſtinctè,licèt vnum ſit adorandum per ſe,& aliud non,niſi inquantùm eſt ſignum receptiuum & repræſentatiuum eius, & ſic adorãt crucem in Eccleſia,non diſtinguentes inter ipſam,& Chriſtum,quem deſignat.

Si panis maneret,non eſſent idololatræ qui Euchariſtiam adorarent.

Secundam.

Ad ſecundum dico, quòd ſi ſubſtantia panis maneret ibi,magis ſignificaretur, & repræſentaretur corpus eſſe cibus animæ ex naturali ſimilitudine, quia ſubſtantia panis nutrit, & ſpecies non,quàm ſi ſolæ ſpecies eſſent,quia iſtæ non cibant naturaliter, ſed ſupernaturaliter, vt ſine ſubiecto.

Inſtantia.

Dices quòd iſtæ ſpecies primò repræſentant poſt conuerſionem, & conſecrationem corpus Chriſti tantùm, & ideò non ſubſtantiam panis, tunc ſicut priùs.

Solutio.

Reſpondeo, quòd non plus repræſentant naturaliter corpus Chriſti poſt conſecrationem quàm priùs;aliter enim ſtatim crederet infidelis, ſub illis eſſe corpus Chriſti poſt conſecrationem, & quilibet alius ex naturali repræſentatione ſigni ad ſignatum, quod eſt falſum, nam ſicut priùs repræſentant panem ex naturali inclinatione earum ad ſubſtantiam panis, ita & modò, quia natura illarũ manet eadem omnino; igitur & modus repræſentandi omnino idem.

Tertiam. Species nutriunt corporaliter.

Ad tertium de vſu dico, quòd non obſtante quòd corpus Chriſti in Euchariſtia ſumatur à fidelibus vt cibus ſpiritualis, iſtæ tamen ſpecies nutriunt corporaliter, quia 1. Corinth.11. *alius quidem eſurit, alius verò ebrius eſt.* Et multò magis hoc, ſi ſubſtantia panis ſub illis remanet, non enim tunc eſſet Euchariſtia corporalis cibus tantùm,ſed etiam ſpiritualis,ſicut modò,aliter non oporteret ſuadere ſub illis ſpeciebus corpus Chriſti realiter contineri.

11. Secundum argumentũ D Thomæ de poſſibilitate reiicit.

Ad aliud, quando arguitur de impoſſibilitate, dico,quòd ad hoc quòd corpus Chriſti ſit de nouo in altari per conuerſionem alterius in ipſum, non oportet ponere aliquam nouitatem in ipſo, vt probatum eſt diſtinct. 4.* quia nunquam neceſſariò ſequitur nouitas in priori propter nouitatem in poſteriori; ſed iſta præſentialitas corporis Chriſti,qua de nouo eſt in altari,eſt poſterior omni ſubſtantia.

* quæſt 4.

Præſentialitas corporis ſub ſpeciebus dicitur mutatio improprie.

Ad probationem dico, quòd extendendo mutationem ad ſimplicem præſentialitatem alicuius ſecundùm *vbi* nouum, concedo corpus Chriſti mutari,vt de nouo eſt præſens ſpeciebus, quia nouum *vbi* habet in eis, quod priùs non habuit, ſed ex hoc non ſequitur quòd corpus in ſe aliquo modo mutetur, nec hæc mutatio eſt propriè mutatio, ſed ſicut vnum *vbi* circumſcriptiuè terminat motum localem ſuo modo, ita iſtam mutationem ſecundùm *vbi* terminat præſentialitas ſimpliciter ſuo modo.

Ad aliud patet, quòd non eſt hæretica per prædicta in prima opinione.

12. Ratio Diui Thomæ cõtra ſecundam ſẽtentiam reiicitur. Ariſtot.

Ad illud,quod arguitur in ſecunda via,de reſolutione panis in materiam, & hoc vel in materiam nudam, non cogit, quia materiam eſſe per ſe ſine omni forma, non includit contradictionem; nam omne prius quantùm eſt ex ſe, poteſt eſſe ſine poſteriori, hæc enim eſt per ſe nota, quam etiam accipit Philoſophus 7. *Metaphyſ. text. com.* 33. ad probandum ſubſtantiam eſſe ſeparabilem ab omni accidẽte; materia eſt eſſentialiter prior omni forma, quia eſt fundamentum eius ex quo educitur:igitur non includit contradictionem quòd ipſa ſit, vel poſſit per ſe eſſe:ſed omne quod non includit manifeſtam contradictionem ex terminis ponimus Deum poſſe:igitur.

Tam actus quàm potentia dupliciter ſumuntur.

Et cùm probat, quòd ſic eſſet ſimul in actu, & ſine actu: dico quòd *actus* ſumitur dupliciter

pliciter. Vno modo pro forma, quæ eſt altera pars compoſiti, diſtinguendo ipſam à materia. Alio modo pro actu, qui eſt differentia entis diſtincti contra nihil; & eodem modo ſumitur *potentia* dupliciter. Vno modo pro principio paſſiuo, quod eſt altera pars compoſiti diſtincta contra formam. Alio modo vt eſt differentia entis diuiſa contra actum, quo modo dicimus aliquid, quod nõdum eſt, eſſe in potentia vt ſit, quia non prohibetur eſſe, nec repugnat ſibi eſſe, quando eſt. Et iſto modo omne quod poteſt eſſe, & non eſſe, eſt in potentia, & omne quod eſt, quocunque modo ſit dum eſt, eſt in actu per formam; & iſto modo materia non eſt tantùm potentia, vt eſt differentia entis, ſed actus, quia & ipſi concedũt quòd materia priùs fuit poſſibilis eſſe; quàm fuit in re, quia antequam creabatur, fuit in potentia, & creatio eius non terminabatur ad nihil; igitur ad ens in actu, vt *actus* eſt differentia eius, & potentia, quæ eſt altera pars compoſiti; nec iſta repugnant in eodem. Nec valet, non eſt actus compoſiti, igitur nullo modo eſt ens, vel actus, ſed eſt conſequens falſum.

Materia eſt ens in actu & in potentia.

Materia erat ante creationem potentia obiectiua, ſed pòſt ſubiectiua.

Poteſt etiam dici, quòd panis poteſt reſolui in materiam ſub aliqua forma elementari, & quòd illud elementum manet ſub, vel cum quantitate panis, licèt ita non ſit de facto, quia tunc præter corpus Chriſti, & ſubſtantiam panis conſeruaretur, quod eſt falſum de facto, licèt non impoſſibile fieri à Deo.

SCHOLIVM II.

Tenet Doctor tertiam ſententiam, nempe panem conuerti in corpus Chriſti, quia ſic Eccleſia tenet. Ita ſancti Patres, & cap. firmiter *de ſum. Trin. Trid. Seſſ. 13 cap. 4. Vide Doctorem in Oxon. hìs à n. 11. & ſcholium. Ponit ſententiam Ægidij nimis obſcuram de modo, quo fit hæc conuerſio, quam latè refutat; de quo vide ipſum ibid. à n. 16.*

13. *Opinio Auctoris.*

Teneo igitur iſtam opinionem ibi poſitam ab Innocentio, quòd ſubſtantia panis non maneat, ſed quòd tranſubſtantiatur in corpus Chriſti, non propter rationes prædictas, quia non cogunt. Pro hac ſunt duæ congruentiæ, vna talis quòd ſi ſubſtantia panis remaneret ſub ſpeciebus, percipiens corpus Chriſti, & ſanguinem ſub illis ſpeciebus, non eſſet ieiunus, & ſic nulli liceret bis celebrare in die, ſi ſumeret ſubſtantiam panis, quod eſt falſum, *de Conſe. Diſt. 1. In nocte.* Item, Eccleſia orat, vt patet in Canone Miſſæ, vt panis & vinum fiant corpus, & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti: non orat pro impoſſibili; igitur tenendum eſt quòd ſubſtantia panis deſinit eſſe ibi virtute conuerſionis, & quòd deſitio eſt eius conuerſio in corpus Chriſti. Et hoc principaliter teneo propter auctoritatem Eccleſiæ, quæ non errat in his, quæ ſunt fidei, vel morum, cuius Vicario primo dixit Chriſtus: *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Eccleſia autem tenèt non ibi manere ſubſtantiam panis, & vini, patet Extrà, de ſumm. Trin. & fid. cath. Et dicit Papa cum toto Concilio generali, c. 1. *Firmiter credimus, ibi corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus panis, & vini, tranſubſtantiatione facta, contineri,* & pòſt, *tranſmutato pane in corpus Chriſti & vino in ſanguinem virtute diuina.* Ad hoc autem eſt auctoritas Ambroſii in libro 4. de Sacram. c. 4. & ponitur *de conſecr. diſt. 2.* in duobus capitulis, quorum vnum ſic incipit: *Reuera mirabili*, & aliud ſic: *Panis in altari, quia ſi tanta vis eſt ſermonis Domini Ieſu, vt inciperet eſſe quod non erat, quantò magis operatorius* &c. & adducit probationem ad hoc ibi. Item alia auctoritas Auguſtini, & patet in litera.

Pro panis diſſitione dea congruentiæ adducuntur

Ratio principalis concluſionis eſt Eccleſiæ Auctoritas.

Ambroſ.

Quantùm ad ſecundum articulum, quomodo ſcilicet aliquid poteſt tranſubſtantiari in præexiſtens? dicit vnus doctor ibi à quæſtione prima deinceps per longum diſcurſum, ſed quantùm ad propoſitum, poteſt formari talis ratio ex dictis eius: Materia prima vt eſt quid, eſt omninò indiſtincta; igitur agens, quod reſpicit eam attingit eam vt eſt, quia reſpicit eam vt eſt omnino indiſtincta; ſed tantùm agens primum poteſt ſic attingere eam, vt eſt quid, & nullum aliud; quia quodlibet aliud agens attingit per motum, per quem attingitur primò quantum, & non quid; igitur omnem formam, quam Deus in materiam panis, vt quid eſt, poteſt inducere; poteſt inducere in materiam cuiuſcunque alterius corporis, quia materia vt quid eſt, eſt indiſtincta in omnibus; ſed ſi forma corporis Chriſti nõ eſſet, poſſet Deus facere eam redire, ex quo materia corporis Chriſti manet, quia forma, cuius materia manet eadem, poteſt redire eadem numero virtute diuina ſed faciendo eam redire: poſſet eam ponere in materiam panis, quia materia omnino vt quid eſt, eſt indiſtincta penitus; igitur & modò poteſt facere corpus Chriſti eſſe in materia panis; ſed hoc facto, cùm duæ formæ non poſſint eſſe in materia eadem, vt forma corporis & forma panis in materia panis, & ſequitur quòd forma tranſit in formam, & materia in materiam, & totum in totum. Eſt igitur tranſubſtantiatio panis in corpus Chriſti ſolùm ex hoc, quòd materiam panis eandem eſſentialiter facit ſubeſſe formæ corporis Chriſti.

14. *Quomodo tranſubſtantiatur panis in Chriſti corpus. Opinio Ægidij Theorem. 10.*

Sed iſta ſunt falſa dogmata, & valdè extra propoſitum. Prima enim propoſitio, quam accipit de materia, quòd vt quid eſt, eſt omnino indiſtincta, eſt falſa, & contra Philoſophũ expreſſè 1. Metaphyſic. c. 2. tex. qui loquẽs de per ſe principiis rerum dicit quòd *principia per ſe diſtinctorum ſunt per ſe diſtincta*, & non tantùm per accidens, non tantùm genere, vel ſpecie, ſed etiam numero. Inde quantùm ad materiam vt eſt per ſe principium, quid, dicit quòd *alia eſt materia mea, & alia eſt materia tua, & ſpecies quæ eſt forma & mouens*, quia principiato per ſe correſpondent principia per ſe; materia enim vt quid, eſt principium per ſe, & non aliter; igitur.

15. *Ægd. reiicitur primò.*

Ariſtot.

Materia ex ſe eſt vna ab omnibus aliis diſtincta numero.

Per ſe principiato correſpondent principia per ſe.

Item, cùm dicit, materia eſt indiſtincta ſub forma panis, & corporis, Aut intelligit quòd ſit indiſtincta in eis, quia eſt vnius rationis in eis; aut quia eſt omnino vna numero in eis? Si primo modo, nihil habet de propoſito ſuo; quia etſi ſit vnius rationis, non oportet quòd forma, quæ ponitur in vna materia, ponatur in alia, quia & modò materia in omnibus generabilibus, & corruptibilibus, eſt vnius rationis, non tamen ſequitur quòd omnis forma, quæ ponitur in vna materia, ponatur in alia, & quia tunc materia hominis ſibi propria poſſet eſſe ſub forma aſini, quod eſt falſum, quia cuiuslibet indiuidui eſt alia, & alia materia; licèt ſint eiuſdem rationis, quia alia tua, alia mea materia eſt, & per conſequens ex iſta vnitate materiæ corporis Chriſti, & panis, non ſequitur tranſubſtantiatio, ſicut nec ex vnitate hominis

Materia omnium generabilium ſunt eiuſdem ſpeciei.

Cuius libet indiuidui eſt propria materia.

hominis & asini, conuersio hominis & asini, vel è conuerso : igitur oportet dicere quòd materia sit omnino eadem numero, realiter vtrobique, Tunc arguo: materia licèt sit sub forma ignis, & aquæ, tamen essentialiter & secundùm se, est prior vtraque forma, ideò in illo priori non distinguitur secundùm se, quia, perte, materia vt quid, est omnino indistincta, nec distinguitur per formam, quia prius essentialiter indistinctum essentialiter non distinguitur per aliquid posterius, sed tantùm per accidens; igitur materia aëris, & ignis est modò penitus indistincta, & vt omnino indistincta recipit formas contrarias, & per consequens in eadem materia omnino indistincta sunt simul formæ contrariæ.

Materia essentialiter est forma prior.

16. *Secundò.* Item, sequitur ex ista opinione, quòd non magis est vna materia in generato eodem, & postea in corrupto, quàm in isto generato, & isto corrupto, quod est falsum; quia sic eadem materia omninò indistincta esset simul sub forma generationis, & corruptionis.

Tertiò. Item, quod postea dicit, quòd Deus posset reparare formam corporis, postquam non fuit, & ponere eam in materia panis; igitur & modò hoc potest. Istud est impossibile, si eadem sit materia omninò indistincta vtriusque, quia susceptiuum habens formam, non potest à quocunque recipere illam formam, quia ponere formam præexistentem de nouo recipi in materiam, est ponere susceptiuum simul habere formam, & non habere eam; inquantùm enim præexistit in ea habet eam, inquantùm potest recipere eam, non habet eam : si igitur materia panis, & materia corporis sit penitus indistincta, & forma corporis Christi sit in sua materia; igitur non potest de nouo poni in materia panis, quia eorum materia est penitus indistincta, quia tunc esset de nouo in materia, & non de nouo in ea, vt argutum est.

Prahabens formam non potest eam de nouo recipere.

Quartò Item, esto quòd materia sit eadem illorum, non tamen propter hoc sequitur transubstantiationem fieri inter illa, sed potiùs corruptionem, quia materia, quæ præfuit sub forma panis, & modò est sub forma corporis, verè priuatur forma panis, quia panis non manet, igitur non est transubstantiatio, sed corruptio, vt arguitur de igne & aëre.

Quintò. Item, subiectum non est magis idem, per hoc quòd recipit aliquid; si igitur forma ignis præexistentis ponatur in materia aëris, non est transubstantiatio, vel conuersio, sed præexistentis & manentis erit generatio, quod est impossibile.

Sextò. Item, dimittendo ignem, & aërem, loquamur de materia panis, & materia corporis Christi: certum est enim quod licèt Deus posset reparare formam corporis, si non esset, non tamen sequitur quòd si ponat illam alibi, vt in materia panis, quòd fiat transubstantiatio, quia ista materia esset magis materia sua, quàm si panis maneret in altari. Ponendo enim formam corporis Christi in materia panis, manet materia panis, sed non forma, quia iam esse definit; igitur magis est ibi corruptio, & generatio, quàm transubstantiatio, vel conuersio.

17. *Septimò. Agens attingit passum præcise secundum suam essentiam nudam.* Item, probatio sua de agente creato, quòd non possit attingere materiam nudam, non valet, nam sub illa ratione præcisè, agens attingit passum, sub qua passum recipit actum; hæc est manifesta de se: sed passum recipit actum secundùm essentiam suam nudam; igitur vt sic attingit ipsum passum.

Item, in illa inductione contradicit sibi, cùm dicit quòd omne instrumentum agit per motum, & quòd omnis creatura sit instrumentum Dei in agendo per motum; quia Deus non potest secundùm eum, agere per motum; sed omnis creatura est instrumentum Dei in agendo, per motum, & nullum instrumentum agit aliquo modo, nisi quia motum à principali agente; igitur proximum agens alicuius effectus inducti per motum non agit per motum, nisi quia motum à Deo, vt principali agente, & per consequens Deus aget per motum necessariò. *Octauò.*

SCHOLIVM III.

Resolutio : possibilem esse conuersionem totalem in præexistens, nulla mutatione ad absolutum facta in termino ad quem : *sed acquisito tantùm respectu extrinseco.*

18. *Partialis transubstantiatio in præexistens non est possibilis.* QVantùm ad istũ articulũ, dico quòd possibile est esse conuersionẽ totalẽ in præexistẽs, sed non partialem, quia impossibile est conuersionem partialem fieri in præexistens, quia impossibile est subſtantiam præexistentem, vel simpliciter, vel secundùm *quid* generari. & dico *secundùm quid*, pro nutritione, & adgeneratione, vbi aliquid adgeneratur præexistenti, quod tamen non præexistebat, quia tunc generatio termini terminaretur ad nihil, si totum præfuit, & nihil de nouo acquiritur præexistenti; sed in totali transitione in præexistens nihil nouum acquiritur, nec aliquid quod priùs fuit: igitur.

Aliter declaro hoc sic: Illud quod præsupponitur actioni alicuius agentis creati, necessariò præsupponitur vt materia, quia materia est primum fundamentum naturæ : igitur nullum tale agens potest habere ipsam pro per se termino, & per consequens non potest transubstantiare aliquid, nec conuertere aliquod totum in aliquod totum, quia facit de nouo materiam, sed quia forma de nouo inducta potest habere pro per se termino formali suæ actionis, ideò potest conuersione partiali conuertere formam in formam præsupponendo materiam: & hæc conuersio partialis vocatur generatio : sed Deus nihil præsupponens suæ actioni, potest habere totum pro termino suæ actionis; quia enim non præsupponit materiam, potest habere materiam pro termino per se suæ actionis, & conuertere materiam in materiam, & formam in formam, sed conuersis omnibus principiis aliquorum in se virtutè diuina totum conuertitur in totum.

Materia præsupponitur ad actionem quãlibet agentis creati.

SCHOLIVM. IV.

Sententia Ægidij, tenentis materiam sub modo quantitatiuo nihil ipsi addenti esse terminum conuersionis, refutatur clarè & efficaciter, de qua Doctor in Oxon. hìc à n. 29.

19. *Anima solum concomitanter est sub speciebus.* QVantùm ad tertium principale, quis scilicet sit præcisus, & formalis terminus transubstantiationis istius, non possunt leuiter assignare ponentes tantùm vnam formam in homine, quia non possunt assignare animam terminum formalem illius transubstantiationis, quia secundùm eos, & omnes, anima non est ibi sub speciebus post consecrationem, nisi tantùm concomi-

tanter; nec potest dici panis conuerti in materiam nudam, quia materia nuda non est corpus, nec in accidentia, quia tunc non esset transubstantiatio, sed aliqua mutatio accidentalis: tamen hîc à prædicto Doctore dicitur quòd materia sub modo quantitatiuo est primus terminus conuersionis istius; ponunt enim quòd aliquid vnius generis potest habere modum alterius generis, sicut differentia substantialis habet modum qualitatis 4. *Metaphys.*; & calor modum substantiæ inquantùm generat carnem 2. *de Anima.* & ita materia, licèt sit in genere Substantiæ, potest habere modum quantitatis. Nec iste modus in materia est aliud à materia, & per consequens materia sub isto modo potest dici totũ compositum, scilicet organicum, & ideò panis conuersus in materiam sic quantam, & habentem modum corporis organici, potest dici conuerti in corpus Christi.

Opinio Ægidij.

Aristot. Substantia videtur in fluere modum accidentis, & à conuerso.

20. Impugnat Ægid. primò.

Contra istud de isto modo quæro, Vtrùm iste modus sit idem materiæ præcisissimè acceptæ, vel non? si sic, & fit isto modo conuersio in corpus, igitur materia præcisissimè accepta est corpus. & tunc absolutè fit conuersio in materiam primam, quæ secundùm ipsum, est in omnibus omninò indistincta, & præfuit eadem omninò, quod est falsum; si non est idem cum materia præcisissimè accepta, igitur vel est aliquid, vel nihil: si nihil, igitur conuertitur in nihil, & per consequens terminus conuersionis panis est nihil; si est aliquid, aut igitur sola materia præcisè accepta, & tunc idem, quod præcedit; aut aliqua forma alia ab intellectiua, & tunc sequitur propositum, quòd compositum ex materia, & forma, est per se terminus conuersionis, Non potest dici forma substantialis materiæ primæ, quia intellectiua est forma totalis; & vnius materiæ, vel compositi non sunt plures tales formæ; igitur est forma accidentalis; & per consequens primus terminus huius conuersionis erit ens, vel compositum accidentale, quod est inconueniens.

Terminus cõuersionis est aliquid.

Vnius compositi vna est forma substãtialis totalis.

Secundò.

Item, alibi dicit quòd iste modus quantitatiuus est derelictus à quantitate in materia. Tunc arguo; Illud, quod est idem priori, non potest causari à posteriori, & è conuerso, impossibile est causatum à posteriori esse idem priori, quia à quo non dependet illud, quod est prius, ab eo non dependet, quod est sibi idem; sed effectus dependet à sua causa; igitur quod est idem priori, nullo modo dependet à posteriori, quia tunc illud prius, cum quo est idem, causaretur à posteriori, sed secundùm eos iste modus derelinquitur à quantitate in materia; igitur cùm materia sit æqualiter prior cum quantitate, impossibile est istum modum esse idem cum materia.

Causatum à posteriori non potest esse idẽ cum priori.

Tertiò.

Item, illud corpus, quod ponis, vel realiter manet cum isto modo, aut est corpus mathematicum, vel naturale existẽs naturaliter? Si est corpus mathematicum, cùm illud per se includat quantitatem, sequitur quòd terminus istius conuersionis erit ens per accidens. Si est naturale, aut igitur per formam naturalem, & habetur propositum; quòd scilicet sit alia forma in homine ab intellectiua, quia illa non est ibi, nisi tantùm concomitatiuè, & per consequens compositum ex materia & ista forma erit terminus per se conuersionis. Si est corpus naturale per qualitatem naturalem; omnis qualitas naturaliter præsupponit quantitatem, quia non immediatè perficit materiam; igitur si in corpus naturale isto modo fiat conuersio, sequitur quòd terminus eius est duplex ensper accidens.

SHOLIVM V.

Sententia D. Thomæ, terminum conuersionis panis ex vi verborum esse compositum ex materia, & anima, vt dat esse *corporeum. Infauorem huius sententiæ adducit Doctor in Oxon. hîc à n. 15. quatuor argumenta contra formam corporeitatis. Refutatur primò, quia anima in re non dat* esse *corporeum, quin det* esse *viuum. Secundò, in triduo si fuisset hostia in pyxide, mansisset ibi corpus, & non anima vllo modo. Resolutio Doctoris, terminum conuersionis panis esse compositum ex materia & forma corporeitatis. Quam formam necessariò admittendam esse, latè probat in Oxon. hîc a n. 19. rationibus, & sanctorum authoritatibus.*

21. Sententia D. Thom.

Alia est opinio, quæ dicit quòd compositum ex materia, & anima intellectiua, vt forma, est terminus istius conuersionis, vt verò anima dat *esse* corporeum, & non vt dat *esse* intellectiuum,

Reiicitur primò.

Sed istud nihil est, quia conuersio terminatur ad aliquid reale existens in re, vel ad compositum, quod potest habere rationem termini, & nõ ad aliquid abstractum per intellectum; sed si homo habeat tantùm vnam formam, vt dat *esse* corporeum, & non vt dat *esse* intellectiuum, non est realiter existens, nec potest anima esse forma eius, & per consequens nihil terminat primò, & per se, istam conuersionem, nisi compositum ex materia & forma intellectiua, & ita anima intellectiua esset per se terminus huius conuersionis, vel saltem inclusus in per se termino; quod ipsi negant; quia dicunt ipsam tantùm ibi esse per concomitantiam.

In triduo mortis fuisset vera Eucharistia.

Item, in triduo mortis anima non dabat aliquod *esse* materiæ corporis Christi, quia fuit separata, nec *esse* corporeum, nec aliquod *esse*; sed in triduo si species fuissent consecratæ, fuisset vera Eucharistia; igitur anima nullo modo requiritur secundùm vllum *esse*, quod dat materiæ, vt pars, vel forma compositi primò terminantis conuersionem istam; igitur requiritur aliqua alia forma compositi terminantis primò eam.

22. Sententia Doctoris.

Compositum ex materia & forma corporeitatis est terminus primus conuersionis panis.

Dico igitur quòd primus terminus huius conuersionis est aliquod compositum ex materia & forma substantiali non intellectiua, sed aliqua forma mixti, per quam corpus est in proxima dispositione vt animetur, & tale compositum est in genere Substantiæ, non sicut completum indiuiduum corporis, vt corpus est quoddam genus subalternum; sed corpus, quod est altera pars compositi hominis, pars, inquam, potentialis respectu animæ intellectiuæ, quia per illam formam corpoream organicam vltimatè disponitur materia ad susceptionem animæ intellectiuæ, quâ inductâ totum tunc est in genere, & in specie animalis rationalis, & in corpus isto modo sumptum totaliter conuertitur substantia panis, tanquam in primum terminum conuersionis.

23. Ad primum principale. Post conuersionem remanẽt accidentia in Eucharistia.

Ad primum principale, dico quòd collecto pane colliguntur ista, quæ sunt panis per accidens, & conuersione facta panis in corpus Christi, adhuc remanent accidentia talis panis conuersi, quæ sic tunc repræsentant naturaliter sicut priùs, sed non ex institutione.

Ad secundũ.

Ad secundum, dico quòd species illæ panis

&

& vini, verè nutriunt, & comeduntur, & bibuntur, ſicut panis & vinum. Patet per Apoſtolum 1.Corinth.11. *Alius verò eſurit, alius verò ebrius eſt*; conuenienter enim inſtituit Deus corpus ſuum debere percipi in illis ſpeciebus, quarum contenta nos naturaliter, & ſubſtantialiter nutriunt, ſicut in Baptiſmo fit ablutio in aqua ſacramentaliter, qua aliàs ſolemus ablui non ſacramentaliter, & quantùm ad hoc eſt ſimile.

Ad tertium. Ad tertium, dico quòd ſicut panis ex multis granis collectus repræſentat corpus verum, & vna Eccleſia ex multis fidelibus vnum corpus Chriſti myſticum, ita repræſentant ſpecies multorum granorum corpus verum Chriſti, & magis.

Ad quartum. Ad quartum, cùm dicis quòd in omni mutatione terminus *ad quem* accipit aliquod *eſſe*, verum eſt de mutatione propriè dicta, ſed totalis conuerſio vnius in aliud non eſt talis mutatio, imò etſi Philoſophus conceſſiſſet tranſubſtantiationem, non dixiſſet eam eſſe mutationem. Si autem accipiatur *tranſubſtantiatio* pro mutatione impropria, ſic concedo eſſe realem conuerſionem, non quantùm ad terminum *ad quem*, ſed tantùm, quantùm ad terminum *à quo*, quia panis totaliter vertitur in corpus Chriſti.

Conuerſio eſt mutatio impropria.

Ad quintum. Ad aliud, cùm dicis quòd conuerſum in aliud magis accipit *vbi* illius, quàm è conuerſo; dico quòd verum eſt quantùm eſt ex vi conuerſionis, ſed hîc concurrit actio diuina, quæ facit corpus ſuum præſens ſub ſpeciebus, vbi priùs non fuit, & ideò non ſequitur concluſio.

Ad vltimũ. Ad aliud, patet reſponſio per prædicta, quòd conuerſio fit in corpus compoſitum ex materia & forma mixti.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm in conuerſione panis in corpus Chriſti annihiletur panis?

Alenſ.4. *p.q* 38. *m.*3. D.Bonau. *hic art.*1. *q.* 3. Richard. *art.*1.*q.*3. Palud *q.*3. Capr. *q.*1. D.Thom. *q.*1. *art.*2. *&* 3. *p. q.*75. *art.*3. Henr. *quodl.*9.*q.*9. AEgid. *Theor.*1. *&* 34. Suar. *tom.*3. *d.*50 *ſ.*7.

1. *Argumentũ primum affirmatiuum.*

VOD ſic; nam quod præfuit, & nihil eius manet, annihilatur: ſed ſubſtantia panis præfuit iſti conuerſioni, & poſt conuerſionem nihil eius manet, quia totum conuertitur in totum, vt materia in materiam, & forma in formam; ergo.

Secundum. Item, quod nihil eſt in ſe, nec in alio, ſimpliciter annihilatur; ſed panis poſt conuerſionem eius, nihil eſt in ſe, ſecundùm ſubſtãtiam ſui, nec in corpore Chriſti, quia tunc augmentaretur corpus per aduentum eius in ipſum, quia illud augmentatur, in quo eſt aliquid ſubſtantiæ, quod priùs non fuit.

Tertium. Item, in tranſubſtantiatione, vel conuerſione partiali, vt in corruptione, terminus *à quo* annihilatur; igitur multò magis in conuerſione totali, vbi totum transfertur in totum, terminus *à quo* annihilatur. Antecedens patet, in corruptione, vbi forma rei corruptæ ſimplex, & indiuidualis annihilatur, quia non habet partem, & partem, ſecundùm quarum vnam manet, & ſecundùm aliam corrumpitur; igitur ſi ſecundùm aliquid corrumpitur, totaliter annihilatur.

Obiectio. Si dicatur quòd non annihilatur, quia manet in potentia materiæ, licèt nihil eius in actu remaneat.

Reſponſio. Contrà, agens actione naturali poteſt educere de potentia materiæ omnem formam educibilem ab eâ: igitur ſi forma corrupta eſſet in potentia materiæ, ſequeretur quòd ab agente actione naturali poſſet educi eadem numero de potentia materiæ, poſtquam corrupta eſt, quod eſt inconueniens, & contra Philoſophum 2. *de generatione text.* 38. dicentem quòd idem corruptum non poteſt reparari de nouo ſecundùm numerũ.

Idem numero corruptum nõ poteſt naturaliter reproduci.

Et præter hæc ex iſta reſponſione ſequitur propoſitum, ſi ideò forma non annihilatur, quia manet in potentia materiæ, igitur illa, quæ nullo modo eſt in potentia materiæ, ſi non maneat, totaliter annihilatur; ſed forma panis tranſubſtantiati nullo modo manet in potentia ſubſtantiæ, vel materiæ; igitur totaliter annihilatur.

Quartum. Item quartò ſic: creatio & annihilatio ſunt mutationes oppoſitæ, ſicut generatio, & corruptio; igitur ſicut terminus *ad quem* generationis eſt terminus *à quo* corruptionis, & è conuerſo, *ex* 5. *Phyſic. text.*7. *&* 8. ita terminus *ad quem* creationis eſt terminus *à quo* annihilationis; ſed quando totum, cuius nihil præfuit, producitur vt terminus *ad quem*, creatur; igitur quando aliqua verſio incipit à tota ſubſtantia, vt termino *à quo*, totaliter annihilatur.

Ratio ad oppoſitum. Contrà ex Ambroſio, & aliis *vbi priùs quæſtione præcedente*, panis conuertitur in corpus Chriſti, vt in aliquid poſitiuum, ergo non annihilatur.

Ambroſ.

Item, ſi iſta conuerſione annihilaretur panis, igitur ab eodem, à quo eſſet iſta conuerſio panis in corpus Chriſti, eſſet annihilatio panis; ſed Deus eſt cauſa conuerſionis ſecundùm omnes; igitur annihilationis panis, quod eſt contra Auguſtinum 83. qq. quæſt.21. vbi vult quòd Deus non eſt cauſa annihilationis rei.

Aug.

SCHOLIVM I.

*Sententia Henrici, panem non annihilari, quia eſt quodammodo corpus Chriſti, vel aliqualitas corporis, vel eſt aliquo modo aliquid ipſius. Hanc refutat quatuor rationibus claris. Vide ipſum in Oxon. à num.*3. *& Quodl.*10. *& n.*21. *Sentẽtia Ægidij & aliorum, ideò non annihilari panem, quia manet materia ipſi communis in corpore Chriſti, reijcitur tribus claris rationibus.*

2. HIc certum tenetur ab omnibus, quòd panis non annihilatur in conuerſione eius in corpus, ſed manet. Sed quomodo maneat, diuerſimodè à diuerſis ponitur. Dicit enim vnus Doctor quòd panis poſt conuerſionem non eſt nihil, quia quod conuerſum eſt in aliud, non annihilatur; igitur eſt aliquid, non aliquid aliud ab eo, in quod conuerſum eſt, quia nec eſt panis, quia panis poſt conuerſionem non manet; nec aliquid aliud à corpore Chriſti, in quod conuertitur, quia nec lapis, nec lignum; nec aliquid aliud huiuſcemodi: igitur eſt aliquid aliquo modo in termino *ad quem* cõuerſionis, vt ſic ſit verum dicere quòd illud quod fuit panis, vel aliquiditas, ſiue aliquitas panis eſt corpus Chriſti, vel aliquiditas corporis Chriſti eſt eius quod fuit ſubſtantia panis, & ſecundùm hoc *eſſe* corporis Chriſti habebit eundem modum eius, quod erat ſubſtãtia panis.

Opinio Henr.

3. *Reiicitur primò.* Cõtrà, in omni cõuerſione ſubſtãtiali terminus *ad quem* includit *non eſſe* termini *à quo*, quia termini ſunt oppoſiti; igitur in iſta cõuerſione totali panis in corpus, &c. terminus *ad quem* includet

non

non eſſe panis, vt termini *à quo*; ſed nihil ſub illa ratione, ſub qua includit *non eſſe* alterius eſt eadem aliquiditas cum illo, nec aliquitas vnius eſt aliquitas alterius; igitur poſt conuerſionem panis in corpus, cùm corpus includat *non eſſe* panis, non eſt aliquitas corporis Chriſti aliquitas panis, ſed magis non entitas, vel annihileitas panis.

Corpus includit non eſſe panis.

Secundò. Aliquitas panis non manet in corpore Chriſti in Eu. chariſtia.

Item, ſi corpus Chriſti nullo modo aliter ſe habet nunc quàm priùs, nullo modo habet aliquid aliud in ſe nunc quàm priùs; ſed corpus Chriſti poſt conuerſionem nullo modo aliter ſe habet nunc quàm priùs in ſe; igitur nec aliter habet aliquid in eo tunc quàm priùs; igitur.

Tertiò.

Item tertiò ſic: cuius eſt per ſe aliqua aliquitas, illud per ſe eſt aliquid illa aliquitate, vt cuius eſt per ſe albedo, illud per ſe formaliter eſt album illa albedine; igitur ſi aliquitas corporis Chriſti ſit ipſius panis poſt conuerſionem, panis erit aliquid in illa aliquitate: aut igitur ſubſtantia, aut accidens? non accidens, quia non eſt conuerſio accidentalis, ſed ſubſtantialis; ſi ſubſtantia, aut igitur ſubſtantia panis, quod non contingit, quia non manet poſt conuerſionem; aut ſubſtantia corporis Chriſti? quod non eſt verum, quia tunc poſt conuerſionem panis eſſet ſubſtantia corporis Chriſti, quod eſt impoſſibile, quia panis nihil eſt in ſe, & per conſequens nec in alio.

Habens aliquitatem eſt formaliter aliquid.

Quartò. Auicenna Res ſecundùm Henricũ dupliciter capitur.

Item, *aliquid* & *res* ſunt conuertibilia, per Auicennam 1. Metaphyſ. c. 6. ergo cuius eſt alia aliquitas, eius eſt alia realitas, & eſt res alia aliquitate. *Res* verò ſecundùm opinantem iſtum, vno modo dicitur à *realitate*. Alio modo à *reor, reris*, quod eſt *opinari*; igitur ſi panis poſt conuerſionem eſſet aliquitas corporis Chriſti, & è conuerſo, panis poſt conuerſionem eſſet res aliquitate illa; aut igitur *res* dicta primo modo à realitate, & tunc ſequitur vt priùs, quòd panis poſt conuerſionem hac aliquitate habet eſſentiam ſuam actu, & poſt vt priùs; aut eſſentiam panis, aut eſſentiam corporis Chriſti; nec ſic, vt patuit. Si autem dicatur *res* ſecundo modo, vt dicitur à *reor, reris* quod eſt *opinor, opinaris*, ſequitur quòd panis poſt conuerſionem non eſt magis ens, vel res, quàm chimæra, vel impoſſibile; quia talia ſunt *opinari*, & *imaginari*, & per conſequens iſto modo eſt res.

4. Secunda opinio Ægidy.

Dicitur aliter, quòd panis non annihilatur totaliter poſt conuerſionem eius in corpus, ſed manet in illo in potentia, quia corpus Chriſti, quod eſt terminus *ad quem* & panis, habent ſubiectum commune, vt materiam, & ideò ſubſtantia panis poteſt redire poſt conuerſionem corporis Chriſti in ipſum; quod non eſſet, niſi haberent ſubiectum commune. Et hæc eſt ratio, quare ſpiritus non poteſt conuerti in ſpiritum, nec corpus in ſpiritum, quia nihil commune eſt vtrique termino.

5. Impugnatur primò.

Contrà, ſi panis poſt conuerſionem in corpus non annihilaretur, quia manet in potentia materiæ communis ſibi & corpori Chriſti, ſequeretur quòd Deus non poſſet annihilare vnum corpus, niſi annihilaret omnia corpora, quia omnia corpora, ſecundùm eum, habent materiam eiuſdem rationis; conſequens eſt falſum, & impoſſibile; igitur & antecedens. Conſequentia eſt manifeſta, quia quantumcunque deſtruat lapidem, vel lignum, non annihilantur, ſed manent in potentia materiæ aliquorum corporum; & vnius corporis, ſi tantùm vnum maneat, & per conſequens non annihilantur, quamdiu manent in potentia materiæ alicuius vnius; conſequens eſt manifeſtum, quia ſicut poteſt creare vnum non creando aliud, ita poteſt annihilare vnũ ſine alio.

Sicut Deus poteſt creare vnum ſine alio ita & deſtruere.

Secundò.

Item, eſto quòd Deus annihilaret panem, & poneret corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus ſolis ſine ſubſtantia panis, non veriùs tunc maneret ſubſtantia panis, quàm ſi non poneret ibi corpus Chriſti, quia nihil habet corpus Chriſti in ſe, quando ponitur ſub illis ſpeciebus, quod priùs non habuit. Sed ſi ſic eſſet, maneret tunc ſubſtantia panis in potentia corporis Chriſti ſicut modò manet poſt conuerſionem eius in corpus exiſtens ſub illis ſpeciebus, nec veriùs manet in potentia materiæ corpus Chriſti nunc poſt conuerſionem, quàm tunc maneret; igitur ſic manere non impedit annihilationem.

Tertiò.

Item, contra hoc, quod dicitur, quòd non annihilatur conuerſum, quia manet aliquid commune vtrique termino conuerſionis; arguo ſic: commune non requiritur ad mutationem; in ratione termini, imò inquantùm ſe tenet ex parte termini magis impedit mutationem, quia mutatio eſt per ſe inter oppoſita; vnde illa, quæ ſunt vnius ſpeciei non ſunt per ſe tranſmutabilia, commune igitur non pertinet ad mutationem, vt terminus eius, ſed vt ſubiectum eius. In illa autem conuerſione panis in corpus nihil commune manet, vt ſubiectum, quia totum tranſit in totum, vt materia in materiam, & forma in formam, aliter hæc conuerſio eſſet generatio, vel corruptio, nec aliquid commune requiritur hîc in ratione termini, quia commune in ratione termini magis impedit quàm iuuat, vt probatum eſt: igitur ex hoc quòd ponitur tale commune manere, non poteſt probari conuerſio vnius in aliud, ſed magis annihilatio; nihil enim commune, quod non eſt vt ſubiectum, ſed vt terminus, facit per ſe ad aliquam mutationem.

Mutatio eſt inter oppoſita.

In conuerſione panis nullum ſubiectum cõmune manet

SCHOLIVM II.

Sententia Doctoris, deſitionem panis non eſſe annihilationem, quia terminus ad quem *annihilationis eſt pura negatio extra genus, ſicut terminus* à quo, *creationis, & panis deſitio eſt negatio in corpore Chriſti. Verùm quæſtio eſt tantùm de modo loquendi, & parui momenti eſt, ſi ſic, vel ſic teneas. Doctor in Oxon. hic n. 14. tenet, poſſe dici annihilationem: idque magis propriè loquendo, videtur veriùs; quia* non eſſe *panis eſt terminus per ſe deſitionis eius, & per accidens eſt ex Dei voluntate quòd ſuccedat corpus Chriſti. Itatenent, Gabr. Maior, Rubion, Albert. Occam, Angelus, Lychet. Tartaret. citati in Oxon. hîc in ſcholio ad n. 14. & quod lib. 10. ad n. 21. Vnde Sotus d. 9. quæſt. 2. art. 4. dum ait hoc non poſſe teneri citra errorem, nimis excedit: & dum aſſerit ad annihilationem requiri quòd nihil per ſe, vel per accidens ſuccedat deſinenti, & proinde de fide eſſe, panem non annihilari, quia corpus ei ſuccedit.*

6. Deciſio quæſtionis quare Var. in 14. d. 1. hic.

AD iſtam quæſtionem reſpondeo, quòd in iſta conuerſione, qua panis tranſubſtantiatur in corpus Chriſti, non eſt annihilatio panis. Et huius ratio eſt, quia creatio & annihilatio ſunt mutationes oppoſitæ, quia ad terminos oppoſitos, ſed terminus *à quo* creationis eſt omnino nihil, & non ens, ſiue negatio, extra genus non exiſtens in aliquo ente poſitiuo, quia aliter non eſſet

Terminus à quo creationis & terminus ad quem

annihilationis eſt nihil.

eſſet mirabilior productio, quàm generatio; igitur terminus *ad quem* annihilationis erit omnino nihil, vel non ens extra genus in nullo exiſtens poſitiuo. Sed quando panis conuertitur in corpus Chriſti, terminus *ad quem* talis conuerſionis eſt corpus Chriſti; quem comitatur negatio panis, quæ non eſt ſimpliciter non ens & mera negatio extra genus; ſed in ſubiecto, vt in corpore Chriſti, igitur in iſta conuerſione panis non annihilatur.

Obiectio.

Contra hanc rationem inſto ſic: Corruptio, in quātùm corruptio, non eſt annihilatio propter hoc, quòd corruptio, & generatio ſimul concurrunt in eodem inſtanti, & hoc ideò, quia terminus corruptionis eſt neceſſariò in aliquo poſitiuo; ſi enim non eſſet in aliquo poſitiuo, eſſet annihilatio; igitur cùm in poſito conuerſio panis, vt præſcinditur ab *eſſe* corporis Chriſti, non ſit in aliquo poſitiuo ſubſtrato, nec in aliquo derelicto per conuerſionem, ſequitur quòd eius conuerſio erit annihilatio.

7. Reſpondeo.

Reſpondeo, quòd in tranſubſtantiatione, vel in iſta conuerſione non ſunt ſimul duæ mutationes, vt generatio, & corruptio, & quatuor termini: generatio enim & corruptio duæ ſunt mutationes habentes quatuor terminos; & ideò poſſet Deus de potentia abſoluta ſeparare vnam ab alia, ſicut faciet in fine mundi, ſine aliqua contradictione. In poſito autem non concurrunt ſimul duæ mutationes, quia tunc oporteret accipere duos terminos tranſubſtantiationis, comparando ipſam ad corpus Chriſti, vt *eſſe* corporis Chriſti, & *non eſſe* eius, quod falſum eſt, quia tunc produceretur corpus Chriſti de nouo, quod eſt inconueniens; igitur non eſt in poſito niſi vnica mutatio habens duos terminos, panem ſcilicet, & corpus Chriſti, qui ſunt termini poſitiui, & per hoc differt hæc mutatio ab omni alia mutatione, quia in omni alia mutatione primi termini ſunt oppoſiti, quorum vnus eſt poſitiuus, alter priuatiuus. In poſito autem vterque terminus eſt poſitiuus, & per conſequens mutatio à ſubiecto in ſubiectum: concedo igitur, quòd in corruptione eſſet annihilatio, niſi negatio, ad quam terminatur corruptio, eſſet in ſuſceptiuo aliquo.

Deus poteſt ſeparare generationem à corruptione & è contra. In tranſubſtantiatione vna eſt mutatio, & duo termini per ſe poſitiui.

Primus terminus ad quē *tranſub ſtantiationis eſt poſitiuus, concomitanter panis negatio.*

Sed quando infers, igitur ſimiliter eſt hîc in tranſubſtantiatione; nego, quia tranſubſtantiatio non habet terminum *ad quem* primum negatiuum, ſed aliquid poſitiuum primò, & ideò non poteſt præſcindi à termino poſitiuo; ſicut poteſt corruptio præſcindi; concomitanter tamen terminus *ad quem* tranſuſtantiationis eſt negatio panis, quæ non eſt negatio extra genus; ſed in aliquo poſitiuo.

Inſtantia.

Sed ſi dicas quòd in illa conuerſione vel tranſubſtantiatione ſunt duæ mutationes, vel verſiones, vna ab *eſſe* panis ad *non eſſe* eius, alia à *non eſſe* panis ad *eſſe* corporis Chriſti; tunc eſſet difficilius reſpondere; poteſt tamen dici quòd non ſequitur panem annihilari, quia tranſubſtantiatio non eſt ad negationem extra genus, non quia illa negatio ſit in ſubiecto communi, ſed quia eſt in termino poſitiuo: & tunc eſſet dicendum quòd ſi aër corrumperetur in ignem, igne manente, non eſſet corruptio aëris eius annihilatio, propter terminum poſitiuum, in quem conuerteretur.

Soluitur.

Terminus annihilationis eſt negatio extra genus.

8. Ad primum principale.

Ad primam rationem, dico quòd illud, quod præfuit, & nihil eius manet, nec conuertitur in aliquid poſitiuum, annihilatur; oportet enim addere illi maiori quòd non conuertatur in poſitiuum, antequam ſequatur eius annihilatio, quia quod nihil eſt in ſe, nihil eſt in alio; ſed terminus annihilationis eſt ſimpliciter nihil, quod non conuenit termino tranſubſtantiationis.

Ad ſecūdum.

Ad ſecundum dico, quòd illud, quod nihil eſt, nec in ſe, nec in alio eſt aliquid: Et concedo, quòd panis poſt conuerſionem eſt nihil in ſe, ſed non ſequitur, igitur annihilatur, quia conuertitur in terminum poſitiuum. Ad hoc quòd ſequeretur ipſum annihilari, oporteret dicere illud, in quod conuertitur, non eſſe aliquid poſitiuum, quod eſt falſum in poſito.

Ad tertium.

Ad tertium, cùm arguitur quòd nihil formæ corrumpendæ manet poſt corruptionem; igitur annihilatur. Reſpondeo quòd non ſequitur, quia *eſſe* formæ, quæ præfuit, ſequitur priuatio, & corruptio eius in materia, quæ ſubeſt generationi, & corruptioni, Vnde terminus *ad quem* corruptionis non eſt nihil, vel negatio extra genus; ſed negatio in corrupto formæ prioris, dummodò terminus eius *ad quem* non eſſet nihil, ſed aliquid non eſſet annihilatio.

Terminus ad quem *corruptionis non eſt negatio extra genus.*

Ad quartum.

Ad quartum, dico quòd ſi illud intelligatur tantùm eſſe terminus creationis *ad quem*, cuius nihil præfuit, falſa eſt, quia non ſolùm poteſt eſſe conuerſio alicuius totius in præexiſtens, ſed etiam in non præexiſtens, & per conſequens eodem modo poteſt idem eſſe terminus *à quo* annihilationis, & tranſubſtantiationis.

Ad Rationem oppoſitā.

Auctoritas autem Ambroſij in oppoſitum concedenda eſt.

Ad Auguſtinum 83. *quæſt. quæſt.* 3. dico quòd Deus non eſt per ſe cauſa annihilationis rei, quia non intendit per ſe aliquid annihilare, ſed magis omnia conſeruare; poſſet tamen Deus de potentia abſoluta rem annihilare, & totaliter deſtruere.

Deus annihilat non conſeruando.

Aliter poteſt dici, quòd Deus annihilat rem non per aliquam actionem poſitiuam, ſed per ſubtractionem ſuæ conſeruationis, per quam omnia ſaluat, nè fluant in nihil. quia omnia tenduntin nihil, quæ de nihilo facta ſunt, niſi manutentia Dei conſeruarentur.

SCHOLIVM III.

Reſoluit de modo loquendi, circa Euchariſtiam, non poſſe dici, panis eſt, fit, *vel* poteſt eſſe corpus Chriſti; *ſed tantùm in obliquo, vnum horum dicitur de altero, vt* ex pane fit corpus; panis tranſit in corpus; *& notatur habitudo termini ad terminum. De hoc Damaſc. lib. 4. c. 14. Ambroſ. 5. de ſacram. cap. 2. Beda in 2. Corin. 11. habetur c.* Non omnis, *de conſec. d. 2. Scot. in Oxon. hîc quæſt. 5.*

9. Conuerſio nō poteſt ver è in recto ſignificari per verbum eſſe *vltius temporis.*

SEd vlteriùs eſt videndum quibus propoſitionibus poteſt hæc conuerſio verè ſignificari. Reſpondeo quòd non poteſt verè ſignificari per verbum eſſendi nullius temporis, accipiendo extrema propoſitionis in recto, ſiue dicatur *panis eſt corpus Chriſti*, ſiue *panis fuit corpus Chriſti* vel *panis erit corpus Chriſti*, quia omnes iſtæ ſunt falſæ. Nec etiam poteſt ſignificari verè per verbum fiendi alicuius temporis, ſi extrema ſimiliter accipiantur in recto, vt ſi dicatur, *panis fit corpus Chriſti*, vel *panis fiet corpus Chriſti*, vel *panis factus eſt corpus Chriſti*, quia omnes iſtæ falſæ ſunt. Nec etiam poteſt ſignificari verè per verbum

verbum notans poſſibilitatem in eſſendo, vnde omnes iſtæ ſunt falſæ, *panis poteſt eſſe corpus Chriſti*; vel, *panis potuit eſſe corpus Chriſti*; vel, *panis poterit eſſe corpus Chriſti.*

Nec poteſt verè ſignificare in recto verbo denotante poſſibilitatem.

Ratio primi eſt, quia verbum *eſſendi*, vt *eſſe* ſignificat identitatem totam extremorum, quantam extrema nata ſunt inter ſe habere, vt ſi ſubſtantialem, ſubſtantialem; ſi accidentalem, accidentalem; ſed illa extrema non ſunt nata habere illam identitatem, quæ ſignificantur per verbum *eſſendi*; ſignificatur enim quòd *eſſe* corporis Chriſti eſt *eſſe* panis, quod nec eſt, nec erit, nec vnquam fuit.

Aliæ etiam propoſitiones cum verbo *fiendi* ſunt falſæ omnes: nam *fieri* quandoque prædicatur tertium adiacens, quandoque autem ſecundum. Sed quando prædicatur ſecundum adiacens, tunc ſignificatur fieri *eſſe* illius, de quo ponitur in actu; panis autem non fit actu corpus Chriſti: Quandoque ponitur tertium adiacens, tunc ſignificatur ſubiectum fieri ſecundùm formam prædicati, ſed panis nullo modo poteſt fieri corpus Chriſti, & hoc etiam modo eſt falſa; *panis fit corpus Chriſti*, & aliæ de præterito, & futuro.

Item, iſta de poſſibili falſa eſt, cuius probatio eſt, quia illa de poſſibili falſa eſt, cuius de *ineſſe* eſt impoſſibilis, hæc autem de *ineſſe* eſt impoſſibilis, *panis eſt corpus Chriſti.* Quomodo igitur poteſt hæc conuerſio verè ſignificari?

10. Dico quòd accipiendo vnum extremum in recto, & aliud in obliquo, cum propoſitione demonſtrante ordinem vnius extremi ad aliud, poteſt ſignificari Sed hoc poteſt eſſe dupliciter Vno modo vt vnum extremum denotans terminum *à quo*, accipiatur in obliquo, & aliud extremum denotans terminum *ad quem*, accipiatur in recto, ita quòd propoſitio non dicat identitatem extremorum, ſed ordinem, quo vnum fit ex alio, vt ex termino, non ex ſubiecto, vt dicatur, *ex pane fit corpus*; & hæc eſt minùs propria, quia alio modo poteſt ſignificari, vt terminus *a quo* accipitur in recto, & terminus *ad quem* in obliquo, cum propoſitione denotante vnum tantùm ſuccedere alteri, vt ſic; *panis tranſit, & vertitur in corpus Chriſti*, ita quòd notetur ordo ſucceſſionis termini ad terminum, & hæc eſt magis propria quàm prior.

Accipiendo vnum extremum in obliquo, & aliud in recto panis dicitur verè de corpore & è conuerſo.

11. Nec poteſt hæc verſio, vel tranſitio panis in corpus verè ſignificari per aliquam mutationem naturalem, nec generationem, nec corruptionem, de quibus magis videtur; multa enim conceduntur in generatione, vt quòd materia mutetur à forma in formam, quod non habet hîc locum, quia nihil commune manet, quod mutetur à pane in corpus Chriſti. Similiter in generatione ignis ex aëre conceditur iſta propoſitio, *quod fuit aër eſt ignis*, propter aliquid commune manens ſub vtroque terminorum. Hæc autem propoſitio non conceditur, *quod fuit panis, non eſt niſi panis, & panis nunquam fuit corpus Chriſti.*

Per nullam naturalem mutationem verificatur hæc conuerſio.

Quod fuit aër eſt ignis, verè eſt.

* * *

DISTINCTIO XII.

De ſubſiſtentia ſpecierum in Euchariſtia.

QVÆSTIO I.

Vtrùm in Euchariſtia ſint accidentia ſine ſubiecto?

Alenſ. 4. *p. q.* 48 *m* 1 D. Bonau. *hic art* 1. *q* 1. & 3. Richard. *art* 1 *q.* 1 & 2. D. Thom. *q.* 1 *art* 4. & 3. *p queſt.* 17. *art* 1. Suarez *ibid. d.* 58. Scot. *in Oxon. hic q.* 1. & 7. *Met. q.* 44. & 1 *Phyſ q* 7.

1. *Argumentū primum negatiuum.* Arguitur quòd non. Sicut ſubſtantiæ conuenit per ſe eſſe, ita conuenit accidenti in aliquo eſſe, quia accidentis eſſe eſt ineſſe 5. *Metaph. text.* 3. Ariſtot. Sed ſubſtantiæ repugnat in alio eſſe, vel alij inhærere, quia quod verè eſt, nulli accidit, *Phyſic text.* 7 igitur.

Secundum. Item, poſterius eſſentialiter non poteſt eſſe ſine priori eſſentialiter: accidens eſt eſſentialiter poſterius ſubſtantia 5. *Metaph. cap. de Priori text.* 16. Ariſtot. quia ſubſtantia eſt prior omni accidente, cognitione, definitione & tempore: igitur.

Tertium. Item, nihil poteſt eſſe ſine eo, quod pertinet ad definitionem eius, quia definitio indicat quiditatem rei, & res non poteſt eſſe ſine ſua eſſentia: ſed ſubiectū cadit in definitione accidentis: ergo.

Quartum. Item, album & albedo idem ſignificant, *in Prædicamentis*; igitur ſimiliter quantitas & quantum, idem ſignificabunt; ſed quæ idem ſignificant non poſſunt ſeparari: quantitas igitur non poteſt ſeparari à ſubſtantia, quia nihil eſt quantū niſi ſubſtantia; igitur ſi quantum eſt, ſubſtantia eſt, & ſimiliter ſi quantitas eſt, ſubſtantia eſt: igitur.

Ratio in oppoſitum. Oppoſitum vult Magiſter in litera.

Præterea per rationem: Accidentia panis manent poſt tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti: non in ſubſtantia panis; quia illa non manet tunc; nec in ſubſtantia corporis Chriſti quia tunc haberet corpus Chriſti duas quantitates oppoſitas; nec ſunt in ſubſtantia aëris, quia quātitas panis eſt accidens conſequens formam mixti, & non formam elementarem, quia ſubſtantia elementaris requirit quantitatem maiorem, & rariorem, quàm ſubſtantia formæ mixti.

Quantitas ſequitur formam mixti.

Dico ad quæſtionem quòd hoc conceditur de facto ab omnibus Doctoribus, quòd accidens eſt hîc ſine ſubiecto. Sed de modo poſſibilitatis eius, quomodo ſcilicet poſſit hoc eſſe, diuerſi diuerſimodè dicunt, vt patebit inferiùs.

SHOLIVM I.

Primum dictum: Accidens reſpectiuum nequit vlla potentia eſſe ſine ſubiecto, *quia eſſentialiter dependet ab eo, ſicut a termino. Vide Doctorem in Oxon. hîc à num.* 8.

Secundum: Accidens abſolutum poteſt eſſe ſine ſubiecto, *quia à nullo extrinſeco dependet eſſentialiter, niſi à Deo. Vide eundem, ibid. n.* 9. *& à n.* 14. *vbi circa hoc multa adducit de mente Philoſophi.*

Tertium: Accidens ſeparatum non accipit modum vllum ſubſtantialem, *quia ille modus non poteſt eſſe ſubſtantia, nec accidens.*

Quartum:

Quartum: Non poteſt quantitas accipere virtutem ſupernaturalem, qua per ſe ſtet: ſicut nec vlla tali virtute ſubſtantia inhærere poteſt.

2. *Accidens abſolutum & reſpectiuum.*

AD declarationem tamen ſecundi, ſcilicet quòd iſta poſſint eſſe, præmitto vnã diſtinctionem de accidentibus, quia quædam ſunt abſoluta, quædam reſpectiua. Si enim omnia accidentia eſſent reſpectiua, nullum eſſet, nec eſſe poſſet ſine ſubiecto, quia accidentia relatiua, ſiue ſint relationes intrinſecùs aduenientes, ſiue extrinſecùs, impoſſibile & incompoſſibile eſt iſta eſſe ſine ſubiecto, quia incompoſſibile eſt aliquam relationem eſſe, & non inter extrema, vt inter terminos; quia circumſcriptâ à relatione habitudine ad terminum, iam non eſt relatio eſſentialiter ad aliud, ſed ad ſe, & tunc eſt accidens abſolutum, quod eſt falſum, quia nullum abſolutum includit eſſentialiter, vel formaliter reſpectum, quia ſecundùm Auguſt. 5. de Trin. 5. *Omne relatiuum eſt aliquid excepta relatione, qua refertur.* Similiter ratio abſoluti eſt eſſe ad ſe formaliter: ſi igitur accidens abſolutum diceret reſpectum eſſentialiter, iam non eſſet ad ſe, ſed ad aliud, & ita eſſet abſolutum, & non abſolutum.

Implicat quodcunque accidens reſpectiuum eſſe ſine ſubiecto.

Auguſt.

Abſolutum eſt ad ſe formaliter.

3. *Accidens abſolutum poteſt eſſe ſine ſubiecto. Probatur primò.*

His ſuppoſitis, probo quòd poſſibile ſit accidens abſolutum eſſe ſine ſubiecto. Omne abſolutum poteſt eſſe ſine reſpectu, qui non eſt ad cauſam primam; nec ad aliquid, quod de eſſentia eius eſt; ſed ſubiectum non eſt cauſa prima accidentis, nec de eſſentia eius: igitur poteſt eſſe ſine reſpectu ad ſubiectum, & ſi poteſt eſſe ſine reſpectu ad ſubiectum, multò magis poteſt eſſe ſine ſubiecto, quia quod eſt in ſubiecto, hoc eſt, quia habet reſpectũ ad ſubiectum. Probatio maioris. Reſpectus in abſoluto, vel eſt aliquid prius, vel poſterius, vel aliquid ſimul natura cum eo: ſi poſterius: habetur propoſitũ, quia cùm omne prius poſſit eſſe ſine poſteriori, abſolutum poteſt eſſe ſine iſto reſpectu ad ſubiectum, & per conſequẽs ſine reſpectu ad poſterius; non ſimul natura, quia cùm inter abſoluta ſimul natura non ſit ordo eſſentialis, quia ordo eſt inter prius & poſterius eſſentialiter, ſequitur quòd ille reſpectus non ſit ſimul natura cum abſoluto, quia tunc nullũ ordinem haberet ad illud, quod eſt falſum, cùm ſit cauſa eius. Si autẽ ſit reſpectus ad aliquid prius, & non ad aliquid, quod eſt de eſſentia talis abſoluti intrinſecè, igitur eſt ad cauſam extrinſecam. Vel igitur primam, & habetur propoſitum; vel non primam, qualis eſt cauſa extrinſeca finis, vel efficiens: de fine nihil ad præſens. Si ad cauſam extrinſecam efficientem non primam, ſequitur iterum propoſitum, quia omnem cauſalitatem cauſæ ſecundæ poteſt cauſa prima eminẽter ſupplere. Maior patet, quia eſſentia accidẽtis eſt ſimplex ex 8. *Metaph. text. com.* 12. quia nõ habet materiam *ex qua*. Similiter eſſentia accidẽtis eſt per ſe vna 5. *Metaph. cap. de ente text.* 14. & per ſe in genere: ex qua ratione Philoſophus *ibidem* diſtinguit Prædicamenta in ſubſtantiam, & nouem accidentia. At hinc ſequitur quòd accidens non eſt eſſentialiter eſſentia ſubiecti, cùm ſit alterius generis ab eo, non potens facere vnum per ſe cum eo, ſed tantùm per accidens.

Inter abſoluta ſimul natura non eſt ordo eſſentialis.

Quicquid Deus poteſt cum cauſa efficiente ſecunda, ſe Solo poteſt. **Ariſtot.**

Ariſtot. *Eſſentia accidentis eſt vna & ſimplex.*

4. *Opinio D. Thom. & aliorum.*

Sed de poſſibilitate exiſtentiæ eius ſine ſubiecto, dicũt quidam quòd cùm vnius compoſiti ſit tantùm vnum *eſſe*, quod eſt *eſſe* totius; ſic quando aliquod accidens ponitur in ſubiecto, dum eſt in ſubiecto, non habet *eſſe* aliud, quàm *eſſe* totius, quando verò ſeparatur à ſubiecto, Deus dat illi nouum *eſſe*, vt ſit per ſe.

Réiicitur primò.

Sed iſtud non capio, ſicut enim vnũquodque habet eſſentiam, ita & *eſſe*, quia omnis eſſentia eſt actus, vt priùs probatum eſt; ſed accidens habet eſſentiam, & per ſe vnam, & eſt alterius generis à ſubiecto ſuo; igitur habet *eſſe* diſtinctum, aliud ab *eſſe* ſubiecti.

Secundò.

Item, formam *eſſe* in materia, conſequitur *eſſe* compoſiti, ita quòd impoſſibile eſt formã eſſe in materia, & tamen compoſitum non habere *eſſe*; igitur quod poteſt producere formã in materia, poteſt dare *eſſe* in cõpoſito; igitur ſicut producẽs formam ſubſtantialem, & per conſequens compoſitum in genere ſubſtantiæ dat *eſſe* ſimpliciter, ita producens compoſitum tale, dat *eſſe* tale, ab eodẽ per conſequens habebit accidens *eſſe*, à quo habet ſuam eſſentiam, ſiue ſit in ſubiecto faciens vnum per accidens cum ſubiecto, ſiue ſit ſeparatum, & per ſe.

Tertiò.

Item, ſi accidẽs, quãdo ſeparatur, accipiat nouũ *eſſe*, igitur mutatur à *nõ eſſe*, oppoſito illi *eſſe* ad illud *eſſe*. Quæro igitur, quid eſt illa mutatio? Non alteratio, quia nõ eſt ſecundùm qualitatem alteratam; nec augmentatio, vel diminutio, quia quãtitas, ſecundùm quam fuerunt illæ mutationes, ſecundùm ſuas proprias dimẽſiones vniformiter manet, ſiue ſit in ſubiecto, ſiue ſeparata. Nec eſt generatio, quia tunc quantitas eſſet ſubiectũ per ſe generationis; per generationem igitur acquiritur natura illius, quod generatur; per illam autem mutationem non acquiritur natura quantitatis, quia præfuit; ergo non conuenit tale *eſſe* nouum accidentis dari, cùm ſeparatur à ſubiecto.

Quartò.

Item, illud *eſſe* nouũ, ex quo limitatum eſt, aut eſt ſubſtantia, aut accidens vel ſi eſt neutrũ, quæro in quo genere ſit? ſed cùm non ſit ſubſtantia, erit dependens, ſicut quantitas; quomodo igitur ſupportabit quantitatem, aut quomodo quãtitas per ſe exiſtet ſine illo *eſſe*, ex quo eſt accidens magis quàm ſine illo *eſſe* nouo.

5. *Opinio Henr.*

Aliter dicitur quòd quando accidẽs ſeparatur à ſubiecto, Deus dat ei quandam virtutem, per quam eſt per ſe ſupernaturaliter.

Refutatur primò.

Contra; licèt accidens ſeparatum ponatur habere illam virtutem ſupernaturaliter, tamen habita illa virtute, naturaliter poteſt in effectũ talis virtutis, vt patet de cæco nato, & pòſt ſupernaturaliter illuminato, qui poſteà ita naturaliter videt, ſicut alius sẽpẽr videns. Et de voluntatẽ, quæ naturaliter recipit habitus infuſos, tanquam naturales perfectiones eius, licèt ſupernaturaliter infundãtur; igitur etſi accidẽs virtute ſupernaturali ſit per ſe, & ſeparatũ, poſito tamen in effectu, per ſe naturaliter, & non ſupernaturaliter exiſtit.

Secundò.

Item, impoſſibile eſt accidens recipere aliquã virtutem, per quam dependeat ad aliquid aliud, quod ipſum informet, vel ei inhæreat, quia tunc accidentis eſſet accidẽs in infinitum; igitur ſimiliter erit impoſſibile accidẽs recipere aliquã virtutẽ, per quã eſt per ſe, non inhęrẽs alij à ſeipſo.

Eſſe per ſe repugnat accidenti, ſicut eſſe in alio ſubſtantiæ.

Item, illa virtus aut eſt ſubſtantia, aut accidẽs? non ſubſtantia, quia tunc accidens non eſſet ſine ſubſtantia; nec accidens, quia tũc eſſet æquè dependens cũ accidẽte, & per conſequens non poteſt eſſe ratio independẽtiæ alterius, vt ſit per ſe.

SCHOLIVM II.

Explicat quomodo accidens non ſupponat pro per ſe ſignificato, id eſt, reſpectu inhærentiæ, ſed pro denominato,

minato, vt quantitas possit esse sine subiecto, sine vllo modo ei superaddito, per hoc tantùm quòd priuetur vno respectu extrinseco inhærentiæ: quod tantùm est fundamentum priuari sua relatione. Adducit optimas instantias, & soluit subtilissimè, de quibus vide ipsum in Oxon. hic à num. 11.

6. *Resolutio quæstionis. Significatum formale per se accidentis est inhærere.*

REspondeo ergo ad quæstionem, quòd quæstio non quærit quantùm ad suum formalè significatum: sic enim habet quendam respectũ, vt inhærẽtiam ad subiectum, quæ est in determinato genere; quæ inhærẽtia, vel respectus prædicatur denominatiuè de rebus nouẽ Generũ. Nec est inconueniẽs aliquid formaliter in determinato genere, denominatiuè dici de rebus omnium Generum. Patet de Relatione, quã importat hoc nomen *creatum* inquantùm creatum. Sed quomodo intelligitur de nouẽ Generibus, & rebus nouem Generum, de quibus dicitur denominatiuè, vt quantitate, & qualitate & aliis, & non dicitur de istis dẽnominatiuè, quomodocunque, sed dicitur de istis comparando ea in comparatione, ad inhærentiam actualem, quam habuit in subiecto, non aptitudinalem.

Accidens denominatiuè vniuocè dicitur de nouem generibus.

Item, isto modo intelligendo quæstionem de inhærentia actuali accidentis ad subiectum, dico quòd accidens potest esse sine actuali inhærentia eius ad subiectum. Modus possibilitatis huius est, quia fundamentum potest esse sine respectu, destructo termino; sed terminus respectu inhærentiæ actualis potest destrui manente fundamento eius, quia Deus potest annihilare substantiam panis, vel ipsam conuertere in aliud, manente accidente absoluto, & fundamento talis inhærentiæ; igitur potest accidens absolutum esse sine inhærentia eius actuali ad subiectum.

Destructo termino potest fundamentũ manere sine respectu.

7. Sed quia hæc ratio videtur nimis diminutè probare accidens posse esse sine subiecto, quia potest esse sine subiecto destructo subiecto. Probo generaliter quòd accidens etiam manente subiecto potest esse sine eo, quia respectus extrinsecùs aduenies non semper est positis extremis, quia sic non distingueretur à respectu intrinsecùs aduenientè, quia non potest magis intrinsecè aduenire, quàm posito fundamento & termino, nam posito solo fundamento non sequitur respectus intrinsecùs aduenies necessè, sed ipso & termino positis, oritur ex natura extremorum: respectus autem extrinsecùs aduenies tantùm contingenter consequitur extrema posita in *esse*: sed inhærentia accidentis ad subiectum est respectus extrinsecùs aduenies, quia subiectum absolutum, & accidens absolutum, non habent habitudinem causalitatis intrinsecam, sed extrinsecam tantùm, vt priùs probatum est. Ista autem inhærentia non dicit nisi vnionem duorum absolutorum secundùm omnem causalitatem extrinsecam; sed omnem vnionem absolutorum potest Deus absoluere ab vnitis, faciendo illa absoluta per se sine ipsa vnione: igitur potest vtrumque manere in se, siue sit inhærentia vnius accidentis ad subiectum; siue vnio eorum ad inuicem, & vniuersaliter quæcunque absoluta sic vniuntur relatione vnionis, quæ est respectus extrinsecùs aduenies, potest Deus vnum eorum facere sine alio, vt materiam sine forma, locatum sine loco, & huiusmodi; hæc autem habitudo vnionis accidentis absoluti ad subiectum est eius inhærentia ad subiectum; igitur potest facere accidens sine subiecto.

Respectus intrinsecus oritur positis fundamento & termino ex ipsorum natura.

Inhærentia accidentis est respectus extrinsecus.

Sed contra istud potest sic obiici: Impossibile est Deum aliquid facere sine eo, quod est de essentia eius, quia tunc illud faceret, & non faceret illud; sed inhærentia accidentis est de essentia eius formaliter, quia secundùm Philosophum 7. Metaphys. text. 2. & 5. *Accidentia non sunt entia nisi quia entis*: igitur. 8. *Obiectio prima.*

Item, Simplicius 1. *Metaphys. text.* 23. distinguens nouem Prædicamenta penès *esse in*, dicit quòd penès *esse* formæ in materia non accipitur aliquod distinctum Prædicamentum: sed accidens inest subiecto, sicut forma materiæ: igitur inhærentia accidentis nõ pertinet ad distinctum Prædicamentum aliquod, vt dixi priùs. *Secunda.* Simplicius.

Ad primum illorum dico, quòd communiter corrumpitur textus Philosophi. Nam Philosophus nunquam ponit alicubi istam negatiuam *accidentia non sunt entia, nisi quia entis*; sed dicit quòd accidentia sunt entia, eo quòd taliter, vel totaliter entis, vbi non videtur accipi totalitas vniuersalitatis, quia tunc esset sui ipsius, vt entis, cùm sit quoddam ens, quod est falsum, sed accipitur totalitas perfectionis, vt sit sensus, quòd accidentia sunt entia, eo quòd sunt perfecti entis, vt substantiæ. Vnde non est intelligendum quòd nota reduplicationis *eo*, reduplicet causam formalem accidentis ad subiectum, quia tunc denominaret substantiam esse formaliter accidens; sed reduplicat causam extrinsecam, vt efficientem, quia subiectum est causa extrinseca effectiua accidentis, vel materialis. Sed ex hoc non sequitur vltrà quòd subiectum sit de essentia accidentis. Peccat enim argumentum per consequens inferendo ex propositione Philosophi propositionem eorum: accidens est ens, eo quòd taliter, vel totaliter entis, igitur non est ens, nisi quia talis entis; sicut creatura non est ens, nisi quia Dei creãtis, ergo nullo modo ens: nõ valet. *Ad primam. Corruptio textus Philosophi. Explicatur mens Aristotelis. Ad secundã.*

Ad auctoritatem Simplicij, potest dici quòd penès *esse in*, non accipitur distinctio nouem Generum accidentium, quia actio, & passio non accipitur penes *in*, cùm actio sit formaliter ad aliud, & sic ex consequenti sit in alio.

Aliter potest dici, quòd *esse in*, potest accipi dupliciter. Vno modo denominatiuè, vt denominat rem cuiuslibet generis, & est idem quòd inhærens alicui, & sic *esse in*, non constituit aliquod speciale Prædicamentum, quia sic circuit rem cuiuslibet generis. Alio modo formaliter secundùm propriam, & formalem significationem eius, & sic importat respectum specialem vnius Prædicamenti respectiui, vt species talis Prædicamenti relatiui, sicut inhærentia, & quia ratio generis non sumitur ab aliqua eius specie, quia est prior quodammodo omni specie secundùm intẽtionem generis; ideò quocunque modo verum est, quod ab *esse in*, non sumitur ratio Prædicamenti alicuius. Si autem Simplicius aliter intelligat, non est ei nimiùm adhærendum. *Quomodo esse in constituit distinctum genus prædicamenti.*

Ad primam rationem principalẽ, cùm arguitur, quòd sicut substantiæ conuenit *per se esse*, ita accidenti inhærere. Dico quòd si accipitur *inhærere*, sicut *per se esse*, prout conuenit substantiæ, concedo similitudinem, quia sicut substantiæ conuenit *per se esse*, ita quòd non natum est alij inhærere, sed repugnat sibi alteri inhærere, quia *quod verè est, nulli accidit*, sed natum est *per se esse*, & non in alio; ita per 9. *Ad argumẽtum principale.*

oppositum,

oppoſitum, repugnat accidenti *per ſe eſſe*, taliter quòd non ſit natum alij inhærere, quia naturaliter repugnat ſibi non aptitudo ad ſubiectum, quantumcunque ſit ſeparatum. Si autem intelligeretur quòd ſicut perfectas ſubſtantiæ in ſe dicit actualem priuationem inhærere ad ſubiectũ, ita per oppoſitum inhærentia accidentis dicat actualem inhærentiam ad ſubiectum, & quòd ſicut repugnat ſubſtantiæ non eſſe actualiter per ſe, ita conuenit accidenti actualiter in alio eſſe; nego conſequentiam, & ſimilitudinem: quia fundamentum abſolutum poteſt carere reſpectu extrinſecùs adueniente.

Non conuenit accidẽti actu eſſe in alio ſicut ſubſtantiæ actu eſſe per ſe.

Ad ſecundũ. Poſterius actualiter non poteſt eſſe ſine priori actualiter.

Ad ſecundũ, cùm dicitur quòd poſterius eſſentialiter non poteſt eſſe ſine priori: Dico quòd aut intelligitur de eo, quod eſt poſterius actualiter, vel habitualiter? Si primo modo, dico quòd verum eſt quòd poſterius actualiter non eſt ſine priori actualiter; nunc autem quando accidens eſt ſeparatum à ſubiecto, vel ſit ſine eo, non eſt tunc poſterius ſubiecto actualiter, quia non dependet tunc à ſubiecto, vt cauſa extrinſeca, ſed tunc tantùm actualiter dependet à Deo immediatè, vt cauſa extrinſeca, qua eſt poſterius actualiter, & non reſpectu ſubiecti, quia Deus poteſt ipſum priùs actualiter producere, quàm ſubſtantiam, & ſeorſum conſeruare ſine ea Si autem intelligeretur quòd poſterius eſſentialiter non poteſt eſſe ſine priori aptitudinaliter, concedo, quia quantumcunque ſit accidens ſine ſubiecto, ſemper tamẽn habet eſſentialem habitudinem eſſendi in ſubiecto, & ita aptitudo non eſt niſi eſſentia accidentis tantùm addens reſpectum rationis, vt dictum eſt, quia relationem in potentia.

Accidens ſeparatum dependet actu à ſolo Deo.

Poſterius aptitudinaliter non poteſt eſſe ſine priori aptitudinaliter.

10. *Ad tertium.*

Ad tertium, cùm dicitur quòd nihil poteſt eſſe ſine eo, quod pertinet ad eius definitionem, verum eſt, niſi pertineat tantùm ad eius definitionem vt additum; tunc enim poteſt eſſe ſine eo, illo modo ſubiectum eſt in definitione accidentis.

Inſtantia.

Contrà: vnum correlatiuum cadit in definitionem alterius, vt additum, & non vt aliquid de eſſentia correlatiui, & tamen relatiuum non poteſt eſſe, vel intelligi ſine ſuo correlatiuo, quia ſi auferas correlatiuum, iam relatiuum non erit ad aliud, nec per conſequens erit relatiuum.

Reſp. conſto.

Reſpondeo quòd definiens vel eſt de eſſentia definiti, vt animal, & rationale de eſſentia hominis, & ita eſt propoſitio vera neceſſariò; quia nihil poteſt eſſe ſine eo, quod cadit in definitione eius; vel ipſum definiens eſt vt additum in definitione eius: ſed hoc contingit dupliciter, vel vt additum neceſſariò requiſitum ad intellectum eius, & ſic neceſſariò coëxigitur, atque ita requiritur correlatiuum in definitione relati, & ſic adhuc eſt illa propoſitio vera; vel illud additum ponitur in definitione alicuius vt cauſa eius propinqua, & extrinſeca, & ſic poteſt definitum eſſe ſine definiente tali, & accidens ſine ſubiecto, quia cauſalitatem tunc omnis cauſæ extrinſecæ proximæ poteſt Deus eminenter ſupplere.

Non omne poſitum in definitione eſt de eſſentia definiti.

Ad quartũ.

Ad quartum de Prædicamentis, dico quòd per *album* vel poteſt intelligi ipſa qualitas ſub modo inhærendi ad ſubiectum; vel totum compoſitum ex ſubiecto, quod denominatur ab albedine, & ipſo accidente inhærente, & denominante primò album: non enim differunt, niſi in modo ſignificandi, quia idem ſunt quantùm ad ſignificatum, quia concretum & abſtractum idem ſignificant, licèt differant in modo ſignificandi. Et hoc ſufficit ad probandum quòd vnum poſſit eſſe ſine alio, ſicut licèt *currit* & *curret* idem ſignificent, tamen modus ſignificandi in futuro poteſt verificari ſine modo ſignificandi in præſenti, ſicut hæc poteſt eſſe vera; *Socrates curret*, hac exiſtente falſa *Socrates currit*; ita eſt hîc, hæc poteſt eſſe vera *albedo eſt*, ſi ponitur ſeparari à ſubiecto, hac exiſtente falſa, *album eſt*, quia tunc non actualiter inhæreret.

Concretum & abſtractum ſolùm differunt in modo ſignificandi.

QVÆSTIO II.

Vtrùm quodcunque accidens in Euchariſtia ſit ſine ſubiecto?

Alenſ. 4 *part. quæſt.* 40. *memb.* 1 *art.* 1. & 2. D. Bonauent. *hic art.* 1. *quæſt.* 3. Richard. *art.* 1. *quæſt.* 2. D. Thom. *quæſt.* 2. & 3 *part. quæſt.* 77. *art.* 2. Henric. *quodlib.* 8. *quæſt.* 17. Suar. 3. *tom diſp.* 56 *ſect.* 2 Scot *hic quæſt.* 1. & 7. *Met. q.* 8. & 9. & 9. *Met. quæſt.* 7.

ARguitur quòd ſic: ſolùm ſubſtantia poteſt eſſe ſubiectum accidentis; ſed nulla ſubſtantia eſt ſubiectum alicuius accidentis in Euchariſtia; patet ex prædictis: igitur. Maior probatur, quia ſicut conuenit ſubſtantiæ ſubſtare, ita accidenti inhærere: ſed ſic conuenit ſubſtantiæ ſubſtare, quòd ſibi repugnat inhærere, ergo per oppoſitum, ita conuenit accidenti inhærere, quòd ſibi repugnabit ſubſtare, vel per ſe eſſe: igitur nullum accidens poteſt eſſe ſubiectum alterius; ſed ſola ſubſtantia. Confirmatur per Philoſophum 4. *Metaph. text.* 14. vbi dicit quòd *nullum accidens accidit alteri, niſi quia vtrumque accidit tertio*, vt ſubiecto; & addit *nihil magis accidit hoc illi, quàm illud huic.* Impoſſibile eſt autem eſſe circulum in dependentia eſſentiali: igitur nullum accidens eſt in alio vt in ſubiecto.

1. *Arg. primum affirmatiuũ.*

Confirm. ex Ariſtot.

Item, Philoſophus 7. *Metaph. text.* 4. probat quòd ſubſtantia eſt prior omni accidente, per hoc quòd in ratione cuiuſlibet accidentis neceſſe eſt rationem ſubſtantiæ poni ſubiectum; igitur ponitur in ratione cuiuſlibet accidentis, non ſicut aliquid intrinſecum eſſentiæ accidentis, igitur vt additum; nihil autem habet rationem additi, niſi ſubiectum; igitur ſubſtantia eſt ſubiectum omnium accidentium, & per conſequens accidens exiſtens ſine ſubſtantia, exiſtit ſine ſubiecto, & cùm quodlibet accidens in Euchariſtia, vt priùs probatum eſt, ſit ſine ſubſtantia, ſequitur quòd quodlibet accidens exiſtit ibi ſine ſubiecto.

Secundum. Ariſtot.

Item, quod terminat dependentiam alterius non poteſt dependere ſimili dependentia: ſi igitur accidens alterius accidentis terminaret dependentiam illius, accidens non dependeret ſimili dependentia ad ſubiectum, quod falſum eſt; quia nullum accidens dependet ad aliud, vt terminans eius dependentiam, niſi inquantùm eſt in eo, vt in ſubiecto: igitur cùm omne accidens dependeat ad ſubſtantiam, vt ſubiectum, nullum accidens erit ſubiectum alterius, & ita quodlibet accidens in Euchariſtia erit ſine ſubiecto.

Tertium.

3. *Quartum.* Ariſtot. Item, quodlibet accidens eſt æquè dependens ad ſubſtantiam 4. *Metaphyſ. text. com.* 14. igitur ſi aliqua poſſunt eſſe ſine ſubſtantia, vt in ſubiecto, & quodlibet; ſed aliquod accidens, vt quantitas, poteſt eſſe ſine ſubiecto in Euchariſtia; igitur & quodlibet.

Quintum. Item, eſſentialior eſt dependentia accidentis ad ſubſtantiam, quàm accidentis ad accidẽs; quia in omni ordine eſſentiali dependentia ad primũ eſt eſſentialior; ſubſtantia autem eſt primum entium; ergo eſſentialiùs dependet accidẽs ad ſubſtantiam, quàm vnum accidens ad aliud; ſed aliquod accidens, vt quantitas, poteſt eſſe ſine ſubſtantia; igitur & qualitas ſine quantitate; & per conſequens quodlibet poſteriùs ſine alio.

Sextum. Item, ſi quod minùs videtur ineſſe, ineſt, & quod magis videtur ineſſe, inerit; ſed minùs videtur ineſſe quòd relatio poſſit eſſe ſine ſubiecto, cui tamen non repugnat eſſe ſine ſubiecto; igitur quodlibet aliud accidens poteſt eſſe ſine ſubiecto. Probatio aſſumpti, quia ſi relationi repugnat eſſe ſine ſubiecto; aut igitur inquantùm eſt accidens, aut inquantùm tale accidens, ſcilicet relatio. Non primo modo; quia tunc repugnaret omni accidenti eſſe ſine ſubiecto; nec ſecundo modo, quia quicquid eſt formaliter infinitum, eſt per ſe ens; ſed aliqua relatio eſt per ſe formaliter infinita, vt illa in diuinis; igitur relatio aliqua poteſt per ſe eſſe. Probatio maioris iſtius pro ſimili. Infinitas eſt modus perfectionis entis; igitur illa conditio, quæ eſt ſimpliciter perfectionis in toto ente, conuenit infinito; ſed eſſe per ſe, eſt conditio per ſe totius entis, ſicut ſuum oppoſitum eſt imperfectionis; igitur quod eſt formaliter infinitum, erit per ſe exiſtens, & per conſequens relatio. Probatio minoris illius pro ſimili, quia relatio illa in diuinis eſt eſſentia diuina, quæ eſt formaliter infinita; igitur.

Ratio oppoſita prima. Contrà; ſi quodlibet accidens in Euchariſtia poſſet eſſe ſine ſubiecto, motus poſſet eſſe ſine mobili, quia ſpecies, quæ ſunt in Euchariſtia poſſunt tranſmutari.

Secunda. Item, ſi ſit ibi quodlibet accidens ſine ſubiecto, cùm quantitas ſit ibi manens in loco, erit ibi *vbi* ſine vbicato, quia tunc circumſcriptio paſſiua non erit in locato, & ſubiecto circumſcripto; hæc ſunt inconuenientia, igitur.

SCHOLIVM I.

Sententia Ægidij, ſolam quantitatem poſſe eſſe ſine ſubiecto, ſuadetur tribus rationibus, ſed refutatur ſatis fusè, & non minùs clarè, quam ſolidè.

4. *Opinio Ægid.* Theorem 36. 37. & 38 39. HIc eſt vna opinio, quæ ponit ſolam quantitatem in Euchariſtia eſſe, & poſſe eſſe ſine ſubiecto. Pro hac opinione ſunt rationes.

Prima ratio. Prima: hæc omnia indiuiduantur per quantitatem, quæ indiuiduatur per ſe: ſi igitur eſſet aliquod aliud accidens per ſe ſeparatum exiſtens, illud eſſet ex ſe hoc, & ſi non eſſet in quantitate, non eſſet hoc, quia omnis indiuiduatio fit per eam; igitur ſimul eſſet hoc, & non eſſet hoc.

Secunda. Item, ſi albedo eſſet ſeparata à quantitate, & maneret ſeparata, eſſet ſenſibilis, quia eſſet de tertia ſpecie Qualitatis; ſed ex quo ponitur ſeparata à quantitate, eſſet indiuiſibilis, quia nihil eſt ſenſibile, vel diuiſibile, niſi quantum. Vnde Philoſophus in quadam dubitatione in libro de Senſu & Senſato, cap. 7. vult, quòd *ſi ſenſibile diuideretur in infinitum, ſenſus creſceret in infinitum.* Hoc non eſſet, niſi quia oportet ſenſibile eſſe quantum. Ariſtot.

Tertia. Item, ſi albedo eſſet ſeparata à quantitate, eſſet qualitas ſpiritualis, quia indiuiſibilis, & eſſet corporalis, quia in tertia ſpecie; igitur ſimul ſpiritualis, & non ſpiritualis.

Quarta. Item, ſi albedo eſſet ſeparata, poſſet perficere ſpiritum, & ita Angelus poſſet eſſe albus, & conſtat quòd poteſt perficere corpus; igitur eadem perfectio eſſet ſpiritus & corporis.

§. *Ad primam rationem Ægidij.* Sed iſtæ rationes non concludunt neceſſariò. Prima non, quia aſſumptum illud, quòd quodlibet accidens aliud à quantitate indiuiduatur per quantitatem, eſt falſum: quia in quolibet genere eſt vnum primum ſingulare indiuiſibile, per ſe tale, & non per aliud extrinſecum, quia ſicut in quolibet genere eſt coordinatio habens proprium generaliſſimum primum, quod prædicatur de omnibus, quæ per ſe ſunt illius coordinationis, ita iſtius coordinationis eſt aliquod infimum ſingulare, & indiuiſibile, quod non prædicatur de aliquo alio: eſſet igitur hæc albedo, licèt eſſet ſine quantitate, quia modò exiſtens in quantitate non eſt hæc per quantitatem, ſed per aliquid indiuiſibile ſui generis, vt patebit aliàs. *Quodlibet eſt hoc per principium ſibi intrinſecum.* *Albedo non eſt hæc à quantitate.*

Ad ſecundã. Ad aliud, cùm dicitur, quòd ſi albedo eſſet ſeparata, eſſet ſenſibilis. Relpondeo quòd aliquid poteſt intelligi eſſe ſenſibile dupliciter, vel potentia remota, vel propinqua. Albedo enim etſi eſſet ſeparata, eſſet vtique ſenſibilis, ſicut eſt illa, quæ eſt in Euchariſtia. Et dicitur illud eſſe ſenſibile potentia remota, quod in ſe habet principium actiuum immutandi potentiã aliquam ſenſitiuam; licèt non ſit ſub modo debito, qui requiritur ad hoc, quòd ſtatim poſſit agere, quia ſub illo modo exiſtens dicitur potentia propinqua, & ideò modò exiſtit albedo in Euchariſtia, vt potentia remota ſenſibilis, quia quantùm eſt ex ſe, poſſet agere: ſed quia non eſt ibi modo conuenienti actioni ſenſus, ideò non eſt ſenſibilis, vt ibi potentia propinqua. *Ad ſecũdam Ægid. Senſibile duplex.* *Explicatur potentia remota & proxima.*

Hæc diſtinctio de potentia habetur priùs 1. *lib. diſt.* 7.* & à Philoſopho 9. *Metaph. text.* 10. vt ibi allegatur. Dicit etiam Anſelmus *de lib. arbitr. cap.* 4. loquens de potentia vltimo modo dicta, quòd *In nobis nulla eſt poteſtas, quæ ſufficiat ad actum, quando non ſolùm requiritur ad actum potentia, ſed obiectum & medium diſpoſitum*; Vnde ſi habens potentiam viſiuam haberet pellem ſupra oculum impedientem actum videndi, talis non haberet potentiam videndi propinquam, dum maneret illa pellis, quia non poſſet in actum viſus, ſed tantùm haberet potentiàm remotam ad videndum. Illo modo dicuntur damnati poſſe velle bonum potentia remota, quia in eis ſunt naturalia integra, & habent potentiam, quæ quantùm eſt ex ſe, poteſt in actum bonum abſolutè, niſi impediretur per perpetuum impedimẽtum, vt perpetuam obſtinationem, & ideò nunquam poſſunt potentia propinqua velle bonum in actu. * q. 1 n. 4: Ariſtot. Anſelmus. *In nobis nulla potentia ſufficit ad actum.* *Damnati habent potentiã remotam ad velle bonum.*

Sic igitur patet quomodo albedo ſi eſſet ſeparata, eſſet ſenſibilis potentia remòta, non propinqua, quia vt ſic non habet modum conuenientem actioni naturali. Et per hoc poteſt dici ad Philoſophum *de Senſu & Senſato*, quòd non eſt *Albedo ſeparata eſſet ſẽſibilis remotè*

dare

dare minimum ſenſibile ſecundùm ſe, cùm diuidatur qualitas ſenſibilis in infinitum, ad diuiſionem quantitatis; ſic ſenſibile quantumcunque paruum eſſet quantùm eſſet ex ſe, per ſe ſenſibile potentia remota, quia habet principium per ſe immutatiuum ſenſus, ſi ſit in organo, qui motus requiritur ad potentiam propinquam ſenſibilitatis alicuius.

Ad tertiam.

Ad tertium, cùm infertur quòd ſi albedo eſſet ſeparata, eſſet ſimul qualitas ſpiritualis & corporalis. Dico quòd non, quia ſeparata eſt qualitas corporalis, quia naturaliter eſſet nata informare corpus, licèt non actu; ſicut ſubſtantia corporis, & ſi eſſet ſeparata à quantitate, tamen diceretur quòd nata eſt recipere dimenſiones quantitatis, quod non conuenit ſpirituali, ita albedo ſeparata licèt actu non informaret corpus, ſemper tamen nata eſt informare corpus, & non ſpiritum, & ideò ſemper dicitur qualitas corporalis ab inclinatione naturali, quam habet ad corpus habitudinaliter, & ſemper, licèt qualitas ſeparata eſſet indiuiſibilis, non propter hoc ſequitur quòd ſit nata informare Angelum, vt Angelus dicatur albus albedine: non plus quàm corpus dicatur ſapiens, quia ſapientia non nata eſt eſſe perfectio corporis: ſed Angeli, vel animæ, vel alicuius naturæ ſpiritualis.

Albedo à quantitate ſeparata eſſet corporalis.

Ad quartã.

7. *Ægid. refutatur efficaciter primò.*

Iſtæ igitur rationes non concludunt, quin qualitas poſſet eſſe ſine ſubiecto, & maximè ſine quantitate, de quo minùs videtur. Hoc idem probo per rationes: primò ſic, qualitas non eſſentialiùs dependet à quantitate, quàm quantitas à ſubſtantia, quia in omni dependentia, & ordine eſſentiali dependentia & ordo ad primum eſt eſſentialior; ſed ſecundùm eos, quantitas poteſt ſeparari à ſubſtantia, quod eſt primum in ordine eſſentiali rerum; ergo multò magis poteſt qualitas ſeparari à quantitate.

Secundò. Qualitas eſt perfectior quantitate, & quare.

Item, ſi abſoluto imperfectiori non repugnat eſſe, multò magis nec abſoluto perfectiori; ſed qualitas eſt forma abſoluta & perfectior quantitate, quia eſt principium agendi actiuè actionis realis, & maximè ſecundùm eos, qui non attribuunt actionem alicui, vt principio actiuo, niſi qualitatibus, de prima, & tertia ſpecie, quæ de ſe ſunt actiuæ, nulla quantitas eſt de ſe actiua, nec principium actiuum alicuius actionis realis; conſequitur enim compoſitum ratione principij paſſiui, vt materiæ, ſed quantò aliquid eſt actualius ſecundùm eos, tantò perfectius; igitur ſi quantitati non repugnat per ſe eſſe, multò magis nec qualitati.

Quantitas non eſt ex ſe principium actiuum.

Tertiò. Subſtantiis nobilioribus correſpondent qualitates nobiliores.

Item tertiò ſic; ſecundùm ordinem eſſentiarum ſiue ſubſtantiarum attenditur ordo qualitatum, quia ſubſtantiis nobilioribus correſpondent qualitates nobiliores, & hierarchiæ qualitatum correſpondent hierarchiæ ſubſtantiarum. Patet, & aliæ qualitates conueniunt ſpiritibus, & corporibus; ſed ſecundùm ordinem ſubſtantiarũ, nõ attenditur ordo quantitatis, ſicut qualitatum, quia non ſicut ſecundùm ordinem ſubſtantiarũ attenditur maioritas, vel minoritas qualitatum, ita maioritas vel minoritas quantitatum; quia nõ ſemper corpora maiora ſunt meliora, licèt quandoque hoc contingat: igitur qualitates ſunt eſſentialiter perfectiores quàm quantitates.

8. *Quartò. Qualitas beat, non quantitas.*

Item, entia perfecta per qualitates conſequũtur ſuos fines, quia actus beatificus, quo attingitur eſſentialis beatitudo finis, vel eſt qualitas vel ſi non, ſaltem eſt aliqua qualitas ſupernaturalis, quæ neceſſariò diſponit ad illum actum, vt gratia ad gloriam, ſed per quantitates non ſic conſequuntur res finem ſuum; igitur.

Quintò.

Item, quod magis conuenit cum perfectiore, ſimpliciter eſt perfectius; ſed in Deo ſapiẽtia eſt perfectio ſimpliciter, cum qua magis conuenit qualitas, quàm aliqua quantitas corporalis, quia ſapientia hîc, & ibi, vel habẽt vnum conceptum communem vniuocum; vel ſi non, ſaltem in natura rationali magis conueniunt ſapientia in creatura, & in Deo, quàm cum ſapientia in Deo conueniat aliqua quantitas corporalis. Vnde ſapientia in creatura eſt perfectio ſimpliciter, ſicut ei poteſt competere perfectio ſimpliciter, quia magis quàm aliqua quantitas; igitur ſi quantitas poteſt per ſe eſſe & ſeparari à ſubſtantia, multò magis & qualitas.

Qualitas eſt perfectio ſimpliciter creatura.

Sed contra illud obiicitur ſic: illud eſt perfectius, quod perfectiſſimo enti eſt propinquius; ſed quantitas eſt propinquior ſubſtantiæ, quàm qualitas; igitur.

9. *Obiectio.*

Soluitur.

Reſpondeo, eidem perfecto, in quo concurrunt plures perfectiones, poſſunt diuerſa ſecundùm illas diuerſimodè approximari; vt vnum ſecundùm vnam perfectionem eius ſit ei propinquius, quàm aliud, & è conuerſo, aliud propinquius ſecundùm aliam perfectionem eius, quàm iſtud, quia multæ ſunt catenæ ordinum: Verbi gratiâ in Deo eſt æternitas perfectio ſimpliciter, ſecundùm quam magis conuenit, & appropinquat cum eo corpus cœleſte, quàm corpus mixtum, & animatum, & illo modo perfectius eſt cœlum, quàm homo. Alia eſt perfectio in eo, quæ dicitur intellectualitas, ſecundùm quam è conuerſo magis appropinquat ſibi homo, quàm cœlum, & ſic eſt perfectior eo; quia natura merè intelligibilis, & intellectualitatis infinitæ eſt natura Diuina: natura verò merè intellectualis, ſed non intellectualitatis infinitæ, eſt natura Angelica: natura verò non merè intellectualis, ſed partim intellectualis, & partim corporea eſt homo, ſiue natura humana.

Alia verò ſunt viuentia non intellectualiter, quia non intelligunt, ſed ſenſibiliter, conueniunt tamen magis cum natura intellectuali, inquantùm cognoſcunt, quam non talia: Et iſto modo cœlum eſt imperfectius muſca; quia in illo muſca eſt propinquior Deo, quàm cœlum, ſi non ſit animatum, quia omne viuens eſt nobilius non viuo. Sicut igitur tu arguis: illud quod eſt propinquius primo æterno, eſt nobilius; cœlum eſt huiuſmodi; igitur eſt perfectius homine; ita arguã tibi ex oppoſito; illud quod eſt propinquius primæ naturæ intellectuali, eſt nobilius; homo eſt huiuſmodi reſpectu cœli; ergo eſt nobilior cœlo; & ſic ſequitur quòd idẽ ſit nobilius, & ignobilius, ſed non reſpectu eiuſdem.

Quodlibet viuens eſt nõ viuo nobilius

Dico igitur ad rationem, quòd illud quòd eſt propinquius Deo & enti perfectiſſimo, ſecundũ illud, quod eſt perfectiſſimum in eo, eſt ſimpliciter perfectius. In ſubſtantia verò eſt duplex conditio perfecta, vna eſt ratio ſubiecti & formalis, & actualis. Alia eſt ratio cauſalitatis actiuæ & terminãtis dependentiam aliorum ad ſe. Prima cõditio eſt imperfectior, quia conſequitur compoſitũ ratione materiæ, quia nihil eſt informabile aliquo, niſi reſpectu alicuius, quo caret, & reſpectu eius eſt in potẽtia; materia tantùm eſt in potẽtia ad quodlibet, quod nõ habet; ratione enim materiæ cõſequitur quãtitas ſubſtãtiã cõpoſitã, quali-

10. *Perfectiori propinquius ſecundùm rationem perfectionis eſt perfectius.*

Qualitas ſequitur formã quantitas materiã.

tas ratione formæ; igitur ſicut forma eſt perfectior materiâ, ita qualitas quantitate, quia qualitas conſequitur ipſam, vt eſt forma, ratione cuius ſequitur actio, & cuiuſlibet dependentiæ terminatio, nec ſic conſequitur ipſam quantitas, & ideò argumentum concludit oppoſitum.

SCHOLIVM II.

Sententia Goffredi, nullum accidens ſubiectari in alio accidente; quam ſequi tenentur Occam 4. quæſt. 7. & ſequaces, aſſerentes quantitatem non diſtingui à re quanta; ſed refutatur clarè & neruosè.

II. *Opinio Goffredi.* ALia eſt opinio, quæ ponit quòd libet accidens in Euchariſtia eſſe ſine ſubiecto, eo quòd nullum accidens poteſt eſſe ſubiectum alterius accidentis, pro qua opinione ſunt rationes illæ, quæ factæ ſunt ad primam partem quæſtionis.

Reiicitur primò. Sed contra illam opinionem arguo ſic: Illud eſt ſubiectum alicuius per ſe paſſionis, de quo prædicatur paſſio in ſecundo modo dicendi per ſe: ſed multæ paſſiones prædicantur per ſe ſecundo modo de accidentibus. Patet vniuerſaliter de omnibus paſſionibus ſcientiæ Mathematicæ incipiendo à prima conditione Geometrica, diſcurrendo vſque ad vltimam, quæ primò, & per ſe conueniunt accidenti, & non ſubſtantiæ, vt numerum habere paritatem, & triangulum habere tres, quæ conueniunt numero, & lineæ per ſe; etſi nulla ſubſtantia eſſet in natura: igitur. Maior probatur, quia illud eſt ſubiectum paſſionis, quod cadit in definitione paſſionis; tale eſt accidens aliquod. Patet de numero, & linea, etiamſi nulla ſubſtantia eſſet; ſed id, de quo prædicatur paſſio, cadit in definitione paſſionis; igitur eſt ſubiectum eius.

In Mathematica demonſtrantur omnes paſſiones de accidentibus.

Secundò. Auicenna. Ad hoc eſt auctoritas Auicennæ 2. *Metaph.* c. 1. qui vult manifeſtè vnum accidens poſſe eſſe ſubiectum alterius accidentis, quia ſecundùm eum, motus eſt ſubiectum velocitatis, & tarditatis.

Tertiò. Item, ſi quodlibet accidens in Euchariſtia eſſet ſine ſubiecto, igitur eſſet aliquis reſpectus ſine fundamento, & per conſequens ſimilitudo, per quam hoſtia alba eſt formaliter ſimilis alteri hoſtiæ, eſſet ſine albedine, quod includit contradictionem; quia certum eſt quòd albedo huius hoſtiæ & illius, ſunt formaliter ſimiles hac ſimilitudine. Sed ſi ſimilitudo non extat in albedine hoſtiæ ad aliam albedinem, ſed fuerit ſeparata ab albedine, ſequitur quòd hoſtia alba non eſt ſimilis illa ſimilitudine, quia nihil eſt tale formaliter per illud, quod non eſt in ipſo: igitur albedo eſſet ſimilis hac ſimilitudine formaliter, & non eſſet ſimilis illa ſimilitudine.

Nullus reſpectus poteſt eſſe ſine fundamento.

Quartò. Similiter ſequitur quòd quantitas hoſtiæ corporis Chriſti ſimul eſſet in loco, & non eſſet in loco, quia ſi ſit in loco, circumſcribitur à loco, & per conſequens circumſcriptio paſſiua, & *vbi* eſt in ea: ſed circumſcriptio paſſiua, & *vbi* non eſt in ſubiecto: igitur non eſt in eo, & ita non in loco: & ita ſimul eſſet in loco, & non in loco, & habebit *vbi*, & non habebit, quæ contradicunt.

***

SCHOLIVM III.

Reſolutio Doctoris eſt, quantitatem, & qualitatem poſſe eſſe ſine omni ſubiecto, & de facto tantùm quantitatem in Euchariſtia eſſe ſine ſubiecto, & qualitatem in illa ſubiectari: & reliqua accidentia in his. Vide eum in Oxon. hîc à n. 15.

12. *Sententia Doct.* REſpondeo ad quæſtionem, tenendo viam mediam inter iſtas opiniones: & dico quòd ſi quæſtio quærat de poſſibili, dico quòd non ſolùm quantitas poteſt eſſe ſine ſubiecto, ſed & qualitas contra primam opinionem, quæ tantùm hoc concedit de quantitate. Priùs patet.

Omnis relatio eſt neceſſariò alicuius, & ad aliquid. Secundò dico quòd non quodlibet accidens nec in Euchariſtia, nec alibi, poteſt eſſe ſine ſubiecto; quia non relatio, nec vniuerſaliter formæ relatiuæ, ſiue intrinſecùs, ſiue extrinſecùs aduenient, ſed hoc non eſt ratione ſubiecti, ſed ratione termini, quia omnis relatio eſt habitudo neceſſariò inter extrema, & per conſequens eſt illud, quo vnam extremum formaliter refertur ad aliud; ſed ſi relatio non eſſet in altero extremo, nec informaret ipſum, non eſſet id quod formaliter referretur ad aliud, quia nihil formaliter eſt tale, niſi per aliquid, quod aliquo modo eſt forma eius; igitur ſi per relationem formaliter referatur quid ad aliud, oportet quòd aliquo modo relatio ſit forma eius.

Sed quid de facto? Reſpondeo quòd in Euchariſtia de facto ſunt relationes in quantitate, & qualitate, vt in ſuis ſubiectis, quia æqualitas & inæqualitas hoſtiæ ad alia quanta fundantur in quantitate, & ad alia qualia fundantur in albedine. Similiter *vbi* eſt in locato corpore, qui non eſt niſi reſpectus extrinſecùs aduenientes.

Qualitas in Euchariſtia de facto eſt in quantitate. Sed de formis abſolutis non oportet fundari alteram in altera, quia ita poteſt qualitas eſſe ſine quantitate, ſicut ſuperiùs eſt probatum. Dici tamen poteſt quòd de facto qualitas eſt ibi in quantitate, ſicut in proximo ſuo ſuſceptiuo: licèt enim ſit perfectior quantitate, ſicut forma materiâ, quantitas tamen eſt prior in ratione ſuſceptiui, ſicut materia in ſubſtando, & in recipiendo formam. Et ideò ſicut conceditur formam eſſe in materia, non obſtante maiori perfectione formæ, quàm materiæ, ita de facto poteſt concedi quòd in Euchariſtia qualitas eſt in quantitate, vt in proximo ſuſceptiuo. qualitas enim in Euchariſtia, vt albedo, eſt extenſa, quod non habet de ſe ſine quantitate.

Extenſio qualitatis in Euchariſtia eſt à quantitate.

13. *Ad primum principale.* Ad primam rationem in oppoſitum, cùm dicitur quòd ſola ſubſtantia eſt ſubiectum accidentis. Reſpondeo quòd ſi accipiatur *ſubiectum* propriè pro eo quod vltimatè terminat dependentiam accidentis, ſic verum eſt, quia ad aliquid vltra ſubſtantiam non dependet; & hæc eſt ratio perfecti ſubiecti, vt ad ipſum dependeat accidens in ratione vltimò terminantis ipſius dependentiam. Si verò accipitur *ſubiectum* pro ſuſceptiuo proximo accidentis, & ipſius dependentiam proximè terminantis, ſic non eſt verum quòd ſola ſubſtantia ſit ſubiectum accidentis. Sic enim relationes ſunt in qualitate, & quantitate, vt proximis ſubiectis, & qualitas in quantitate, vt in proximo ſuſceptiuo.

Sola ſubſtantia eſt vltimate ſubiectum accidentis.

Accidens eſt ſubiectum proximum accidentis.

Ad probationem patet reſponſio in quæſtione præcedente, quia ſicut ſubſtantiæ non conuenit inhæreræ, & informare, ſic nec accidenti

Accidenti ex ſua natura ſemper competit inhærere.

cidenti *per ſe eſſe*, ſiue *ſubſtare*, prout conueniunt ſubſtantiæ, quod ei repugnat informare aliquid, vel accidentaliter inhærere, quia nata eſt oppoſito modo eſſe: igitur eodem modo repugnat accidenti per ſe eſſe, & ſubſtare, quin ſemper natum ſit quantumcunque ſeparetur, ſemper inhærere alij.

14. *Ad Confirmationem reſpõdetur primò.*

Ad Philoſophum 4. Metaphyſicorum, dicentem quòd *vnum accidens non accidit alteri, niſi quia vtrumque tertio*, vt ſubiecto, dico quòd poteſt vno modo exponi, vt ly *quia* non ſit nota cauſalitatis, ſed concomitantiæ, ſic ſcilicet, quòd vnum accidens non accidit alteri, niſi quando vtrumque accidit tertio, vt ſubſtantiæ, & hoc quidem verum eſt, ſecundùm intentionem eius, quia negat accidens poſſe eſſe ſine ſubiecto, non propter dependentiam ad ſubiectum, vel imperfectionem accidentis, ſed propter neceſſarium ordinem cauſarum, quæ ſunt in vniuerſo, quem reputauit ita neceſſarium, quòd præter illum non poſſet aliquod agens agere, & ita quòd Deus non poſſet agere præter ordinem cauſarum mediarum.

Cur negauit Ariſtoteles accidens poſſe eſſe ſine ſubiecto.

Reſpondetur ſecundò.

Aliter poteſt dici, quòd dictum ſuum eſt verum de accidentibus diſparatis, quæ non ordinantur ad inuicem eſſentialiter, vt de albo & muſico: ſed de accidentibus, quæ habent ordinem ad inuicem, ſiue in eodem genere, vt qualitate de ſecunda ſpecie, ad qualitates primæ ſpeciei, ſiue diuerſorum generum, vt quantitatis, & qualitatis, non dicitur verum, vt ſic habet intelligi.

Accidentia diſparata non poſſunt ſibi accidere niſi priùs ſubiecto accidant.

Reſpondetur tertiò.

Tertio modo poteſt dici quòd Philoſophus oſtendit ibi quòd in prædicationibus per accidens non eſt proceſſus in infinitum, quod volens oſtendere, infert iſtud dictum tanquam ſimilius propoſito, quia ſi ſit proceſſus in infinitum in accidentibus; igitur ſequitur quòd non magis vnum accidens accidit alteri, quàm è conuerſo; ſed ſolùm hoc eſt, quia vtrumque accidit tertio, quia vbicunque eſt proceſſus in infinitum, ibi non eſt ordo eſſentialis, & illo modo exponendo auctoritatem illam, eſſet ad oppoſitum magis, quàm ad propoſitum.

Oſtendit quòd in prædicationibus per accidens non eſt proceſſus.

15. *Ad ſecũdum.*

Ad ſecundum, cùm dicitur quòd ſubſtantia ponitur in definitione accidentis vt additum, & ratio eius ponitur neceſſariò in ratione accidentis, dico quòd aliquid poteſt poni in definitione alterius, vel vt additum proximum, vel remotum. Subſtantia autem, vel ratio eius, non ſemper ponitur in definitione cuiuslibet accidentis, vt additum proximum; ſed vel vt additum proximum, vel remotum: ſi enim definiretur relatio, fundamentum eius poneretur in eius definitione; vt additum proximum, & immediatum, quod non eſt ſubſtantia, ſecundùm eos, ſed accidens: ſubſtantia tamen eſt ibi, vt additum remotum, tanquam vltimatè terminans dependentiam eius; ita quòd ſubſtantia ponitur vt additum tam in ratione relationis, quàm fundamenti eius, quia vtrumque verè terminat & vltimatè, ſed non ſequitur, ponitur in definitione cuiuslibet accidentis, vt additum proximum, vel remotum terminans dependentiam cuiuslibet ſic, vel ſic; igitur vt ſubiectum proximum cuiuslibet, ſed eſt fallacia Conſequentis, à pluribus cauſis ad vnam.

Subſtãtia ponitur in definitione accidentes vt additum vltimatum & remotum.

16. *Ad tertium*

Ad tertium, cùm arguitur, quòd id quod terminat dependentiam alterius non poteſt dependere ſimili dependentia, dico quòd verum eſt de dependentia vnius rationis, poteſt tamen dependere dependentia alterius rationis, licèt aliquam ſimilitudinem habeant. Nam omnis creatura dependet ad Deum immediatè, & tamen hoc non obſtante vna creatura poteſt terminare dependentiam alterius creaturæ; ſi ſit alterius rationis à dependentia, qua dependet ad Deum. Sed alia eſt dependentia relationis ad fundamentum, alia fundamenti ad ſubſtantiam, in ſe conſideratæ in ſpeciali, quia in vniuerſali ſunt idem.

Aliquid poteſt duplici dependentia diuerſa ratiõis dependere

Ad quartum & quintum, dico quòd loquuntur de accidentibus abſolutis, quæ poſſunt eſſe ſine ſubiectis æquè ſicut in ſubiectis, quod concedo; ſed non de accidentibus relatiuis, quæ neceſſariò ſunt in altero extremorum, vt proximo ſuſceptiuo.

Ad quartum & quintum

17. *Ad ſextum.*

Ad ſextum, cùm dicitur quòd relationi repugnet eſſe ſine ſubiecto, aut inquantùm eſt accidens, aut inquantùm relatio in communi, poteſt dici quòd nec inquantùm ſic, nec inquantùm ſic, ſed inquantùm eſt relatio in creatura, quæ non conſtituit ſuppoſitum aliquod per ſe ſubſiſtens. Aliter poteſt dici quòd repugnat relationi eſſe per ſe etiam in diuinis, eo modo, quo perſona dicitur eſſe per ſe, & eſſentia dicitur eſſe; nec enim eſt per ſe ſecundùm *eſſe* communicabile vt eſſentia, nec ſecundùm *eſſe* incommunicabile, vt perſona, ſed eſt illud, quo perſona eſt incommunicabilis. Ad probationem dico quòd relatio non eſt formaliter infinita, quia *non eo Pater, quo Deus*, ſecundùm Auguſtinum. Et tunc aſſignanda eſt fallacia figuræ dictionis in argumento, ſicut ſi ſic arguetur: eſſentia eſt formaliter infinita; relatio eſt eſſentia; igitur relatio eſt formaliter infinita. quia mutatur vnus modus prædicandi in alium, ſicut hîc: eſſentia intelligit, paternitas eſt eſſentia, igitur paternitas intelligit. Concluſio autem non conceditur eſſe vera aliqua prædicatione, quia ſicut dictum eſt. 1. *lib. diſt.* 5. * commutatur ibi prædicatio identica in formalem, paternitas eſt quoddam abſtractum vltima abſtractione, & ideò nullum concretum poteſt dici de ea, niſi formaliter. Patet ibi: vt hæc eſt prædicatio formalis, *paternitas intelligit*: hæc autem, *paternitas eſt eſſentia*, eſt vera tantùm per identitatem, & ideò in concluſione commutatur hæc prædicatio in illam, interpretando prædicationem identicam eſſe formalem.

Relatio creata non conſtituit ſuppoſitũ ſubſiſtens per ſe.

Aug. 7. de Trin c. 2. *Relatio diuina formaliter nõ eſt infinit*

*q. 3. n. 3.

In diuinis prædicatio abſtracti de concreto eſt vera tantum identicè.

18. *Ad rationem in oppoſitum.*

Ad rationem in oppoſitum, cùm arguitur quòd motus tunc poſſet eſſe ſine nobili, dico quòd accipiendo *motum* pro forma fluente, & pro fluxu formæ; à quacunque virtute poteſt forma per ſe eſſe, poteſt in fluxu eſſe, & ſicut vnum eſt poſſibile, ita & aliud; quia quæcunque forma in *eſſe* quieto poteſt per ſe eſſe, poteſt per ſe eſſe in fluxu, & ſic motus poteſt per ſe eſſe, non accipiendo *motum* pro fluxu, quia fluxus ſemper eſt in forma: motus autem ſiue fluxus ſecundùm *vbi* poteſt per ſe eſſe, quia non niſi in *eſſe* quieto poteſt per ſe eſſe, & ideò nec *vbi* fluens poteſt eſſe per ſe.

***

QVÆSTIO III.

Vtrùm accidentia in Euchariſtia poſſint habere actionem, quæ competit eis in ſubiecto?

Alenſ. 4.*p.quæſt.*40.*n.*2 *art.*3.D.Bon.*hic* 1.*p.art.*2.*quæſt.*1. Richard.*art.*3.*quæſt.*2.Dur.*quæſt.*2.Occam *quæſt.*7. D. Thom.3.*p.quæſt.*77.*art.*3. & 8.Suar. *ibi d.*57.ſ. 2. Scot. *in Oxon.hic quæſt.* 3. & 7.*Met.quæſt.* 8. & 9. & 2.*Phyſ. quæſt.*5.

1. *Arg. primùm negatiuum.* ARguitur quòd non, quia deſtructo priori, deſtruitur poſterius; ſed *ineſſe* accidentis eſt prius, quàm *agere*: igitur ſi non ineſt, non agit; igitur.

Confirmatio. Confirmatur, deſtructo aliquo, quod immediatiùs ſe habet ad aliquid, deſtruitur mediatius: ſed ineſſe ſubiecto immediatiùs conuenit accidenti, quàm in obiectum agere, quia primum naturaliter conſequitur naturam accidentis, ſecundum tantùm contingenter; igitur.

Boëtius. *Secundum.* Item ſecundùm Boëtium de hebdomadibus; *In omnibus citra Deum, differunt quod eſt, & quo eſt*; igitur idem non poteſt eſſe *quod eſt*, & *quo eſt*; ſed accidens eſt quo agens agit, igitur ſeparatum non agit, vt *quod.*

Confirmatur primò. Confirmatur, quia enim anima eſt, quo aliquid eſt homo, ideò non poteſt eſſe *quod eſt*, igitur à ſimili in propoſito non eſt idem quod agit, & quo agit.

Secundò. Confirmatur, ſuppoſitum per ſe agit: *Metaph. 3.tex.c. 3.* igitur non forma, & per conſequens, nec accidens, quando non ineſt ſubiecto.

Item, *de Generatione text.* 87. agens & patiens oportet communicare in materia, ſimiliter *ibid.* oportet agens agere in paſſum ſecundùm contactum naturalem, quia tunc non eſt quantitas, nec qualitas naturalis, ſed Mathematica, quando ſeparatur à ſubiecto.

Confirmatur. Confirmatur per Philoſophum 3.*Metaph.tex. com.*4. qui dicit quòd Mathematicis non conuenit agere, quia in Mathematicis non eſt motus, nec per conſequens finis, nec bonum.

Ariſtot. *Quartum.* Item, ſi accidentia ſeparata poſſunt agere, ſicut quando ſunt in ſubiecto, igitur ſpecies intelligibilis ſeparata intelligeret, & charitas ſeparata amaret, quia illa in ſubiecto ſunt principia formalia intelligendi, & amandi; conſequens falſum, igitur & antecedens. Manifeſta falſitas conſequentis patet; quia tunc ſpecies intelligibilis & charitas eſſent per ſe beatificabiles, quod falſum eſt, cùm beatitudo ſit tantùm perfectio totalis, cuiuſmodi non ſunt iſtæ qualitates.

Quintum. *Ariſtot.* Item Philoſophus 7.*Metaph. tex.* 28. arguens cõtra Platonem de ideis, dicit quòd idea, vel ſpecies, ſi eſſet ſeparata, non eſſet principium generandi compoſitum; igitur ſpeciebus ſeparatis in Euchariſtia non poteſt competere actio generandi compoſitum, poteſt autem hoc eis competere, quando ſunt in ſubiecto, igitur.

Rationes ad oppoſitum. Contrà, accidentia ſeparata ſunt per ſe ſenſibilia. Item, poſſunt alia ſibi approximata alterare: patet in mixtione paruæ aquæ ad vinum, vel ſpecies eius.

Accidentia ſeparata poſſunt agere ſicut vnita. Item, quòd poſſent in omnem actionem ſeparatæ, in quam poſſunt coniunctæ, videtur, quia forma habens eandem virtutem poteſt eſſe principium eiuſdem actionis: ſed accidentia vt ſeparata habent omnem eandem virtutem, quam habent in ſubiecto, quia eandem entitatem; igitur ſicut coniuncta in ſubiecto poſſunt producere, vel generare compoſitum, ita ſine ſubiecto.

SCHOLIVM I.

*Sententia D.Thomæ, formas ſubſtantiales non eſſe actiuas, niſi per qualitates, & ſola accidentia eſſe immediatè actiua; & ſic etiam ſeparata cauſare tam accidentia, quàm ſubſtantiam, ſed hanc vt inſtrumenta; refutatur efficaciter, & clarè, in eo quod ait accidentia ſeparata agere in virtute ſubſtantiæ: & præcipua ratio eſt, quia nihil cauſari poteſt in virtute non exiſtentis. Præterea, virtus illa eſt ſubſtantia, vel accidens &c. Vide Doctorem in Oxon. hic à n.*4.

2. *Sententia D. Thom.* in 4.d. 1 2.a. 1.q.1. *probatur primò.* Ariſtot. HIc dicitur quòd compoſitum non eſt principium agendi animæ nutritiuæ in generando carnem, etiam viuam; forma igitur accidentalis, vt calor, eſt inſtrumentum formæ ſubſtantialis animæ, ſcilicet nutritiuæ, vt dicitur 2. de Anima: non igitur tantùm forma accidentalis attingit per ſuam actionem formam accidentalem, ſed ſubſtantialem.

Iſta conſequentia, ſi valeat, tenet virtute huius propoſitionis: inſtrumentum non tantùm attingit formam ſibi ſimilem, ſed etiam terminum formalem principalis agentis. Iſta propoſitione omiſſa, non valeret iſta conſequentia.

Confirmatur. Iſtud confirmatur, quia generatio eſt terminus alterationis; igitur principium alterandi attingit terminum generationis: terminus generationis eſt ſubſtantia, principium alterationis eſt accidens; igitur forma accidentalis attingit formam ſubſtantialem. Hanc etiam virtutem attingendi formam ſubſtantialem habent accidentia, eo quòd cauſantur à principiis eſſentialibus ſubſtantiæ; illud autem eſſe cauſatum, quod habent à ſubſtantia, habent æquè quando ſunt ſeparata, ſicut quando ſunt coniuncta: igitur ſicut poſſunt in ſubiecto attingere formam ſubſtantialem per ſuam actionem, ita etiam quando ſeparantur.

Reſponſio. Et ſi arguatur contra eos, quòd nihil agit vltra ſpeciem; igitur non poſſunt attingere formam ſubſtantialem in agendo, quia hoc excederet ſpeciem, & naturam eorum.

Reſpondent quòd verum eſt nihil agere vltra ſuam ſpeciem in virtute propria. In virtute tamen alterius poſſunt; vt ferra ad formam ſcamni, & ſic accidentia in Euchariſtia virtute ſubſtantiæ poſſunt generare ſubſtantiam.

3. *Impugnatur primò.* Contrà, quæro quid eſt dicere accidentia, vel accidens agere in virtute ſubſtantiæ? Nam iſta virtus, qua accidens agit vltra ſpeciem, aut eſt ſubſtantia, vel aliquid in ſubſtantia, vel accidens, aut aliquid in accidente, aut habitudo accidentis ad ſubſtantiam, vel è conuerſo, ſubſtantiæ ad accidens. Si eſt ſubſtantia, aut aliquid in ſubſtantia, igitur cùm accidens ſeparatum non ſit ſubſtantia, nec aliquid manens in ea, & præcipuè, cùm in propoſito non maneat ſubſtantia panis, cuius ſunt accidentia, ſequitur quòd dicere accidens ſeparatum agere in virtute ſubſtantiæ eſt dicere quòd agat in virtute nihili; ſi autem illa virtus non ſit niſi ipſum accidens,

Accidens non producit ſubſtantiam in virtute ſubſtantiæ.

cidens: igitur accidens virtute propria habebit actionem, quæ non conſequitur naturam ſuam præcisè ſecundùm ſe, quod ipſi negant. Si autem illa virtus ſit aliquid in accidente, cùm nihil in accidente ſit nobilius ipſo accidente, ſequitur quòd ſi accidens virtute propria non poteſt producere ſubſtantiam, quòd nec virtute alicuius, quod eſt in eo.

Nihil in accidente nobilius ipſo.

Si dicas quòd illa virtus, qua accidens agit, ſit habitudo iſtorum, cùm deſtructa ſubſtantia panis in Euchariſtia, & ſeparato accidente habitudo accidentis ad ſubſtantiam ſit habitudo ad nihil, quia panis non manet, ſequitur idem quod priùs, ſcilicet quòd accidens in virtute nihili generabit ſubſtantiam. Nec poteſt dici aptitudinalis ad ſubſtantiam, quia reſpectus ad aptum natum, eſt non ens, vel ens ſecundùm *quid*. Sed ad generationem illam eſt actus realis, & termini ſimiliter; igitur non poteſt agere in illum per habitudinem iſtam ad ſubſtantiam.

4. *Secundò.*

Item ſecundò ſic: nihil quod ex natura ſua propria aliquid immediatè, & actualiter cauſat, eſt inſtrumentum reſpectu illius, quia de ratione inſtrumenti eſt quòd agat virtute principalis agentis, tantùm agens, quia ab eo motum. Patet de ſecuri & manu. Sed nihil in virtute ſua propria habet immediatè illud, ad quod ipſum principale agens mouet, quia nihil habet ex natura ſua, quod ſuperius agens moueat ipſum: igitur impoſſibile eſt quòd accidens virtute & natura ſua propria ſit inſtrumentum aliquid actualiter cauſans, ſed tantùm apparenter cauſans, vt quia aliud, ſicut ſubſtantia, poteſt vti eo in agendo; ſed accidente ſeparato nulla ſubſtantia vtitur in agendo; ergo accidens ſeparatum non agit inſtrumentaliter virtute alicuius ſubſtantiæ.

Agens inſtrumẽtale quid?

Tertiò. Quod agit propria virtute eſt agens principale.

Item, quicquid aliquid cauſat non motum ab alio, reſpectu illius eſt cauſa prima, & mouens principale, quia non agit, niſi in virtutè propria tantùm. Sed accidens ſeparatum à ſubſtantia non mouet, nec generat virtute ſubſtantiæ: igitur ſi accidens ſeparatum attingat formam ſubſtantialem, vel compoſitum ſubſtantiale, hoc eſſet in virtute propria.

5. *Quartò.*

Ariſtot. Subſtantia perfectior non potuit cauſari ab imperfectiori.

Item, quòd ſubſtantia eſt terminus alterationis hoc eſt falſum, & oppoſitum intenti, ſubſtantia enim eſt terminus mutationis alterius generis, à motu alterationis. Patet 7. *Metaph. text.* 32. prius nunquam cadit ſub cauſalitate poſterioris, ſicut nec perfectior ſubſtantia ſub cauſalitate imperfectioris, quia non oportet quòd illud, quod poteſt in poſterius, poſſit in prius & perfectius; ergo principium alterandi, vt accidens qualitas, non poteſt ſe extendere ad ſubſtantiam, quæ eſt terminus generationis, & per conſequens accidens ſeparatum à ſubiecto non erit principium generandi, quidquid ſit de accidente in ſubiecto & ſubſtantia, de quo modò non eſt quæſtio, ſed de ſeparato.

Calor eſt tãtùm principium digerẽdi, & alterandi.

Quæ etiam dicit Philoſophus 2. *de Anima* de calore, quòd ſit inſtrumentum animæ nutritiuæ, non cogit multùm, quia calor non eſt principiũ generandi carnem viuam, nec hoc dicit Philoſophus, ſed tantùm quòd eſt principium digerẽdi, & alterandi cibum, & nutrimentum. Vnde duæ ſunt ibi actiones, & duæ paſſiones, ſicut in generatione ignis ex aëre, vel aqua, ſunt duæ mutationes, & duo principia actiua, vnum principium alterandi aquam, vt calor ignis, qui eſt accidens, & non ſubſtantia eius, qui ignis vtitur calore tantùm ad calefaciendum: ſed in vltimo inſtanti, quando inducitur forma ignis, & eſt ignitio, tunc non eſt calor principium inducendi ignem in materia, vbi præfuit aqua, vel aër, ſed tunc ceſſat calor agere, & omnis alteratio in materia, & in illo inſtanti ignis per ſuam formam ſubſtantialem attingit materiam, & ex ſe immediatè ſubirò inducit in eam formam ſubſtantialem ſibi ſimilem. Vnde calor ſolùm eſt cauſa præuia, & diſponens ad generationem, & forma ſubſtantialis tantùm inducens talem formam, & terminum generationis principalem.

6. *Sola forma ſubſtantialis inducit terminum primò principalem generationis ſubſtantialis.*

Dico igitur quòd calor eſt inſtrumentum animæ nutritiuæ, ad nutriendum, alterando, & digerendo nutrimentum, vt ſic ſummè alteratum, virtute animæ nutritiuæ in fine alterationis conuertatur in ſubſtantiam nutriti, ſed non corrumpitur, nec generatur aliter aliquid ipſius nutrimenti virtute caloris, niſi vt dictum eſt, quatenus eius actio præuia eſt, & diſpoſitio ad actionem animæ corruptiuam, vel generatiuam. Patet ſecundùm illam diſtinctionem inſtrumenti in hoc 4. * In propoſito autem accidens non eſt inſtrumentum in agendo, & ideò hoc accidens nullo modo poteſt generare ſubſtantiam, quia illam nullo modo habet in virtute ſui. quia dicere quòd accidens virtutè propria poſſit generare ſubſtantiam, eſt mihi æquè abſurdum, & impoſſibile, ſicut dicere quòd muſca poteſt producere cœlum.

* d. 1. q. 1. n. 8 & ſeqq.

SCHOLIVM II.

Vera ſententia, accidentia ſeparata, æquè benè agere in ſenſus, & in contraria, ſicut ſi eſſent vnita. Ratio, quia ſunt principia formalia harum actionum, ſed nulla virtute poſſunt immediatè cauſare ſubſtantiam, ſiue ſeparata ſint, ſiue vnita; hoc fusè probat contra Diuum Thomam. Vide ipſum in Oxon. hîc à nu. 7. Habet optimam, & ſelectam doctrinam in ſolutione inſtantiarum, & argumentorum, de quibus latiùs ibidem à num. 10.

7. *Reſolutio Doctoris Triplex actio accidentis. Accidens ſeparatum poteſt immutare ſenſum & corrumpere contrarium. Probatur primò.*

REſpondeo itaque ad quæſtionem, & dico quòd triplex actio poteſt intelligi accidentibus ſeparatis conuenire: vna, quæ eſt ſenſibilis in ſenſum; alia in contrarium corrumpendum; tertia in virtute ſubſtãtiæ, generare ſubſtantiam. Dico igitur quòd accidentia ſeparata poſſunt agere duabus actionibus primis, ſicut poſſent, ſi eſſent in ſubiecto; quod oſtendo ſic: Cuiuſcunque actionis aliqua forma eſt totale principium actiuum, ſi illa forma eſt per ſe, adhuc poteſt in illam actionem, ſi non ſit ſub modo oppoſito, modo conuenienti tali actioni; ſed qualitas in quantitate tantùm duarum primarum actionum eſt totale principium actiuũ; igitur ſi eſt per ſe in quantitate ſeparata, poteſt in illas actiones duas. Maior patet. quia prædicatũ includitur in ſubiecto. Minor patet, quia circumſcripto quocunque accidente, vel eo ſeparato, nihil tollitur ab eo, niſi ſubiectum, quod non facit vnum cum eo, niſi per accidens; reſpectu autem vnius per ſe actionis eſt vnum per ſe principium elicitiuum illius, & per conſequens ſubiectum non pertinebat ad per ſe, & totale principiũ illarũ actionum. Et ex hoc ſequitur vltra, quòd non eſt miraculũ, ſi accidens ſeparatũ agat per ſe illas duas actiones, cùm ſit

ſit totale principium earum, & habeat modum conuenientem illis, quia extenſum ad extenſionem quantitatis, in qua eſt, & non indiuiſibilem.

8. Quantùm verò ad tertiam actionem, dico quòd illa actio, qua fit generatio, & producitur ſubſtantia, non connenit accidenti, ſiue ſit in ſubiecto, ſiue non Et & licèt aliquo modo poſſet ſibi competere in ſubiecto exiſtenti, nullo modo tamen vt ſeparatur à ſubiecto, vt ſuperiùs probatum eſt, quod etiam oſtendo modò vnica ratione: omne totale generans vel eſt vniuocum, vel æquiuocum: ſi vniuocum: eſt eiuſdem ſpeciei cum generato, & producto, & per conſequens æquè perfectum cum eo; ſed ſi eſt æquiuocum, eſt perfectius genito; igitur cùm accidens non ſit neque æquè perfectum cum ſubſtantia, neque perfectius ea, ſed omninò imperfectius, ſequitur quòd nullo modo ſit principium generatiuum ſubſtantiæ, & maximè ſeparatum à ſubſtantia, nec vniuocè, nec æquiuocè: ergo nullo modo.

Accidens nec ſeparatum, nec coniunctum attingit ſubſtantiæ productionem. Probatur ſecundò.

Reſponſio Gofredi & aliorum.

Dices quòd non oportet agens æquiuocum ſemper eſſe nobilius ſuo effectu, quia imperfectius poteſt eſſe principium producendi perfectius.

9. Contrà: licèt illa propoſitio, quòd *ignobilius nõ poteſt eſſe totale principium actiuum perfectioris*, ſit mihi ita per ſe nota; ſicut aliqua in tota Philoſophia; tamen probo eam ſic; generans vniuocè habet genitum, vel productum per generationem, pro termino adæquato ſuæ potentiæ; ſed quod eſt terminus adæquatus potentiæ perfectioris, impoſſibile eſt quòd ſit terminus adæquatus potentiæ imperfectioris; quia dato quòd ſic, ſtatim ſequitur quòd neutra potentia eſt imperfectior alia, quia potentia imperfectior nec poteſt habere terminum adæquatum potentiæ perfectioris: ſubiectum includit primum; igitur cùm potentia æquiuoca ſit perfectior & nobilior, quam potentia vniuoca, eſt impoſſibile quòd ſit imperfectior ſuo effectu adæquato.

Impugnatur primò.

Genitum eſt adæquatus terminus potentiæ generantis vniuoci.

Secundò.

Item ſecundò ſic: vbicunque concurrunt illæ duæ cauſæ ad aliquem vnum effectum cauſandum, vniuoca ſcilicèt, & æquiuoca, ſemper cauſa æquiuoca eſt perfectior vniuoca. Patet inducendo, & patet de ſubſtantia vniuocè & æquiuocè prædicata. Nunc autem quòd cauſa æquiuoca nõ poteſt per ſe ſola in illum effectum, hoc eſt imperfectionis in ea. Patet de Sole, qui non generat hominem, niſi mediante cauſa vniuoca, vt homine; igitur ſi cauſa æquiuoca ſe ſola poſſet producere effectum, ſupplens vicem cauſæ vniuocæ, in duplo eſſet perfectior, quàm vniuoca tantùm; igitur impoſſibile eſt quòd cauſa totalis alicuius & æquiuoca ſit imperfectior producto.

Sol & homo generant hominem.

10. Item tertiò ſic: forma, quæ eſt principium agendi æquiuocè, ſi daret alicui *eſſe* formaliter, non conſtitueret aliquod ens in gradu perfectiori, quàm ſit gradus ſuæ formæ; igitur ſi communicet ſuum *eſſe* imperfectius, non poſſet conſtituere illud, cui communicat ſuum *eſſe*, in gradu perfectiori, quàm ſit gradus ſuæ formæ; ſed dare *eſſe* alicui effectiuè tantùm eſt imperfectius *eſſe* ſuum communicare, quàm ſi daret ſuum *eſſe* formaliter, ſicut Sol producendo vermem imperfectiùs communicat ſuum *eſſe*, quàm ſi produceret alium Solem, & communicaret ſuum *eſſe* formaliter, impoſſibile eſt igitur quòd aliquod agens effectiuè producat aliquid habens gradum entitatis perfectiorem ſe.

Tertiò.

11. Quartò ſic: licèt genitum & productum realiter non ſunt duo, ſed per ſe vnum tantùm; ex quo tamen ponitur excedere in perfectione ſuam cauſam, diuidatur per intellectum in duos gradus; vnum, ſecundùm quem adæquatur perfectioni ſuæ cauſæ, & dicatur ille gradus A, & in gradum, qui excellit ſuam cauſam, qui dicatur B: ſecundùm A igitur tantùm adæquatur ſuæ cauſæ. Iſtis ſuppoſitis, quæro à quo eſt B: & iſta perfectio, ſecundùm quam excedit ſuam cauſam? ab illa cauſa? non, quia tunc A non eſſet adæquatum ſuæ cauſæ: nec à ſe, quia *nihil eſt a ſe in entitate, nec perfectione* ſecundùm Auguſtin. *de Trin. lib. 1. cap. 1.* ſi igitur effectus, ſcilicet B excedit ſuam cauſam, ſequitur quòd B erit à nihilo, & non eſt in virtute ſuæ cauſæ; omne enim cauſans aliud, habet illud in ſe formaliter, vel virtualiter. Si enim nullo modo haberet illud, nullo modo illud produceret, quia cùm hoc ſit falſum, ſequitur falſum. Patet igitur quòd nunquam eſt concedẽdum imperfectius eſſe cauſam totalem perfectioris, propter aliquam difficultatem ſpecialem, vt propter virtutem productiuam in ſemine ad producendum fœtum, vel animal ex putrefactione, vbi non apparet generans viuum; nunquam enim propter huiuſmodi difficultates neganda eſt illa propoſitio per ſe nota, ſed citiùs recurrendum eſt ad Deum cauſantem, ſed de hoc in ſecundo * vbi tactum eſt de productione animæ ſenſitiuæ: concedo igitur quantùm ad illam tertiam actionem, quòd illa non poteſt competere alicui accidenti ſeparato, nec in virtute propria, nec in virtute ſubſtantiæ, vt oſtenſum eſt.

Quartò.

Auguſtinus.

Omnis cauſa prahabet ſuũ effectum in ſe formaliter vel virtualiter.

* In Oxon. d. 18. q. vn.

SCHOLIVM III.

Obiicit aliqua contra primum dictum, quæ poſtea ſoluit, declarans quomodo qualitas poſſit agere actionibus diuerſis, intentionali in ſenſum, & reali in contrarium; quia paſſa harum ſunt diuerſa: nam receptiuum formæ ſecundùm eſſe *materiale, non eſt receptiuum eiuſdem ſecundùm ſuum* eſſe *intentionale. Vide ipſum hic in Oxon. n. 18.*

12. SEd contra iſtam ſolutionem arguitur: primò contra hoc, quòd non videtur accidentibus competere duplex actio, vna in ſenſum, alia in contrarium, quia agens naturale non agit ex electione, ſed ſecundùm inclinationem, immiſſionem, & inſtinctum naturalem, Philoſophus enim *ſecundo phyſic. tex.* 88. diſtinguens agens naturale contra agens ex electione, & à propoſito, dicit quòd *agens naturale immittit in vnum paſſum, immittit & in aliud*; igitur ſicut agens eſt idem, ita immiſſio, & actio eius erit eiuſdem rationis.

Contra primũ obijcitur primo.

Ariſtot.

Agens naturale quid?

Secundò.

Item ſecundò ſic: Eiuſdem principij actiui eſt tantùm vna actio formalis; ſed idem principium actiuum eſt, quod agit in ſenſum, & in contrarium, quia eadem qualitas ſimpliciter; igitur eſt eadem formalis actio hæc, & illa.

13. Contra ſecundum, vbi dicitur quòd accidens ſeparatum poteſt in omnem alterationem neceſſariam ad generationem, in quam poſſit coniunctum, quando eſt in ſubiecto, & tamen quòd nullo modo agit in generatione, arguo ſic. Si qualitas ſeparata poteſt in omnem alterationem, in quam poteſt coniuncta in ſubiecto, diſponendo præuiè ad generationem, igitur ſpecies vini in Euchariſtia poſſunt alterare aquam

Contra ſecundum obijcitur tertiò.

vſque

vsque ad gradum incompossibilem formæ aquæ; aut igitur in inductione illius gradus incompossibilis formæ aquæ, manet aqua, & hoc est impossibile; quia tunc non esset sibi incompossibilis; aut corrumpitur forma aquæ in nihil, quod simpliciter est impossibile, quia omnis actio, & alteratio præsupponit materiam: si corrumpitur in aliquid, aut in accidens separatum, & tunc accidens potest per se esse virtute propria; aut corrumpitur in substantiam; & habetur propositum. Quòd si qualitas separata possit alterare, sicut quando est in subiecto, quod possit generare substantiam, concedenda est igitur qualitati tertia actio, quam negas sibi inesse, vel neganda est secunda actio, quam sibi attribuis.

An accidētia separata possint alterare vsque ad gradum incompossibilem formæ eius in quod agunt.

Alteratio est circa materiam.

14. *Ad obiectionem primam*

Ad primum illorum dico, quòd duæ sunt actiones, quibus qualitas agit in sensum, & in contrarium, cuius probatio est; Nam quod est receptiuum alicuius formæ secundùm *esse* eius materiale, non est receptiuum eiusdem secundùm *esse* eius intentionale. Patet per Philosophum *secundo de Anima tex.* 71. *&* 121. *&* 3. *de Anima tex.* 14. vbi vult quòd receptiuum soni oportet esse absonum, & receptiuum coloris intentionaliter non est coloratum vt diaphanum, vel saltem possibile est aliquid esse receptiuum formæ secundùm vnum *esse*, & non secundum aliud *esse*; igitur potest esse actio ad formam secūdùm *esse* eius materiale, vt ad terminum, & si non sit actio ad formam, vt ad terminum secundùm eius *esse* intentionale, & per consequens hæc actio non est illa, quia possunt esse sine se inuicem: sed actio in contrarium est sicut ad terminum secundùm eius *esse* materiale, actio in sensum est sicut ad terminum secundùm eius *esse* intentionale, igitur hæc non sunt eadē actio.

Realis & intentionalis quomodo sunt duæ actiones.

Quando igitur arguitur primò, quòd accidens naturale non agit per electionem; igitur quod immittit in vnū passum immittit & in aliud. Respondeo, quòd non sequitur; Sol enim non agit per electionem, sed naturaliter, & tamen non in omne passum immittit eandem formam, vel inducit eandem formam: in vno enim passo causat vnum, in alio aliud. Quando enim inuenit passum alio, & alio modo dispositum, inducit aliam, & aliam formam. Patet in constrictione luti, & dissolutione glaciei; vbi enim non esset varia dispositio in passo, non esset varietas formarum, quas immittit in passum. Eodem modo qualitas est quasi actiua illimitata ad agendum in sensum, & in contrarium, quia aliquod passum inuenit sensum, & aliud contrarium; ideò alium effectum immittit in sensum, & in contrarium: licèt enim non agat per electionem, non est tota causa effectus, sed necessariò requirit materiam concausantem, & ideò secundùm diuersitatem materiæ erit diuersitas effectus; ita etiam est de Sole, & de omni virtute illimitata actiua naturaliter.

Agens naturale non semper inducit eandem formam in omne passum.

Varietas dispositionum causat varietatem formarum.

Ad secūdam.

Ad secundum, cùm dicitur, quòd si est vnum principium actiuum, est vna actio: Respondeo quòd consequentia non valet, quando principium actiuum est illimitatum ad multos effectus producendos. Patet de potentia creatiua Dei illimitata respectu omnium creaturarum; & de Sole respectu plurium effectuum. Solùm enim est ista maior vera de agentibus imperfectis, & principio actiuo imperfecto, & limitato ad vnum.

SCHOLIVM IV.

Tertiam obiectionem contra secundum dictum soluit subtili, & longo examine, ostendens, per accidentia alterantia non produci gradum qualitatis in compossibilem formæ corrumpendæ; nec expelli gradum ei necessarium, sed post quam alterant materiam, quantum possunt, producendo gradum proximum gradui incompossibili, tunc substantia alterantis producit substantiam, quando verò in alterante accidentia sunt separata, & sine substantia, vt in Eucharistia, tunc effectus iste producitur à causa extrinseca vniuersali, scilicet a cælo, vel à Deo supplente vicem naturæ.

15. *Ad Tertium.*

AD tertium dico quòd cōsequentia non valet, si accidentia separata possent in omnem alterationem, in quam possunt quando sunt in subiecto; igitur possunt generare substantiam; siue enim sint in subiecto, siue separata, nunquam generant, nec attingunt ad terminum generationis substantiæ, nisi præniè & dispositiuè, vt dictum est: sed postquam alterauerint materiam quantum possunt, & disposuerint ad inductionem formæ substantialis, sequitur in vltimo instanti inductio formæ substantialis virtute formæ substantialis generantis, & non virtute accidentium, quia posito quòd tunc in vltimo instanti non essent accidentia, sed dormirent, vel suspenderentur, nihilominus sequeretur inductio formæ substantialis in materia; non igitur sequitur forma substantialis, vel geniti, in vltimo instanti virtute qualitatum actiuarum, & accidentium talium; sed virtute formæ substantialis, quæ per generationem assimilat sibi materiam; in quam inducit similem formam.

Forma substantialis inducitur a forma substantiali generantis tantùm.

16. *Accidentia non inducunt gradum incompossibilem cum forma corrumpenda.*

Et cùm dicitur quòd qualitates alterando possunt inducere gradum incompossibilem formæ substantiali rei corrumpendæ. Dico quòd hoc falsum est, & hoc probo demonstratiuè, vt mihi videtur, quia vsque ad vltimum instans corruptionis remanet forma substantialis, etiam secundùm eos, qui non ponunt formam substantialem recipere magis & minùs; sed vsque ad vltimum instans tantùm remanet alteratio; igitur quamdiu remanet alteratio, tamdiu remanet forma corrumpenda; igitur nunquam per eam corrumpitur nec per consequens inducitur aliquis gradus qualitatis incompossibilis formæ rei corrumpendæ.

Instantia.

Sed dices, quòd saltem per alterationem introducitur gradus proximus corruptioni formæ substantialis, ita quòd statim post illum gradum sequitur corruptio formæ substantialis.

Soluitur.

Respondeo quòd quando qualitates alteratiuæ coniunguntur cum forma substantiali generantis, tunc inducto gradu qualitatis proximo corruptioni per alterationem, forma substantialis generantis corrumpit agendo in formam substantialem rei corrumpendæ, & inducendo formam substantialem sibi similem; sed quando qualitas ponitur separata à subiecto, tollitur actio formæ substantialis generantis, quia tunc non existit modo conuenienti ad agendum, & per consequens tollitur principium generationis, & corruptionis; & ita nec tunc est corruptio, nec generatio, à principio intrinseco generationis, & corruptionis.

Substantia tantùm corrumpitur a substantia.

17. *Replica.*

Dices, igitur si accidentia maximi ignis essent separata, & agerent in aquam minimam alterando

terando ipsam, quantum possent, sequitur quòd nunquam corrumperetur minima aqua, sed perpetuò remaneret aqua, quantumcunque calor ignis intensissimus foret sibi in quantitate separata approximatus.

Soluitur.

Accidentia ignis separata non possunt guttam aquæ corrumpere.

Respondeo quòd si aliunde non concurreret aliquod aliud agens quàm qualitates ignis separatæ à forma substantiali ignis, in perpetuum staret aqua non corrupta propter illas qualitates, quia nunquam potest forma perfectior ab imperfectiori generari, vel corrumpi: verisimile tamen est quòd tunc corrumperetur aqua ab agente vniuersali, quod habet virtutem generandi, & corrumpendi formas substantiales imperfectas, vt à toto cœlo, quia vbi materia est dispositа ad formam imperfectam, constellatio vniuersalis inducit ibi formam illam corrumpendo contrariam, quæ præfuit: & si agens tale non posset inducere ita perfectam formam sicut est illa ad quam materia est dispositа, Deus suppleret vicem naturæ sine nouo miraculo. Patet de inductione animæ per creationem in corpus organicum summè ad illam dispositum, respectu cuius tota natura citra ipsum deficit in agendo.

18. *Obiectio prima.*

Contra ista & primò contra illud, quod dicit quòd qualitates alterando non possunt inducere gradum incompossibilem formæ substantialis corrumpendæ; arguo sic: Omnis gradus qualitatis est eiusdem rationis cum alio gradu quatitatis; igitur virtus, quæ potest corrumpere vnum gradum, potest & alium; igitur alterans in alterando illud potest corrumpere primum gradum, & medium qualitatis corrumpendæ.

Secunda.

Item, videtur quòd illud dictum in ista quæstione repugnaret illi, quod dixi in priori quæstione immediatè præcedente. Dixi enim quòd agens naturale alterando potest corrumpere qualitates in Eucharistia, tunc arguo: Alterans alterando species vini, potest corrumpere vltimum gradum saporis vini, sicut primum, vt concessum est; ergo eodem modo, si sub illis speciebus esset substantia vini, posset alterans corrumpere vltimum gradum saporis vini. Consequentia patet, quia existentia accidentis sine subiecto non tribuit accidenti aliquam virtutem maiorem, quam vt in subiecto: igitur quicquid alterans potest facere circa illa quando sunt separata, multò magis potest facere quando sunt in subiecto: sequitur igitur, vt videtur, quòd alterans potest inducere gradum qualitatis incompossibilem substantiæ corrumpendæ.

19. *Responsio.*

Respondeo, quòd hoc nulli deberet esse dubium, maximè philosophanti, quòd impossibile sit quòd alterans alterando inducat gradum incompossibilem alterabili suo, vel formæ rei corrumpendæ, dum res manet corrumpenda, quia vniuersaliter nullum mouens inducit per motum gradum incompossibilem suo mobili, quia dum mouet, aut alterat, necessariò manet mobile, & alterabile, quia si non maneret, vel necessariò oporteret alterans inducere oppositum in opposito, vt albedinem in nigredine; vel dum alterat non inducit gradum incompossibilem suo alterabili, sed tantùm in vltimo instanti alterationis inducitur gradus incompossibilis non alterabili, quia tunc maneret inalterabile, sed incompossibilis formæ substantiali corrumpendæ, & præexistenti, sed nullo modo incompossibilis formæ, vt formæ existentis.

Mouens non potest inducere gradum incompossibilem mobili.

Ad primum igitur istorum cùm dicitur quòd potens corrumpere vnum gradum, potest & omnem gradum, quia sunt eiusdem rationis: Dico quòd hoc verum est quando quilibet gradus est eiusdem rationis in se, & in comparatione ad passum, quod non magis determinat sibi vnum gradum, quàm alium. Si autem passum determinet sibi vnum gradum, & non alium, non sunt eiusdem rationis in se & in comparatione ad ipsum. Nunc autem ignis necessariò est aliquis gradus qualitatis alterantis, & non quilibet; & ideò in comparatione ad ignem non sunt eiusdem rationis, quia ignis determinat sibi vltimum gradum tanquam propriam passionem eius, sine qua non potest esse, & tamen nullum priorem gradum sic sibi determinat.

Ad primam obiectionem.

Dico igitur, quòd non sequitur quòd alterans potest inducere vnum gradum, vel si potest inducere vnum gradum, potest & omnem, & maxinè in passo, quod necessariò requirit vnum, & non alium, quia tale alterans non potest corrumpere vnum gradum, nisi posset corrumpere substantiam, & tunc non inducèret gradum incompossibilem ei: sed isto modo non est in proposito, quia qualitates alterantes sic separatæ à substantia non possunt inducere talem gradum incompossibilem ei, quia substantia non potest generari de nouo, nec corrumpi nisi à substãtia.

Gradus eiusdem formæ in ordine ad subiectum possunt esse diuersa rationis.

Ad secundũ cùm dicitur quòd si maneret quãtitas vini sub qualitatibus vini, alterans posset omninò corrũpere istas qualitates in quantitate, & inducere contrarias; concedo quòd posset corrũpere species illas, si essent separatæ à substãtia, & vltimũ gradũ qualitatis vini; sed non sequitur, quod inferatur: igitur alterans, si esset separatum à substantia, posset similiter corrũpere vltimũ gradum qualitatis vini existentis in substantia vini; & causa dicta est priùs, quia quando qualitates sunt separatæ à substantia, & sunt in quantitate, sunt eiusdẽ rationis secundùm suos gradus in se, & in haberi à quãtitate, quia quantitas nõ determinat sibi quẽcunque gradum, quia ita est indiferẽs ad minimũ sicut ad maximũ. Et ideò agens, quod potest in vnũ gradũ qualitatis in quantitate, potest in omnẽ; sed si qualitates illæ essent in substãtia vini, quia substãtia vini determinat sibi certũ gradũ qualitatis, & saporis, sine quo nõ manet substãtia vini, & ideò si alterans esset qualitas, & non in substatia, sed in quantitate, nõ posset corrũpere omnẽ gradũ qualitatis in substantia vini, quia non gradũ illum necessarium substantiæ vini, quia illum non posset corrumpere, nisi posset corrumpere substantiam vini, quod non potest, sicut nec generare ipsam, nec aliquam aliam formam substantialem.

20. *Ad secundam obiectionem.*

Quantitas est indifferens ad quemlibet gradum qualitatis.

Substantia determinat sibi gradum qualitatis, sine quo non maneret.

Ad primam rationem principalem quando arguitur quòd destructo priori destruitur posterius, verum est quando posterius essentialiter dependet à priori. Nunc autẽ actio accidẽtalis formæ accidentalis non dependet ab *inesse* eius in subiecto essẽtialiter; quia *inesse* eius ad subiectũ non est nisi quidam respectus extrinsecùs & cõtingenter aduenies: dependet autem actio accidentalis ab *esse* eius, & ideò quando non est, non potest agere, licèt posset agere quando non est in subiecto actualiter, si esset separata.

21. *Ad argumentum principale primum.*

Inesse subiecto est respectus extrinsecus accidenti.

Ad confirmationẽ de immediatione, dico quòd non est necessarium semper quòd destructo isto, quod immediatiùs se habet ad aliquid, destruatur illud, quod mediatiùs se habet ad illud, nisi quando

Ad confirm.

Quando deſtructo immediatiori deſtruitur mediatius: quando mediatum dependet ab immediato, ſicut ad cauſam, & eſt ordo cauſalitatis inter illa, vt quando immediatū eſt cauſa mediatioris, quia deſtructa cauſa deſtruitur & effectus; quando verò vnum non dependet ab alio in ratione cauſæ, ſed vtrumque ad tertium, vt ad cauſam, ſicut duo effectus ordinati ſecundùm immediationem, & mediationem eiuſdem cauſæ; tunc oportet quòd deſtructo effectu immediato, deſtruatur mediatus, quia ſic immediatum non eſt cauſa mediati. In propoſito enim illud quod immediatiùs ſe habet ad accidens, ſicut eius inhærentia, quàm actio, non eſt cauſa actionis, & ideò non ſequitur quòd accidens non poſſit agere ſi non inhæreat; ſed cauſa vtriuſque eſt ipſamet eſſentia accidentis.

Quomodo immediatius eſt accidenti eſſe quàm agere.

22. *Ad ſecundã.* Ad ſecundam, & ad primam confirmationem, cùm dicitur quòd non eſt idem, *quod eſt, & quo eſt*. Dico quòd verum eſt loquendo de entitate, ſicut loquitur Boëtius, quia in nullo ente, excepto primo, eſt idem quod eſt ens, & quo eſt ens tale, ſicut non eſt idem, quo homo vt anima, & quod homo; ſi verò loquatur de *agere*, quod non eſt idem quod agit, & quo agit, poteſt dici quòd agit, & quo agit, non ſunt idem; verum eſt idem eodem modo ſe habens, & ita forma accidentalis non eodem modo ſe habet, quando in ſubiecto eſt ratio formalis, qua compoſitum agit, & quando eſt per ſe ſeparata, vt totale agens, & quod agit.

Boëtius.

Forma quomodo dicitur quod & quo.

Actio eſt ſolius ſuppoſiti exponitur dupliciter. Et ad ſecundam confirmationem, cùm dicit quòd actio eſt ſolius ſuppoſiti, verum eſt, vel habẽtis modum ſuppoſiti, quia tunc eſt per ſe ens, & nihil aliud informans. Hoc patet de anima intellectiua, cui conceditur agere, quando eſt per ſe ſeparata, quia tunc habet modum ſuppoſiti.

Ab eodẽ abſtracto reſpectiuo accipiũtur multa concreta. Aliter poteſt dici, quòd quando aliquod abſtractum reſpicit plura, ab illo poſſunt (vt dictum eſt *lib. 1. d. 5. & 7.*) accipi plura denominatiua denominantia plura, ad quæ cadit illa forma, & ſecundùm ordinem; ſicut ab hoc abſtracto *potentialitas* accipitur hoc contractum proximum, quod eſt *potentia*, & dicitur de calore, qui eſt potentia calefactiua: & vlteriùs hoc concretum quod eſt *potent*, & dicitur de igne habente calorem. Eodem modo in propoſito actio reſpicit plura, ſcilicet formam, quæ eſt principium *quo* actionis, & ſuppoſitum, quod agit, & ideò ſi haberemus concreta appropriata, poſſet forma ab actione denominari, ſicut modò ſuppoſitum denominatur ab actione; tale autem concretum non habemus in vſu. Et fortè huiuſmodi ratio eſt, quia ſecundùm Philoſophum *in Prædicamentis*, dicuntur *à caſu*, ſiue *à cadendo* denominatiua, & per conſequens quantò magis eſt cadentia alicuius formæ ad extrinſecum, tantò magis eſt in vſu. Et ideò magis habemus in vſu denominatiuum, quo ſuppoſitum denominatur ab actione, ad quod vltimatè cadit illa forma, quàm denominatiuum alicuius alterius vel actionis, vel formæ, vel principij. Quando igitur dicitur quòd actio eſt ſolius ſuppoſiti, verum eſt vltimatè ab iſta denominari. Immediatiùs tamen & priùs eſt ipſius formæ, quæ eſt totalis cauſa illius actionis, quando eſt ſeparata, & cauſa formalis, quando eſt coniuncta.

Actio eſt ſuppoſiti vt & vltimi denominati, forma verò quãdoque vt denominati proprinqui.

23. *Ad tertium.* Ad tertiam cùm dicitur quòd agens & patiens debent communicare in materia; dico quòd ſufficit communicatio aptitudinalis, & non neceſſariò requiritur actualis. Et cùm probas quòd debent agens & patiens habere contactum naturalem, concedo, & quòd ſpecies tangant contactu naturali illud, in quod agant, quia vt ſunt in quantitate, habent virtutem in ſe, qua poſſunt alterare, & transmutare contrarium, nec illa quantitas in qualitate ſpecies eſt quantitatis mathematicæ, propter ſolam abſtractionem à ſubiecto, ſed etiam propter abſtractionem ab actibus naturalibus.

Mathematica quantitas nẽ ſolum abſtrahit à ſubiecto, ſed etiã à qualitatibus naturalibus.

Per hoc patet ad illam confirmationem de 3. *Metaph.* nam quantitas in propoſito non eſt principium agendi, ſed ſola qualitas, ſicut nec cùm eſt in compoſito, ſed ſola forma.

Ad confirm.

Ad quartam, cùm infertur quòd tunc ſpecies intelligibilis, ſi eſſet ſeparata, intelligeret, & charitas ſeparata amaret. Reſpondeo quòd ſi ſpecies eſſet totale principium intelligendi, vel charitas totale principium amandi, ratio benè cogeret, ſed cùm non ſint talia principia, ſcilicet totalia, ſed partialia diminuta, non ſequitur quòd ſi eſſent ſeparata, per ſe poſſent in actum, quia non per ſe totaliter competit eis, ſed inquantùm concurrunt cum aliis, quæ alia deficiunt in propoſito. Dato etiam quòd ſpecies nullo modo eſſet principium intelligendi, ſed ſolus intellectus, multò minùs tunc ſequeretur ſi per ſe eſſet; dictum eſt autem in ſecundo * quòd non eſt totale principium intelligendi, & ideò non eſt contra me. Dato etiam ſecundùm vnam opinionem, quòd eſſet totale principium intelligendi, adhuc non ſequeretur quòd intelligeret, ſi per ſe eſſet, quia non eſt principium intelligendi, niſi cum paſſo, quod eſt intellectus poſſibilis; quem non haberet ſibi approximatum, in ratione paſſi, ſi eſſet ſeparata. Similiter diceret aliquis, *intelligere* non eſt ipſam efficere intellectionem, ſed ipſam recipere; ideò quantumcunque ſpecies vt totale principium efficeret eam, dũm tamen eam quis non reciperet, non poſſet elici intelligere; ſed ſi eam reciperet, tunc concluderet argumentum, quòd ſpecies intelligeret, ſi eſſet per ſe.

24. *Ad quartũ.*

Species intelligibilis nõ eſt principiũ totale intellectionis, ſicut nec charitas amoris.

* in Oxon. d. 3. q. 10.

D. Thom.

Intelligere eſt pati.

Ad quintam dico quòd pro me eſt, quòd ſpecies Euchariſtiæ ſeparatæ non ſunt principium generandi compoſitum. Sed ex alia parte de forma ſubſtantiali etiam eſſet contra me, quia ſi forma ſubſtantialis eſſet totale principium generandi compoſitum, & non qualitates actiuæ, ſequeretur quòd ſi forma ſubſtantialis eſſet ſeparata à qualitatibus eius, poſſet generare. Dico quòd ſicut qualitas eſt totale principium alterationis, quando eſt in ſubiecto, ita & ſeparata à ſubiecto exiſtens in quantitate eſt totale principium huius alterationis. Et eodem modo ſi forma ſubſtantialis ignis eſt totale principium generandi ignem, ita eſſet principium totale, ſi eſſet ſeparata, & generaret formam ignis, ſi materia eius eſſet diſpoſita, per alterationem prætiam diſponentem eam.

25. *Ad quintam.*

Ad formã ignis ſeparata generaret ignem.

Et ſi dicas quòd ipſa ſeparata eſt ſimplex, & genitum eſt compoſitum; & ſecundùm Philoſophum 7. *Metaph. text.* 28. ſimplex ſeparatum non eſt principium generandi compoſitum. Dico quòd Philoſophus loquitur de ſimplici-

Inſtantia. Ariſtot.

Reſpondetur.

bus talibus,quæ formę ſunt immateriales,quia ſecundùm ipſum impoſſibile eſt,formam materialem ſeparari,quia ponit quòd ordo cauſarum vniuerſi, quem modò videmus, eſſet neceſſarius, & per conſequens Intelligentia non poſſet aliquid mouere,niſi mediante orbe, alterando materiam eius. Sed nos aliter ponimus,quia nos concedimus primam Intelligentiam,vt Deum, immediatè poſſe materiam cuiuſlibet diſponere, & in eam formam inducere.

Ariſtot. errauit tenendo ordinem cauſarum naturaliũ eſſe ſimpliciter neceſſarium.

Ad tertiam rationem oppoſitam:

Duæ primæ rationes ad oppoſitum ſunt concedendæ. Ad tertiam, dico quòd poſſunt in omnem actionem, quando ſunt ſeparata, ſicut quando ſunt in ſubiecto. Si tamen dicitur quòd quando ſunt in ſubiecto, ſunt principium generandi formam ſubſtantialem; dico quòd hoc eſt falſum,vt dictum eſt.Sed forma ſubſtantialis generantis immediatè eſt principium generandi, vel generantis ſuppoſita præuia diſpoſitione materiæ per alterationem præcedentem.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm accidentia in Euchariſtia poſſint corrumpi?

Alenſ.4.*p.q.*45.*m.*1.*art.*1.& 2. D.Thom.3. *p.q.*77. *art.*5. D,Bouau. *d.*13.*art.*2 *q.*1.*&* 2. Richard. *hic art.*2. *q.*2. Palud *q.*1 Durand *q.*3. Gab. *q.*1,Suar.3. *tom. d.*34. *ſ.*2. Scot.*in Oxon.hic q.*5.*&* 6.

1. *Argumentũ primum negatiuum.* Boëtius.

QVòd non: forma eſt ſimplex, & in inuariabili eſſentia conſiſtens, ex Authore ſex Principiorum.

Item, per Boëtium lib. 1. de Trinit.cap.3. *Formaſimplex ſubiectum eſſe non poteſt.*

Ariſtot. *Secundum.*

Item 7.Met.text.22. *Materia eſt, quæ res poteſt eſſe,& non eſſe:* ſed accidentia ſeparata non habent materiam; igitur non poſſunt non eſſe.

Item, ſi accidens ſeparatum poteſt corrumpi,aut in ſubſtantiam, aut in aliud accidens, aut in nihil? Si in ſubſtantiam,igitur de accidente poteſt fieri ſubſtantia, & generari ſine materia,quod falſum eſt, quia ſecundùm Boëtium de duabus naturis, & vna perſona Chriſti,*Iſta,quæ non communicant in materia, ad inuicem tranſmutari non poſſunt*; ſi in aliud accidens,ergo poteſt naturaliter accidens generari,& ſine ſubiecto, quia aliud poteſt naturaliter corrumpi per hypotheſim: ſed ſi in nihil, igitur agens cauſatum poſſet aliquid naturaliter annihilare,quod non eſt poſſibile.

Boëtius.

Ratio ad opp. Contrà, accidentia in Euchariſtia poſſunt frangi, teri,& digeri, & ita tandem corrumpi. Item, poſſunt nutrire, & ita tandem conuerti in ſubſtantiam rei nutriendæ.

SCHOLIVM I.

Sententia D.Thomæ, & aliorum,corruptis ſpeciebus redire materiã non annihilatam,nec conuerſam,ſed de nouo creatam. Refutatur primò quod dicitur,materiam conuerſam, vel annihilatam non poſſe redire eandem numero. Secundò, oſtenditur non poſſe formam ſubſtantialem induci in quantitatem. Vide Doctorem hîc q. 6. *à num.*5. *&* q.5. *à num.*4.

2. *Opinio D Thom.*

HIc dicitur quòd ſicut qualitates illæ, quæ remanent in hoc Sacramento,habent ſimilem, & conformem actionem actioni ſubſtantiæ præexiſtentis ſub illis, ita *eſſe* ſubſiſtens, quod conuenit dimenſionibus, ſcilicet remanentibus ſine ſubiecto, eſt conforme illi *eſſe*, quod ſubſtantia panis habuit, & ideò *eſſe* dimenſionum ſubſiſtens tollitur, ſicut ſubſtantia panis, priùs exiſtens, & *eſſe* eius tollitur,& eiſdem paſſionibus,& eodem modo corrumpuntur accidentia remanentia, ſine ſubiecto in Euchariſtia,ſicut & priùs corrumpi poterant. Vltimò addunt in alia quæſtione,quòd ſi aliquid generaretur ex illis ſpeciebus,oportet quòd hoc fiat, vel de materia, vel de aliduo ſupplente vicem materiæ; ſed ſi materia panis fuit annihilata, non poſſet redire eadem numero, quia in nihilum redactum, non poteſt iterum idem numero ſumi.Similiter ſi conuerſum fuerit in corpus Chriſti,non poteſt aliquid de nouo generari ex illis ſpeciebus, per reditionem eiuſdem materiæ, & ideò ponunt duos alios modos, quibus hoc fit poſſibile. Vnus eſt,vt noua materia creetur à Deo,non illa quæ priùs, ſed alia. Alius modus eſt,quem magis videntur approbare,quod ſcilicet ait Commentator 1.*Phyſic. & in lib.de ſubſtantia orbis*,quòd in materia generabilium, & corruptibilium,oportet intelligere dimenſiones interminatas ante aduentum formæ ſubſtantialis, quæ pòſt accipiunt *eſſe* terminatum,& completum.Quicquid autem intelligitur ante aduentum formæ ſubſtantialis, hoc manet idem in generato & corrupto. Dimenſiones autem illæ ſe habent ad genus quãtitatis, ſicut materia in genere ſubſtantiæ: igitur ſicut dimenſionibus illis datur *eſſe* vt ſubſiſtant in *eſſe* conformi ſubſtantiæ, quod præfuit, & terminationi quantitatis, & omnibus aliis actibus; ita etiam datur eis quòd primò ſint ſub *eſſe* alterius formæ naturali, & aliis accidentibus, quia de natura ſua non habent quòd tantùm ſubſint accidenti,ſed etiam formæ ſubſtantiali,& tunc non oportet quòd materia de nouo fiat. Et hoc videtur redire in priorem modum, quòd dimenſioni detur natura materiæ propter propinquitatem ad ipſam,& ſic illud generatum ſit compoſitum ex materia & forma.

Commentat.

3. *Improbatur primò.*

Contra illud quod primò dicitur, quòd quantitas ſeparata eodem modo poteſt tolli, & corrumpi,ſicut cùm eſt in materia,quia habet conforme *eſſe* illi, quod habuit in materia forma ſubſtantialis quæ præfuit. Quæro enim quid intelligis per illud *eſſe conforme quantitatis ſeparatæ*,aut quod quantitas poſt ſui ſeparationem acquirat nouum *eſſe* poſitiuum, quod priùs non habuit in ſubiecto, & improbatum eſt priùs. Aut intelligis nouum *eſſe* priuatiuum,quia ſcilicet nunc non eſt in ſubſtantia, ſed per ſe,ſed tunc non ſequitur,ſi poteſt tolli & corrumpi quando eſt in materia, igitur ſimiliter poteſt tolli, quando ſeparatur ab ea, non habens *eſſe* in ea, ſicut non ſequitur, ſi aliquid poteſt pati quando eſt in principio primo paſſiuo conuenienti paſſioni, igitur

Quãtitas ſeparata ſolum acquirit noũ eſſe priuatiuum.

poteſt

poteſt pati quando non eſt in eo. Vnde illud *eſſe conforme* eſt non cauſa vt cauſa, quare quantitas ſeparata, poſſit tolli, & corrumpi.

4. *Secundò.* Contrà, quod ſecundò dicitur, quòd generatio non poteſt fieri per hoc, quòd materia annihilata redeat eadem numero, nec per hoc quòd materia priùs conuerſa redeat eadem numero, quia vtrumque eſt falſum, quia materia poteſt redire eadem numero vtroque modo. Poteſt enim per creationem facere materiam panis annihilati redire; nam iſta annihilatio pro eo quod ſequitur *eſſe* materiæ, non tollit aliquid de potentia Dei; igitur ſi nulleitas materiæ præcedens *eſſe* eius, non prohibeat eius creationem, per potentiam diuinam, nec eius nulleitas ſequens *eſſe* eius, impediet creationem eius, quia tantæ virtutis eſt poſſe ſuper vnam diſtantiam, ſicut ſuper aliam.

Sius materia fuerit annihilata, ſine corrupta, poterit eadem numero redire.

Tertiò. Item, quod tertiò dicitur, quòd ſi materia ſit conuerſa in corpus Chriſti, non poteſt redire, niſi corpus Chriſti redeat in quod conuerſum eſt; hoc eſt falſum, quia corpus non eſt aliter in ſe, quia materia panis conuerſa eſt in ipſum, quia non mutatur in Euchariſtia; igitur nullo modo aliter ſe haberet, ſi materia poſt conuerſionem non ens, fiat ens; igitur &c.

Quartò. Contra hoc, quod addunt, quòd dimenſiones pro eo quòd præcedunt formam ſubſtantialem in materia, & ſunt per ſe, ideò habent modum materiæ, & poſſunt ſicut materia trãsformari forma ſubſtantiali; hoc eſt impoſſibile, quia nihil eſt receptiuum per ſe alicuius perfectionis, quæ eſt alterius generis; dimenſiones ſunt in genere Quantitatis, forma ſubſtantialis de genere Subſtantiæ: igitur per hoc quòd dimenſiones ſunt per ſe, non ſunt in genere Subſtantiæ; igitur impoſſibile eſt quòd informentur forma ſubſtantiali. Nam dicere formam ſubſtantialem per ſe informare quantitatem, eſt idem dicere, quòd albedinem informare Angelum; quælibet enim forma habet ſuum proprium ſuſceptiuum, ita quòd ſibi repugnat eſſe in alio ſuſceptiuo, quàm in illo, ad quod determinatur ex natura ſui generis.

Forma ſubſtantialis non poteſt induci in quãtitate.

Quintò. Præterea, terminus generationis dicitur aliquid ad vnum per ſe, igitur totum compoſitum ex eis non poteſt eſſe per ſe terminus generationis, igitur, &c.

Sextò. Item, ille ignis ſic generatus habens dimenſionem pro materia, & formam ſubſtantialem, eſſet ignis Mathematicus, non naturalis diſſimilis aliis ignibus compoſitis ex materia & forma ſubſtantiali, & per conſequens non eſt eiuſdem ſpeciei cum eis.

Subſtantia generata ex dimẽſionibus & forma ſubſtantiali eſſet Mathematica.

Septimò. Item, ſequeretur generatio circularis talium compoſitorum Mathematicorum vſque in finem mundi habentium dimenſionem pro materia, & formam ſubſtantialem, quia ſi talis ignis corrumperetur, & ex illa dimenſione exiſtente, per ſe generaretur aër, iſte aër eſſet tantùm mathematicus, habens dimenſionem pro materia, & formam ſubſtantialem.

Similiter ſi ex illo aëre generaretur terra, dimenſio eſſet ibi pro materia, & forma ſubſtantialis pro reliqua parte compoſiti, & ſic ſemper eſſent generationes Mathematicæ, quia fundamentum naturæ non eſſet ibi.

SCHOLIVM II.

Primum dictum, Accidentia ſeparata corrumpi poſſent ab agente naturali, iiſque corruptis, non manet ibi corpus Chriſti. *Secundum*, Poſſunt qualitates ſpecierum corrumpi vſque ad gradum incompoſſibilem pani, manente eadem quantitate. *Tertium*, Corruptis ſpeciebus, redit per cauſam ſuperiorem ſubſtantia, ad quam accidentia inducta diſponunt. *Vide eum fuſiùs de his in Oxon. q. 6. à n. 11. & q. 5 n. 4.*

5. *Opinio Doctis* REſpondeo igitur, quòd illæ qualitates poſſunt corrumpi, & contrariæ cum forma ſubſtantiali generari, quia ſi iſtæ qualitates eſſent in ſubiecto vltimato, vt in ſubſtantia, poſſent ab agente naturali corrumpi, quia per hoc, quòd ſunt per ſe, nihil tollunt de virtute actiua agentis naturalis. Vnde ſiue accidentia ſint per ſe, ſiue in ſubiecto, ſemper agens habet eandem virtutem reſpectu eorum. Similiter licèt ſint in ſola quantitate, & non in ſubſtantia, poſſunt corrumpi ſicut in ſubſtantia, quia ſicut agens eſt quantum, ita hæc, vt in quantitate ſunt, habent ſufficientes, & conuenientes paſſiones omnis actionis, qua paterentur in ſubiecto: igitur ſicut quando ſunt in ſubiecto, poſſunt corrumpi, ita quando non ſunt in ſubiecto, ſed in ſola quantitate, poſſunt corrumpi. Illis autẽ corruptis deſinit ibi eſſe corpus Chriſti, quia ſtatuit Deus quòd quamdiu remanerent illæ ſpecies in Euchariſtia, remaneret ibi corpus ſuum, & etiam quàm citò illæ deſinerent, deſineret corpus Chriſti in illis eſſe. Deſinente ibi eſſe corpore Chriſti, deſinunt ibi eſſe accidentia ſine ſubiecto, quia iſtud miraculum, quòd accidens ſit ſine ſubiecto, non fecit Deus niſi in hoc Sacramento, & ideò deſinente hoc Sacramento, deſinunt accidentia eſſe ſine ſubiecto, & per conſequens deſinente hîc eſſe corpore Chriſti fiunt contraria accidentia in ſubſtantia, vt in ſubiecto, & per conſequens generatio nouæ ſubſtantiæ in materia, vt in ſubiecto.

Corruptis ſpeciebus deſinit eſſe corpus Chriſti.

Accidẽtia ſolùm in Euchariſtia ſunt ſine ſubiecto.

Sed vſque ad quid poteſt agens naturale agere? Reſpondeo quòd quantum eſt ex parte agentis naturalis, reueniet ibi quantitas ſub qualitatibus contrariis; & cùm accidentia non ſint ſine ſubiecto niſi quamdiu manet Sacramentum, & corpus Chriſti ſub eis, & ideo quando in illo ſubiecto, in quo debeant ibi accidentia eſſe, introducuntur contraria, redit ſubſtantia per actionem diuinam ſub illis accidentibus; & hoc non per miraculum nouum: quia ſicut diſpoſuit ab inſtitutione Sacramenti, quòd manente Sacramento maneant accidentia ſine ſubiecto: ita diſpoſuit ſub illis ſpeciebus deſinentibus eſſe, quòd rediret materia ſub qualitatibus, & formis accidentibus contrariis.

An agens naturale hic poſſit reproducere ſubſtantiam.

Deus reproducit ſubſtãtiam ad quã diſponunt accidentia contraria ſine nouo miraculo.

Ad primam rationem principalem poteſt dici, quòd ille auctor ſex Principiorum non loquitur de formis abſolutis, ſed de formis relatiuis illorum ſex principiorũ reſpectiuorũ. Et verum eſt quòd forma relatiua non eſt variabilis ſecũdùm eſſentiam, ſed inuariabilis, & ſimplex: nõ autẽ intelligit de formis abſolutis, vel ſi intelligit, interpretandus eſt ſecundùm communem curſum naturæ. Eodem modo di-

Ad primum argumentum principale.

Sola forma reſpectiua eſt inuariabilis & ſimplex ſecundùm ſentiam.

cendum eſt ad Boëtium. Et ſimiliter ad illud Philoſophi de materia.

Ad ſecundã. Ad rationem dicendum quòd qualitas non corrumperetur in nihil, ſed in qualitatem contrariam, quæ etiam non eſt ſine ſubiecto, quia, ſicut dictum eſt, deſinente corpore Chriſti ſub ſpeciebus, ſubſtantia rediit.

QVÆSTIO V.

Vtrùm ab agente creato poſſet fieri tranſubſtantiatio in ſpeciebus, quantitate eadem non manente.

D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 52. *a.* 2. & 2. 2 *q.* 24. *art.* 5. Gotfred. *quodlib.* 11. *q.* 3. Greg. *hic a.* 2. *q.* 2. Capr. *d.* 18. *q.* 1. Ægid *quodl.* 2. *q.* 11. Conimb. 1. *de Generat. c.* 5. *q.* 17. & 18. Scot. *in oxon. hic q.* 4. & 1. *d.* 17. *q.* 3. & 4. & 1. *Phyſ. q.* 4. & 9. *Met q* 14.

1. *Arg. primum negatiuum. Quid motus, & quid mutatio? Ariſtot.*

ARGVITVR quòd non, quia agens creatum non poteſt agere niſi vel per motum, vel per mutationem; ſed motus & mutatio requirunt ſubiectum. Patet ex definitione motus 3. *Phyſic.* tex. & com. 6. & 9. quia *motus eſt actus entis*, & in definitione mutationis eſt *aliter ſe habere nunc quàm priùs*: aliter ſe habere præſupponit ſubiectum mutatum, ſed hoc non poteſt eſſe aliud ſubiectum, quàm quantitas, quia hîc non manet ſubſtantia; ſubiectum autem motus, vel mutationis, manet idem in toto motu, & termino. Patet ex Philoſopho 1. *lib. Phyſic. text.* 32. & 1. *de generatione text.* 37. igitur omnis tranſmutatio circa ſpecies in Euchariſtia neceſſariò requirit quantitatem eandem manentem.

Secundum Ariſtot. Item 7. *Metaphyſ. text.* 22. agens non generat niſi compoſitum, & hoc dicit eſſe verum tam in generatione ſubſtantiali, quàm accidentali, tam ſcilicet ſubſtantiæ, quàm accidentis. Et ratio ipſius ibidem eſt iſta, quia generans non generat niſi ex aliquo præexiſtente, quod eſt pars compoſiti geniti; igitur circa accidentia in Euchariſtia non poteſt fieri tranſmutatio, niſi producatur aliquod compoſitum; ſed in multis alterationibus non producitur compoſitum, quod eſt per ſe vnum; ergo compoſitum, quod eſt per accidens vnum; igitur in aliquo præexiſtente, quod eſt pars compoſiti geniti, quod eſt ſubiectum; & tunc vt priùs: illud non poteſt eſſe niſi quantitas; igitur in tali tranſmutatione manet eadem quantitas.

Tertiùm. Item, agens naturale non poteſt tranſmutare ſpecies in Euchariſtia ſecundùm augmentationem, & diminutionem, quia motus augmenti, & diminutionis, tantùm conueniunt animatis; ſed omnis motus in quantitate, vel eſt augmentatio, vel diminutio, vt videtur per *Ariſtot.* Philoſophum 5. *Phyſic. text.* 18. igitur agens creatum nullo modo poteſt variare quantitatem Euchariſtiæ; igitur omnis tranſmutatio poſſibilis fieri circa ſpecies in Euchariſtia præſupponit quantitatem, quæ maneat eadem in toto motu.

2. *Ratio ad opp. prima.* Contrà, illæ ſpecies poſſunt ab agente naturali frangi, & per conſequens continuitas corrumpitur quantitatis præcedentis; igitur & eius vnitas, quia continuitas quantitatis eſt eius vnitas: quantitas igitur diuiſa per fractionem non manet eadem, quæ priùs; motus igitur fractionis non neceſſariò requirit quantitatem eandem manere.

Item, circa illas ſpecies poteſt eſſe rarefactio, & condenſatio; ſed in condenſatione eſt minor quantitas; igitur rarefactio, & condenſatio non neceſſariò præſupponunt eandem quantitatem manere, quæ præfuit. *Secunda.*

SCHOLIVM I.

Sententia Gotfredi in rarefactione, & condenſatione ſpecierum etiam ab agente naturali totam quantitatem præcedentem deperdi, & nouam acquiri; & adducit contra hoc tres inſtantias ipſius Gotfredi cum ſuis reſponſionibus.

3. *Opinio Gotfred. & Burlei.*

SEd dicitur hîc quòd ita eſt de facto, vt non maneat eadem quantitas, nec ſecundùm partem, nec ſecundùm totũ in rarefactione, & condenſatione ſpecierũ in Euchariſtia, ſed quòd totaliter deſinat eſſe quantitas prior, & noua induci incipiat; licèt enim rarefactio ſit motus in qualitate, maior tamen quantitas cõcomitatur rarefactionem ſpecierum, quàm earum condenſationem, & quantitas rarefacta magis & minùs eſt omninò alia & alia, quia prior corrumpitur in aduentu ſecundæ poſterioris. Pro hac opinione poteſt adduci ratio iſtius Doctoris facta in augmentatione charitatis, & eſt iſta. Termini motus ſunt incompoſſibiles; ſed quicunque gradus quantitatis poſſunt eſſe termini motus: igitur vniuerſaliter gradus maior in quantitate, & minor, ſunt incompoſſibiles, & vnus eſt alius ab alio.

4. *Obiicit ſibi Gotfr. primò*

Obiicit hic author contra ſe, ſi in rarefactione quantitatis ſpecierum Euchariſtiæ eſſet omninò noua quantitas, & alia ab illa, quæ præceſſit, tunc eſſet motus ſine mobili, quia nõ manet quantitas prior, quę eſt ſubiectum illius rarefactionis, & augmentationis eius; nec aliquid aliud, quia termini motus ſunt incompoſſibiles, quod eſt inconueniens.

Secundò. Item, forma adducta de nouo, & non de potentia materiæ, creatur; ſed ſi in tranſmutatione ſpecierum per rarefactionem, & condenſationem non maneret eadem quantitas, quæ priùs; tunc quãtitas maior, & minor noua educeretur, non de potentia ſubiecti, vel alicuius alterius, quia nihil tale eſt in Euchariſtia: igitur crearetur, & per conſequens, cùm agens naturale poſſit actione naturali illas ſpecies rarefacere, poterit de nouo agens naturale formam creare, quod eſt ſuperiùs improbatum.

Tertiò. Tertiò arguit ſic contra ſe: Iamdiu manet ibi corpus Chriſti, quamdiu manent accidentia, quæ afficiebant panem conuerſum in corpus Chriſti, & non diutiùs, quia quàm citò ceſſant, vel deſinunt eſſe accidentia, & corpus Chriſti deſinit eſſe ſub eis; ſed per te, in rarefactione, & condenſatione quantitatis vini non manet quantitas vini, quæ præfuit, ſed deſinit ibi eſſe, & ita de aliis accidentibus quantumcunque intenſis, vel remiſſis: igitur motis accidentibus rarefactione, vel condenſatione facta in Euchariſtia, deſinit ibi eſſe corpus Chriſti.

5. Ad primum illorum reſpondet, quòd non eſt inconueniens motum eſſe ſine mobili, quia ſicut Deus poteſt dare *eſſe* formæ per ſe quietum,

Gotfredi reſpõſio ad primam obiectionem.

tum,& permanens, ita poteſt dare ſibi *eſſe* per ſe, in fluxu & *fieri*. Addit tamen quòd non eſſet omni modo motus; nam ad motum eſſentialiter requiritur forma fluens, ſecundùm quam natus eſt eſſe motus & fluxus in forma,

An motus ſit poſſibilis ſine ſubiecto.

& hoc poteſt competere formæ ſeparatæ à ſubiecto. Sed aliud concurrit ad motum quaſi accidentaliter, ſcilicet quòd ſecundùm illum, aliquid aliter ſe habeat nunc quàm priùs, & ſine iſto ſecundo poteſt Deus facere motum, licèt non ſine primo.

Ad ſecundã.

Ad ſecundum reſpondet, & poteſt ex dictis ſuis elici duplex reſponſio: vna talis, quòd ſicut eſt in potentia ſubiecti, vt de minori quanto educatur maius quantum, quando quantitas eſt in ſubiecto, ita quando quantitas non eſt in ſubiecto, vel ſeparatur à ſubiecto, relinquitur quædam vis in ea, vt de eadem, quæ præceſſit, poſſit fieri alia noua maior, vel minor, ſine creatione. Per hoc ad formam rationis, patet,quòd non ſequitur creatio quantitatis nouæ, quia ſicut priùs maior quantitas fuit in potentia ſubiecti, quando quantitas erat in ſubiecto, & non in potentia quantitatis præcedentis, ita quando ſeparatur à ſubiecto, eſt quædam vis in ea, qua poſſit fieri maior quantitas, & ideò ſicut quando educitur de potentia ſubiecti, non creatur, ita nec quando ſeparata fit maior, creatur.

Aliter tamen reſpondet in fine ſic, quòd ſi maior quantitas nec educeretur de potentia ſubiecti, nec haberet habitudinem ad quantitatem præexiſtentem, crearetur: nunc autem cùm ſit eiuſdem rationis cum quantitate præcedente, & ſuccedat ei immediatè ſine interruptione ſecundùm continuum & *fieri*, ideò non creatur.

6.

Ad tertiam.

Ad tertium dicit, quòd non ſolùm eſt corpus Chriſti in Euchariſtia dum manet pura quantitas,ſed etiam dũ manet quodcunque accidens,quod priùs maneret cum ſubſtantia panis, ſi non conuerteretur in corpus Chriſti. Tunc autem cum illa quantitate facta noua alteratione alia,maneret ſubſtantia panis,ſi non eſſet conuerſa in corpus Chriſti: ſed ſi in Euchariſtia maneat poſt conuerſionem eadem, ſequitur quòd corpus ſimiliter manet ibidem.

Alia verò ratio eius ad hoc, eſt iſta, quia ſicut quantitas habet immediatè à Deo *eſſe* per ſe ſine ſubiecto, ita etiam habet immediatè à Deo omnia accidentia in ſe, quæ nata eſſent ei conuenire in ſubiecto,ſi eſſet in ſubiecto: ſed ſi eſſet in ſubiectopoſſet habere maiorem, & minorem quantitatem, mediante ſubiecto,& accidẽtibus conſequentibus;igitur ſimiliter quando eſt ſineſubiecto poteſt fieri maior, vel minor mediante corpore Chriſti, & ſpeciebus accidentium conſequentium corpus Chriſti in Euchariſtia.

SCHOLIVM II.

Refutatur dicta ſententia. Primò, quod accipit eſſe, & nullo modo in ſubiecto, creatur, vel tantum eſt à virtute creatiua,ergo noua quantitas. Secundò,illa non poteſt includi in potentia præcedentis, cùm ſit ei incompoſſibilis. Tertiò, non eſt maior ordo minoris quantitatis ad maiorem, quàm organizationis ad intellectiuam, tamen hæc creatur.

Alias vrgentes rationes adducit contra hanc ſententiam,de quibus fuſiùs agit hìc q.4.à n.5.

COntra primam rationem non arguo, quia concedo ſecum quòd Deus poteſt facere motum ſine mobili,illud tamen non eſt pro eo, ſicut pòſt patebit. Sed rationem de creatione reduco ſic:Quod ſecundùm ſe totum & quodlibet eius producitur de *non eſſe* ad *eſſe*,& non in ſubiecto, vel creatur, vel à virtute creatiua producitur: ſed in Euchariſtia, cùm ſit rarefactio vini,vel aliarum ſpecierùm, quantitas maior ſecundùm ſe totam & quamlibet eius partem de nouo producitur de *non eſſe* ad *eſſe*,& non in ſubiecto, quia ſubſtantia panis non manet, ſed omnia accidentia ibi ſunt ſine ſubiecto præcisè abſoluta; igitur vel creatur, vel producitur à virtute infinita creantis, qualis non eſt virtus agentis creati; igitur. Minor habetur ex opinante: Maior probatur, quiã vel capit *eſſe* poſt *non eſſe* ſecundùm ſe totum, & quodlibet eius, & non præſupponit aliquid ſui: & tunc certum eſt quòd creatur, vel capit *eſſe* poſt aliquid, & hoc non prohibet ipſum creari,niſi quia conuertitur præexiſtens in ipſum vt in corpus Chriſti, ſicut aliquid conuerſum in non exiſtens,ſed tunc primò exiſtens,& ita non diceretur creari; talis tamen conuerſio non poteſt fieri niſi virtute creatiua agentis infiniti,quod totum producit ad *eſſe*; igitur non poteſt aliquid capere *eſſe* poſt *non eſſe* ſecundùm ſe totum, & quodlibet eius, niſi vel creetur, vel producatur à virtute creatiua; & ita ſequitur concluſio prior.

7.

Impugnatur ſententia Gotfredi primò.

Ex opinione iſta ſequeretur nouam quantitatem creari.

Secundò ſic, quòd aliquid ſuccedat alteri in *eſſe*, non variat ipſum ſecundùm aliquid ei intrinſecum, quia quando illud, quod ſuccedit,eſt aliud, cui ſuccedit, non eſt: ſed propter illud,quod non eſt, non variatur *eſſe* intrinſecum illius, quod tunc eſt; igitur propter hoc quòd maior quantitas ſuccedit minori, tunc deſinenti eſſe,non habet quantitas maior ſuccedens aliam ſpeciem, vel naturam, quàm ſi non ſucceſſit minori quantitati,quæ iam deſiit eſſe; ſed ſi eſſet tunc de nouo producta ſine habitudine ad priorem, eſſet talis effectus, quòd ſola virtus creatiua poſſet in eam;& illa ex natura ſua haberet quòd eſſet effectus talis cauſę,quia nihil eſt effectus talis cauſę,niſi cui ex natura ſua conuenit quòd ſolùm ſit ab illa:igitur licèt ſuccederet,nihil prohiberet eam creari,vel à virtute creatiua produci.

Secundò.

Tertiò ſic: In quocumque incompoſſibili alteri includitur *non eſſe* ſui incompoſſibilis ſimpliciter,niſi ſit in ratione ſubiecti communis;ſed in propoſito terminus *à quo* eſt incompoſſibilis termino *ad quem* ſecundùm ſic opinantem; igitur *eſſe* quantitatis minoris præcedentis interminabilis non eſt *eſſe* quantitatis maioris,& termini *ad quem*,quia quantitas maior non præfuit in potentia ſubiecti,quia ſubiectum non eſt, nec in potentia termini *à quo*, quia eſt ſibi incompoſſibilis; ergo in termino *à quo* rarefactionis in Euchariſtia includitur *non eſſe* termini *ad quem* tam in actu, quàm in potentia; ſed impoſſibile eſt aliquid produci de *non eſſe* ad *eſſe*,quod non includitur,nec in actu, nec in potentia,niſi à ſola virtute creatiua,quia omne agẽs creatũ præſupponit materiã:igitur.

8.

Tertiò.

Incompoſſibile non eſt in potentia ſui incompoſſibilis.

Confirmatur. Confirmatur, quia ſi contrarium præcederet terminum *ad quem*, qui non produceretur de potentia alicuius ſubiecti, crearetur, vt ipſe concedit; ſed ita incompoſſibilis eſt terminus *ad quem* termino *à quo*, ſicut ſi contrariaretur ei. Patet ex dictis eorum, igitur quòd terminus *ad quem* ſequitur terminum *à quo*, non impedit quin creetur.

Quartò. Item, illa ſucceſſio, vel habitudo vnius ad aliud non eſt magis naturalis, vel neceſſaria, quàm animæ ad organizationem corporis; ſed non obſtante tali ſucceſſione, & habitudine naturæ conceditur animam creari: igitur non obſtante tali ſucceſſione termini *ad quem* ad terminum *à quo*, terminus *ad quem* creabitur.

Non obſtante habitudine animæ ad corpus dicitur creari.

9. Contra reſponſionem ad tertiam rationem; videtur enim quòd contradicat ſibi ipſi; dicit enim alibi quòd indiuiduatio cuiuſlibet rei fit per quantitatem tantùm; igitur hic panis eſt hîc panis per quantitatem; igitur ſeparata quantitate non poteſt hic panis manere hic panis. In propoſito autem oſtendit quòd ſubſtantia panis poteſt manere eadem, quæ priùs ſub noua quantitate, quod eſt oppoſitum in adiecto, quia ſequitur quòd eſſet alius hic panis, ſicut eſt alia quantitas.

Quinò reiicit Gotfr. ad hominem.

Sextò. Item, ſecundùm illam reſponſionem factam de rarefactione hoſtiæ, ita eſt quantitas hoſtiæ modò alia à quantitate, quæ præfuit rarefactioni, ſicut à quantitate hoſtiæ in alio altari, quia ſunt ſimpliciter duo indiuidua, imò videtur magis eſſe quantitas alia, pro quanto quantitas hoſtiæ rarefacta eſt magis impoſſibilis & incompoſſibilis quantitati eius præcedenti quàm ſit quantitati alterius hoſtiæ, quia neutra ſe habet in ratione termini *à quo* reſpectu alterius; igitur facta quacumque rarefactione hoſtiæ non magis eſt hæc hoſtia eadem cum præcedente, quàm cum hoſtia in alio altari; igitur non magis eſt nouus modus eſſendi corporis Chriſti in hac hoſtia, quàm mille hoſtiis in diuerſis altaribus, quod eſt abſurdum.

Septimò. Item, conſecratio eſt tantùm vnica: ergo corpus Chriſti non eſt in aliqua hoſtia, ſub qua priùs non fuit per rarefactionem ſine noua conſecratione.

10. Contra concluſionem in ſe arguo ſic: Si in omni rarefactione ſit quantitas noua, igitur ſimiliter qualitas erit noua: conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. Conſequentia patet, quia mutato immediato ſuſceptiuo alicuius, mutatur illud, quod in eo ſuſcipitur; falſitas conſequentis apparet, primò, quia eſt contra ſenſum, quia facta modica rarefactione accidentium, ſenſus non dicit eſſe alia accidentia, ſed eadem; cùm enim ſenſus habeat iudicare differentiam ſuorum ſenſibilium, vt viſus differentiam albi, & nigri, multò magis habet iudicare vnitatem ſui ſenſibilis, & numerum. Vnde viſus iudicat de numero aliquorum ſenſibilium. Si igitur quilibet ſenſus iudicet eadem accidentia manere poſt rarefactionem eorum, & ante, vt quòd idem ſapor, &c. ſequitur quòd vel ſic ſit in re, vel nunquam habebitur certitudo aliqua ex ſenſibus.

Si in rarefactione tota quantitas deperditur, nullum accidens idē remanet.

Senſus circa ſenſibile proportionatum nō decipitur.

11. Sed quia dices, quòd iſtud eſt argumentum laïcorum, ideò arguo per rationem falſitatem conſequentis. Nam ſi facta quacumque modica rarefactione quantitatis circa corpus aliquod, inducantur aliæ qualitates, oportet quòd hoc ſit ab aliquo agente? Quæro à quo? non à cœlo, quia non eſt hîc ponendum tale agens, igitur non niſi à rarefaciente, vt igne, qui ignis induceret illas qualitates alias & alias, & per conſequens ſequeretur quòd ſi ignis alteraret aliquod mixtum, quòd induceret omnia accidentia noua in mixto: & ſequuntur duo inconuenientia. Primum, quòd ignis habeat in virtute ſua actiua omnia accidentia mixti; hoc eſt inconueniens, quòd vnum elementum contineat virtualiter omnes qualitates mixti. Secundum inconueniens, quia ſequitur ex hoc cùm diuerſa mixta habeant diuerſas qualitates, vt vnum amaritudinem, aliud dulcedinem, ſi ignis rarefaceret iſta mixta, contineret virtualiter qualitates contrarias mixtorum, vt dulcedinem, amaritudinem, & ſic de aliis, quod videtur inconueniens.

Nullum elementum continet virtualiter omnes qualitates mixti.

12. Rationes etiam, quas innuit pro ſe, non faciunt pro ipſo. Ratio enim illa prima de motu, non facit pro eo ad propoſitum. Deus enim ſic non poteſt facere accidens ſine ſubiecto in *eſſe* quieto, ita quòd poteſt dare virtutem agenti creato, quòd hoc faciat: igitur ſimiliter de forma fluente non poteſt facere ſine ſubiecto, quòd poſſit hoc dare agenti creato ad hoc idem faciendum. Opinans autem ille tenet quòd agens creatum, & naturale circumſtans poteſt rarefacere quantitatem hoſtiæ conſecratæ; igitur ſi tunc corrumpitur quantitas præcedens, cauſat aliam quantitatem per motum ſine ſubiecto, & ita facit quantitatem in fluxu ſine ſubiecto.

Impugnat ſolutionem Gotf. Primam. Agens creatū non poteſt facere formā in fluxu ſine ſubiecto.

Secunda ratio eius non valet ad propoſitum, quia cùm dicit omnia accidentia manere in quantitate ſeparata, ſicut quando eſt in ſubiecto: ita arguo: Cùm eſt in ſubiecto, non habet niſi rationem termini motus, & non rationem formæ fluentis: ergo nullo modo poteſt ſibi aliud conuenire extra ſubiectum, & ſic oportet dare aliquod aliud ſubiectum motus, quia ſecundùm ipſum, ſubiectum eſt aliud à termino motus.

Secundam.

Contra hoc, cùm dicit in illa quantitate ſeparata eſſe quandam vim, vt de ea poſſit fieri maior, ita arguo: Illa vis ſeparata non eſt aliquid nouum poſitiuum, quia nihil poſitiuum nouum habet quantitas, per hoc quòd ſeparatur, ſolùm enim habet illud negatiuum eſſe, ſcilicet eſſe per ſe, & non eſſe in ſubiecto, vt ſuperiùs eſt oſtenſum; illa autem vis in ſubiecto, quæ ex minori quantttate poſſet fieri maior, vel minor, eſt ex natura ſubiecti in qua eſt omnis quantitas ſequens ipſam in potentia, & non eſt iſta vis in quantitate exiſtente in ſubiecto, ſed in natura ſubiecti; igitur in quantitate ſeparata à ſubiecto non eſt aliqua talis magis quàm in ea, vt præfuit in ſubiecto, vel ſi quantitas ſeparata habet talem vim, quando eſt ſeparata, multò magis habet eam, quando eſt in ſubiecto, quod & ipſi negant; & per conſequens ſequitur quòd quantitas maior per rarefactionem non educetur de potentia ſubiecti, quando eſt in ſubiecto, quod eſt falſum.

Tertiam.

Quantitas continetur in potentia ſubiecti.

Item, tota raritas maior eſt terminus rarefactionis, & habet aliquod ſubiectum, & non niſi maiorem quantitatem quantitate præexiſtente; igitur rarefactio præcedens non habet aliquod

Quartam.

aliquod ſubiectum, quia illa quantitas maior eſt alia à præcedente,& eſt tantùm in termino, quod eſt inconueniens. Quantùm verò ad illas formas accidentales,dixi contra illam opinionem diſt.17.primi q.3.n.6. & tum promiſi hîc aliquid de materia illa tangere.

SCHOLIVM III.

Aliorum ſententia aſſerens quantitatem ſpecierum à nullo creato poſſe augeri,vel minui,ſed à ſolo Deo,ſicut ab ipſo ſolo conſeruatur.

13. *Contraria aliorum ſententia.* ALia eſt opinio, quæ ponit quòd eſt impoſſibile agens naturale agere, niſi in quantum, & ſic in Euchariſtia quòd non poteſt deſtruere quantitatem, nec per conſequẽs nouam quantitatem creare. Pro hac opinione cuiuſcumque fuerit,arguo ſic.Quod immediatè conſeruatur à Deo, non poteſt corrumpi ab aliqua creatura agente corrumpente;ſed quãtitas in Euchariſtia immediatè conſeruatur à Deo; igitur à nullo agente creato poteſt corrumpi. Maior declaratur, quia nullum ſupernaturale dicimus poſſe corrumpi effectiuè à creatura, ſed tantùm demeritoriè. Patet de charitate & gratia; igitur à ſimili, quando aliquid immediatè conſeruatur à Deo in *eſſe*, non poteſt pro tunc ab aliquo agente creato effectiuè corrumpi.

Probatur primò.

Supernaturale ſolùm demeritoriè poteſt à creatura corrumpi.

Secundò. Item, quantitas in ſubiecto non videtur poſſe corrumpi,niſi vno trium modorum, vel propter corruptionem ſubiecti,quod non conuenit in propoſito, quia hîc non manet ſubiectum, & tamen manet quantitas: vel propter corruptionem alicuius qualitatis, quam retinet, ſicut ſubiectum determinat ſibi certam qualitatem, qua corrupta corrumpitur forma ſubſtantialis eius,quod etiam non conuenit in propoſito;vel per quantitatem contrariam inductam, quod non euenit hîc, quia agens inducens contrarium inducit illud in idem ſuſceptiuum, in quo præfuit ſuum contrarium corruptum:ſed ſi corrumperetur quantitas in inductione qualitatis contrariæ, non eſſet in eodem ſuſceptiuo, ſed in alio, & per conſequens non eſſent circa idem;igitur nullo modo videtur poſſe corrumpi ab agente creato quantitas ſeparata.

Quãtitas perit ſola ſubiecti corruptione.

14. Quomodo igitur poteſt fieri rarefactio circa quantitatem ſeparatam? Dicitur quòd Deus facit omnem mutationem immediatè, quæ fit circa quantitatem ſeparatam à ſubiecto,& hoc ſine nouo miraculo,quia eodem miraculo antiquo, quo ſtatuit quantitatem ſeparari à ſubiecto in Euchariſtia, ſtatuit ad approximationem cuiuſlibet agentis naturalis quantitati ſeparatæ, in qua ſunt qualitates immediatè, agere omnem actionem,qualem in ſubſtantiis conuerſis cauſaret agens naturale, & hoc ne meritum fidei ex iſto Sacramento tolleretur, quod contingit, ſi videremus circa hoſtiam non poſſe fieri in ſpeciebus tranſmutationem, ſub quibus eſt corpus Chriſti,ſicut fit ab agente naturali circa aliam non conſecratam.

Deus decreuit facere circa ſpecies conſecratas quicquid fieret, ſi adeſſet panis.

Iſta opinio eſt probabilis. Nec hæc opinio poteſt improbari,quia dicit quòd Deus immediatè facit omnia,quæ videmus fieri circa hoſtiam conſecratam. Nec poteſt improbari per hoc quòd videtur tollere omnem actionem agentis naturalis, quia dat agenti naturali omnem actionem ſibi conuenientem.Poteſt enim alterare agens naturale, dummodò tamen eius alterationem non conſequatur corruptio quantitatis; remouet autem ab eo actionem, quæ non poteſt ſibi conuenire, quia agens naturale non poteſt agere, niſi in quantum, cuius oppoſitum ſequeretur, ſi poſſet agere in quantitatem ſeparatam.

Agens naturale nõ poteſt agere niſi in quantum.

SCHOLIVM IV.

Certum eſt motum localem ſpecierum fieri manente eadem quantitate. Idem de omnibus alterationibus præter rarefactionem, & denſationem: de quibus poteſt dici, quòd in termino rarefactionis vi antiqui miraculi, ſit noua quantitas continuata priori,ſine ſubiecto, ſicut partes alimenti conuerſæ in carnem Chriſti,ſine nouo miraculo hypoſtaticè vniebantur Verbo. An verò per rarefactionem acquiratur noua quantitas, necne? Non reſoluit Doctor, & eius diſcipuli variant, Vide Scholium in oxon. hîc q.4.ad num.21.

15. *Sententia Auctoris.* REſpondeo ad quæſtionem, quòd circa accidentia in Euchariſtia poteſt fieri quadruplex tranſmutatio in genere. Vna circa locum, alia ſecundùm qualitatem, vt alteratio, quam non ſequitur varietas circa quantitatem; tertia rarefactio & condenſatio, quam ſequitur varietas ſecundùm quantitatem; quarta circa quantitatem immediatè, vt diuiſio & fractio. Loquendo de prima mutatione, non eſt dubium quin ibi ſit tranſmutatio, & variatio ſecundùm locum, quia poteſt etiam ab agente creato ſub ſpeciebus moueri de loco ad locum,vel ſecundùm partes in toto, qualis motus poteſt fieri in liquidis, & ſpeciebus vini; huiuſmodi autem motus circa ſpecies habet ſubiectum, quod requirit. Sicut enim *vbi* quietum habet ſubiectum quantum, ita *vbi* fluens habet ſubiectum quantum, & tale ſubiectum quantum eſt in propoſito.

Species quadrupliciter poſſunt mutari.

Poſſunt trãſmutari ſecũdùm locum.

Similiter eſt dicendum quòd hîc eſt alteratio,quam non conſequitur rarefactio,vel condenſatio in quantitate, quia hæc præſupponunt quantitatem,quam poteſt habere in propoſito,& ideò talis tranſmutatio poteſt eſſe in propoſito circa ſpecies huius Sacramenti, & de illa ſola tranſmutatione dictum eſt in quæſtione præcedenti.

Poſſunt alterari.

16. Sed de tertia,ſcilicet de rarefactione,& condenſatione,quomodo poſſit eſſe circa quantitatem ſeparatam,eſt maior difficultas. Vbi poteſt dici quòd rarefactio eſt per ſe in quantitate,vt in ſubiecto, & in termino eius conſequitur maior quantitas,& vt vnum continuum ſine ſubiecto cum quantitate præcedente, non nouo miraculo,ſed antiquo; quomodo quando caro Chriſti eſt aſſumpta à Verbo,& ei vnita, vniuntur ei partes alimenti, quæ conuertuntur in carnem; ita eodem miraculo antiquo, quo Deus facit quantitatem ſine ſubiecto,facit quantitatem additam, & continuitatem *eſſe* eius eſſe tunc ſine ſubiecto.

Rarefieri & condenſari.

Rarefactio ſubiectatur in quãtitate.

Sed iſtud non placeret Philoſopho, quia non eſt ita de facto: terminus enim & quantum continuatum non eadem virtute eſt ſine ſubiecto,qua quantitas eſt ſine ſubiecto, quia ſi vinum additur ſpeciebus vini poſt conſe-

Dubium primum.

crationem ſit verè vnum continuum cum præcedente,& tamen quantitas vini appoſiti non eſt ibi ſine ſubiecto.

Secundum. Item,tota raritas eſt terminus rarefactionis, & eſt in ſubiecto,vt in quantitate maiori,ſubiectum autem naturaliter præcedit formam exiſtentem in eo; igitur quantitas maior naturaliter præcedit rarefactionem, vel raritatem totam, & per conſequens non ſequitur raritatem.

17. Quæro igitur à quo generante eſt iſta quantitas maior ? Non à rarefaciente, vt probatum eſt;igitur reſtat difficultas quæ prior,à quo eſt? *Soluuntur.* vel ab aliquo,vel à nihilo?Item, oportet dicere quòd Deus immediatè faciat omnem motum, & mutationem, quam nos videmus fieri circa Euchariſtiam, quæ variat quantitatem, ſicut dixit prior opinio,vel oportet totam naturam deſtruere, poſito quòd actio naturalis non requirat ſubiectum, circa quod ſit, & ita quòd agens naturale poſſet creare aliquid, & de nihilo producere,quod ſequitur ad primam opinionem,vel quòd in omni motu, & mutatione,quæ requirit ſubiectum, Deus ſuppleat vicem ſubiecti. Quod declaro ſic:Deus poteſt ſupplere vicem ſubiecti prout accidens habet *eſſe* permanens, & quietum, quia omnem dependentiam accidentis ad ſubiectum poteſt Deus ſupplere, cùm talis dependentia non ſit niſi quidam reſpectus extrinſecùs adueniens, vicem enim cauſæ extrinſecæ poteſt Deus immediatè ſupplere;igitur cùm non magis requiratur ſubiectum ad formam fluentem,quàm ad formam in quieto *eſſe*, quia dependentia formæ fluentis ad ſubiectum non eſt niſi reſpectus ad cauſam extrinſecam,videtur quòd ita poſſit ſupplere vicem ſubiecti reſpectu talis formæ permanentis in *eſſe* fixo,& quieto, & per conſequens ſic facit quantitatem eſſe ibi ſine ſubiecto. Nec iſtud dictum eſt idem cum illo dicto in prima opinione, quia prima opinio vult quòd omninò noua quantitas generetur in quantum mota rarefactione, vel condenſatione. Sed ſecundùm iſtam opinionem agens naturale non generat totum, ita quòd nihil eius præfuit, ſed generat totam quantitatem,cuius tamen partem naturaliter præſupponit.

An in rarefactione ſpecierum Deus ſuppleat vicem ſubiecti.

Deus immediatè poteſt ſupplere cauſalitatē cauſæ extrinſecæ.

Hæc ſententia præſupponit quantitatem ſemper permanere.

18. Quarta autem varietas, & tranſmutatio poteſt eſſe circa quantitatem, vt diuiſio, vel fractio; & de iſta dico quòd nihil idem eſt ſubiectum tranſmutationis, & varietatis, quia quod ante tranſmutationem fuit verè vnum continuum,poſt diuiſionem, & fractionem eſt duo,nec quando fit iſta diuiſio, vel fractio,eſt fractio ſimpliciter,ſed ſolùm per ſe fiunt partes extra totum, quæ ante tranſmutationem iſtam fuerunt in toto in potentia, & ideò hæc varietas & tranſmutatio, non requirit vnum paſſum, ſed plures partes in actu primo, quæ priùs fuerunt in potentia in toto ſub actu totius.

In fractione ſpecierum an remaneat eadem quantitas.

Diuiſio ſpecierū eſt fractio ſecundùm quid.

Poteſt etiam alio modo fieri tranſmutatio circa quantitates, vt quando vna fiat maior per continuationem alterius quantitatis ad ipſam; nec oportet propter hoc quòd quantitas prior corrumpatur,ſed quòd maneat,vt dictum eſt *diſt.17.primi libri q.3.*

Dico ergo ad formam quæſtionis,quòd non omnis tranſmutatio, quæ fit circa quantitatem,vel accidentia Euchariſtiæ, requirit eandem quantitatem manentem, quia non fractio,nec diuiſio;ſecundùm verò alias tranſmutationes, vel eſt idem ſubiectum manens, vel aliquid ſupplens vicem eiuſdem ſubiecti, vt dictum eſt.

Per hæc ad argumenta.Ad primum,cùm dicitur quòd ſic ſubiectum debet manere idem. *Ad principale.* Reſpondeo quòd quādo fit tranſmutatio circa quantitatem panis, ſubſtantia non poteſt ibi poni ſubiectum,quia ſubſtantia panis non manet ibi, & ideò oportet dicere quòd fiat ibi ſine ſubiecto,& à nullo agente, vel quòd Deus ſuppleat vicem ſubiecti. 19.

Ad ſecundum dico, quòd Philoſophus loquitur quando aliquid fit ex præexiſtente aliquo in genere naturali; hîc autem non eſt ſubiectum præexiſtens, ſecundùm ſe præſuppoſitum iſti conuerſioni, vt pars, ſed eſt aliquid, quod ſuppler vicem ſubiecti. *Ad ſecundū.*

Ad tertium dico quòd circa quantitatem eſt alia mutatio,quàm augmentatio, vel diminutio,ſcilicet fractio,& diuiſio;& ſimiliter rarefactio,& condenſatio,ad quas conſequitur variatio in quantitate. *Ad tertium.*

Ad primum in oppoſitum patet reſponſio, quia in fractione non eſt ſubiectum propriè dictum,quod maneat idem; tamen in iſta fractione, & in termino, poteſt concedi quòd partes iſtæ, quæ per diuiſionem fuerunt extra totum,ſint aliquo modo ſubiectum. *Ad rationes oppoſitas.* *Diuiſio ſpecierum ſubiectatur in ipſis partibus diuiſis.*

Ad aliud de rarefactione, & condenſatione patet per iam dicta.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm in aliqua tranſmutatione circa ſpecies Euchariſtiæ neceſſe ſit creari à Deo nouam ſubſtantiam?

Vide Doctores citatos quæſt. antecedenti.

ARGVITVR quòd non. Quantitas ſeparata habet modum ſubſtantiæ in eſſendo, & in fiendo,& patiendo : igitur quicquid poſſit generari à ſubſtantia naturali, ſi ibi eſſet, poteſt generari ex quantitate ſeparata. 1. *Arg. primum negatiuum.*

Item, agens naturale approximatum paſſo naturaliter tranſmutat : igitur non requiritur nouum miraculum neceſſariò, ad hoc quòd in Euchariſtia fiat alia noua mutatio : ſed ſi ſubſtantia rediret, hoc non eſſet niſi per nouum miraculum:igitur propter nullam tranſmutationem ſaluandam circa ſpecies Euchariſtiæ oportet ponere nouam ſubſtantiam redire. *Secundum.*

Item, agens naturale neceſſariò agit: ergo non dependet à voluntate diuina contingenter agente, ſed ſi rediret alia noua ſubſtantia in Euchariſtia, hoc eſſet per voluntatem diuinam contingenter,igitur. *Tertium.*

Item Auguſtinus 7.de ciu.cap.30. *Sic Deus res omnes adminiſtrat,& eas proprios motus habere ſinit*:igitur ad hoc quòd agens naturale cauſet aliquam tranſmutationem circa ſpecies Euchariſtiæ,non requiritur quòd per miraculum aliqua ſubſtantia redeat.

Contrà

Contrà, illæ ſpecies poſſunt nutrire, vt dicit quædam gloſſa 1.Cor.12. *Alius enim eſurit*, dicit Apſtolus, *alius quidem ebrius eſt*, &c. igitur nutrimentum ſpecierum tranſmutatur in carnem, quia non poſſunt nutrire, niſi ex eis generetur ſubſtantia; ſubſtantia non poteſt generari, niſi ex ſubſtantia; igitur oportet ſubſtantiam redire ad hoc vt illæ ſpecies poſſent nutrire.

Secunda. Item, ad ſenſum videmus quòd ex hoſtia conſecrata poteſt generari ignis, quia ſpecies poſſunt comburi. Similiter ex eis poteſt generari vermis per putrefactionem: ſed ſubſtantia non generatur niſi ex ſubſtantia: igitur oportet ſubſtantiam redire.

SCHOLIVM I.

Sententia Innocentij III. cùm ſpecies ad putrefactionem tendunt, redire ſubſtantiam panis, & vini, antequam ex eis generetur vermis, reijcitur breuiter, & clarè de quo in extra. hîc quæſt. 6. n. 3.

Sententia D. Thomæ redire materiam, ſi debet generari vermis ex ſpeciebus, refutatur primò, quia non ante inſtans generationis vermis, alioquin ibi eſſet materia ſimul cum corpore Chriſti, & ſine forma, contra ipſum; neque ſimul cum generatione, quia agens naturale non agit niſi in materiam quantam. Vide Doctorem ibidem à n. 5. Tertia ſententia Ægidij, Henr. & aliorum, materiam redire poſt generationem, & formam educi de potentia dimenſionum, reijcitur, quia forma ſubſtantialis nequit educi de accidentibus, & ſequeretur vermem eſſe ſine materia. Vide ibidem à n. 7. Quarta ſententia Richardi; dari poſſibilitatem in ſpeciebus vini, qua poſſent conuerti in materiam, & formam: reijcitur, quia materia non generatur. & generatio vermis ſic non eſſet naturalis. Item, materia ſic non eſſet quanta. vide num. 10.

2. Opinio Innoc. quòd ſubſtantia panis redit cor-ruptis ſpeciebus.

HÆc eſt opinio Domini Innocentij *de offic. Miſſ. part. 3. c. de fractione*, quæ dicit, quòd ſubſtantia panis redit, & hoc quidem poteſt ſic ſuſtineri: Chriſtus eſt in Euchariſtia vt nutrimentum ſpirituale; igitur tamdiu debet eſſe ſub ſpeciebus, quamdiu ſpecies illæ panis repræſentant conueniens nutrimentum corporale; poteſt autem circa iſtas ſpecies fieri tanta alteratio, quando ſunt ſeparatæ à ſubſtantia, quòd non repræſentant vt conueniés nutrimentum corporale, ſicut poſſet fieri ſi ſub illis ſubſtantia panis eſſet, ſicut ſi panis putrefieret, & ſpecies ſimiliter, & amitterent proprias paſſiones earum, vt colorem, ſaporem; igitur tunc deſinit ſub eis eſſe corpus Chriſti, & incipit ſubſtantia panis redire, manentibus quibuſdam accidentibus, licèt non omnibus, quæ eſſent conuenientia nutrimento, & per conſequens tamdiu manet ibi corpus Chriſti ſub ſpeciebus illis, quamdiu manet ſubſtantia panis vt conueniens nutrimentum corporale.

3. Refutatur. Contra hanc opinionem arguo ſic: Quæro, quando redit ſubſtantia panis? aut in vltimo inſtanti tranſmutationis, quando generatur ſubſtantia, aut ante illud vltimum inſtans? Non in illo vltimo inſtanti, quia tunc illa ſubſtantia panis rediens ſimul eſſet, & non eſſet, & ſic ſequitur inconueniens ex hoc quòd in illo inſtanti generetur aliqua ſubſtantia. Si autem redeat ante illud vltimum inſtans? videntur tunc ſequi duo inconuenientia. Primum, quòd non tamdiu manet ibi corpus Chriſti, quamdiu manent ibi ſpecies panis non corruptæ, cuius oppoſitum tenetur communiter. *Corpus tamdiu manet ſub ſpeciebus quãdiu maneret panis, ſi ibi eſſet.*

Iſtud tamen fortè non haberet pro inconuenienti, quia diceret ſecundùm prædictam declarationem quòd non diutiùs maneret ſub ſpeciebus corpus Chriſti, niſi quamdiu manet ibi ſubſtantia panis, ſi eſſet vt conueniens nutrimentum corporale.

Aliud inconueniens, quod ſequitur, eſt, quòd agens, quod poteſt in partem motus, poteſt in totum motum, & in terminum, quando non magis repugnat vna pars motus ſuſceptiuo, quàm alia. Patet ex ſupradictis. Sed non magis repugnat illis ſpeciebus, ſiue ſuſceptiuo alterationis vna pars alterationis, quàm alia: igitur agens, quod poteſt imprimere primam partem alterationis, poteſt in totam alterationem, & per conſequens non oportet ſubſtantiam panis redire ante finem alterationis.

Sed hîc fortè diceretur, quòd verum eſt, quòd non oportet ſubſtantiam panis redire propter alterationem, nec propter terminum intrinſecum alterationis, ſed propter terminum ſubſtantialem, qui eſt ſubſtantia, quæ debet ſequi in fine alterationis virtute ſubſtantiæ generantis, vel creantis.

4. *Sententia D. Thomæ.* Alia eſt opinio, quæ ponit materiam redire, quia agens naturale non agit, niſi in materiam, & de iſta materia agens naturale generat ſubſtantiam.

Reiicitur primò. Contrà, ſicut priùs; Aut illa materia redit in vltimo inſtanti, aut ante vltimum inſtans? Si enim poſt vltimum inſtans rediret, fruſtrà poneretur redire ad ſaluandam generationem. Si redit ante vltimum inſtans, igitur materia ſimul eſſet in Euchariſtia cum corpore Chriſti, quod non tenet communis ſchola, quia communiter ponitur corpus Chriſti tantùm eſſe in illis ſpeciebus, & illæ ſine ſubiecto, quod non eſſet, ſi maneret ibi materia panis.

Secundò ad hominem. Similiter ſequeretur quòd materia tunc eſſet ſine forma, quod eſt impoſſibile ſecundùm opinantem, quia Deus non poteſt eam facere ſine forma ſecundùm eum, quia conſtat quòd forma panis non manet, vel ſaltem ſi materia eſt ſine forma, hoc non eſt ſine nouo miraculo: ergo ſi redeat materia aliquo modo, tantùm redit in vltimo inſtanti: & ſi hoc, igitur fruſtrà ponitur redire materia, vt ſcilicet agens naturale generet ex ea; ſed in iſto inſtanti non poteſt agens naturale aliquid generare, vt concedit ille ſic opinans: licèt enim, vt credo, agens naturale attingat eſſentiam materiæ, non tamen agit in eam, niſi vt ſub quantitate, & maximè ſecundùm iſtum Doctorem.

Tertiò. Præterea, non poteſt eſſe naturaliter generatio ſine corruptione ſecundùm ſic opinantem; ſed ſi materia rediret in illo inſtanti, eſſet tunc materia ſub illa forma de nouo ſine corruptione præcedente. Vnde dico quòd ſi materia ſola rediret, & haberet eſſe definitiuè, ſicut Angelus, tota natura non

attin

attingeret eam, vt aliquam formam educeret de ea, licèt poſſet attingere ad eam ſub quantitate.

6. *Tertia opinio Ægid. theoremate 44. 45. Henr. & aliorum.*

Tertia opinio non à Deo. Iſto modo dimenſiones per ſe exiſtentes habent modum ſubſtantiæ, & propinquæ ſunt materiæ primæ, quatenus ſunt interminatæ, & ideò de eis poteſt educi forma ſubſtantialis, & poſſunt ſubſtare formæ ſubſtantiali, vt materia: ſed quando conuertuntur in ſubſtantiam rei alendæ, tunc redit materia rei nutribilis ſub illis dimenſionibus interminatis.

7. *Improbatur primò.*

Sed contra hanc opinionem argutum eſt ſuprà, & adhuc arguo ſic: quòd impoſſibile eſt de potentia illarum dimenſionum educi formam ſubſtantialem, quia impoſſibile eſt vt de potentia formæ naturaliter poſterioris, educatur forma naturaliter prior; nunc autem forma ſubſtantialis eſt naturaliter prior omni dimenſione; igitur impoſſibile eſt vt de dimenſionibus, ſiue ſint terminatæ, ſiue interminatæ, educatur aliqua forma ſubſtantialis.

Forma ſubſtantialis nequit educi de accidentibus. Secundò.

Præterea, non ſolùm poſſibile eſt ex illis ſpeciebus, & dimenſionibus, aliquid nutriri, & per conſequens aliquam ſubſtantiam nutribilem generari, ſed poſſibile eſt ex eis generare ſubſtantiam, quæ non eſt nutribilis, vt ignis, vermis, quæ non generantur per nutritionem: ſed ſi in iſtis per nutritionem non redit materia, & ex eis generaretur compoſitum, in quo ſolùm educitur forma ſubſtantialis ex eis, ſequeretur quòd vtrumque eſſet compoſitum, & ſine materia.

Tertiò. Quodlibet compoſitum ſubſtantiale neceſſariò eſt materiatum.

Item, poſſibile eſt plures partes carnis Sacerdotis per nutritionem ex illis ſpeciebus adgenerari; ſed ſi non eſſet ibi materia, partes iſtæ carnis non eſſent compoſitæ, niſi ex quanto, & quali, & per conſequens ſi aliquis eſſet totaliter nutritus ex talibus, haberet tunc carnem mathematicam quantam, & qualem, ſed non materiatam.

8. *Quarta ſententia Rich.*

Quarta opinio eſt, quæ ponit quòd ſicut materiæ concreata eſt poſſibilitas tranſmutationis ad formam, ita in tranſubſtantiatione accidentibus manentibus ſine ſubiecto, concreatur poſſibilitas tranſmutabilis, non tantùm in formam, ſed etiam in vltimum gradum actualis, quæ eſt materia, & per talem poſsibilitatem poteſt ex illis ſpeciebus generari compoſitum ex materia & forma.

Refutatur primò.

Contrà, illud purum poſsibile ſic concreatum ſpeciebus ſeparatis in potentia ad materiam, ſecundùm ſic opinantem, eſt terminus creationis; igitur eſt aliquid extra cauſam ſuam creatiuam; tale autem infimum eſt materia prima, cùm ipſa ſit infima omnium entium, & tamen non conuertitur in materiam primam; ergo oportet quòd ſit inferior materia prima, & per conſequens ſequitur quòd aliquid producatur à Deo inferius in entitate prima materia, quod eſt contra Auguſtinum *lib. 12. confeſſ. c. 33.* qui dicit eam eſſe creatam prope nihil, quia de facto ipſa eſt infima inter omnes creaturas, licèt Deus poſſet fortè facere aliquid inferius ea.

Materia prima eſt infimum ens.

Secundò.

Item, materia non producitur per generationem, cùm ſit fundamentum præſuppoſitum cuilibet generationi naturali; illud igitur purum poſsibile, quod ponis, eſſe annexum ſpeciebus remanentibus, non poteſt actione naturali conuerti in materiam primam, vel in compoſitum ex materia & forma, cuius oppoſitum dicit ſic opinans. Ponit enim quòd licèt illud purum poſſibile actione ſupernaturali, vt per creationem, producatur; tamen quia accidentia corrumpuntur; illud actione naturali conuertitur in materiam, & formam, & per conſequens in totum compoſitum, & ita materia erit generabilis.

Materia præſupponitur in omni generatione naturali.

Tertiò.

Item, eſto quòd in Euchariſtia eſſet tale purum poſſibile loco materiæ, adhuc fruſtrà poneretur, quia ponitur quòd agens naturale ex eo generet compoſitum naturale; ſed vt ibi eſt, non eſt illud purum poſsibile quantum: ſed agens naturale non poteſt agere niſi in quantum; igitur vt ibi eſt, fruſtrà ponitur.

Agens naturale non poteſt agere niſi in quantum.

SCHOLIVM II.

Reſolutio. Per mutationes ſpecierum, quæ non repugnant ſubſtantiæ panis, & vini, nulla noua ſubſtantia fit, quia manet Euchariſtia, & ea manente accidentia ſunt ſine ſubiecto facta tamen mutatione repugnante pani, & vino, creatur à Deo ſubſtantia noua compoſita, cui conueniunt accidentia corrumpentia ſpecies; & rem optimè explicat. Vide eum in Oxon. hic à n. 11.

9. *Sententia Doctoris.*

REſpondeo igitur ad quæſtionem, quòd de numero tranſmutationum, quæ fiunt circa Euchariſtiam, quædam fiunt manente Euchariſtia, & propter iſtas tranſmutationes non oportet ſubſtantiam redire, nec de facto per tales redit alia ſubſtantia; & huiuſmodi tranſmutatio eſt loci mutatio, rarefactio, & condenſatio, & vltimò omnis alteratio talis, quæ non repugnaret ſubſtantiæ panis, & vini, ſi ibi eſſent, & in illis talibus tranſmutationibus, & terminis eorum manet Euchariſtia, & ſub illis ſpeciebus manet ibi corpus Chriſti, & manente ibi corpore, non redit aliqua alia ſubſtantia: ergo à primo, in huiuſmodi tranſmutationibus non redit alia ſubſtantia.

Mutatio non corruptiua Euchariſtiæ non petit generari ſub. ſtantiam.

Secundò

Item, in illis tranſmutationibus, quia non corrumpuntur accidentia, manent accidentia ſine ſubiecto, & per conſequens nulla ſubſtantia afficitur illis accidentibus: igitur nulla ſubſtantia redit, quia ſi rediret afficeretur illis, aliter fruſtrà rediret: igitur,

Per mutationem incompoſſibilē ſubſtantiis panis & vini, ſi eſſent, deſinit Euchariſtia.

Quædam verò tranſmutationes ſi eſſent circa iſtas ſpecies Euchariſtiæ, & forent incompoſſibiles ſubſtantiis panis & vini, affectis illis ſpeciebus. De iſtis dico quòd licèt cuiuſlibet talium motus, vel mutationis termino repugnet eſſe Euchariſtiæ, non tamen eſt neceſſe vt redeat aliqua ſubſtantia, licèt de facto ſemper redeat ſubſtantia, quando fit talis tranſmutatio. Probatio aſſumpti eſt, quia agens, quod poteſt in motum, poteſt & in terminum motus, ſi terminus non magis repugnet paſſo, quàm motus; ſed agens naturale poteſt iſtas ſpecies alterare, vt experientia docet de facto; niſi dicatur quòd ſolus Deus facit omnem actionem, & tranſmutationem, quæ apparent ibi, quod non videtur probabile, & terminus huius alterationis non repugnat paſſo, vt qualitas quantitati, quia non magis repugnat terminus alterationis vt qualitas contraria ipſi quantitati, quàm motus ipſe, quia quantitas

nullam

nullam qualitatem ſibi determinat; igitur agens naturale poteſt in terminum alterationis, etiamſi quantitas exiſtat ſine ſubiecto; igitur propter terminum alterationis non eſt neceſſe ſubſtantiam redire.

9. Dico tamen quòd de facto, facta tali alteratione circa ſpecies Euchariſtiæ, quæ repugnaret, & eſſet incompoſſibilis ſubſtantiæ panis & vini ſi ibi eſſent, ſubſtantia redit propter diſpoſitionem diuinam, quæ ita eſſe ſtatuit, & veritatem Euchariſtiæ. Sicut enim Deus ſtatuit illas ſpecies eſſe Euchariſtiã, ita ſtatuit nulla alia accidentia eſſe Euchariſtiam; igitur agens potens inducere accidentia, & qualitates contrarias qualitatibus Euchariſtiæ; poteſt corrumpere Euchariſtiam, & facere eam deſinere eſſe: ſed Deus ſtatuit in hoc ſolo Sacramento Euchariſtiæ manere accidentia ſine ſubſtantia; igitur in illo inſtanti, in quo inductæ ſunt huiuſmodi qualitates contrariæ qualitatibus in Euchariſtia exiſtentibus per ſe, voluit Deus quòd rediret per creationem ſubſtantia compoſita, cui talia accidentia conueniſſent. Vnde in eodem inſtanti, in quo inducta ſunt huiuſmodi accidentia contraria prioribus, dat eis Deus conueniens ſubiectum, & hoc ſine nouo miraculo, quia eodem miraculo, quo ſtatuit accidentia, dum ſunt in Euchariſtia ſolùm, manere ſine ſubiecto, voluit contraria accidentia inducta habere ſubiectum creationi conueniens.

Sine nouo miraculo ſpeciebus corruptis fit noua ſubſtantia, quam accidentia inducta exigũt.

10. Ad primum, cùm dicitur quòd quantitas habet modum ſubſtantiæ, falſum eſt, niſi loquendo de modo negatiuo, qui eſt *non eſſe in alio*; ſed nulla habet modum poſitiuum vt potentiam, qua de ea poteſt educi naturaliter forma ſubſtantialis, cùm ſit forma naturaliter poſterior forma ſubſtantiali.

Ad arg. principale primũ.

Ad ſecundũ. Ad ſecundum dico quòd agens naturale approximatum illis ſpeciebus poteſt naturaliter agere omnem actionem, quam poſſet agere circa illas, ſi eſſent in ſubſtantia: ſed ad hoc quòd producatur ſubſtantia, oportet neceſſariò concurrere actionem diuinam, qua creetur ſubſtantia, ſupplens vicem agentis naturalis, & ſubſtantiæ, & hoc non eſt nouum miraculum, vt dictum eſt.

Ad tertium. Ad tertium, concedo quòd agens naturale neceſſariò agat, & quòd nec propter actionem ſuam, nec terminum actionis ſuæ requirat aliud agens: ſed ad hoc quòd producat ſubſtantiam, requirit aliud agens ſupernaturale, & aliud quàm naturam.

Ad quartũ. Ad quartum, concedo quòd Deus ſinit naturam agere tantùm actionem, quæ ſibi poteſt competere naturaliter: ſed quando accidentia ſunt ſeparata à ſubſtantia, non poteſt per actionem ſuam in productionem ſubſtantiæ, quia non eſt ibi paſſum, de quo producatur, quod neceſſariò requirit omne agens naturale; & ideò non ſinit Deus naturam illam facere, quod non poteſt, & hoc facit per ſe ipſum, vt dictum eſt.

DISTINCTIO XIII.

De Miniſtro Euchariſtiæ.

QVÆSTIO I.

Vtrùm ſola actione diuina poſſit corpus Chriſti confici?

Alenſ. 4. *p. q.* 14. *m.* 3. *art.* 1. D. Bonau. *d.* 10. *art.* 1. *q.* 1. D. Thom. 3. *p. q.* 7. *art.* 8. Suarez 3. *tom. q.* 60. *ſect.* 8 Scot. *in Oxon. hic q.* 1. *& quodl.* 10.

IRCA Diſtinctionem decimam tertiam quæro, *Vtrùm ſola actione diuina poſſit confici corpus Chriſti?* 1.

Arguitur quòd non: Omnis actio in motu fundatur *lib. 6. Principio. c. de actione.* Deus non agit per motum; igitur nulla actione poteſt conuertere panem in corpus ſuum. *Arg. primum negatiuum.*

Item, proprium eſt actioni inferre paſſionẽ, vt priùs; ſed per conuerſionẽ panis in corpus, non fit paſſio, quia in vltimo inſtanti illius conuerſionis, non eſt ſubſtantia panis, & per conſequens tunc non patitur ſubſtantia; nec corpus Chriſti patitur, quia tunc mutaretur; igitur corpus Chriſti nulla actione poteſt cõfici, cùm nõ ſit ei paſsio in aliquo correſpõdens. *Secundum.*

Itẽ, quòd non ſolùm actione diuina, videtur, quia agẽs naturale poteſt conuertere aliquod totũ in aliquod totũ, quia poteſt generare; generatio verò eſt conuerſio totius in totũ *ex* 1. *de Generatione text.* 10. *&* 13. igitur ad hoc quòd corpus Chriſti efficiatur, non requiritur niſi quòd totum aliud cõuertatur in ipſum totum; quod poteſt per agens naturale fieri, vt videtur. *Tertium.* Ariſtot.

Item, natura potuit formare corpus Chriſti in *eſſe* naturali; igitur ſimiliter poteſt illud formare in *eſſe*, quod habet in Euchariſtia. Conſequentia patet, quia idem eſt *eſſe* corporis Chriſti in *eſſe* naturæ, & in Euchariſtia; igitur idem agens poteſt habere cauſalitatẽ ſuper id vtrobique. Antecedens patet, quia corpus ſuum eſt eiuſdem ſpeciei cum corporibus noſtris; igitur ſi virtus naturalis poteſt informationem corporis noſtri, poterit & corporis ſui. *Quartum.*

Item, ſi Sacerdos non poteſt conuertere panem in corpus Chriſti, igitur non requiritur intentio in Sacerdote, ad hoc vt conficiat, quia in nulla cauſa requiritur intentio alicuius effectus, ſuper quem non habet cauſalitatem. *Quintum.*

Contrà 1. q. 1. *Iuxta catholicam Eccleſiam*, & ponitur in litera, & ſumitur ab Auguſtino in lib. de corpore Chriſti, qui dicit quòd ipſe, ſcilicet Deus, eſt, *qui per Spiritum ſanctum efficit ibi corpus Chriſti*, ſcilicet in Euchariſtia. Ad hoc eſt etiam auctoritas Gregorij in litera. *Ratio ad opp.* Aug. Greg.

SCHOLIVM I.

Certum eſt actione Dei panem conuerti poſſe in corpus Chriſti, ſed de actione, qua id fit, dubitatur an ſit quid abſolutum & multis ſuadetur quòd ſic.

RESpondeo: Iſta quæſtio quærit an tantùm actione diuina poſsit cõfici corpus Chriſti, 2.

ſti, vel actione cuiuſcumque alterius, & hoc vel vt principalis, vel vt inſtrumentalis agentis. Et ideò circa ſolutionem eius tria ſunt videnda. Primò, ſi actione diuina poſsit panis conuerti in corpus Chriſti. Secundò, ſi hoc poteſt fieri actione alterius agentis vt principalis agentis. Tertiò, an actione alicuius creati, vt inſtrumentaliter agentis?

Via examinanda.

Reſolutio primi. De primo, non videtur dubium quin ſic, & probatur, ſi panis conuerteretur in aliquid non

Sola actione diuina poteſt hoc Sacramentum conſici. præexiſtens, hoc fieret actione diuina; igitur ſimiliter ſi conuertatur in præexiſtens, vt in corpus Chriſti, hoc fiet actione diuina. Conſequentia patet, quia non minoris virtutis eſt

Probatur primò, & quòd hæc actio ſit abſoluta. conuertere aliquid in præexiſtens, quàm in nõ præexiſtens, cùm vtrobique requiratur agens, cuius virtuti actiuæ totaliter ſubſit *eſſe*. & *non eſſe* extremorum. Antecedens patet, quia ſi panis conuerteretur in non præexiſtẽs totaliter, & ſimpliciter produceretur à Deo, ſed non producitur aliquid ſimpliciter, niſi actione ſimpliciter, quia relatione nihil ſimpliciter producitur: ſed ſi aliquid conuertatur in non exiſtens, hoc erit actione diuina, & nõ aliqua relatione.

Secundò. Item, facta conuerſione alicuius in non præexiſtens, ſi terminus illius actionis non produceretur, cùm non minùs producatur ibi terminus, quàm in creatione; ſequeretur quòd creatio, qua Deus producit creaturam, non eſſet vera actio, ſed relatio, cùm creare creaturam ſit velle eam eſſe; ſequeretur quòd *velle* Dei, quo vult eam eſſe, eſt relatio ad creaturam, quod eſt manifeſtè falſum.

Tertiò. Item, relatio fundatur ſuper actionem, & paſſionem 5. Metaph. ad aliquid text. com. 20. *Relatio non fundatur ſuper relationem*: igitur actio non eſt relatio; igitur actio diuina conuerſionis panis in corpus Chriſti, eſt vera actio.

Ariſtot.

Quartò. Item, ſi productio, qua Deus producit extra, eſſet relatio, & non actio; eadem ratione & productio ad intra verius eſſet relatio quàm actio, & tunc in diuinis non eſt niſi quoddam *referri*, quod non eſt verum.

Quintò. Item, relatiuum non eſt cauſa ſui correlatiui, quia ſunt ſimul natura; ſed producens eſt cauſa producti, quod conſtat per productionem formaliter; ergo productio, qua Deus aliquid producit, non eſt relatio, ſed vera actio.

SCHOLIVM II.

Sententia Doctoris, actionem Dei non eſſe de genere Actionis, aliàs creatio paſſiua eſſet paſſio de genere Paſsionis: ponit ergo tres reſpectus producentis, educentis, & tranſmutantis; & in hoc tertio dacet conſiſtere actionem de genere Actionis, & alij duo ſpectant ad genus Relationis, de quo latè in Oxon. hîc à n. 12. vbi probat hæc iuxta mentem Philoſophi tenenda. Vide Scholium ibi ad n. 17.

3. *Reiicit has actiones.* AD hoc reſpondeo quòd non multùm mouet, & dico quòd nec productionem ad intrà, vel ad extrà, oportet ponere actionem de genere Actionis, eo modo, quo genera Prædicamentorum transferuntur ad diuina; ſed relationem, vt Prædicamentum relationis conceditur ibi manere, quia tam generatio, quàm creatio magis aſſimilatur relationi, vt diſtinguitur contra actionem de genere actionis, quàm actioni. Cuius probatio facilis eſt de creatione actiua, quia ſi creatio actiua in Deo eſſet actio, vt actio diſtinguitur contra relationem, ſequeretur quòd creatio, ſiue productio paſſiua eſſet paſſio in creatura, vt paſsio diſtinguitur contra relationem: conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Probatio conſequentiæ. Actioni propriè correſpondet paſsio ſub propria ratione paſsionis, niſi actio ponatur aliquid abſolutum in Deo, quod non conuenit; quia tunc Deus ſecundùm aliquid abſolutum in eo diceretur ad creaturam; ſi igitur in Deo ſit creatio vera actio, igitur creatio in creatura, qua producitur, eſt vera paſſio. Conſequentia etiam probatur per locum à minori ſic. Minùs videtur quòd actio vera de genere Actionis, ſiue aſsimiletur actioni illius generis, ſit in Deo, quàm paſsio in creatura, quia creatura eſt fundamentum nouum, & reſpectus nouus. In Deo nihil eſt nouum; ſed in creatura; creatio non eſt vera paſsio, quia habitudines iſtæ, & reſpectus actionis, & paſsionis ſunt reſpectus extrinſecùs adueníentes, & non oriuntur ex natura extremorum poſitis extremis, quia dato quòd ſic, oporteret dicere quòd Actio & Paſsio non ſunt diſtincta genera, ſed ſpecies relationis, & cùm ſex ſint tales reſpectus, ſi neceſſariò conſequerentur fundamentum poſitis terminis, non erũt niſi quatuor Prædicamẽta. Sed reſpectus creaturæ ad Deũ eſt ex natura rei creatæ, imò ſummè oritur ex natura extremi, quia impoſſibile eſt creaturã eſſe ſine reſpectu, & depẽdentia eius ad Deum, & ideò fortè, reſpectus ille non eſt alia res à ſuo fundamento; cùm tamen relatio vnius creaturæ ad aliam neceſſariò ſit alia res à ſuo fundamento, ſicut aliàs apparebit; igitur creatio paſsiua in creatura non eſt paſsio de genere Paſsionis, ſed relatio de genere Relationis formaliter.

Actio Dei eſt de genere actionis.

Creatura nõ poteſt eſſe ſine dependentia ad Deum.

Item, actio, vt diſtinguitur contra relationem ſemper reſpicit paſſum per Philoſophum 5. Metaph. text. com. 1. vbi deſiniens potentiam actiuam dicit quòd *eſt principium tranſmutandi aliud inquantùm aliud*: igitur actio propriè dicta eſt paſſi tranſmutabilis, & reſpicit aliud vt tranſmutatum: ſed vbi totum eſt productum, ſicut eſt in creatione, ibi non eſt aliquid tranſmutatum, propriè, quia non aliquid quod aliter ſe habet nunc quàm priùs, cùm priùs fuerit nihil, & modò primò ſit aliquid; igitur creatio in Deo, qua creatura producitur extrà, non eſt actio, vt diſtinguitur contra relationem.

Ariſtot. Potẽtia actiua quid?

Quantùm ad iſtum articulum, dico quòd 4.
ad hoc quòd agens naturale agat per motum, ad productionem termini, inducendo formam, & alterando paſſum ipſum, tria requiriꝫ, ſcilicet ipſum productum, vel creatum per motum, vel mutationem, quod eſt primus terminus; & ipſum eductum, ſiue inductum vt formam, quæ eſt formalis terminus; & principium paſſiuũ, ſiue materiã præſuppoſitam ſuæ actioni: & iſti reſpectus ad producentem non ſunt iidem, ſed alius, & alius, quia fundamenta ſunt alia vtrobique. Similiter è cõuerſo, alia eſt relatio agẽtis ad paſſum, alia producẽtis ad productum, ſiue ſit primus terminus ipſius productionis, vel formalis.

Agens naturale requirit tria ad agendum.

formalis. Iſtud etiam patet ex alio, quia relatio producentis ad productum eſt mutua: non eſt autem mutua producentis ad paſſum, vel tranſmutabile, in quod agit, quia producens eſt cauſa termini producti, & ideò productum dependet a producente eſſentialiter, & per conſequēs relatio eius ad producentem eſt relatio intrinſecùs aduenies, ſine qua nō eſt productum, poſito termino. Similiter è conuerſo, ſi eſt mutua relatio producentis ad productum, ipſius ad productum eſt relatio intrinſecùs aduenies; ſed ſic non eſt tranſmutans, & agens per motum cauſa tranſmutabilis, ſed præſupponit ipſam, vnde ſimul cum agente concurrit, vt cauſa partialis ad rationem producti: vnde tranſmutatum non dependet eſſentialiter à tranſmutante, quantùm ad *eſſe* ſuum primum, ſicut productum dependet eſſentialiter à producente *in eſſe* ſuo primo. Eſt ergo alia habitudo producentis ad productum, & tranſmutantis ad tranſmutabile, quia prima habitudo conſequitur ex natura extremorum, non ſic illa habitudo inter tranſmutans, & tranſmutabile ſequitur poſitis extremis, quia vtrumque poteſt vniformiter manere, vt lignum, & ignis in natura ſua nulla actione, vel paſſione exiſtente inter illa, & quando extrema poſſunt habere idem *eſſe* ſine relatione alia, tunc illa relatio eſt reſpectus, & contingenter eis aduenies.

Relatio producentis ad productum eſt mutua & intrinſeca, & è conuerſo.

Relatio trāſmutantis ad tranſmutatū eſt non mutua, & extrinſeca.

§. Quod dixi in primo lib. diſt. 27. * quòd generatio in diuinis non eſt actio, adhuc dico, quia cùm actio de genere Actionis ſæpe ſit reſpectu paſſi, & Pater non producat Filium de aliquo paſſiuo, vel materia, nō eſt actio in diuinis, vt diſtinguitur contra relationem, nō igitur ſic generatio in diuinis eſt actio, prout ſibi correſpōdet paſſio in aliquo. Similiter dico de creatione, quòd non eſt actio, vt *actio* diſtinguitur contra *relationem*, quia actio talis cùm ſit reſpectu alicuius paſſi præſuppoſiti, non poſſet eſſe productio alicuius ſecundùm totum *eſſe* ſuum, ſed tantùm productio eius ſecundùm partem formalem, cui præſupponitur pars materialis tranſmutati: creatio verò eſt productio totalis rei, quia de nihilo, & ideò non poteſt eſſe actio de genere Actionis. Similiter dicendum eſt de conuerſione illa panis in corpus, quòd non eſt vera actio, vt diſtinguitur contra relationem; ſed tantùm relatio, vt dictum eſt de creatione.

* q. 1. n. 14.

Actioni de genere Actionis correſpondet paſſio.

An conuerſio ſit de genere propria actionis.

6. Tamen propter argumēta ſciendum eſt, quòd hoc nomen *actio* eſt æquiuocum, omiſſis enim operationibus, quæ ſunt perfectiones ſimpliciter ipſius operantis, vt *intelligere & velle*, & non propriè actiones, quia actio non perficit agentem ſimpliciter, adhuc actio dicit tres habitudines; vnā ad primum productum, & ſic actio dicitur productio actiua: aliam habitudinem ad formam inductam, & dicitur eductio, vel inductio actiua; tertiā habitudinem habet ad paſſum, & ſic dicitur tranſmutatio; attamen iſta tertia non eſt tantùm de genere Actionis, ſed reſpectus extrinſecùs, & contingenter aduenies. Actio verò ſecundùm alias ſignificationes eſt ſpecies relationis intrinſecùs aduenies, oriens ex natura extremorum verè; igitur poteſt dici quòd actione diuina conuertitur panis in corpus Chriſti, & quòd à nullo ereetur, prout creatio relationem dicit, & non actionem de genere Actionis; relatio enim & ſubſtantia ſolùm attribuuntur Deo inter Prædicamenta.

Nomen actio eſt æquiuocū.

Triplex habitudo, productī videlicet, inductī & tranſmutati.

7. Ad primum argumentum in oppoſitum, cùm arguitur, quia productione, ſiue actione aliquid producitur, ſed illa actio non eſt de genere Actionis, ſicut nec paſſio termini producti eſt de genere Paſſionis, quia totum producitur, & nihil eius præfuit, quod neceſſariò conuenit, vbi eſt talis paſſio, & ideò nego aſſumptum, & dico quòd illa productio, qua creatura producitur, eſt formaliter in genere Relationis. Et cùm arguis, relatione nihil producitur: productione aliquid producitur; igitur productio non eſt relatio. Dico quòd hæc ratio neminem debet mouere, quia non concludit contra me, quod probo ſic: Nam nihil abſolutum ponitur in Deo in comparatione ad creaturam; igitur productio, qua Deus dicitur creaturam producere, non dicit aliquid abſolutum in eo; igitur eſt reſpectus aliquis; ſed quæ eſt neceſſitas ad magis concedendum quòd reſpectu aliquid producatur, quàm quòd relatione aliquid producatur? nō enim eſt magis inconueniens vnum, quàm aliud: igitur ſicut vnum poteſt concedi, & aliud.

Ad arg. quæ videntur probare actionē eſſe quid abſolutum.

Productio creaturæ non ponit in Deo aliquid abſolutum.

Secundò ſic per idē; formaliùs dicitur aliquid produci productione paſſiua, quæ eſt in eo, quàm productione actiua, quæ eſt in agente; ſi igitur non eſt inconueniens vt aliquid dicatur produci productione paſſiua, quæ eſt in eo relatio, & non paſſio de genere Paſſionis, vt oſtenſum eſt, multò fortiùs poteſt concedi quòd producatur productione actiua, quæ eſt relatio in agēte, & nullo modo actio de genere Actionis.

Productio paſſiua eſt relatio intrinſeca.

8. Dico ad ipſum argumentum, quòd peccat per amphibologiam, & figuram dictionis, ſicut hoc argumētum: Omne quod eſt ſimile, qualitate eſt ſimile: ſed homo eſt ſimilis ſimilitudine, igitur ſimilitudo eſt qualitas, ſicut hic: ille liber eſt Ariſtotelis; ergo eſt poſſeſſio Ariſtotelis, &c. Vtrumque enim peccat ſecundùm amphibologiam ex diuerſa conſtructione ablatiui caſus, qui cōſtruitur in ratione principij formalis. Nam ablatiuus poteſt conſtrui in ratione principij formalis, & hoc vel principij formalis proximi, vel remoti: hæc enim eſt vera, *homo eſt ſimilis albedine, vel qualitate*, quia ablatiuus conſtruitur in ratione principij formalis remoti, vel fundamentalis. Fundamentum enim non eſt formaliter ſimilitudo; ſed hæc: *homo eſt ſimilis ſimilitudine*, eſt vera, prout ablatiuus conſtruitur in ratione principij proximi, ſicut hæc, *homo eſt albus albedine*. Ideò arguendo, homo eſt ſimilis albedine, & eſt ſimilis ſimilitudine, eſt amphibologia ex diuerſa conſtructione ablatiui caſus cum aliquo, & vlteriùs inferendo concluſionem ex præmiſſis veris in diuerſo ſenſu, & non eodem, fit fallacia figuræ dictionis, quia in illa concluſione interpretatur conſtructionem ablatiui caſus cum verbo in ratione principij formalis proximi, eſſe conſtructionem eius in ratione principij formalis remoti, & è conuerſo.

8. *Ad primum.*

Diuerſimodè aliquid dicitur ſimile albedini, & ſimilitudine.

Ad propoſitum, dico quòd hæc; *productione aliquid producitur*, eſt vera, prout ablatiuus conſtruitur in ratione principij formalis proximi, & non remoti, quia tunc productio eſſet aliqua forma actiua, ſi conſtrueretur in ratione principij formalis remoti, quod eſt falſum: vnde Deus productione producit, vt proximo denominatiuo: ſed cùm dicis in minori quòd *relatione nihil producitur*, hæc eſt falſa, ſi ablatiuus conſtruatur in ratione principij formalis proximi, ſicut priùs, & proximi denominatiuè: vnde quo modo maior

Ex diuerſa ablatiui conſtructione in ratione principij formalis ſequitur veritas & falſitas propoſitionis.

n eſt

eſt vera, eo modo minor eſt falſa. Si autem intelligat in minori relatione, & ablatiuum caſum conſtrui in ratione principij formalis remoti, ſic eſt vera, & illo modo maior affirmando eſt falſa, & ideò in concluſione fit fallacia figuræ dictionis, quia interpretatur principium formale proximum, & non eſt proximum, ſed remotum, & commutatur vnum principium in aliud.

9. *Ad ſecundũ. Creatio actiuà eſt relatio paſſiuà.*

Ad ſecundum, cùm dicis, ſi creatio non eſſet actio vera, ſed relatio, *creare* Dei eſſèt referri ad creaturam. Dico quòd creatio actiua non eſt actio de genere Actionis, ſicut nec creatio paſſiua eſt paſſio de genere Paſſionis, ſed tantùm relatio, & concedo conſequentiam, quòd *creare* eſt formaliter referri ad creaturam.

Sed cùm infers, igitur intelligere & velle rem creandam eſſe, non eſſet niſi relatio. Reſpondeo quòd intelligere, & velle rem, importat duo, vnũ principaliter, & aliud ex conſequenti: ex principali ſignificato ſignificat operationem diuinã, & ex conſequenti connotat reſpectum, quatenus ſignificatur tranſire ſuper rem creatam: vnde importat velle dominium, vel operationem diuinam, vt tamen tranſit ſuper obiectum; vnde ex principali ſignificato eius dicit aliquid abſolutum, & ex conſequenti reſpectum. *Creare* verò è conuerſo principaliter & formaliter ſignificat reſpectum ad creaturam, connotat tamen *velle* diuinum vt fundamentum, & principium eius; modò non ſequitur *creare*, eſt referri formaliter; igitur *velle* diuinum, quod connotat, eſt formaliter relatio.

Velle rem importat duo.

Creare dicit reſpectum pro formali connotatiuè verò velle diuinum.

10. *Ad tertium.*

Ad tertium, cùm dicitur quòd ſuper actionem & paſſionem fundatur relatio; dico quòd non, ſicut aliàs dixi 2. *diſt. primi libri* *, ſed ſuper potentiam actiuam, & paſſiuam tantùm, & non ſuper eas, niſi vt diſponentes primas ad talem relationem; quia quãdo eſt relatio talis fundata ſuper potentiam actiuam, & paſſiuam, vt paternitas & filiatio, non eſt actio, ſed tranſit. Quando etiam talis actio eſt, nondum eſt talis relatio paternitatis; non enim quando generat, eſt pater, ſed tantùm pòſt quando fœtus primò formatur, & quando fœtus eſt formatus in vtero; & quando eſt relatio paternitatis, & filiationis, tunc non eſt actio generationis, nec paſſionis, quia præteſſerunt priùs: & iſta communiter eſt actio de genere Actionis ſine relatione illa, quæ conſequitur eam; & è conuerſo; quod non contingeret, ſi eſſet fundamentum eius, quia fundamentum eſt ſimul cum eo, quod fundat, & fundatum non eſt ſine eo quod fundat ipſum. Eſt tamen, vt dixi, prima diſpoſitio ad illam relationem, ſicut alteratio ad formam ſubſtantialem; & ſicut alteratio non eſt quando forma ſubſtantialis inducitur, ſic poſſibile eſt actionem non eſſe, quando illud, ad quod diſponit, eſt. Saluatur igitur dictum Philoſophi 5. *Metaphyſ.* quòd relationes de ſecundo modo dicuntur ſecundùm potentiam actiuam, & paſſiuam, vt ſecundùm fundamenta talium relationum; vel ſecundùm actionem & paſſionem, vt ſecundùm diſpoſitiones primas ad relationes illius modi; diſiunctiua enim illa eſt vera pro altera ſui parte in ratione fundamenti eorum.

** q. 1. n. 17.*

Relationes fundantur ſuper potẽtias actiuam & paſſiuam.

Fundamentũ & relatio ſunt ſimul.

Triplex Philoſophi explicatio.

Aliter poteſt dici, quòd Philoſophus in 5. *Metaph.* non tantùm loquitur de ſpeciebus relationis, ſed etiam de modis relatiuorum, nam quilibet dicitur relatiuè, ſiue ſit in illo genere, ſiue non; ſicut ibidem determinans de qualitate non ſolùm loquitur de ſpeciebus qualitatis, ſed etiam de modis eius, quibus dicitur qualitas etſi improprie. Vnde dicit ibi, quòd differentia ſubſtantialis vno modo poteſt dici *qualis*, quæ tamen non eſt de genere Qualitatis, ſed Subſtantiæ. Ita poteſt dici hic, quòd in ſecundo modo relatiuorum non tantùm ponuntur ſpecies relationis, quæ ſunt reſpectus intrinſecùs aduenientes, ſed etiam modi reſpectiui alij extrinſecùs aduenientes, vt actio & paſſio: & ſecundùm iſtos reſpectus dicuntur aliqua formaliter ad alterum, licèt non aduenient ab intrinſeco, ſicut illæ relationes intrinſecùs aduenientes. Per hoc ad Philoſophum dico, quòd illa quæ referuntur ſecundùm potentiam actiuam, & paſſiuam fundant, ſicut illa quæ ſunt ſpecies relationis, & alia quæ dicuntur ſecundùm actionem, & paſſionem, non fundamentaliter, ſed formaliter; non quòd actio & paſſio ſunt ſpecies Relationis, & reſpectus intrinſecùs aduenientes, ſed quòd ſint formaliter reſpectus extrinſecùs aduenientes. Et ſecundùm hoc dicatur quòd non ſolùm ponit ibi ſpecies Relationis, ſed illa etiam, quæ habent modum relationis, vt eſſe formaliter ad aliud, & ſic actio & paſſio poſſunt eſſe relationes. Tertio modo poteſt dici, quòd Philoſophus loquitur ibi de actione ſecundùm quòd importat habitudinem agentis ad productum, & ſecundùm hanc ſignificationem *actio* formaliter dicit reſpectum aliquem de genere Relationis, & non actionem de genere Actionis, quia illa non dicit niſi reſpectum ad paſſum, & materiam tranſmutabilem, ſicut ad partem producti. Et tunc poſſet dici ad Philoſophum, quòd ſecundo modo relatiuorum dicuntur aliqua relatiuè ſecundùm potentiam actiuam, & paſſiuam, fundamentaliter; vel ſecundùm actionem, & paſſionem, formaliter; quia iſto modo actio & paſſio ſunt formaliter relationes, & non de genere Actionis, & Paſſionis.

11.

Differentia ſubſtantialis dicitur qualis quoad modum tantùm.

Actio & paſſio ſunt formaliter reſpectus extrinſecus aduenientes.

Ad quartum quòd tunc *generare*, & *dicere*, eſt referri; ſi enim prædicatio abſtracti de abſtracto ſit vera, vt vere poſſit dici, generatio eſt relatio, non eſt inconueniens; ſed neceſſarium eſt quòd concretum verè dicatur de concreto, & ita concedo quòd generare filium ſit referri ad eum: omnia enim verba ſunt concreta, à concretis tamen vſque ad abſtractum non ſemper recurritur niſi quando concreta ſunt per ſe eadem, & è conuerſo ſemper valet communiter.

12. *Ad quartum.*

Generare eſt referri connotans naturã.

Aliter poteſt dici, quod *dicere* non tantùm dicit relationem formaliter, ſed etiam cum hoc connotatur principium formale eius, non enim tantùm dicit productionem, ſed productionem per memoriam, tanquam per principium formale expreſſiuum notitiæ. Vnde non eſt *dicere* præcisè idem quod referri, quia plus connotat *dicere* licèt formaliter ſit idem & referri.

Dicere eſt referri connotando memoriam fœcundam.

Ad quintum, cùm dicitur quòd producens eſt cauſa producti, non ſic correlatiuum ſui correlatiui. Reſpondeo quòd ratio illa eſt contra quamcunque opinionem, quia ſecundùm illam rationẽ, vel oportet ponere perſonas abſolutas, quod ipſe negat; vel negare originem inter illas, quia origo vnius ab alia eſt relatio. Vnde dico quòd relatiuum eſt cauſa ſui correlatiui, & principium originatiuum illius, vnde referri relatione originis, non eſt niſi eſſe ab alio, vel eſſe à quo alius. Et cùm dicit quòd non, quia relatiua ſunt ſimul

13. *Ad vltim.*

Relatiuum eſt principiũ ſui correlatiui.

ſimul natura, ita quòd vnum non poteſt eſſe ſine alio, ſed ſunt inuicem ſimul ſecundùm definitionem illorum, quæ ſunt ſimul natura

Ariſtot. 5. *Metaphyſ. text.* 17. & tamen conſtat quòd vnum correlatiuorum ſit cauſa, vel principium originans alterius correlatiui, & prius ſit origine, quia ſi nullo modo eſſet prius eo origine, ſtatim ſequeretur quòd nullo modo originaretur ab illo, nō magis quàm è conuerſo. Quomodo autem ſimultas naturæ ſtet cum prioritate originis dictum eſt

Simultas naturæ ſtat cum prioritate originis.

* q 6.n.14. *diſt. 26. primi libri* *.

Secundùm hoc dicendum eſt ad primum articulum, quòd actione diuina, quæ eſt relatio, & non actio de genere Actionis, ſicut poteſt ibi poni, conficitur corpus Chriſti; ſed non actione quæ ſit relatio realis ad creaturam; ſed tantùm relatio rationis; quia vt dictum eſt

*d 30 q.1. *in 1. lib.* * Dei ad creaturam non poteſt eſſe relatio realis, propter formalem neceſſitatem eius, quæ non requirit neceſſariò aliud ſecum eſſe, & eius ſimplicitatem, vt ibi patet.

SCHOLIVM III.

Reſoluit tranſubſtantiationem nulli creaturæ eſſe poſſibilem, & ſoluit rationes in contrarium. Vide eum in Oxon. num. 30.

15. *An creatura vt agēti principali poſſit conuerſio panis in corpus Chriſti conuenire.*

QVantùm ad ſecundum articulum, an illa actio, quæ ſit conuerſio panis in corpus Chriſti, poſſit alicui alteri, vt principali agenti conuenire. Videtur quòd ſic, quia quod conuenit Deo non per principium infinitum, poteſt conuenire creaturæ; ſed conuertere panem in corpus, conuenit Deo non per principium formaliter infinitum, vt per voluntatem, quæ non eſt formaliter infinita; igitur.

Arguitur quòd ſic primò.

Quia ſi ſic, tunc includeret omnem perfectionem vniuerſaliter Dei tam abſolutam, quàm relatiuam, & ita voluntas ſola eſſet pelagus aggregatum ex omnibus perfectionibus, quæ ſunt in Deo tā abſolutis, quàm reſpectiuis, quia illud aggregatum ex omnibus perfectionibus tam abſolutis quàm reſpectiuis, ſolùm eſt formaliter infinitum, ita quòd ſi relatio non eſſet ibi, non eſſet totalis, nec infinita perfectio formalis.

Secundò.

Item, agens naturale poteſt illas ſpecies rarefacere, & cauſare mixtionem aliorum cum illis, & illarum cum aliis, & per conſequens illas alterare, quia

* q.3.n.1. *Mixtio quid?* *mixtio eſt alteratorum vnio*, ex 1. diſt. 8.* ſed non poteſt mixtum generari, niſi alia ſubſtantia noua redeat; igitur per illam poteſt illa conuerſio fieri in ſubſtantiam non præexiſtentem.

16. *Reſolutio ſecundi articuli.*

Quantùm ad iſtum articulum, dico quòd actione nullius alterius, vt principalis agentis, poteſt illa conuerſio totalis fieri, quia à nullo agēte poteſt hæc cōuerſio principaliter fieri, niſi in cuius virtute actiua eſt totale *eſſe*, & *non eſſe* vtriuſque extremi; ſed hoc ſolùm contingit de virtute Dei actiua, & nullius creaturæ cuius eſt, hæc actio conuerſionis, vt principaliter agentis.

Item, ſi aliqua virtus creata poſſet ſic conuertere totum panem in totum corpus Chriſti, vel in non præexiſtens, vt nouam ſubſtantiam, pari ratione poſſet creare, quia in tali conuerſione totum producitur, ſicut in creatione: ſed non magis impedit creationem alicuius, quòd producatur totaliter poſt aliud, quàm ſi non produceretur poſt illud; nunc autem totum, in quod fit conuerſio, ſi produceretur, non poſt aliud conuerſum crearetur; igitur ſimiliter crearetur, ſi totum conuerteretur in totum poſt aliud.

17. *Ad primum in contrarium. Voluntas diuina eſt formaliter infinita.*

Ad primam rationem in contrarium, dico quòd voluntas eſt formaliter infinita in Deo. Cuius probatio eſt, quia Deus formaliter eſt beatus in actibus intellectus & voluntatis: non autem eſſet formaliter beatus in actibus intellectus, niſi comprehenderet totaliter obiectum beatificum, quod eſt eſſentia; ſed eſſentia ſua eſt formaliter infinita; igitur intellectus eius, & actus, quo totaliter comprehendit, eſt totaliter infinitus; ſed cùm voluntas eius amando comprehendat illud obiectum formaliter infinitum, ſicut intellectus intelligendo (aliter non eſſet voluntas eius beata, ſi totaliter non comprehenderet illud amando) ſequitur quòd voluntas erit formaliter infinita, & actus eius formaliter infinitus.

Ad probationem.

Ad probationem, dico quòd ſi non conueniret ſibi illud, non minùs eſſet infinita formaliter, nam relatio non eſt aliqua perfectio formalis, quia ſi ſic, eſſet aliqua perfectio formalis in vna perſona, quæ non eſſet in alia, quod non eſt verum. Et cùm dicis, quòd non eſt totalis perfectio in diuinis ſine relatione, dico quòd ſi accipias *totalitatem* pro integritate perfectionum omnium extenſiuè, verum eſt, & ſic eſt idem dicere, quòd niſi Deus haberet integrè perfectiones, quæ ſunt in eo, tàm abſolutas quàm relatiuas, non haberet totum quod eſt in eo. Si autem accipias *totalitatem* intenſiuè, ſic dico quòd quælibet perfectio eſſentialis in diuinis eſt totaliter infinita, vt voluntas & intellectus, & ſic de aliis: niſi enim quælibet talis perfectio eſſet in ſe intenſiuè totaliter, & formaliter infinita, ex omnibus ſimul tam eſſentialibus, quàm relatiuis, non fieret vnum infinitum; quia *finitum finito additum non facit niſi finitum*; nec relationes additæ aliquid faciunt maius, quia finitum additum infinito non facit maius intenſiuè, & per conſequens relatio addita perfectionibus eſſentialibus, non facit maius cum eis, quantùm ad infinitatem. Vel ergo omnia ibi ſimul aggregata ſunt finita, & per conſequēs relatio non facit infinitatem, vel aliquod illorum, cum quo etiam relatio non facit magis, cùm ſit finitum, vel non neceſſariò infinitum.

Relatio diuina non dicit aliquam perfectionem formaliter.

Qualibet perfectio in diuinis eſt infinita formaliter intenſiuè.

Finitum additum finito ſolum facit finitum.

Finitum additum infinito non facit maius intenſiuè.

18. *Ad ſecundū.*

* q.3.n.7.

Ad ſecundum dico ſicut priùs in præcedente diſtinctione *, quòd agens per alterationem corrumpens illas ſpecies, & inducens contrarias, nullo modo inducit ſubſtantiam; ſed Deus in fine alterationis ſub illis ſpeciebus ad quas agit alterans alterando, inducit conueniens ſubiectum per creationem: & ſimiliter ſi illæ ſpecies agant in aliud, corrumpendo qualitates eis contrarias, non tamen poſſunt generare ſubſtantiam, quia accidens non poteſt eſſe immediatum principium generandi ſubſtantiam. Eodem modo dico hîc, quòd cùm aliæ ſpecies miſcentur illis, aut illæ ſpecies vincunt, aut vincuntur, aut nec vincunt, nec vincuntur: ſed ſunt in quodam medio. Si vincunt, tunc dico, ſicut priùs dixi de agente corrumpente aliud. Si vincuntur, dico ſicut dictum eſt, quando aliud agens corrumpit illas ſpecies. Et eodem modo dicendum eſt, quòd mixtum generatur, quia in fine Deus creat ſubſtantiam conuenientem, & conformem illis accidentibus.

Creatura nequit generare ex ſpeciebus Euchariſticis.

SCHOLIVM IV.

Sententia D. Thomæ creaturam inſtrumentaliter concurrere poſſe ad tranſubſtantiationem. Probat, quia accidens, vt ſubſtantiæ inſtrumentum, producit ſubſtãtiam; ergo à fortiori poterit creatura tranſubſtantiare, vt inſtrumentum Dei. Antecedens patet, quia ſubſtantia non eſt immediatè actiua, & hoc probat dupliciter. Hanc refutat Doctor efficaciter, & perſpicuè probans etiam ſubſtantiam eſſe immediatè actiuam, de quo fuſius in Oxon. ànum. 54.

19. *Sententia D. Thomæ.*

QVantùm ad tertium articulũ, an actio conuerſionis poſſit competere alicui alteri, vt inſtrumẽtaliter agẽti? videtur quòd ſic, quia accidẽs poteſt eſſe principium generandi ſubſtantiã in virtute ſubſtantiæ; igitur eodem modo creatura in virtute Dei poteſt eſſe inſtrumentũ agendi actionẽ iſtã conuerſionis. Antecedens probatur ſic, quando aliqua ſunt eſſentialiter ordinata, plus diſtat tertium a primo quàm ſecundum, vt patet in pomo, vbi ſunt, ſubſtãtia, ſuperficies, & color, vbi magis diſtat color à ſubſtantia, quàm ſuperficies; ſed in creatura illa sũt eſſentialiter ordinata, *eſſentia*, *eſſe*, & *potentia*; igitur magis diſtat potentia ab eſſentia, vel non minùs quàm *eſſe* ab eſſentia; ſed *eſſe* realiter differt ab eſſentia; igitur & potentia; nulla igitur forma ſubſtantialis poteſt eſſe immediatum principium agendi, ſed per accidẽs, ſuperadditum, ſcilicet per potentiam: ergo.

Rationis D. Thomæ prima probatio.

Secunda. Ariſtot.

Item, ſecundò probatur idem antecedens ſic: Quandocũque ſunt duo actus ordinati, quorum vnus non includit alium, non reducuntur in idẽ principium. Patet per Philoſophum 2. de Anima text. 3; vbi vult quòd *actus diſtinguũtur per obiecta*, & per conſequens diuerſi actus reducuntur in diuerſa obiecta, ſicut in ſua principia; nũc autem abſtrahere à materia, & concernere materiam ſunt actus oppoſiti, quorum vnus non includit alium; animæ autem competit informare materiam, & dare ei *eſſe*, quia *eſt actus corporis organici*, &c. & hoc habet, vt concernit materiam; *intelligere* autem competit, vt abſtrahitur à materia, & vnum non includit aliud, quia in puero anima dat *eſſe* materiæ, & concernit illam vt corpus, non tamen eſt in illo vt principium actus intelligendi; igitur *intelligere* & dare *eſſe* materiæ, non reducuntur in idem principium; ſed anima ſecundùm ſuam eſſentiam dat *eſſe* materiæ; igitur ipſa ſic non erit principium actus intelligendi.

20. *Obiectio contra D. Thomam. Solutio.*

Et cùm arguitur contra eos, quòd quodlibet abſolutum poteſt ſeparari ab alio, & per conſequens, ſi principium intelligendi eſſet accidens abſolutum, ſuperadditum eſſentiæ animæ, poſſet ſeparari, & tunc per ſe intelligeret; Dicũt negando aſſumptum, quòd non quodlibet abſolutum poteſt ſeparari ab alio, quia paſſio non poteſt ſeparari à ſubiecto ſuo, & tamen eſt quoddam abſolutum, quia ſubiectum cadit in definitione eius.

Impugnatur ſolutio primò.

Contra iſtud vltimum arguo ſic: paſſio ſuperioris, licèt non ſit propria inferiori, tamen per ſe conuenit ei, etſi non primò; quia quæ per ſe, & primò inſunt ſuperiori, per ſe inſunt inferiori, licèt non primò. Patet in omnibus, de riſibilitate reſpectu hominis, & *habere tres* reſpectu trianguli; ſed quãtitas eſt propria paſſio ſubſtantiæ corporeæ in communi, & ſicut iſta in communi non poteſt eſſe ſine quantitate, nec alia ſubſtãtia corporea inferior, & in ſpeciali poterit eſſe ſine quantitate, & per conſequens ſubſtantia panis non poſſet eſſe ſine quantitate, nec e conuerſo quantitas ſine ſubſtantia, quod eſt contra articulum fideì in Euchariſtia.

Secundò.

Item, ſi ſubiectum non poteſt eſſe ſine propria paſſione hoc eſt propter aliquam neceſſitatem in ſubiecto reſpectu paſſionis, quæ neceſſitas reducitur ad aliquam cauſalitatem: iũc quæro quam cauſalitatem habet ſubiectum reſpectu ſuæ propriæ paſſionis? aut habet cauſalitatem cauſæ materialis, aut effectiuam reſpectu eius? Si habet cauſalitatem materiæ reſpectu eius, cùm potentia & cauſalitas materiæ ſit potentia contradictionis, ſequitur quòd ſubiectum erit in potentia contradictionis reſpectu ſuæ paſſionis, & per conſequens poteſt eſſe, & non eſſe ſine ea.

Si dicas quòd ſubiectum habet cauſalitatem effectiuam reſpectu ſuæ paſſionis, ſequitur propoſitum dupliciter, primò, quia tunc ſubſtantia, quæ eſt ſubiectum, erit immediatum principium effectiuum ſuæ paſſionis & accidentis. Vel oportebit ponere paſſionem ante paſſionem in infinitum. Secundò, quia omnem cauſalitatem cauſæ ſecundæ poteſt Deus ſupplere immediatè; igitur poteſt dare *eſſe* per ſe paſſioni, vt ſit ſine ſubiecto.

Tertiò.

Quod verò dicit ſubiectum cadere in definitione ſuæ paſſionis, & ideò paſſio non poteſt eſſe ſine eo, hoc non concludit, quia ex hoc ſequeretur quòd nullum accidens poſſit eſſe ſine ſubiecto, quia ſecundùm Philoſophum 7. *Metaphyſ. text.* .. in ratione vel definitione cuiuſlibet accidentis neceſſe eſt eſſe rationem ſubſtantiæ.

Ariſtot.

21. *Impugnat directè concluſionem D. Thomæ primo.*

Contra prædictam concluſionem, ſcilicet quòd forma ſubſtantialis poſſit eſſe principium immediatum operandi; arguitur ſic; Agens ſecundùm quòd agit, aſſimilat ſibi paſſum: ſed aſſimilat ſibi paſſum, ſecundùm formam ſubſtantialem; igitur per eam agit. Vel ſic; eo per ſe aliquid eſt agens, quo per ſe ſibi aſſimilat effectum; ſed generans inquantùm generans, per formam ſubſtantialem aſſimilat ſibi genitum; ergo eo eſt principium generandi ipſum.

Secundò.

Item, inſtrumentum eſt tantùm mouens, quia motum; igitur ſi accidens ſit inſtrumentum ſubſtantiæ in agẽndo, non erit principium producendi ſubſtantiam, niſi quia motum à ſubſtantia, tanquam à principali agente illius ſpeciei, & ita ſequitur propoſitum, quòd ſubſtantia ſit immediatum principium mouendi.

Et ſi arguatur contra eos, quòd ſubſtantia, & quiditas rei eſt primum obiectum motiuum intellectus; igitur ſubſtantia erit immediatum principium operandi. Dicunt quòd illa eſt motio obiectiua non realis, ſed intentionalis.

Contrà, illa motio eſt ad formam realem, quia licèt non ſit corporalis, eſt tamen realis, & nobilior, quia ſpiritualis & vèrius ens, quàm forma in corpore accidentalis; ergo eius eſt aliquod principium actiuum realẽ, non niſi ſubſtantia rei. Aut ſi dicas quòd phantaſmata, quæ ſunt accidentia, mouent in virtute ſubſtantiæ; hoc non poteſt dici de Angelo, qui intelligit ſe per eſſentiam ſuam, ita quòd eſſentia ſua vt obiectum immediatè mouet ad intellectionem ſui ipſius.

Ad

22. *Ad rationem D. Thomæ & eius primam probationem.*

Ad primam rationem dico quòd ſi *eſſe* ſit aliud ab eſſentia, tunc non eſt ille ordo eſſentialis, quia tunc priùs intelligitur compoſitum eſſe per ſe ens, & perfectum, quàm *eſſe* ſibi ſuperueniat; ſed in illo priori, in quo intelligitur aliquid eſſe perfectum in ſe, intelligitur poſſe habere propriam operationem; aliter enim non eſſet perfectum, & per conſequens tunc habet vnde poſſit eſſe per ſe principium operationis; ergo principium operationis præcedit *eſſe*, ſi *eſſe* ſit aliud ab eſſentia, & ita potentia eſt propinquius eſſentiæ, quàm *eſſe*, quod eſt contra rationem eius primam, & contra veritatem.

Exiſtentia non eſt aliud ab eſſentia.

Item, iſti concedunt quòd in virtute agentis naturalis, vel generantis, eſt *eſſe* ipſius geniti, quia impoſſibile eſt à termino generationis, ſeparare *eſſe* in actu: ſed per ſe terminus generationis eſt aliquid per ſe vnum; ergo *eſſe* ipſius geniti eſt vnum, & idem cum eſſentia ipſius.

23. *Ad ſecundam probationem.*

Ad aliud, quando arguitur quòd dare materiæ *eſſe*, vel concernere materiam, & abſtrahere ab ea in operando ſunt oppoſita, & ideò non poſſunt reduci in idem principium. Reſpondeo quòd illa ratio, ſi concluderet, probaret quòd nihil eſt principium effectiuum alicuius operationis, quia nihil poteſt eſſe principium operationis, & dare *eſſe* ſecundum, niſi det *eſſe* primum materiæ, vel ſubiecto: calor enim non eſt principium calefactionis in ligno, niſi priùs det *eſſe* ei calidum, & tamen vnus actus, vel vnum *eſſe* vt primum non includit aliud *eſſe*, vt *eſſe* ſecundum, vel ſecundum actum, quia poteſt eſſe ignis calidus, & tamen non calefacere; igitur ſecundùm illud dictum, vnum eſt principium actiuum in vniuerſo, quod eſt falſum, quia tunc vnum eſſet paſſiuum in vniuerſo, cùm ſibi inuicem correſpondeant. Dico igitur quòd illa propoſitio non eſt vniuerſaliter falſa, quia duo actus, quorum vnus eſt primus, & alius ſecundus, & quorum vnus dat *eſſe* primum, & alius dat *eſſe* ſecundum vniuerſaliter reducuntur in idem principium.

Si D. Thomæ ratio valeret concluderet nullam creaturam poſſe quicquam efficere.

Forma quæ dat actum ſecundum, dat etiam actum primum & è conuerſo.

Similiter eſt etiam falſa de duobus actibus ſecundis, reſpectu principij illimitati ad illos, quia duo actus ſecundi non includentes ſe mutuò, vt intelligere, & velle, & huiuſmodi, poſſunt eſſe ab eadem eſſentia animæ, quod eſt principium actiuum ad illos, & ad alios. Vnde iſta propoſitio nunquam eſt vera, niſi de duobus actibus primis. & tunc nihil ad propoſitum.

24. *Secunda ratio D. Thomæ.*

Additur ſecunda ratio: Creatura poteſt facere aliquam cognitionem de Deo: ſed hoc maius videtur quàm accidens producere ſubſtantiam, in virtute ſubſtantiæ, igitur.

Soluitur.

Reſpondeo quòd res extra intellectum, & actum eius vt cognitionem eius, habet *eſſe* ſimpliciter, & non ſecundùm *quid*, vt *eſſe* realiter exiſtens: in cognitione verò habet tantùm *eſſe* ſecundùm *quid*, vt *eſſe* diminutum, vel cognitum: modò dico quòd non ſequitur; aliquid habet virtutem actiuam reſpectu rei in *eſſe* diminuto, & ſecundùm *quid*: igitur habet virtutem reſpectu rei productæ in *eſſe* perfecto, & ſimpliciter; & per conſequens non valet, creatura poteſt facere cognitionem de Deo, quod eſt ſecundùm *quid*: igitur accidens poteſt producere ſubſtantiam extrà, quod eſt *eſſe* eius. Similiter non valet, accidens poteſt facere cognitionem de Deo, quæ eſt accidens in cognoſcente; igitur accidens poteſt facere ſubſtantiam; quia quodcunque accidens diſtat magis à Deo, quam quæcunque ſubſtantia, quæ eſt ens minùs perfectum: Sed nullo modo ſequitur, accidens poteſt facere cognitionem de Deo, quæ non excedit in perfectione perfectionem accidentis; igitur poteſt facere illud quod excedit perfectionem eius, vt ſubſtantiam.

Accidens produ.it cognitionem Dei, nullam tamen ſubſtantiam.

Quantùm ergo ad iſtum articulum, dico quòd nihil aliud à Deo poteſt propriè eſſe inſtrumentum reſpectu conuerſionis panis in corpus Chriſti, quia inſtrumentum, ſicut dixi *in prima quæſtione, huius 4.* * non accipitur niſi duobus modis, vel vt illud quod attingit immediatè effectum, vel finem principalis agentis, vt ſigillum figuram ceræ; & inſtrumentum iſto modo habet actionem ſuam immediatè circa effectum, & finem principalis agentis, in eodem inſtanti, in quo agens principale inducit quod intendit. Patet de ſigillo, quod in eodem inſtanti habet actionem ſibi propriam circa formam principaliter intentam, quando ſigillans vtitur eo, imprimens figuram eius intentam, & illo modo dico quòd verba conſecrationis circa panem, vel vinum, non ſunt inſtrumentum conuerſionis illorum in corpus Chriſti, quia quando verba ſunt, vt quando proferuntur, non eſt conuerſio facta, & quando eſt facta, non ſunt illa verba.

25.

* num. 9.

Creatura nequit eſſe inſtrumentum Phyſicum conuerſionis.

Inſtrumentum ſecundo modo dicitur, quia diſponit ad effectum, vel finem principalis agentis, vt alteratio ad finem, vel formam ſubſtantialem, quæ eſt terminus generationis, & dico quòd nec iſto ſecundo modo verba ſint inſtrumentum reſpectu conuerſionis, nec aliqua alia alteratio; quia non eſt alteratio præuia ad illam conuerſionem, cùm accidentia panis eòdem modo ſe habeant inalterata poſt conuerſionem, & ante: prolatio tamen verborum cum intentione debita miniſtri, poſſunt dici aliquo modo inſtrumentum conuerſionis de congruo, vt diſpoſitio neceſſitans ad conuerſionem, ſicut poteſt eſſe neceſſitas ex pacto, & ex ſtatuto diuino. Deus enim pepigit cum Eccleſia, quòd quicunque ſacerdos profert illa verba cum intentione debita, & aliis circumſtantiis requiſitis, faceret de congruo aliquid, ad quod infallibiliter, & neceſſariò ſequeretur ibi eſſe conuerſionem ſubſtantiarum in corpus & ſanguinem Chriſti. Vnde eodem modo dicendum eſt hîc ſicut ſuperiùs de Baptiſmo, & ſacramentorum efficacia in vniuerſali *.

26. *Quomodo prolatio verborum dicitur inſtrumentum Euchariſtiæ.*

* diſt. 1. q. 3. & 4.

Per dicta patet reſponſio ad primam & ſecundam rationem principalem, quæ non ſunt contra me, quia concludunt verum, quòd non actione de genere Actionis fiat conuerſio illa, quia talis actio fundatur in motu, & infert ex ſe paſſionem in paſſum.

27. *Ad argumenta primum & ſecundum.*

Ad Tertium.

Ad aliud, dico quòd in generatione non eſt totalis conuerſio totius in totum, ſed tantùm partialis, quia materia manet communis, & præſupponitur, ſicut in aliis motibus præſupponitur ens per ſe perfectum, & compoſitum, hîc autem eſt totalis conuerſio totius in totum.

Generatio eſt conuerſio partialis.

Ad quartũ.

Ad aliud, dico quòd licèt agens naturale formare poſſet corpus Chriſti ſub modo eſſendi naturali, & ſub modo eſſendi quantitatiuo, non tamen ſub modo eſſendi non naturali, vt modo non quantitatiuo, quomodo eſt in Euchariſtia, & tamen corpus ſuumeſt quantũ, ibi etiã exiſtens.

Ad vltimũ. Ad aliud dico, quòd in Sacerdote requiritur intentio debita in proferendo verba conſecrationis, quia proferre verba iſta ſacramentalia eſt actus humanus, qui neceſſariò requirit intentionem rectam, vel non contrariam. Et ſic concedo quòd aliqua actio requiritur in miniſtro, ad hoc quòd fiat conuerſio illa totius in totum; ſed modò non ſequitur: in miniſtro requiritur actio aliqua præuia, & neceſſariò ad conuerſionem; ergo in miniſtro eſt actio conuerſionis; non ſequitur, inquam, quia iſta actio eſt à ſolo Deo efficiente, vt dictum eſt, & nullo modo à miniſtro; vt ſuprà dictum eſt.

QVÆSTIO II.

Vtrùm quilibet Sacerdos proferendo verba ſacramentalia conſecrationis corporis cum intentione debita circa materiam conuenientem, poſſit conficere corpus Chriſti?

Alenſ.4.*part quæſt* 15 *memb.*4.5 *&* 6 D.Bonauent.*hic art.* 2.*quæſt.*1. Richard *art.*1 *quæſt.*1.D.Thom.*3 part quæſt.* 82. *art.*1. Ioan.2 *ibi diſp.*51 *ſect.*3 Bellarm. *lib* 4.*de Euchariſt.cap.*10. Vvaldenſ.*de ſacrament cap* 7 *&* 27.Scot. *in Oxon.hic quæſt.*2.

Arg primum affirm. QVòd non Malachiæ 2.*Maledicã benedictionibus veſtris*,& ſubditur:*Quis præualebit?*

Secundum. Item: *prima quæſt.*1. *cap. quod quidam*, dicitur quòd ſuſpenſo Sacerdote nulla ei relinquitur poteſtas.

Tertium. Item, ſi ſic, æqualiter valeret Miſſa malorum Sacerdotum,ſicut bonorũ:conſequens eſt falſũ.

Quartum. Item,lacus poteſt ſumere corpus Chriſti;igitur & conficere,quia magis eſt ſumere,quàm cõficere, quia vnum ordinatur ad aliud.

Item, Diaconus poteſt diſpenſare ſanguinem Chriſti, vt patet in vita beati Laurentij,dicentis beato Sixto, *Cui diſpenſationem Dominici ſanguinis tradidiſti*;ſed magis eſt diſpenſare,quàm conficere,& in Canone Diaconi & Subdiaconi,poſſunt diſpenſare.

Ratio prima oppoſita. Oppoſitum,*prima quæſt.*1.*cap. quod idẽ*,dicitur: *Qui non amittit baptiſmum,non amittit ius baptizandi*; ſed Ordo nõ poteſt tolli Sacerdotalis propter indelebilitatem characteris, ideò nec poteſtas conficiendi.

Secunda. Item,quòd non laïcis,*de conſecr.diſt.*2.*Prohibemus:* Vna opinio eſt, quòd Sacerdos degradatus non poteſt conficere, neque excommunicatus. Vnde dicitur quòd ſicut Epiſcopus impreſſit characterẽ,ita degradando poteſt auferre:ſed hoc eſt falſum,quia Epiſcopus eſt Miniſter in dando, non in auferendo. Vnde quòd Sacerdos non ſit de foro ſæculari, vel laïcali non eſt intrinſecum Ordini,ſed poſtea annexum.

SCHOLIVM.

Primum dictũ: Omnis & ſolus Sacerdos validè conficit:*probat ex Luc.*23.*& c.*firmiter *Secundum*; Nõ Sacerdos tentans conficere,irregularis fit:*c.*1. *&* 2.*de cler.non ord. ſed ignorantia facti excuſat: Vide Doctorem in Oxon.hic n.*10.*&* Scholiũ *ibidem.Tertiũ*; Ad licitè conficiẽdum, ex parte miniſtri requiritur primò quòd ſit ieiunus;*de quo ſuprà d.*8.*q.vlt. Quod autem ait de celebrandis duabus Miſſis in die Paſchatis, adhuc vigebat conſuetudo Miſſam ſabbati ſancti in nocte Paſchatis celebrandi. Vide S.Thom.hîc q.*1.*quæſtiunc.*4.*Secũdò,carẽtia culpæ mortalis,de quo d.*9 *q.vn.Tertiò;carẽtia pœnæCanonicæ,degradationis, ſuſpenſionis,interdicti,excommunicationis.Quartò:tẽpus debitum,ſcilicet non ante auroram,nec poſt nonam, & explicat quid ſit aurora,Vide eum in Oxon.à n.*18. *Quintò,requiritur locus ſacer,lumẽ,& ornamẽta.vide eum ibid.à n.*13.*&Scholium ibidẽ.celebrans tamẽ ſine requiſitis ex parte loci, & veſtis, non fit irregularis, niſi ſcienter celebret in loco interdicto, vel in calice inidoneo.Vide eum ibidem,num.*17.

Reſolutio quæſtionis. REſpondeo quòd iſta quæſtio vel poteſt quærere de potentia abſoluta Sacerdotis, vel de potẽtia eius ordinata. Primo modo de potẽtia abſoluta omnis Sacerdos, & ſolus Sacerdos cũ illis debitis circumſtãtiis poſitis in quæſtione poteſt cõficere corpus Chriſti,quia Chriſtus dixit Luc. 23 Sacerdotibus:*Hoc facite in meã commemorationem*.Et quòd laïcus non poſſit,patet 1.ad Cor.16. *Panis,quẽ nos frãgimus*,id eſt,Sacerdotes,&c.Patet igitur,quòd hoc eſt de Iure Euangelico,nõ ſolùm de Iure poſitiuo,& hoc expreſsè habetur *extrà de ſum.Trin.& fide Cath. c. Firmiter*,&c.*Nullus poteſt ſacrificium facere,niſi qui eſt ordinatus, & ſi attentat hoc facere, irregularis eſt*,extrà de Preſtytero non baptizato. Ad poteſtatem ordinatam Sacerdotis, & vt licitè hoc poſſit,requirũtur multa:aliqua ex parte miniſtri, aliqua ex parte loci, & aliqua ex parte temporis.Ex parte miniſtri requiritur amotio impedimentorum,& adiectio aliorum conuenientium.Primum impedimentum,ſi nõ ſit ieiunus.De ieiunio dictum eſt ſuprà *diſt.*8.*q.vlt.* Aliquando tamẽ neque eſt culpa,neque pœna, quia poteſt in die Paraſceues aſſumere corpus Chriſti, ita vt priùs intret ſtomachum vinum non conſecratum,quàm corpus Chriſti,(etenim illo die nõ conſecratur calix)etiam in die Paſchæ,&Natalis, poteſt bis vti, ſed non cenſetur non ieiunus pro prima.Ita communior opinio, licèt aliqui velint debere præcedere primam Miſſam ieiunium ſaltem ſex horarum.

Requiſita ad licitè conficiendum reducuntur ad tria.

Vide Gauent. in rubric. Miſſal.

Aliud impedimentum eſt culpa mortalis peccati.De illo habetur ſuprà *d.*9. de culpa Miniſtri.

Tertium impedimentum eſt pœna ſpiritualis Canonica,degradatio, ſuſpẽſio,interdictio,& excommunicatio maior.Iſta omnino impediunt libertatem exercẽdi officium, & poteſtatem ordinatam,licèt non poteſtatem abſolutam. Et ignorantia Iuris non excuſat Sacerdotem,quia in illis actibus,quos frequenter exercet, tenetur eſſe nõ ignarus Iuris.Si eſt ignorãtia facti,non craſſa,nõ affectata, omnino excuſat, vt habetur *Extra de Clerico excõmunicato,c. Apoſtolico*,& ponitur exẽplum in Gloſſa de vno, quem excommunicauit Epiſcopus per literam,qui ſi neſciuit,& tempore clauſæ literæ adminiſtrauit,omnino excuſatur.Si autem ſit excommunicatus excommunicatione minori,licèt miniſtrauit, nõ efficitur irregularis, licèt Gloſſa dicat in contrarium,quia vbi non exprimitur *irregularis*,non habent gloſſatores poteſtatẽ infligendi irregularitatẽ,ſed ſi eſt rumor,vel probabilis ſuſpicio,debet eligere partẽ tutiorem.

Ignorantia facti excuſat non iuris.

Requiritur etiam ex parte Miniſtri appoſitio conuenientium,ſcilicet ornamentorum,vt habetur *de conſecr.diſt.* 1. *veſtimenta*, dicitur ibi quòd veſtimẽta Eccleſiæ, quibus Deo miniſtratur.debẽt eſſe ſacrata,& honeſta,quibus in aliis vſibus non debent vti,quàm in Eccleſiaſticis,&Deo dignis

Celebrans in excommunicatione minori non fit irregularis.

gnis officiis. Quæ autem ſunt hæc veſtimẽta exponit Innoc.de offic.Miſſæ part. 2.cap.10.*Sunt*, inquit,*ſex indumenta communia Epiſcopis, & Presbyteris,ſcilicet Amictus, Alba,Cingulũ,Stola, Manipulus,& Planeta*, In quibuſdam tamen locis conſuetudo obtinuit quòd non oportet cingulum benedici,& ſic non apparet quòd non liceat vti cingulo non benedicto.De hora,ſciendum quòd in die Natalis Domini licet celebrare ante auroram ; ſed non in alio die. In aurora tamen licet, hoc eſt ante ortum Solis ſuper hemiſphærium noſtrum per vnam horam æqualem, & quintam partem alterius.Nam aurora incipit Sole exiſtẽte ſub horizõte,per 18.gradus, qui sũt hora vna, & quinta pars vnius horæ.Nam eleuatio 15.graduum de Æquinoctiali eſt vna hora æqualis, deinde tres gradus ſunt quinta pars vnius. Iſtud patet per Gerardum Cremonenſem *lib.de crepuſculis*.Et cauendum eſt ne ante auroram celebretur.Et poteſt celebrare vſque ad nonã. Et debet habere reſpondentem ſibi,*Amen*,pro tota Eccleſia,ſicut ipſe orat pro tota.

Sex requiruntur ad celebrandum Epiſcopis & presbyteris communia.

Quando incipit aurora.

Locus duplex Ad celebrationem requiritur locus conſecratus, & non interdictus.

Ex parte loci poſſumus diſtinguere locum in locũ propriè dictũ, & in vas,quod eſt locus mobilis ſecundùm Ariſtotẽlem 4.*Phyſ.text.* 41. Ex parte loci propriè dicti requiritur amotio impedimenti, ſcilicet quòd locus non ſit interdictus, & requiritur appoſitio conuenientis diſpoſitionis,ſcilicet quòd ſit ſanctificatus. Primũ eſt ſimpliciter neceſſárium,quia celebrãs in loco interdicto facit cõtra prohibitionem Eccleſiæ, & per conſequens non ordinatè:ſecundum eſt neceſſárium,niſi caſus neceſſitatis occurrat, & probatur per illud de Conſecrat.diſt.1.ſicut.vbi dicitur,*non in aliis quàm Domino conſecratis locis,id eſt tabernaculis à Pontificibus delibutis, Miſſas cantare, ac celebrare licet*.Item patet capitulo ſequenti vbi dicitur, *Nullus Presbyter Miſſas celebrare præſumat, niſi conſecratis ab Epiſcopis*.Sed exceptio illa de caſu neceſſitatis patet eadẽ d.cap.*Concedimus*.Iſtius etiam loci requiritur ornatus,ſcilicet lumen, vt dicitur *Extra, de celebratione Miſſæ cap.vlt.*de eo, qui ſine igne & aqua ſanctificabat, & ſequitur, *Mandamus quòd officio,& beneficio ipſum priues perpetuò*. De loco autem mobili,ſiue vaſe,diſtinguo quòd vas remotum eſt altare quod debet eſſe lapideum *de conſecr.d.*1. Vaſa propinqua ſunt calix & patena,quæ debent eſſe de auro, vel argento, vel vbi paupertas cogit ad minus de ſtanno,ſicut habetur de conſecr.diſt 1.*calix eſſe*.

Quandoque licèt celebrare in loco non conſecrato.

Ad primum principale.

Ad primum principale, patet reſponſio in litera, quòd Deus maledicit benedictionibus malorũ, inquantùm mali ſunt,vnde benedictio reddit ſibi ipſi maledictionem:tamen efficaciam benedictionis habet reſpectu alterius ; vel hoc eſt intelligendum, quando mali adulando benedicunt malis.

Ad ſecundũ.

Ad aliud,quòd ſumere corpus Chriſti,eſt maioris fructus quantùm ad vtilitatem, quàm conficere,tamen non eſt maioris poteſtatis.

Ad tertium.

Ad aliud de Laurentio, & Sixto,quòd ſi nunc ſanguis eſſet diſpenſandus regulariter omnibus, poſſent Diaconi diſpenſare : quia diſpenſando ſanguinem non tangunt,niſi calicem:ideò minus eſt quàm diſpenſare corpus Chriſti.Nunc autem non diſpenſatur propter periculum effuſionis,& propter ſcandalum ; ne ſimplices crederent maiores virtutes eſſe in duabus ſpeciebus,quàm in vna;ſed poſſet diſpenſari ſanguis, licèt non celebraret.

Ad aliud,quòd in duobus caſibus poteſt Diaconus diſpenſare corpus Chriſti, & tangere : vt quando præcipitur ſibi ab Epiſcopo,vel Preſbytero; qui non poſſunt ad hoc accedere: Vel aliquo exiſtente in periculo mortis abſente Sacerdote:ſed laïcus ex nulla neceſſitate poteſt tangere corpus Chriſti in quocunque caſu.

Ad quartum.

Ad aliud ad oppoſitum patet.

DISTINCTIO XIV.

De ſacramento, & virtute Pœnitentia.

QVÆSTIO I.

Vtrùm ad deletionem peccati mortalis, actualis requiratur neceſſariò pœnitentia?

Alenſ 4 *part quæſt 57 memb.1 &* 2 D.Bonauent *hic 2.part art.2 quæſt.3.*Richard.*art 1 quæſt.1.* D.Thom. *quæſt 2. art.1.& 3.part.quæſt 86 art 2.* Suar *tom 4 diſp.9 ſect.1. &* 2.Scot.*in Oxon hic quæſt 1.*

AQuitur quòd nõ,quia ad deletionẽ eius nõ requiritur pœnitẽtia, quod deletur ſine pœnitẽtia;talis eſt culpa mortalis actualis, quia ſtatim ceſſat ceſſante actu;igitur,&c. 1. *Primum argumentum negatiuum.*

Itẽ,homo offenſus alteri poteſt remittere offẽſam abſque hoc, quòd offendens pœniteat;igitur ſimiliter Deus,cùm ſit miſericordiſſimus. *Secundum.*

Item,quòd non ſolũ nõ ſit neceſſaria,ſed quòd non valeat ad relaxationem peccati mortalis, videtur per Auguſtinũ in hom.ſuper illud Matth.5. *Eſtote miſericordes*,loquẽs de dãnatis poſt finẽ mũdi,dicit quòd*Tũc erit pœnitẽtia,ſed infructuoſa*;ergo pœnitentia nõ ſemper valet ad deletionẽ peccati. *Tertium.* Auguſt.

Si dicas,imò quamdiu homo eſt in via,& loco merendi, valet, ſed non damnatis poſt mortem, Contra hoc eſt illud Hieronymi *de pœnit. d.* 3. & ponitur in litera ; *Iudæ non valuit pœnitentia, per quam ſcelus emendare non potuit*. *Obiectio diluitur.* Hie ioLym.

Item;illud,per quod deletur peccatũ mortale, oportet quòd ſit maius bonũ,vel ſaltẽ æquale in bonitate,quantũ eſt peccatũ in malitia,ſed malũ, quo offenditur Deus in peccato,eſt infinitũ quia ſecundùm Anſelmum, Cur Deus homo.*Tantum eſt malum in peccato,quantum eſt bonum,quod offenditur per ipſum* : quod conſtat eſſe infinitum, quia Deus : Pœnitentia non eſt bonum infinitum;igitur nõ eſt neceſſaria ad deletionem mali infiniti. *Quartum.* Anſelm.

Contrà,Hieronymus epiſt.2.ad Demetriad.& ponitur in litera, *Pœnitentia eſt ſecunda tabula poſt naufragium* : ſicut tota nauis eſt prima tabula ſaluãs hominem in mari, & pelago tentationis huius vitæ, à naufragio ipſius per peccatũ mortale, ita poſt naufragium,ſecunda tabula nauis, qua vitatur naufragium eſt pœnitentia:igitur pœnitentia eſt neceſſaria naufrago ad ſalutem. 2. *Ratio prima ad oppoſitum.*

Itẽ,quòd pœnitentia valeat,probatur per illud Ezechielis.*Si impius conuerſus fuerit à via ſua mala & egerit pœnitentiam,vita viuet & non morietur*. *Secunda.*

Item,Matth.3.*Pœnitentiam agite*,&c. *Tertia.*

Item,quòd ſit neceſſaria, & quòd ſine pœnitentia non remittatur peccatum ; probatur per dictum Saluatoris,Lucæ 13.*Niſi pœnitentiam egeritis,ſimul omnes peribitis*. Matth.3. *Quarta.*

SCHOLIVM I.

Poſita explicatione iuſtitiæ actualis, & habitualis, & duplicis iniuſtitiæ his oppoſitæ, reſoluit peccatum habituale non eſſe aliquid reale derelictum ex actu; & præter actum nihil remanere, quod verum eſt. Manet tamen ipſe actus moraliter donec remittatur, & ſic manens, eſt peccatum habituale. Quod verò hæc ſit mens eius, patet; quia d. 21. q. 1. ait ſecundùm Sanctos remiſſionem culpæ diſtingui a remiſſione pœnæ. Vide pro hoc ſcholium hîc ad n. 6. vbi oſtenditur hanc eſſe mentem Doctoris.

3. *Quatuor notanda.*

REſpondeo ad quæſtionem: vbi quatuor ſunt notanda. Primò, quid ſit illud, à quo quis dicitur peccator, ceſſante actu peccandi: quia non ſemper actus manet, dum aliquis dicitur peccator. Si enim nihil remaneret in eo, à quo poſſit dici peccator, ita poſſet dici innocens, qui peccat, ſicut ille, qui non peccauit, & tunc non magis eſſet pœnitentia neceſſaria iſti, quàm alij, quod eſt abſurdum.

Quid ſit peccatum.

Secundò, videndum eſt quomodo illud, quod ſic in peccatore remanet poſt actum, ſe habeat ad pœnitentiam. Tertiò videndum eſt quomodo ſe habeat ad pœnam? Quartò, ad quam pœnam ſe habet, ad hoc quòd deleatur.

Anſelmus.

De primo, ſciendum quòd peccatum ſecundùm Anſelmum de Conceptu virginali c. 4. *eſt formaliter iniuſtitia, ſiue priuatio, & carentia iuſtitiæ debitæ, quæ ſibi deberet ineſſe.* Iuſtitia verò duplex eſt, vna habitualis, vt charitas; alia actualis, vt bona operatio elicita ſecundùm eã, & recta. Non ſolùm enim dicitur aliquis iuſtus, quia habet habitum iuſtitiæ, quia ſic exiſtés in charitate, & ſemper dormiens, tantùm eſſet iuſtus, ſed quia operatur conformiter inclinationi ſuæ, & regulæ rationis rectæ, quæ eſt regula in actibus humanis.

Iuſtitia & Iniuſtitia tam habitualis quam actualis explicatur.

Ratio recta eſt regula actionum humanarum.

Nam vnumquodque eſt bonum & rectum, quãdo conformatur ſuæ regulæ; & quoniam idem eſt ſuſceptiuum, contrariorum, & toties dicitur vnum contrariorum, quoties & reliquum. Ideò dicitur iniuſtitia dupliciter: vno modo iniuſtitia habitualis, quæ eſt carentia iuſtitiæ habitualis. Alio modo dicitur iniuſtitia actualis, quæ eſt carentia & priuatio operationis iuſtæ, vt quando elicitur contra inclinationem habitus iuſtitiæ, quæ eſt regula ſua, & contra rectam rationem. Iniuſtitiam igitur actualem poſſumus vocare peccatum actuale, Iniuſtitiam habitualem peccatum habituale.

Peccatum habituale non eſt priuatio gratiæ ſolùm.

Non poteſt autem quis dici maior peccator propter iniuſtitiam habitualem, vt propter priuationem, & carentiam gratiæ, vel charitatis, quia hæc carentia, vel priuatio non eſt magis, nec intenſiuè, nec extenſiuè in vno peccatore, quàm in alio, propter quam diceretur ille maior peccator, quàm alius: non magis intenſiuè, quia ita priuatur vnus iuſtitia oppoſita ſolùm vni peccato mortali, ſicut alius mille peccatis mortalibus, & ita damnatur pro vno ſicut pro mille. Nec magis extenſiuè, quia tota gratia ita aufertur per vnum, ſicut per omnia.

Non ſolùm igitur dicitur quis peccator à priuatione gratiæ, quia vnus eſt maior peccator alio, & dicitur magis facinoroſus & alius minùs; ſed propter aliud in eo, à quo quis dicitur eſſe peccator.

Item, non poteſt eſſe, vt dictum eſt, priuatio rectitudinis iuſtitiæ habitualis, nec priuatio rectitudinis iuſtitiæ actualis, vt operationis iuſtæ, quia illa deſinit eſſe deſinente actu, & operatione iſta.

Reſponſio aliorum.

Et ſi dicas quòd diceretur peccator ex aliqua diſpoſitione relicta in anima, ex operibus iniuſtis & difformibus ſuæ regulæ, & rationi rectæ.

Impugnatur.

Contrà, illa diſpoſitio inducta, & relicta ex actibus deſinit deſinente actu, niſi firmetur ex actibus ſequentibus eam, vt fiat habitus, & per conſequens, ſi aliquis diceretur eſſe peccator ex tali diſpoſitione, iſta deſinente deſineret eſſe peccator ſine quocunque actu pœnitentiæ.

4. *Sententia D. Thomæ.*

Vnde igitur quis eſt peccator? Reſpondeo, vno modo poteſt dici quòd licèt in anima quæ peccauit, ceſſante actu peccati non remaneat aliqua macula, remanet tamen reatus peccati, ex peccato commiſſo, qui eſt obligatio ad talem pœnam infligendam debitam tali peccato, qualem Deus vult pro illa inflígi, & iſta obligatio pœnæ infligendæ ſibi pro peccato eſt relatio realis fundata ſuper animam obligatam ad ſolutionem huius pœnæ, & non fundatur ſuper actũ peccandi, licèt actus peccandi ſit quoddam præuium illi obligationi pœnæ infligendæ, non tamen fundamentum eius, ſicut dictum eſt aliàs * de paternitate, quòd non fundatur ſuper actum generandi, ſed ſuper eſſentiam immediatè, licèt actus generandi ſit quædam diſpoſitio præuia ad relationem paternitatis. Ita hîc actus peccandi eſt quædam diſpoſitio præuia, ad quam ſequitur relatio obligationis ad pœnam infligendam debitam peccato, quod commiſit contra legem diuinam iuſtam, & per talem pœnam ſibi infligendam pro peccato, quæ dicitur pœnitentia, abſoluitur quicunque à reatu, & obligatione pœnali pro peccato priùs commiſſo.

* In. 2. d. 31. q. 3.

5. *Reiicitur primò.*

Contrà, Iſta obligatio ad ſoluendum pœnam debitam pro peccato non eſt relatio realis, & poſito quòd eſſet realis, adhuc non diceretur ab ea aliquis peccator. Primum oſtenditur ſic: illa non eſt relatio realis intrinſecùs aduenies, quæ non ſequitur naturam extremorum; ſed iſta obligatio ad pœnam infligendam, non ſequitur naturam extremorum. Patet, quia anima eadem manente, & Deo, ſeu pœna eodem modo ſe habente, non propter hoc anima eodem modo eſt obligata ad pœnam, quia non ante peccatum.

Quòd ſi ſit relatio extrinſecùs aduenies, neceſſe eſt ſibi dare cauſam, per quam aduenial, extremis iam poſitis, ſicut de *vbi*, & cæteris. Non enim poteſt eſſe reſpectus realis non ſequens extrema poſita, quin ſibi vt termino, reſpondeat aliqua actio realis: ſed iſtius obligationis non poteſt dari actio realis, nec agens reale; non enim anima, quia tunc anima peccando haberet duplicem actum, vel actionem, poſitiuam ſcilicet, & priuatiuam, vnam ſcilicet velle, & alteram aliquid iniuſtè velle. Nec illa obligatio cauſatur à Deo. Patet de ſe.

Confirmatur.

Confirmatur. Illud quod non conuenit alicui, niſi quia eſt volitum, vel cognitum ab eo, non ponit aliquid reale in ipſo; ed iſta obligatio non eſt niſi ordinatio diuina alicuius peccatoris ad pœnam ſibi infligendam pro peccato, & talem pœnam pro tali peccato in *eſſe* cognito, & volito; igitur non eſt aliquid reale in ipſo obligato; ſicut nec eſſe volitum ponit aliquid in re volita.

Secundò.

Secundum oſtenditur ſic: ſcilicet poſito quòd illa obligatio eſſet realiter relatio, adhuc non diceretur ex ea quis peccator, quia tunc eſſet aliquid

quid poſitiuum & à Deo; ſed à nullo creato: à Deo dicitur quis peccator, igitur.

6. *Deciſio primi articuli.*

Quantùm ad primum articulum reſpondeo per ſimile, & per auctoritatem, & exemplum. Per ſimile ſic. Etſi per opera meritoria non ſemper augeretur gratia in merente, ſicut poſſibile eſt ſi merita ſint remiſſa, vel etiamſi eſſent intenſa, tamen ille qui plura merita habuit tranſeuntibus interioribus & exterioribus, eſt magis meritus, & magis iuſtus, quàm alius, in acceptatione diuina: tantum enim eſt quiſque iuſtus, quantum eſt iuſtus in acceptatione diuina, & ideò tantus eſt in iuſtitia, ad quantam gloriam Deus ordinat eum pro meritis ſuis. Poteſt igitur dici, talis bonus mereturi (ſi liceat ſic loqui) non propter aliquam relationem realem, vel aliquid poſitiuum in eo nunc magis quàm priùs, ſed ſolùm ex acceptatione voluntatis diuinæ ordinantis ipſum ad tantam gloriam, pro tantis meritis. Et iſta acceptatio non ponit in acceptato niſi tantùm relationem rationis. Sic in propoſito, ordinatio peccatoris ad talem, & tantã pœnam ſibi infligẽdam pro tanta & tali culpa, eſt relatio rationis in ipſo ad illam. Hoc ſecundò confirmatur per auctoritatem Auguſtini. Ait enim quòd etſi frequenter dicatur Deus obliuiſci peccatorem, & auertere faciem ab eo & c. vt patet in Pſalm. 5. 1. nunquam tamen eum ſimpliciter obliuiſcitur & dicitur reconciliari peccatori, quando tollit illam ordinationem ad tantam pœnam, quantam ſtatuit antequam peccator pœnituit. Auguſtinus in enarratione 2. ſuper illud Pſalm. 31. *Beati quorum tecta ſũt peccata* dicit: *Deum videre peccata eſt ea ad pœnã imputare; & ipſa eſſe tecta, eſt ipſa eſſe totaliter remiſſa, nec ad pœnam vlteriorẽ pro eis infligendã ordinata.*

Quando per actus meritorios non augetur gratia, in merente manet tantum relatio rationis.

Quomodo peccata Deo tegantur?

7. Tertiò ad hoc eſt exemplum in actibus humanis. Si enim aliquis offenderet Regem, & faceret aliquid pro quo eſſet reus mortis, obligaretur ad talem pœnam perſoluendam, vel ſuſtinendam pro tali delicto, nec tamen iſtud poneret in offendente aliquid poſitiuum reale, puta relationem realem ceſſante actu, ſed tantùm relationem rationis ad pœnam talem. Eodem modo in propoſito, ceſſante actu peccandi, non remanet in anima aliquid poſitiuum reale, quod priùs non fuit, à quo dicatur quis peccator; nec etiam priuatiuum, vt priùs dictum eſt; ſed tantùm quædam relatio rationis, vt abiectio ipſius ab acceptatione voluntatis diuinæ ad gloriam, & obligatio per conſequens ad talem pœnam ſibi infligendam pro peccato, quantam Deus pro iuſtitia ſua ordinauit illi infligi.

Ceſſante actu peccaminoſo nihil permanet in peccatore niſi relatio rationis.

SCHOLIVM II.

Peccatum regulariter deleri per pœnam, conſtat ex authoritatibus ad oppoſitum. Vide Scotum in Oxon. hic num. 8. Quoad tertium art. declarat pœnam deletiuam peccati eſſe voluntariam, & ideò pœna damnatorũ non purgat, ſed tãtùm vindicat. Vide Scot. ibid. n. 10.

8. *Deciſio ſecundi articuli.*

QVantùm ad ſecundum articulum, quomodo ſcilicet peccatum ſe habeat ad pœnam: Dico quòd hæc eſt vniuerſalis regula Iuris diuini, quòd omnem culpam oportet ordinari per pœnam, quia omnis culpa eſt offenſiua Dei, quia mandato, vel præcepto eius contempto offenditur, & iraſcitur. Ira autem Dei, & voluntas vindicandi eſt voluntas puniendi, & infligendi pœnam correſpondentem peccato; ergo à primo, cùm voluntas diuina ſit regula, & origo iuſtitiæ, omnis culpa ordinatur per pœnam; ſed diuerſimode; nam aliquando pœna non tollit culpam, quam tamen ordinat, vt in damnatis, & tamen melior eſt ibi malus cum pœna, quàm ſine pœna, quia magis apparet ex hoc iuſtitia, quàm ſi eſſet ſine pœna, ex quo enim continuè peccant, continuè puniuntur.

Quomodo Deus dicitur iraſci.

Aliqua autem pœna ita ordinat culpam, quòd omninò tollit eam, vt in electis, & prædeſtinatis, nunc peccantibus in via; ex quo enim Deus aliquem prædeſtinat, ordinat ad gloriam ipſum peccantem, & ab iſta ordinatione ad gloriam, cadentẽ ordinat per pœnam, & ipſa ſoluta reconciliat eum in amicitiam priſtinam &c. Aliqua igitur culpa tollitur per pœnam; vt in omnibus electis, & prædeſtinatis, aliqua non, vt in damnatis; & tamen culpa ordinatur per pœnam, etiam in eis, & hoc ſatis poſſibile eſt, quia aliquis poteſt iuſtè ſemper punire alium pro peccato continuo, & tamen nõ reconciliare eum ſibi vt amicum recõciliare.

Prna tollit culpam quandoque, non ſemper.

Quantùm ad tertium articulum, qualiter ſcilicet debet eſſe pœna, per quam debet tolli & ordinari peccatum & culpa? Dico quòd debet eſſe voluntarie aſſumpta, quia omnis pœna, quæ non tollit peccatum, nec reconciliat peccantem illi, in quem peccauit, tantùm ſuſtinetur inuitè, & ordinat culpam. Patet in damnatis, quo modo iuſtè à Deo pœna continuè inflicta inuoluntariè ſuſtinetur, quia ſicut continuant culpam, ita pœnæ continuè inflictæ remurmurant; tanquam ſimpliciter inuoluntaria, ſunt enim impœnitiui, quia *eorum ſuperbia aſcendit ſemper* Pſal. 73. ideò in eis pœna non purgat culpã. In viatoribus autem pœnitentibus eſt pœna diſplicentiæ voluntariè aſſumpta, & ideò eis iuſtè culpa remittenda.

9. *Reſolutio articuli tertij. Quæ pœnitẽtia tollit peccatum.*

Peccatum regulariter per pœnitentiam voluntariam & non aliter remittitur.

Tunc arguitur ſic: per aliquam pœnam ordinantem culpam, tollitur culpa; patet ex articulo præcedenti: non per pœnam inuoluntariè toleratam, igitur per pœnitentiam voluntariè toleratam: ſed toleratio pœnæ voluntaria eſt pœnitentia, quia ſecũdùm Auguſtinum hoc ipſum vocabulum *pœnitere* eſt idem, quod *pœnam tenere*, & hoc idem eſt quod in ſe ipſo voluntariè pro culpa pœnam habere: igitur ipſa voluntariè aſſumpta valet ad deletionem: & illo modo pœnitere eſt iuſtum pro omni tempore, etiam de lege naturæ, quia quilibet pro ſtatu quocunque tenetur in ſe habere diſplicentiam pro offenſa Dei, quam conſequitur aliquis pro peccato aliquo.

Probatur.

Aug. epiſt. 118. in fine.

SCHOLIVM III.

Ponit duos modos dicendi de pœna purgatiua peccati. Primus, quòd pœna illa eſt informis, id eſt, ſine charitate, quæ eſt forma virtutum; ſufficit tamen vt infundatur gratia. Non vult tamen hanc pœnam haberi ſine auxilio gratiæ, de quo vide in Oxon. ſcholium hic poſitum ad num. 14. vbi oſtenditur ex variis locis ipſius ipſum poſuiſſe neceſſitatem gratiæ ad pœnitentiam fructuoſam, ſeu deletiuam peccati, & iuxta ibi dicta exponendus eſt Doctor hic. Addo dictis ibi, quod habet 3. diſt. 1. q. 1. report. ad quintum quod natura non poteſt ſe diſponere, vt Deus de congruo det ei gratiam. & 2. diſt. 6. n. 8. report. docet quòd ante gratiã iuſtificãtẽ in adultis, requiritur motus gratiæ præcedẽs. Neceſſe eſt (*inquit*) quòd in iuſtificatione impij primò immediatè à Deo infundatur gratia gratis data.

10. *Reſolutio quarti articuli.*

QVantùm ad quartum articulum, qualis debeat eſſe pœnitentia pro delicto? informis vel

vel formata & quæ ſufficiat ad deletionem culpæ cõmiſſæ: eſt dubium. Si enim eſt informis, nõ valet ad amotionem eius ſufficientẽ; ſi ſit formata, igitur priùs ineſt ei charitas, quæ eſt forma cuiuſlibet virtutis, & per conſequẽs, cùm per charitatem fiat quilibet Dei amicus, priùs eſt reconciliatus, & amicus eius, quàm per pœnitentiam puniatur pro delicto.

11. *Quid ſit triſtitia?*

Dico quòd peccator in puris naturalibus ſuis poteſt conſiderare ſua peccata, vt Dei offenſiua, quia cõtra præcepta, & leges, & ita ea nolle fuiſſe; & ex hoc poteſt de illis habere diſplicentiam vehementẽ, quæ eſt pœna interior, quia triſtitia. *Triſtitia enim eſt de illis, quæ nobis noĩtibus accidunt*, & dicitur formaliter pœna, eſt autẽ in ſe formaliter paſſio, & inuoluntaria, quia nullus eligit cõtriſtari, quando actu contriſtatur; dicitur etiã voluntaria, quia à voluntate ipſa dependet in *eſſe* conſecutiuè, & volitiuè cũ deteſtatione peccati, iã cõmiſſi, & iſta pœnitentia eſt informis, nõ formata; poſſumus igitur loqui de pœnitentia præcedente remiſſionem culpæ, & hæc eſt informis, quia omnis pœnitentia præcedens remiſſionem peccati eſt informis; quia præcedit gratiam: omnis autem pœna præcedens gratiam eſt informis, quia gratia eſt forma cuiuslibet virtuoſi operis: igitur omnis pœnitentia præcedens remiſſionem peccati eſt informis.

Pœnitentia informis & formata quæ?

12. *Charitas eſt forma cuiuslibet virtutis.*

Pœnitentia tamẽ conſequens remiſſionẽ peccati eſt formata, quia acceptãs Deus actum pœnitentiæ voluntariè toleratæ, vt diſpoſitionem de congruo ad gratiã, in vltimo inſtanti dat gratiã, & remittit peccatum: & poteſt aliquis ſine gratia habere illũ actũ præcedentẽ pœnitentiã formatã, & remiſſionem peccati, vt attritionem; ſed nullo modo contritionem, & actũ pœnitentiæ formatæ, quæ conſequitur remiſſionem culpæ, & infuſionem gratiæ, quia attritio, ſi continuetur vſque ad certũ tẽpus, vel certũ inſtans, Deus in illo inſtanti infundẽdo gratiam, facit de illa attritione contritionem, & per conſequens pœnitentiam formatam; quia vt præcedens infuſionem gratiæ, eſt diſpoſitio immediatè de congruo ad eam; ita in illo inſtanti infuſionis gratiæ fit forma, & per conſequens ſi aliqua pœnitentia requiritur poſt remiſſionem culpæ, illa eſt formata.

Quomodo attritio fit contritio.

13. Sed ſi ſit aliqua talis pœnitentia conſequẽs remiſſionẽ culpæ neceſſariò requiſita ad hoc quòd ſit formata, dubito: poſſibile enim eſt in vltimo inſtãti infuſionis gratiæ, & remiſſionis culpæ ceſſare ab omni actu intellectus, & voluntatis totaliter, & conſtat quòd tunc nõ ſequitur eã neceſſariò: poſſibile tamẽ eſt pòſt elicere actum indifferentẽ, ſiue impertinẽtem: vel poſſibile eſt quòd ponet obicem infuſioni gratiæ eliciendo actum contrarium. Omnibus iſtis modis non eſt neceſſarium quòd ſequatur actus pœnitentiæ remiſſionem peccatorum, & infuſionem gratiæ.

14. *Quomodo actus meritorius eſt immediata diſpoſitio ad gloriã.*

Exẽplum huius eſt: ſi aliquis in vltimo inſtanti mortis eliceret bonũ actũ, ita quòd poſt illud inſtãs non poſſet in alium; per actum illũ non meretur gratiã, quia ampliùs nõ eſſet viator ad gratiã, ſed ad gloriã, & ille actus meritorius erit tũc diſpoſitio immediata ad gloriã, ſicut credo quòd frequenter Deus non auget homini gratiam per aliqua merita ſua, ſed auget gratiam ſuã in pũcto mortis. ſaluando retributionem augmentationis eius ex meritis, vſque ad illud inſtans; vel volens iſta merita eſſe immediatam diſpoſitionem ad gloriam; & ſecundùm hoc oporteret dicere quòd remiſſio culpæ poſſet eſſe ſine contritione, cum ſola attritione. Sed contritio, vt eſt actus pœnitentiæ, ſequitur remiſſionem culpæ, vel poſſet dici quòd idem actus eſt in *eſſe* naturæ, qui præcedit remiſſionem peccati, & ſequitur; ſed vt præcedit, dicitur attritio; vt verò ſequitur, & continuatur vſque ad inſtans infuſionis gratiæ, dicitur contritio, & ſic vt præcedit, poteſt dici pœnitentia informis, vt ſequitur pœnitentia formata.

Quomodo idem actus in eſſe naturæ poteſt dici attritio & contritio.

Ad primum argumentũ principale patet reſponſio, quid remanet in anima delendũ per pœnitẽtiam, quia ſola obligatio ad ſolutionẽ pœnæ.

15. *Ad principale.*

Ad ſecundum: concedo quòd Deus poſſet de potentia abſoluta remittere culpã ſine pœnitentia, vel pœna quacunque, quia vnum non eſt de eſſentia alterius; & hoc concludit argumentum: ſed non de potentia ordinata, quia ſecundùm legem iuſtitiæ ſuæ, & potentiæ ordinatæ, per eam ſtatuit omnem culpam ordinari per pœnam & pœnitentiam, & non aliter.

Ad ſecũdum

De potentia Dei abſoluta peccatum poteſt remitti ſine vlla pœnitentia.

Ad tertium, dico quòd quia in dãnatis non eſt pœna voluntariè tolerata, ideò in eis nõ eſt propriè pœnitentia, quia ſi poſſent, libentiſſimè illã pœnam abiicerent, *pœnitentia verò eſt voluntaria pœnæ tentio.* Quid autem de pœnitentia Iudæ? Reſpondeo quòd pœnitentia eius non fuit ſufficiens, quia non circumſtantiata circumſtantia finis, quæ principaliter ad actũ virtutũ requiritur.

Ad Tertium.

Quare pœnitentia Iudæ non profuit?

Ad vltimũ, dico quòd actus pœnitentiæ formatæ, quæ ſcilicet infuſionẽ gratiæ ſequitur, eſt melior quàm actus culpæ, vel peccati, qui fuit malus, quia habitus ſemper eſt formaliter melior priuatione eius, malitia autem tanta eſt in actu peccati, quanta bonitas nata eſſet illi actui inſuiſſe; bonitas autẽ quę nata eſſet ineſſe illi actui, non eſt infinita formaliter, ſed tantùm obiectiuè quia coniungit cũ Deo, quod eſt obiectum infinitum; & ideò actus peccati non dicitur malum infinitũ formaliter, ſed tãtùm obiectiuè, quia offenſiuũ & diſiunctiuũ à bono infinito; ſicut actus meritorius in ſe formaliter finitus coniungit cũ bono formaliter infinito, & quantò actus bonus & meritorius perfectiùs coniungit cũ Deo quàm actus malus ſeparabat, tantò poteſt dici maius bonum infinitè, & magis infinitus, quàm actus malus ſit malum infinitum, Vnde ſermo parabolicus eſt, dicere quòd peccatũ eſt malum infinitũ.

Ad vltimum

Pœnitentia formata eſt maius bonum quàm peccatum malum.

Peccatum nõ eſt infinita malitia.

QVÆSTIO II.

Vtrùm actus pœnitentiæ, qui requiritur ad deletionem peccati, ſit actus alicuius virtutis?

Alenſ. 4 *p. q. 54. m* 1. *per totũ* D. Bonau. *hic* 1 *p. art.* 1 *q.* 1. & 2. Richard. *art.* 7 *q.* 1. & 2. D Thom. *q.* 1 *art.* 1 & 3 *p. q.* 85. *art.* 2. Suar. *to* 4. *d.* 3. *per totã* & *d.* 7. *ſect.* 1 & 2. Scot. *in* 4 *on. hic q.* 2.

ARguitur quòd non: Actu virtutis laudamur, non autem pœnitentiæ, qui eſt toleratio pœnæ, & paſſionis, quia paſſione non laudamur 2. *Eth. cap.* 5. & hæc toleratio eſt paſſio; igitur non eſt actus virtutis.

1. *Arg. primum negatiuum.* Ariſtot.

Item, actus virtutis eſt voluntarius; ſed pœna eſt eſſentialiter inuoluntaria, aliter non eſſet pœna, igitur.

Secundum.

Item, in ſtatu innocentiæ fuiſſent virtutes, & tamen tunc non fuiſſet pœnitentia neceſſaria, quia

Tertium.

quia inuolentes nullas ſuſtinuiſſent pœnas, quia non fuiſſent peccata, pro quibus infliguntur pœnæ; igitur.

Quartum. Itẽ, ſi pœnitentia eſſet actus virtutis, non poſſet eſſe alius quàm nolle peccaſſe; ſed ille actus non videtur eſſe actus virtutis; quia actus virtutis vel eſt electio, vel non eſt ſine electione. Electio autem ſecundùm Philoſophum *tertio Ethicorũ c. 3.* non eſt impoſſibilium, ſed contingentium? ſed nolle peccaſſe eſt impoſſibile, quia eſt reſpectu illius, quod iam tranſiit in præteritum; præteritum autem non eſſe præteritum eſt impoſſibile, quia hoc ſolo priuatur Deus *ingenita facere quæ facta ſunt. 6. Eth. c. 3.* igitur.

Ariſtoteles.

Quartum. Itẽ, ſi ſit actus virtutis, aut acquiſitę, aut infuſę? non infuſæ, patet, quia pœnitẽtia nõ eſt charitas, nec fides, nec ſpes; nec actus virtutis acquiſitæ, quia virtus acquiſita poteſt ſtare cum peccato, & eſſe informis. Patet de fortitudine, & ſapientia, & aliis; Pœnitentia autẽ nõ poteſt ſtare cũ peccato, cùm deleat peccatũ, & ſit remediũ contra ipſum.

Ratio ad oppoſitum. Oppoſitum patet per Magiſtrum in litera.

SCHOLIVM I.

Pœnitentiam ſumptam pro actu ſibi imperandi pœnam pro peccatis commiſſis, eſſe virtutis actum, quia eſt conformis rationi rectæ. Item, non eſſe virtutis infuſæ, quia eius obiectum eſt malum vindicabile: & eſſe ſpecialis virtutis iuſtitiæ punitiuæ, quia pœnitens eſt executor legiſlatoris, puniens ſe, ac ſi eſſet alter, declarat quare ſit pœnitentia, & non amicitia; ex quibus duo infert corollaria. Item, quomodo præcipit conſiderare peccatum commiſſum, & illud nolle, ex quibus duobus ſequitur triſtitia. Vide Doct. in Oxon. hic q. 2. per tot.

2. Status Quæſtionis Quid ſit pœnitere? IN iſta quæſtione primò diſtinguam de iſto actu, qui eſt *pœnitere*. Secundò proſequar membra diuiſionis.

Quantùm ad primum dico, quòd *pœnitere eſt voluntariè pœnam tenere*; ſed hoc poteſt eſſe dupliciter. Vno modo ſibi ipſi voluntate imperante pœnã debitã peccato infligendo; Alio modo generaliùs, non ſibi ipſi voluntariè pœnam infligẽdo, ſed pœnam ab alio inflictam voluntariè ſuſtinendo non voluntate imperante illam in ſe, ſed acceptante iſtam infligi ſibi pro peccato.

3. Sibi imperare pœnam eſt actus virtutis probatur primò. Primus actus pœnitentiæ, quo quis ſibi ipſi pœnitentiam infligit pro peccato, voluntate imperante, eſt actus virtutis, & eſt actus ſpecialis virtutis, & hoc accipiendo actũ virtutis pro actu, qui eſt generatiuus virtutis, vel pro actu, qui eſt à volũtate elicitus. Primum probo ſic. Omnis actus humanus conſonus rectæ rationis, eſt actus virtutis, patet ex definitione virtutis 2. Ethic. c. 6. *quæ recta ratione determinatur*, & ſigno hoc, quod dico *humanus*, quia requiritur quòd ſit ſecundùm liberũ arbitrium voluntatis elicitus; & ideò dicitur in definitione virtutis, quòd eſt elicitiuus virtutis: ſed vindicare peccatũ, vt eſt offenſiuũ Dei, per pœnã ordinatẽ voluntariè afflictiuã, eſt actus humanus conſonus rectæ rationi; igitur &c. Minor patet, quia ſecundũ rectã rationẽ debet legislator punire peccatũ, & culpã cõmiſsã cõtra legẽ: patet ex 10. *Ethic. Cap. vltimo*, vbi poſt doctrinam de virtutibus introducit librum Politicorum, de legibus ſeruandis, & trangreſſionibus eius puniendis; ſed ſecundùm Auguſtinum cõtra Fauſtũ lib. 22. c. 27. *Peccatũ eſt dictum, vel factum, vel concupitũ contra legẽ diuinã*: igitur quilibet iudex & magiſter legis, cui cõmittitur poteſtas vindicãdi, vel puniendi peccatũ factum contra legẽ, debet ſecundùm rectã rationem iudicare, exequendo hoc ſicut vellet legiſlator: ſed cuilibet poteſt talis auctoritas, & poteſtas vindicandi peccatũ in ſe per pœnã cõmitti. Patet ex Scriptura, vel enim oportet culpam, & peccatũ in ſe per pœnã inflictam à Deo, vel ab homine ordinari. Sicut enim legiſlator poteſt cõmittere alicui poteſtatem vindicãdi peccatum reſpectu alterius, ita & reſpectu ſui ipſius; igitur aliquis infligendo ſibi pœnam, qualem & quantam crediderit legiſlatorem velle ſibi infligi, meretur & habet actum virtutis.

Ariſtot.

Ariſtot.

Ex Aug. peccati definitio.

Pœnitens eſt executor legis Dei in ſe.

4. Quòd infligere ſibi pœnam eſt actus ſpecialis virtutis probatur. Secundò oſtendo quòd eſt actus ſpecialis virtutis, quia ille actus virtuoſus, qui habet obiectũ ſpeciale, & eſt debitis circumſtantiis diſpoſitus, eſt actus ſpecialis virtutis; ſed actus vindicandi peccatum tanquam offenſiuum Dei, eſt debitis circumſtantiis diſpoſitus, & habet ſpeciale obiectum; quia malum vindicabile factum, vel dictum contra legem Dei; igitur.

Secundò. Ex hoc apparet, quòd pœnitentia non eſt virtus infuſa, quia non habet Deum immediatè pro obiecto; ſed tantùm malum vindicabile.

Auguſtinus. Sed dices quòd Auguſtinus ait lib. de vera & falſa pœnit. c. 19. quòd ſolius *Dei eſt pœnitentiam fructuoſam immittere*: igitur videtur quòd ſit virtus infuſa. *Reſponſio.* Reſpõdeo quòd auctoritas Auguſtini ſoluit ſe ipsã; nam pœnitẽtia fructuoſa dicitur eſſe, & eſt cũ charitate, non quin abſolutè poſſit eſſe ſine ea, ſicut aliæ virtutes acquiſitæ, ſed non fructuoſa, quia ſine charitate omnia ſunt mortua, quia charitas eſt vita à ſe; dicitur igitur pœnitentia fructuoſa eſſe infuſa, quia charitas eſt infuſa.

Sine charitate nulla virtus acquiſita eſt fructuoſa.

5. Pœnitentia non eſt virtus intellectualis. Patet etiam quòd pœnitentia non eſt virtus intellectualis, quia virtutes intellectuales nõ inclinant appetitum ad vindicandum peccatum in ſe, vel in aliis; quia appetitus iræ non eſt in eis; pœnitentia autem & appetitus iræ inclinat ad vindicandum culpam per pœnam; igitur.

6. In parte autẽ appetitiua non ſunt niſi tres virtutes morales acquiſitæ in genere; licèt contentæ ſpeciales ſint centũ aliæ, de quibus Philoſophus non fecit mentionem in ſpeciali; ſcilicet fortitudo, tẽperãtia & iuſtitia; igitur ad aliquam illarum reducitur. Non ad fortitudinem, vel tẽperantiam, quia illæ ordinãt hominem in comparatione ad ſe; pœnitentia autem ordinat hominem in comparatione ad alios, quia ad vindictam infligendã pro peccato, qui eſt actus reſpectu alterius, vindicat enim in ſe peccatum tanquam alter, quia tanquam miniſter legis, cui committeretur infligere ſibi ipſi pœnam pro peccato, ſicut alteri.

Pœnitentia non eſt actus virtutis ad ſe.

7. Inſtantia. Sed dices, igitur magis videtur pœnitentiam debere dici amicitiam, quàm aliquam aliam virtutem moralem, quia vindicare vitia amici, vt retrahat ipſum à malo, videtur eſſe actus amicitiæ.

Solutio. Reſpondeo quòd pœnitentia non eſt amicitia formaliter, ſed iuſtitia, ſi enim per pœnitentiam intendat Deus reuocare peccatores ad reconciliationẽ, & amicitiam, principaliter tamen intendit Deus infligere pœnã pro delicto, & vindictã pro commiſſo; dicit enim Philoſophus. 2. *Rhetori. cap.* 12. quòd differentia eſt inter punitionem & correctionẽ; nam punitio eſt peccantis, correctio gratia illius, qui corrigitur. Vnde punitio eſt propter bonũ cõmune, & per conſequens, non propter eius bonũ, qui punitur principaliter, vbi autẽ princeps eſt maius bonum & melius, quàm ſit bonũ cõmune, debet talis princeps vindicare ſui gratia, & quilibet alius miniſter inquantùm talis

Pœnitentia eſt formaliter iuſtitia.

Ariſtot.

Punitio & correctio quomodo differũt.

principis

Principis debet vindicare,& punire delictũ gratia illius principaliter, & per conſequens, tam Deus,qui eſt ſuper omne bonum vniuerſi,quam pœnitens debet principaliter, & primò punire, & vindicare peccatum commiſſum, inquantùm offenſiuum Dei,& contra legem eius.

8. *Replica.* Et ſi dicas quòd pœnitentia non poteſt eſſe iuſtitia vindicatiua peccati, quia omnis actus iuſtitiæ eſt ad alterum; *Solutio.* Reſpondeo quòd pœnitens ſibi ipſi infligens pœnã pro peccato,reſpicit ſe vt alterum, quia vt ſic eſt miniſter legiſlatoris puniẽs in ſe ex cõmiſſione,quod puniret in altero,ſi eſſet ei cõmiſſum,& eo modo punit, quo modo ſcit legiſlatorem velle eum puniri.Non igitur eſt pœnitentia amicitia,quia ipſa principaliter intẽdat correctionẽ amici, & non vindictã amantis, *Quare pœnitentia non eſt amicitia* ſed pœnitentia eſt gratia illius, cuius eſt lex, & gratia punientis,& requirẽtis vindictam pro delicto,etſi ex hoc ſequatur correctio, non tamen principaliter intenditur, ſed punitio per pœnam pro culpa,quod pertinet ad iuſtitiam.

9. *Corollarium primum. Actus pœnitẽtiæ poteſt ſtare cum peccato mortali.* Ex dictis ſequuntur duo corollaria, quorum primum eſt,quòd virtus pœnitentiæ poteſt ſtare cũ peccato, & per cõſequens actus eius:ex actibus enim eſt acquiſitus in nobis habitus, quo nobis diſplicet male egiſſe:& ideò poteſt eſſe ſine charitate,ſicut aliæ virtutes acquiſitæ,& actus ſimiliter vſque ad inſtans, quo infunditur gratia. Manet autem actus pœnitendi, vt diſpoſitio ad deletionem peccati & infuſionem gratiæ; igitur actus pœnitendi ſic poteſt ſtare cum peccato.

10. *Corollarium ſecundum. Eiuſdem virtutis eſt velle bonum & nolle eius oppoſitum.* Sequitur ſecundũ corollariũ,quòd triſtitia nõ ſit actus pœnitentiæ,quia cùm triſtitia ſit paſſio, nullius virtutis poteſt eſſe actus,nec etiam nolle peccare eſt actus pœnitentiæ,quia eiuſdem virtutis eſt velle aliquod bonum, & nolle eius oppoſitum, & per conſequens eiuſdem virtutis eſt velle bonum poſitiuum,& nolle malũ oppoſitũ, ſcilicet malũ offẽſiuum,& cùm actus pœnitentiæ ſit actus electiuus vindicare in ſe per pœnã peccatum, quod commiſit inquantùm Dei offenſiuum, ſequitur quòd actus eius ſit velle punire peccatũ reſpectu ipſius,inquãtùm offenſiuũ Dei.

11. *Quomodo triſtitia & pœna cauſantur in homine, & à quo.* Sed cùm iſta triſtitia & pœna non ſint actus virtutis pœnitẽtiæ,cùm ſint paſſiones, quomodo cauſantur in homine?Dico quòd cũ nõ causẽtur per aliquã virtutem executiuam,quia præcedunt omnem actum executiuæ cuiuſlibet, cauſantur immediatè ab illo,qui in ſe cauſat triſtitiam:non enim immediatè poteſt eſſe ab aliqua potẽtia inferiori,quia pœnitere eſt actus alicuius potentiæ inferioris,volũtas autẽ actu ſuo imperatiuo cauſat in ſe pœnam;nam *velle* efficax reſpectu pœnæ ſibi infligendæ eſt cauſare triſtitiam,& imperare illam ſibi ineſſe, & per conſequens ſequitur quòd illa triſtitia, & pœna imperata pro peccato,ſit in voluntate, ſicut actus imperatiuus,quo cauſatur,eſt in voluntate.

12. *Dubium.* Sed quomodo poteſt voluntas imperio ſuo cauſare in ſe triſtitiam,& illam pœnã?Reſpõdeo, quòd voluntas imperat vſus habitũ, & aliarum potentiarũ,quibus nata eſt triſtitia ineſſe & cauſari, nam voluntas pœnitentis imperando intellectum ad conſiderationem circa peccata cõmiſſa cõſiderat ſe feciſſe tale peccatum,& ex iſta elicit propoſitũ actũ voluntatis nolẽtis ſe feciſſe illud. *Solutio.* *Triſtitia cauſatur ex duplici intellectus & voluntatis actu.*

Ex iſtis duobus actibus intellectus, & voluntatis, conſiderationis ſcilicet peccati,& efficiẽtis voluntatis illius,cauſatur triſtitia in voluntate,& illa triſtitia ex actu,& vſu cuiuslibet virtutis poteſt cauſari, & ineſſe,vt actu charitatis vel paupertatis,aut caſtitatis,aut pœnitentiæ.Nam volũtas per habitũ pœnitentiæ poteſt imperare actũ charitatis, ſcilicet dilectionem Dei ſuper omnia meritoriã,& ex hoc odiſſe peccatũ cõmiſsũ cõtra ipsũ,& nolle ipſum vnquam feciſſe, ſic vult diſplicentiam magnã,& triſtitiam ſibi infligere, vt pœnam,quæ alias eſſet omninò inuolũtaria.Vnde ſecundùm Auguſtinum *triſtitia eſt ex his, quæ nobis nolẽtibus acciderunt*,Eodem modo poteſt illa cauſãri ex actibus alterius virtutis, poteſt etiam quis in principio intendens contemplationi Dei ſolùm, poſtea recordari peccata ſua tãquam Dei offenſiua & ex hoc velle iſta nõ feciſſe, vel nolle iſta feciſſe,ſed maximè illa deteſtari ſicut Dei offenſiua, & vltimò ex illis commiſſis contriſtari. *Triſtitia poteſt cauſari ex vſu cuiuslibet virtutis voluntate imperante.* Aug. 14. de ciu. Dei. c. 15.

Sed ex iſtis videtur ſequi quòd pœnitentia virtus ſit nobilior, quàm charitas, quia imperat actum eius,ſcilicet charitatis. 13. *Replica. Solutio.*

Reſpondeo quòd ſi poſſit imperare actũ charitatis,non tamen ſequitur quòd ſit nobilior virtus ſimpliciter,quàm charitas,licèt ſecũdùm hoc ſit nobilior,& ita ſecundùm *quid*,nã charitas etiã poteſt imperare actũ pœnitentiæ.Patet in contẽplatiuis,& ita quantùm ad mutuũ imperiũ actuũ ſunt æquales, quia circulatio poteſt eſſe in actibus virtutum, ſicut in actibus potentiarum: ita enim poteſt iuſtitia imperare charitatem, ſicut è conuerſo, cùm imperium vnius habitus ſit alio nobilius, quantò vnus habitus eſt nobilior alio. Charitas autẽ eſt habitus nobiliſſimus, quia ſortitur ſpeciem à fine vltimo,per ſe amato,& non ſic pœnitentia eſt immediatè reſpectu finis vltimi,quia omnis actus,qui poteſt eſſe informis.nõ eſt reſpectu finis vltimi in ſe; qui autem eſt reſpectu illius in ſe, non poteſt eſſe informis,quia non poteſt aliquis malè diligere,nec ex loco, & tempore, vel aliqua circumſtantia. *Voluntas imperat actum vnius virtutis ex motiuo alterius, & è contra.*

SCHOLIVM II.

Reſoluit, quòd acceptare pœnam ab alio inflictam, eſt actus virtutis, quodque pœnæ acceptatio, vel imperatio poteſt ad quamlibet virtutem appetitiuam pertinere, quia ex cuiuslibet motiuo poteſt haberi. Deinde infert aliquem poſſe maximè dolere, & contriſtari de peccatis ſuis ſine habitu, vel actu pœnitentiæ, & è conuerſo. Vide omnia hæc fuſius apud Doctorem hic in Oxonienſi.

SEcundo modo pœnitere eſt voluntate acceptãte non tamen imperante pœnã ab alio inflictam, voluntariè ſuſtinere, & iſto modo poteſt cauſari ex actu cuiuslibet virtutis.Nã ex eadẽ virtute,qua volo,vnũ oppoſitorum,poſſum nolle reliquum:nũc autẽ per actum cuiuslibet virtutis poſſum acceptare bonum, iuſtum, conueniens, igitur per actũ cuiuslibet virtutis poſſum pœnitere de oppoſito tali bono,& quocunque illorũ modorum inſit pœnitentia, ſufficit ad deletionem peccati,& ſic poteſt pœnitere eſſe cuiuslibet virtutis infuſæ,vel acquiſitæ,& ipſius virtutis pœnitentiæ actus remotus;ſed nullius virtutis elicitiuæ actus,cùm actus virtutis elicitiuæ vt ſic,ſit pro quanto eſt conſonus rectæ rationi, & generatiuus habitus, & talis actus etiam ſufficit ad deletionem peccati, etſi inſit ante omnem actum virtutis generatæ. 14. *Acceptatio pœnæ poteſt eſſe actus cuiuscunque virtutis appetitiuæ.*

Et ex iſto ſequitur corollarium, quòd aliquis poteſt maximè triſtari pro peccatis ſuis,& tamen 15.

nihil

nihil habere de actu virtutis pœnitentiæ, & è conuerſo, multum habere de actu & habitu virtutis pœnitentiæ, & tamen parum, vel nihil contriſtari; quia ex maxima conſideratione, & delectatione Dei in ſe poteſt ſequi maximus dolor & triſtitia ex offenſa eius, per commiſſum peccatum, & talis eſt maximè Deo dilectus, & tamen dolor, & triſtitia non ſunt imperata tunc exactu pœnitentiæ. Similiter aliquis ex magno conatu imperat conſiderationem peccatorum, vt vindicet per pœnitentiam, & nititur ea deteſtari, & nolle, & tamen non ſequitur ſemper triſtitia, ſed quandoque delectatio, vt ex oportunitate peccati, & multis aliis circumſtantiis, vel quia voluntas eſt infecta aliis habitibus, & per conſequens actus virtutum aliarum tunc non poſſunt eſſe perfecti; vel quia ſi habitus ſint perfecti in voluntate, tamen non eſt diſpoſita ad dolorem, & triſtitiam, quantùm ad partem ſentitiuam, & ideò non ſequitur triſtitia, & dolor in voluntate: voluntas enim dependet in dolendo & triſtando à dolore, & triſtitia, & aliis paſſionibus appetitus ſenſitiui, ſicut intellectus in actu ſuo dependet à phantaſmate. Vnde multi poſſunt intimè & ſummè pœnitere de peccatis ſuis, ſed nullam lacrymam emittunt exteriùs, & è conuerſo, multùm poſſunt aliqui lacrymari etſi minùs pœniteant, & ideò hæc triſtitia eſt ſine illa, vel poteſt eſſe ſine illa.

Corollarium Quomodo triſtitia de peccatis ſit dabilis ſine pœnitentia, & è conuerſo.

Voluntas in triſtando dependet ab appetitu ſenſitiuo ſicut intellectus in ſuo actu à phantaſmate.

16. *Ad primum arg. principale.* Ad primum argumentum, dico quòd imperare pœnam non eſt paſſio, ſed eſt operatio virtutis, vel ſaltem poteſt eſſe quantùm conſonus eſt rectæ rationi. Vnde id quod eſt cauſa paſſionis, & triſtitiæ vt actus voluntatis imperatus reſpectu vindicationis, eſt operatio virtutis pœnitentiæ, & ſic iuſtitiæ vindicatiuæ.

Ad ſecundũ. Pœnitentia quomodo voluntaria & inuoluntaria. Ad ſecundum, dico quòd omnis pœnitentia ſecundùm ſe, & quantùm eſt ex parte ſui, eſt inuoluntaria, quia eſt diſconueniens naturæ, & contra affectionem commodi, tamen in cauſa ſua poteſt eſſe voluntaria, vt in actibus voluntariis, ex quibus ſequitur. Et ſimiliter in ſe poteſt eſſe voluntaria, quantùm ad affectionem iuſtitiæ, vnde & aliqui dolent; & de dolore gaudent multùm, & hoc ex cauſa eius, quæ eſt actus iuſtitiæ.

17. *Ad Tertium.* Ad tertium poteſt dici, quòd cùm virtutes, non ſint niſi quoddam ſupplementum miſeriæ noſtræ, quam modò patimur in ſtatu iſto, non fuiſſent in ſtatu innocentiæ virtutes, cùm ibi nulla fuiſſet miſeria: & ideò poſſet concedi quòd in ſtatu innocentiæ non fuiſſent virtutes ſicut nec modò in Angelis ponuntur.

An in ſtatu innocentiæ fuiſſet pœnitentia?

Aliter poteſt dici, quòd maior eſt vera de illis virtutibus, quæ reſpiciunt per ſe bonum pro obiecto, vt Deum in ſe, quæ non poſſunt eſſe informes, & iſtæ fuiſſent in omni ſtatu: ſed in ſtatu innocentiæ non fuiſſet malum vindicabile, nec culpa; igitur nec per conſequens virtus aliqua reſpiciens tale obiectum.

An in beatitudine maneat pœnitentia.

Aliter poteſt dici, quòd loquendo de habitu prout habens illum pronus eſt ad agendum, ſecundùm inclinationem eius, quando obiectum, & omnia alia concurrunt, ſic poteſt cõcedi quòd fuiſſet pœnitentia virtus in ſtatu innocentiæ, & ſic poteſt poni in beatis; non autem vt illo vtitur habens cùm voluerit; quia obiectum eius nunquam nec in beatis, nec in innocentibus accidiſſet.

18. *Ad quartum* Ad quartum dico quòd actus pœnitentiæ virtutis eſt alius actus quàm nolle hoc egiſſe; eſt tamen actus virtuoſus. Et cùm probas quòd non, quia ſi ſic, eſſet reſpectu illius quod iam tranſiit in præteritum, dico quòd ſicut reſpectu impoſſibilis poteſt eſſe actus demeritorius, vt patet in primo Angelo, qui appetendo æqualitatem Dei, quã ſibi ineſſe poſſe ſciuit eſſe impoſſibile, quia ſciuit ſe eſſe cauſatum æquiuocum & per conſequens non poſſe æquiparari ſuæ cauſæ: ita poteſt actus meritorius eſſe reſpectu impoſſibilis; quia aliquis in volendo ſuſtinere mortem pro Chriſto, ſi aliquis ei inferret mortem, mereretur, etſi non ſit, qui ei mortem inferret, vel inferre poſſit. Similiter aliquis pauper compatiens alteri volẽs ſibi ſubuenire, ſi poſſet, multum meretur, & tamen ſibi exteriùs ſubuenire propter eius eximiam paupertatem pro tunc eſt impoſſibile: quãdo igitur dicit Philoſophus quòd reſpectu impoſſibilis non eſt electio: verum eſt, efficax electio, præſtando ſtatim quod elegit; vel vult eligendo media, quibus ſtatim inducatur, quod elegit. Poteſt tamen ſimpliciter eſſe electio, & ſimplex volitio reſpectu illius, ſicut reſpectu poſſibilis. Vnde dicit *ibidem* quòd aliquis poteſt velle vt eſſet immortalis, & non eligere, vt *eligere* ibi capitur pro volitione efficaci.

Quomodo reſpectu impoſſibilis quis mereri dicitur, vel demeretur

Reſpectu impoſſibilium nõ datur velle efficax.

19. *Ad vltimũ.* Ad vltimum, cùm arguitur, quòd non ſit virtus acquiſita, quia tunc poſſet eſſe ſine charitate, quod videtur contra Auguſtinum de vera & falſa pœnitentia c. 19. vbi dicit *quòd ſine charitate non eſt pœnitentia* &c. Reſpondeo quòd ſicut aliquis poteſt exercere ſe in actibus iuſtitiæ ad ſe ipſum, vindicando in ſe peccata, quæ vindicaret in alio, ſi ei committeretur, & talis actus poteſt eſſe diſpoſitio ad remiſſionem culpæ, & infuſionem gratiæ, & per conſequens de congruo peccata delere, & non de condigno, quia digni fructus pœnitentiæ ſunt ex charitate, ex qua formatur omnis virtus; & ideò pœnitentia virtus non dignè delet, nec fructuosè, cùm eſt informis, & ſine charitate, ſed cùm eſt formata: & hoc intelligit Auguſtinus per veram & fructuoſam pœnitentiam.

Aug.

Fructus dignæ pœnitentiæ ſunt ex charitate.

QVÆSTIO III.

Vtrùm pœnitentia virtus ſit tantùm vnius pœnæ inflictiua.

Alenſ. 4. p. quæſt. 54. m. 3. art. 3 & 4. D. Bonau. hic. 1 p. art. 1. quæſt. 2. & 3. Rich art. 2 quæſt. 2 D. Thom 3. p quæſt. 85. art. 3. Suar to. 4. d. 6. Scot. in Oxon. quæſt. 3.

1. *Arg. primum affirmatiuũ.* QVòd ſic. Pœnitentia infligit pœnam, vt eſt ordinatiua culpæ: vnius autem culpæ vna eſt ordinatio, ſicut vnius obliquitatis, vel priuationis vna eſt rectitudo, & vnus habitus.

Secundum. Item, pœnitentia virtus, vt dictum eſt, eſt iuſtitia; ſed iuſtitia reddit aliquo modo æquale ſemper; poſſibile eſt autem vnam pœnam eſſe æqualem vni culpæ; igitur &c.

Tertium. Item, vnius virtutis eſt vnus actus, pœnitentia eſt vna virtus; igitur eius eſt vnus actus; ſed vnus actus poſitiuus eſt vnius pœnæ inflictiuus; igitur.

Ratio ad oppoſitum. Contrà, Ioëlis. 2. *Scindite corda veſtra, & non veſtra*: & Iacobis. 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra* & Matth. 3. *facite fructus dignos pœnitentiæ.* Ex his arguo ſic: Pœnitentia virtus inclinat ad

omnes pœnas illas, per quarum inflictionem recuperatur & reſtauratur homini innocentia, à qua cecidit per culpam; hoc fit per illa tria tacta in auctoritatibus prædictis, vt cordis contritionem, oris confeſſionem, operis ſatisfactionem, quæ ſunt partes pœnitentiæ, & ſolutionis pœnitentiæ; igitur. Hoc vult Auguſtinus, de vera & falſa pœnitentia, & ponitur in litera. *Auguſt.* *Iſti ſunt digni fructus*: igitur.

SCHOLIVM I.

Supponit Doctor cuilibet virtuti appetitiuæ aliquam correſpondere virtutem intellectualem regulantem, & dirigentem eam: An verò propria & particularis prudentia cuilibet ſic correſpondeat, alias determinat, ſcilicet in 3. d. 36. q. 2. Pœnitentiæ igitur punitiuæ correſpondet duplex regula in intellectu; prima eſt naturalis ex lumine naturali, vt hæc: diſplicendum eſt de peccato: *ſecunda ſupernaturalis, & ex fide, vt hæc*: peccatum eſt deteſtandum, vt offenſiuum Dei Authoris ſupernaturalis &c. *& huic regulæ correſpondet alia prima, ſcilicet pœnitentia, quæ eſt virtus iuſtitiæ.*

2. *Cuilibet virtuti appetitiuæ correſpondet regula eam dirigens.*

REſpondeo quòd quælibet virtus appetitiua habet aliquam virtutem intellectualem regulantem, & dirigentem eam, ſibi correſpondentem, vt prudentiam aliquam: ſiue autem ſit propria prudentia cuilibet virtuti appetitiuæ, ſiue non, de hoc alias; ſecundùm igitur quòd in intellectu eſt alia, & alia manifeſtatio, vel regula ad dirigendum hominem circa cognitionem offenſæ, qua Deus multipliciter offenditur per peccatum, ſecundùm hoc in appetitu, & voluntate eſt alia, & alia pœnitentia punitiua, & vindicatiua offenſæ; poteſt autem alia regula, & manifeſtatio ad cognoſcendum offenſam Dei haberi in intellectu lumine naturali intellectus; igitur pœnitentia in appetitu illi regulæ, vel manifeſtationi correſpondens, eſt acquiſita ex puris naturalibus, & pœnitentia talis fuiſſet neceſſaria in omni ſtatu, quia in omni ſtatu potuiſſet acquiri ex naturalibus, ſicut modò acquiritur. Nam ſicut ex puris naturalibus poteſt aliquis cognoſcere Deũ offenſum per peccatum; ita ex puris naturalibus cognoſcere diſplicẽdum eſſe de eo, & ex iſtis acquiritur hæc regula vniuerſalis naturaliter, quòd *de omni offenſa diuina eſt dolendum & diſplicendum*, & iſti regulæ in intellectu poteſt reſpondere pœnitentia in appetitu, qui faciliter inclinat ad habendum diſplicentiam, & dolorem pro offenſa Dei per peccatum. Et hanc pœnitentiam virtutem habuiſſent Angeli peccantes, ſi poſt peccatum viatores remanſiſſent.

Duplex virtus intellectiua regulans pœnitentiam.

An potuiſſent Angeli mali pœnitere?

Alia autem eſt regula, quæ non acquiritur lumine naturali, ſed inſpiratione, & lumine fidei, ſecundùm quòd habetur in Scriptura ſacra diuinitùs inſpirata, vbi determinatur pœna pro peccatis, quæ non poſſunt à nobis ratione naturali determinari, quia ex illa, quæ placant offenſam Dei, ſunt reuelata à Deo, & illas ſic determinari, vt poſſint diuinam offenſam placare, eſt à ſola voluntate diuina, quæ contingenter ſe habet ad omnia alia à ſe, & ita non poſſunt illæ pœnæ determinatæ à voluntate diuina, à nobis naturaliter cognoſci, ſed tantùm ab intellectu ſuo, qui videt determinationem voluntatis ſuæ: nec huiuſmodi pœnæ determinatæ determinatis peccatis à Deo, in Scriptura fuerunt ſemper eadem; ſed aliæ, & aliæ, quia aliæ tempore legis ſcriptæ: patet de muliere apprehenſa in adulterio, & lege talionis: aliæ tempore legis gratiæ, in quo iuxta Pſal. 84. *miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, & pax & iuſtitia oſculatæ ſunt.* Et ideò huiuſmodi pœnæ diuerſimodè taxatæ & determinatæ in Scriptura à Deo, non poſſunt à nobis naturali ratione determinari, & ideò ſuppoſita regula ſupernaturali, quæ pœnas diuerſas diuerſis peccatis determinat, correſpondet in voluntate, & appetitu rationali pœnitentia virtus, quæ eſt iuſtitia quædam punitiua, & vindicatiua peccati & offenſæ Dei, per pœnam ab eo ſtatutam.

3° *Voluntas diuina contingenter ſe habet ad omnia à ſe.*

Pœnæ diuerſæ erant à Deo determinatæ pro diuerſis temporibus.

SCHOLIVM II.

Reſoluit pœnitentiam, quæ habet regulam naturalem, eſſe vnius pœnæ inflictiuam, nempe doloris, ſeu diſplicentiæ de peccato, quia ratio dictat tantùm peccatum odio habendum: ex quo ſequitur triſtitia: pœnitentiam verò habentem regulam ſupernaturalem plures pœnas infligere v. g. confeſſionem, contritionem, ſatisfactionem, lacrymas, ieiunium, &c. Explicat optimè quòd regulari à regula, ſeu lumine ſupernaturali, non tollit rationem virtutis moralis, ad quam requiritur præciſè, quòd acquiratur actibus ex more, & aſſuefactione, quod in præſenti euenit: ex quo infert, virtutes Euangelicas innitentes principiis ſupernaturaliter cognitis, eſſe firmiores virtutibus merè naturalibus, ſeu lumine naturali acquiſitis. Vide ipſum fusè hîc in Oxonienſi.

4. *Deciſio quæſtionis.*

DIco igitur ad quæſtionem, quòd ſi loquamur de pœnitentia virtute, quæ eſt habitus acquiſitus, & conformiter inclinans regulæ ſuæ notæ lumine naturali, cùm illa regula ſic nota non oſtendat niſi vnam pœnam infligendam pro peccato, ſcilicet dolorem, & diſplicentiam pro offenſa Dei interiorem, & iſta diſplicentia ſit pœna vna, ſic tantùm eſt pœnitentia virtus vnius pœnæ inflictiua. Si verò loquimur de pœnitentia conformiter inclinante ad puniendum ſecundùm dictamen ſuæ regulæ notæ in lumine ſupernaturali: ſic dico quòd eſt plurium pœnarum inflictiua. Reuelauit enim Deus, vt oſtendit Scriptura, eandem culpam pluribus pœnis, & diuerſis temporibus puniendam.

Corollarium.

Ex iſtis ſequitur quoddam corollarium, quòd actus principalis, quem reſpicit naturaliter pœnitentia virtus, eſt vnus. Similiter actus diſplicentiæ, quem reſpicit de lege iuris poſitiui communis eſt etiam principaliter infligendus pro peccato; quia principaliter, & eſſentialiter illo modo à prima virtute reſpicitur.

Pœnitentia virtus eſſentialiter reſpicit dolorem interiorem.

5. *Inſtantia.*

Sed ex prædictis videtur ſequi vnum inconueniens, ſcilicet quòd pœnitentia ſecundo modo dicta non ſit moralis, nec naturalis, ſed ſupernaturalis, quia regula eius, quæ oſtendit, eſt ſupernaturaliter nota.

Soluitur.

Dico quòd non eſt idem, virtutem eſſe moralem, & poſſe acquiri ex puris naturalibus; nam ſecundùm Philoſophum ſecundo Ethicorum cap. 1. *virtus dicitur moralis à conſuetudine & more*, & ex iſtis acquiritur; acquiri autem ex more, & aſſuefactione poteſt aliquid, etſi non merè ex naturalibus acquiratur, ſed vno ſupernaturali præſuppoſito acquiritur,

Vnde virtus dicitur moralis?

Ariſtot.

&

& illo modo virtutes Euangelicæ, vt paupertas, virginitas, obedientia, humilitas, & huiusmodi dicuntur virtutes morales innitentes conſilio diuino ſupernaturali; & in iſto verè dici poſſunt virtutes morales, quia quæcunque operabilia dictat regula ſupernaturalis eſſe facienda, ſi iſtâ regulâ præſuppoſitâ acquirat quis ex actibus conformibus illi regulæ habitum inclinantem, faciliter ad ſic conformiter agendum dictamini iſtius regulæ, iſte eſſet habitus electiuus determinatus ad operandum ſecundùm dictamen rectæ rationis; ſed omnis talis habitus eſt virtus moralis ex definitione virtutis moralis *ſecundo Ethic.* igitur quilibet talis verè eſt virtus moralis.

Virtutes Euangelicæ ſunt virtutes morales quæ habentur ex reuelatione.

Ariſtot.

Iſtud apparet in ſpeculabilibus; nam ſicut aliqua ſunt ſpeculabilia ſupernaturalia, vt *Deum eſſe trinum, & vnum*, & huiuſmodi, ad quæ naturaliter non attingit intellectus noſter cognoſcendo, ita in practicis ſunt aliqua principia practica, ad quæ intellectus noſter practicus naturaliter non attingit, vt omnia debere dimitti propter Deum, & nullam mulierem velle cognoſcere propter Deum, & huiuſmodi: igitur ſicut in ſpeculabilibus ex principiis ſupernaturaliter cognitis poſſunt elici concluſiones, & tales lumine naturali cognoſcibiles, ita ex alia parte, ex principiis practicis ſupernaturaliter cognitis poſſunt in lumine naturali elici concluſiones practicæ, quibus poſſunt elici actus conformes in voluntate, qui verè ſunt generatiui habitus moralis.

6. *Concordat cũ dictis q. 4. prologi, vbi dicit Theologiam eſſe practicam.*

Hoc idem apparet in artificibus, nam artifex ſuperior conſiderans finem ſuperiorem, & vniuerſaliorem poteſt per media vniuerſaliora, & ſuperiora attingere ad virtutem practicam, ad quam non attingit artifex inferior, quia non nouit illa media ſuperiora, & vniuerſaliora; & ideò de fine ſuperiori nouit tantùm *quia eſt*; de quo artifex ſuperior nouit *propter quid*.

7. Eodem modo in propoſito, aliquis ſupponens principia ſupernaturaliter cognita, poteſt attingere ad finem ſuperiorem, & reſpectu illius ex actibus conformibus acquirere habitum in appetitu conformiter inclinantem illis, & rationi rectæ, ad quem non attingit aliquo modo non præſupponens notitiam illorum principiorum ſupernaturalium, & per conſequens ſequitur quòd virtutes Euangelicæ innitentes iſtis principiis ſupernaturaliter cognitis, vt ex ſcriptura diuina, vel per reuelationem; habent firmiorem, & ſtabiliorem regulam, licèt non naturaliter notam, in lumine naturali, quàm temperantia, vel liberalitas, vel aliqua alia virtus moralis acquiſita merè lumine naturali, nullo præſuppoſito ſupernaturali tali, quia non poteſt falli, nec decipi, qui dixit, Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Et Lucæ 14. *Si quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet* &c. Item Matth. 10. *Si quis renunciauerit ſe ipſum*, id eſt, voluntati propriæ, &c.

Virtutes Euangelicæ, ſunt firmiores virtutibus meræ lumiae naturali acquiſitis.

8. Ad propoſitum, dico quòd ex ſupradicta regula pœnitentiæ, & pœnæ ſibi infligendæ ſecundùm determinationem eius in ſcriptura ſacra, poteſt quilibet in ſe ipſo generare habitum elicitiuum, per quem eſt pronus ad puniendum in ſe offenſam Dei, quam ex peccato incurrebat pœna dictata ex ſcriptura; vel ſicut credit Deum velle ipſum puniri, pro tali peccato, & generabitur in illo virtus moralis, illa regula ſupernaturali præſuppoſita; licèt non merè ex naturalibus omninò acquiſita; ſed illa pœnitentia, cui correſpondet in intellectu regula cognita lumine naturali non ſolùm dicitur virtus, ſed ex naturalibus acquiſita.

Per hoc reſpondeo ad formam illius obiectionis, cùm arguitur, quòd virtus moralis acquiritur ex puris naturalibus; ſi intelligitur quantùm ad generationem eius in ſe, & quantùm ad generationem omnium, quæ requiruntur, ſic falſa eſt propoſitio, quia non omnis virtus moralis poteſt ſic generari ex puris naturalibus, nullo ſupernaturali præſuppoſito. Si autem intelligitur quantùm ad materiam eius habitus in ſe, ſic verum eſt, quia præſuppoſita regula ſupernaturali poteſt iſta virtus, & omnis talis, naturaliter acquiri per actus naturaliter electiuos conformes illi ſupernaturali regulæ.

Informa ad inſtantiam.

Ad primum argumentum principale, cùm arguitur, quòd pœna eſt ordinatiua, & quòd vnius culpæ vna eſt ordinatio, dicendum quòd illud ordinans, quod vult placare alium, contra quem culpa committitur, non placat illum ſufficienter, niſi infligat tantam, & talem pœnam, quantam, & qualem ille, qui debet placari, ordinabat, maximè quando ſcit ipſum eſſe iuſtum, & ſemper velle citra condignum punitionem culpæ. Nunc autem Deus, qui eſt miſericors & iudex miſeriæ, ordinauit plures pœnas infligi pro vna culpa; vnde ſi pœna eſſet ordinatiua culpæ ex natura culpæ in ſe, & non ex ordinatione terti ordinantis illam, qui debet placari per illam, vera eſſet illa propoſitio: modò quia è conuerſo eſt, ideò oportet pœnam vnam, vel plures infligi, ſicut placuit, & ordinauit iſte, qui debet placari per illam, vel illas.

Ad primum ipſo le.

Ad aliud, dico quòd illa pœnitentia reddit æquiualens pro æquiualenti, & ideò licèt vnius pœnæ inflictio poſſet ſufficienter auferre, & ordinare culpam in ſe, ſicut actus iſte diſplicentiæ interioris, quem eſſentialiter reſpicit pœnitentia, ad alias pœnas exteriores, vt confeſſionem, & ſatisfactionem, tenetur ex præcepto Chriſti, vel Eccleſiæ, licèt illæ pœnæ non ſint præcisè in tempore neceſſariæ ad remiſſionem peccati, nec tamen ſunt fruſtrà, quia peccator infligendo ſibi illas pœnas, & exercendo ſe in eis, multùm meretur ex obiecto, non ex actu virtutis pœnitentiæ. Ad tertium, cùm dicitur quòd vnius virtutis tantùm eſt vnus actus, concedo; & ſic pœnitentiæ virtutis vnius eſt actus vnitate perfectionis, & totalitatis, non per vnius pœnæ inflictionem, ſed plurium. Patet in furto, vbi pluresinfliguntur.

Ad ſecundũ

Ad pœnas exteriores tenatur peccator ex præcepto Chriſti vel Eccleſiæ.

Ad tertium.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm per ſacramentum pœnitentiæ peccatum dimittatur?

Alens. 4. *p. quæſt.* 8o *m.* 1. D. Bonau. *d.* 8 *art.* 1. *quæſt* 1. Richard *art.* 2. *quæſt.* 1. D Thom. *quæſt.* 1. *art.* 3 & 1. *p. quæſt.* 86. *art* 6 *quar.* to. 4. *d.* 16. *ſ.* 1. *Bellarm. t.* 1. *de pœnit. c.* 13. *Coccius* 2. *to. l.* 7 *a.* 1.

1. Vòd non; ſuper illud Pſalm. 7 1. *Dixiconfitebor* &c. dicit Aug. *id eſt, deſiderim apud me interiùs*

Ad primum negatiuum. Auguſtinus.

interiùs habui, quòd confiterer, & tu remiſiſti, &c. vbi Caſſiodorus, *Magna Dei pietas, quòd adſolam confeſſionem peccata dimittit*; igitur ſine pœnitentiæ ſacramento dimittitur peccatum; non igitur per ipſam, quia vnius delicti non ſunt duo remedia totalia neceſſaria.

Secundum. Item, Caſſiodorus ſuper Pſalm. eundem *vetum eius pro operatione iudicatur*: non igitur oportet peccatum dimitti ſacramento pœnitentiæ.

Caſſiodorus.

Tertium. Auguſt. Item, Auguſtinus ſuper illud Io. 11. de ſuſcitatione Lazari & ponitur in litera; *nemo poteſt cõfiteri niſi priùs ſit ſuſcitatus*. Et ponit exemplum de Lazaro, qui non iubetur abſolui antequã ſit ſuſcitatus à morte. Sed nullum recipit ſacramentum pœnitentiæ, niſi priùs ſit confeſſus, & abſolutus; igitur priùs eſt ſpiritualiter ſuſcitatus, quàm aliquid de ſacramento fiat circa ipſum.

Quartum. Item, ſi peccatum dimittatur per ſacramentũ pœnitentiæ; igitur ſacerdos miniſtrans hoc ſacramentum pœnitentiæ, aliquo modo dimitteret peccatum, ſaltem miniſterialiter; ſed hoc eſt falſum, vt videtur per Hieronymum ſuper illud Matth. 16. *Tibi dabo claues* &c. vbi dicit quòd *ſacerdotes veteris legis nullo modo leproſos mundabant, ſed eos mundatos oſtendebant*. Sic ſacerdotes Euangelici nullo modo peccata dimittunt, ſed ea dimiſſa oſtendunt.

Hieronymus.

2. *Ratio ad oppoſitum. Matth.* Contrà, Matth. 16. dictũ eſt Petro, & eius ſucceſſoribus: *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit* &c. *& quodcunque ſolueris*, &c. igitur ſacerdos habet poteſtatem aliquo modo dimittendi peccata, non niſi per ſacramentum pœnitentiæ.

Ioann. Item, Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: non poſſunt remittere, niſi per ſacramentum pœnitentiæ, & eſt poſſibile primò quòd non remittantur; igitur tunc remittuntur.

SCHOLIVM I.

Ponit definitionem ſacramenti pœnitentiæ, explicans omnia ad eam requiſita ex parte materiæ, formæ, & miniſtri. Hoc ſacramentum de facto inſtitutum eſſe probat ex Matth. & Ioan. quorum locis ad id vtitur Trid. Seſſ 14. c. 6. Vide ſcholium in Oxon. hic ad n. 5. Explicat pulchrè congruentias inſtitutionis eius.

3. CIrca ſolutionem huius quæſtionis primò pono rationem nominis *pœnitentiæ*, quæ eſt ſacramentum: ſecundò, oſtendo quòd illi rationi nominis aliquid ſubeſt iuris. Et tertiò ex his declaratis apparebit ſolutio quæſtionis propoſitæ.

4. *Quid ſit pœnitentia ſacramentum?* Quantùm ad primum, pono talem rationem nominis pœnitentiæ, quæ eſt ſacramentum, ſcilicet, *Pœnitentiæ ſacramentum eſt abſolutio hominis pœnitentis facta certis verbis debita intentione prolatis à ſacerdote iurisdictionem habente, ſignificans efficaciter ex inſtitutione diuina emundationem animæ à peccato*. Expono particulas huius deſcriptionis; *ſacramentum pœnitentiæ*, ſiue genitiuus intranſitiuè conſtruatur cum nominatiuo, vt hîc, *creatura ſalis*, id eſt, creatura quæ eſt ſal; ſimiliter hoc ſacramentum, quod eſt pœnitentia: ſiue in ratione tranſitiui, vt domus hominis, quod verius credo, Dico quòd *eſt abſolutio à ſacerdote iurisdictionem habente*, quia Iudex, qui habet auctoritatem cognoſcendi in cauſa, habet auctoritatem iudicandi in ea; ſed poſſibile eſt quòd ſacerdos ſit iudex habens poteſtatem cognoſcendi in cauſa; igitur & iudicandi & definiendi in cauſa: ſed abſolutio ſacramentalis eſt ſententia definitiua eius, qua aliquis oſtenditur modò innocens; qui priùs fuit nocens, & eſt ſententia Iudicis ſecundarij, non principalis, & poteſt dici iudiciaria ſententia; igitur ſacramentum pœnitentiæ eſt abſolutio.

Explicat particulas ſingulas definitionis.

Quomodo ſententia iudicis ſecundarij eſt definitiua.

5. Oſtendo ſecundò ſecundam particulam poſitam in definitione, ſcilicet quòd ſit *hominis pœnitentis*; quia ſi aliquis eſt pertinax, magis eſt puniendus, quàm abſoluendus. Et ideò adhoc quòd ſit diſpoſitus, vel idoneus ad abſolutionem ſuſcipiendam, requiritur in eo aliqua humiliatio, & diſplicentia de peccato; eſt igitur *hominis pœnitentis*; & quia omne ſacramentum vel eſt ſignum ſenſibile, vel ſigna ſenſibilia, & in hoc ſacramento non eſt tantùm niſi vnum ſignum ſenſibile, & in *fieri*, vt verba abſolutionis in *proferri*; Ideò additur in deſcriptione quòd *fiat cum verbis certis* illa abſolutio; hoc enim eſt neceſſarium ſicut ad formam alterius ſacramenti eſt neceſſaria certitudo, ſed non ita quòd forma verborum hîc ſit ita præcisè in certitudine, ſicut in Euchariſtia, ſed ſaltem ſic debet eſſe certa, quòd habeat eandem ſententiam qualitercunque varientur verba; conuenienter tamen tenetur, quòd iſta verba *ego abſoluo te* ſint de forma ſacramenti abſolutionis, licèt alia quæcunque ſequuntur, diuerſimodè explicentur apud diuerſos.

Quare non requiruntur certa verba in ſacramento pœnitentiæ ſicut in Baptiſmo & Euchariſtia.

Forma aptè pœnitentis. ego te abſoluo.

6. *Corollarium. Cur hoc ſacramentum dicatur habere ſolam formam & non materiam.* Et ex hoc ſequitur quoddam corollarium, quòd ex quo hoc ſacramentum non eſt niſi in *fieri*, nec habet niſi vnum ſignum ſenſibile, vt verba prolata, quòd hoc ſacramentum habet tantùm formam, & non propriè materiam, * nam confeſſus, & abſolutus, vel pœnitens, non poteſt dici materia huius ſacramenti, ſicut nec ſacerdos ſuſcipiens Euchariſtiam poteſt dici materia Euchariſtiæ, vel baptizatus materia Baptiſmi.

Vide in Oxoniſ. ſchol. n 3 & d. 16. q. 1. n. 6. & 7. & ſchol. ibidem, cum cõmentariis. Hiquæi.

Et additur *prolatis certis verbis à ſacerdote*, quia congruum eſt quòd ſicut in Eccleſia cœleſti reducuntur inferiores ad ſuperiorem per Hierarcham medium, ita eſt congruum in militante Eccleſia quòd peccatores reducantur, & coniungantur per ſacerdotem, qui eſt medius inter infimum & ſupremum. Vnde à laïco nihil fit omninò, & ideò omninò inutilis eſt confeſſio, quæ fit ei, niſi quatenus per talem confeſſionem patitur per dolorem, vel verecundiam aliquam, quam aliàs non haberet, niſi ex illis pœnis, quas ſibi infligit pro peccato ſuo voluntariè, meretur, & nullo modo, quia dicit laïco, quia ſi ſola imaginatione illorum poſſet tãtum verecundari de eis, vel plus, tantum vel plus meretur.

Sacerdos inter Chriſtum & peccatorẽ eſt mediator.

7. *Quare in ſacerdote requiratur iuriſdictio.* Sed iſta abſolutio peccatorũ non fit ab omni ſacerdote, ſed à ſacerdote *iuriſdictionem habente*, quia ſententia, vel iudicium à non ſuo iudice definitum, vel latum, nullum eſt; igitur ſacerdos debet habere iuriſdictionem aliquam ſuper reum. Ex quo ſequitur corollarium quoddam, quòd ſacramentum pœnitentiæ includit rationem ſacramenti, & iudicij. Et ideò quantùm ad iudicium, eſt ibi forum conſcientiæ inter abſoluentem, & pœnitentem abſolutum, & hoc ſacramentum eſt ſignum gratiæ inuiſibilis conferendæ abſoluto; & ideò ſubditur, *ſignificans gratiam*, non abſolutè, & omni modo, vt ſignum naturale, ſed ad placitum; & ideò additur *ex inſtitutione diuina*. Nam hoc inſtituit.

Sacramẽtum pœnitentiæ eſt ſignum ad placitum gratia collata.

Chriſtus

Ioann. Chriſtus, Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* & ideò habet effectum ſignificatum; quòd exprimit, cùm dicitur *ſignificans emundationem animæ à peccato.* Igitur illæ particulæ prædictæ deſcriptionis conueniunt hoc modo ſacramento pœnitentiæ.

8. *Congruentia pro ſacramẽto pœnitẽtiæ.* Quantùm ad ſecundum principale, dico quòd huic deſcriptioni nominis *pœnitentiæ ſacramenti* aliquid ſubeſt iuris, & hoc poſſibile eſt, & congruum, & factum eſt; primum ſcilicet quòd poſſibile eſt aliquid ſubeſſe; probo, quia articulus, fidei eſt de remiſſione peccatorum: igitur poſſibile eſt aliquem inſtituere aliquod ſignum ſenſibile, quod ſemper quantùm eſt ex ſe, ſignificet iſtum effectum, nam & ego poſſum huiuſmodi ſignum ſtatuere ad ſignificandum quicquid concipio; igitur multò fortiùs Deus hoc poteſt.

Item, congruum eſt, quòd aliquid inſtituatur ad huiuſmodi remiſſionem peccatorum ſignificandum, quia ſenſibilia manuducunt in cognitionem inſenſibilium, & intelligibilium, ſecundùm Apoſtolum, *Rom.* 1. per hoc ſacramentum, quod eſt ſignum ſenſibile, certificamur de effectu ſuo, quem ſignificat, & ex iſto inducimur ad frequentiùs quærendum ipſum, & effectum eius, & ad ampliùs diligendum, pro quanto hoc ſignum, ſcilicet abſolutio exterior, magis conuenit ex naturali ſimilitudine cum effectu, qui eſt abſolutio interior à peccato, & congruum eſt vt fiat à Sacerdote, qui tenet medium gradum in Eccleſia militante, quo reducuntur inferiores cum ſupremis, ſicut per medium, non verò per illos, qui nullum gradum habent in Eccleſia, & congruum eſt quòd abſolutus ſit pœnitens, quia conſuetum eſt apud Iudicem ſæcularem vt humiliatum liberet, & obſtinatum, & rebellem condemnet.

9. Hoc etiam factum eſt Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata*, &c. & quibus commiſſa eſt poteſtas ſuper corpus Chriſti verum, commiſſa eſt poteſtas ſuper corpus Chriſti myſticum, quod eſt congregatio fidelium, quia dictum eſt omnibus Sacerdotibus, *hoc facite in meam commemorationem*, vt habetur *extrà de Trin. & fid. Cath. c. de Euchariſtia*; ita dictum eſt, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c.

SCHOLIVM II.

Contra Magiſtrum reſoluit Sacerdotem abſolutione tollere culpam, etſi dolor, quæ ſit vera contritio, non præcedat. Ita Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. & 6. & ſeſſ. 13. c. 7. Patres citati à Bellarm. & Coccio ſuprà: quod hic ait, non requiri diſpoſitionem, ſed carentiam indiſpoſitionis, *vult non requiri diſpoſitionem ſtatus gratiæ, ſicut requiritur, in ſacramentis viuorum: docet tamen requiri diſpoſitionem attritionis, ſeu doloris, non ſufficientis ad remiſſionem per modum meriti, de quo latiùs hic à num. 7. & infrà* §. dico quòd, *tantùm eſt attritus vſque ad inſtans vltimum, & per abſolutionem fit contritus.*

10. *Opinio Magiſtri reiicitur.* QVantùm ad tertium articulum videtur eſſe opinio Magiſtri, quòd Sacerdos abſoluendo pœnitentem, nullo modo dimittit peccatum, ſed oſtendit id eſſe dimiſſum. Pro hoc eſt auctoritas Hieronymi allegata, & Auguſtini ſuper illud Pſalm. *Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?* ſed iſtud nimis parum tribuit ſacramentis.

Auguſt. in Pſal. 87.

Et ideò dico quòd virtute huius ſacramenti pœnitentiæ confertur gratia ſuſcipienti, & dimittitur culpa, niſi ſuſcipiẽs ponat obicem, ſicut in aliis ſacramentis. Nam in omnibus ſacramẽtis virtute ſacramenti in ſe confertur gratia ſuſcipienti, quia aliter non deſignarent veraciter gratiam, quam oſtendunt, quod eſt inconueniẽs, nec requiritur aliqua alia diſpoſitio in ſacramentis, qua confertur gratia per modum ſacramenti, quàm ipſamet ſacramenta, licèt aliqua diſpoſitio poſſit conferre gratiam in ſacramento per modũ meriti, vt dictum eſt *diſt.* 4. de Baptiſ. * Requiritur tamẽ vt dixi, in hoc ſacramento ſicut in aliis, quòd in ſuſcipiente non ſit contraria diſpoſitio effectui huius ſacramenti, ponendo obicẽ actualem illi. Vnde ſi aliquis confiteatur non contritus, dummodò non actu peccet mortaliter, recipit effectum huius ſacramenti. Si verò confitens conteratur de peccato ſuo, recipit gratiam antequam abſoluatur, & tunc per abſolutionem fit gratiæ illius præhabitæ augmentatio. Et ſi ſic eſt, tunc pœnitentia ſacramentum non eſt ſecunda tabula poſt naufragium præcisè, quia in contritione recipit gratiam, & per conſequens remiſſionem peccatorum. Sicut enim Baptiſmus eſt prima tabula, quia in eo confertur prima gratia poſt dimiſſionem peccati, ita in ſecunda tabula, quæ eſt pœnitentia confertur ſecunda gratia, poſt remiſſionem peccatorum, & collationem primæ gratiæ, quam habuit quando contritus, vel attritus erat ante abſolutionem. Nec hoc eſt irrationabile, quia ſi attritus in vltimo inſtanti attritionis ſuæ haberet maiorem motum in Deũm, quàm priùs habuit, probabile eſt quòd Deus daret ei gratiam, quia ipſa eſt diſpoſitio ad gratiam de congruo.

11. *Reſolutio Doctorum Alenſ.*

* q. 7. n. 2. *Quærit attritionem vt abſolutio teneat, quicquid alij ſingunt.*

Vnde pœnitẽtia dicitur ſecunda tabula.

Peccatum commiſſum poſt Baptiſmũ remittitur per pœnitentiam.

Et ſi obiicis, ſi pœnitenti remittuntur peccata, & datur gratia per contritionem, quam habet ante ſacramentum pœnitentiæ ſuſceptum, & ante abſolutionem, igitur cùm propter eoſdem effectus ponatur pœnitentia ſacramentum neceſſaria, videtur quòd pœnitentia ſacramentalis ſit ſuperflua, vel non neceſſaria.

12. *Obiectio.*

Dico, quòd bonus motus præcedens ſacramentum pœnitẽtiæ, tantùm eſt attritio, & diſpoſitio de congruo ad deletionem culpæ, & infuſionem gratiæ, quæ remiſſio culpæ, & collatio gratiæ ſunt in virtute ſacramenti Pœnitentiæ, & non in virtute attritionis tantùm, niſi diſpoſitiuè. Sed hæc attritio poſt collationem gratiæ, quæ confertur in ſuſceptione ſacramenti, fit contritio formata. Vnde pœnitens accedens ad ſacramentum Pœnitentiæ oportet quòd atteratur, vel quòd non ponat tunc obicem, per diſpoſitionem contrariam, & peccatum actuale, & non oportet quòd tunc habeat contritionem, veram & formatam, quia tunc remitterentur peccata ante ſuſceptionem, & per conſequens nõ video, quomodo ſacramentum pœnitentiæ poſſit tunc ſaluari eſſe ſecunda tabula poſt naufragium, quia per contritionem præcedentem poſſet homo ſufficienter ſaluari. Et ideò dico quòd ſicut in Baptiſmo virtute Baptiſmi remittitur omnis culpa, & pœna, & confertur gratia, ita hîc virtute ſacramenti tantùm remittitur culpa, & confertur gratia, non quidem per modum meriti, vt dictum eſt.

Reſponſio.

Quomodo ex attritus fit contritus.

Ad valorem ſacramenti pœnitentiæ ſufficit, & requiritur ſola attritio.

Ad primũ, cõcedo quòd peccatũ frequẽtius dimittitur à Deo per diſpliceniã interiorẽ de peccato ante ſacramentũ pœnitẽtiæ, per actũ pœnitentiæ

13. *Ad primum arg. in principio quæſt.*

tentiæ virtutis, & tamen ſemper ſacramentum Pœnitẽtiæ eſt neceſſarium, propter præceptum Dei,& Eccleſiæ,de confeſſione facienda.

Ad ſecundũ. Confeſſio aut plena laudis & fraudis.

Ad ſecundum dico,quòd duplex eſt confeſſio, ſcilicet fraudis,& laudis;nam confeſſione laudis nullus digne poteſt confiteri,niſi actu ſuſcitetur per gratiam,quia dignus Dei laudator nõ eſt aliquis,niſi amicus eius per gratiam,ſed confeſſione fraudis ſuæ, & peccatorum ſuorum poteſt aliquis confiteri, etſi non priùs actu ſuſcitetur per gratiam,dummodò habeat votum,& deſiderium ſuſcitari.Et ita intelligit Auguſtinus citatus. De Lazaro,qui priùs fuit ſuſcitatus quàm à vinculis abſolutus, dico quòd peccator per peccatum ligatur quibuſdam vinculis in foro conſcientiæ,& voto,& quibuſdam vinculis pœnæ æternæ, quia pro peccato ordinatur ad pœnam æternam, quia in tempore,quo peccauit, adhæſit peccato, tanquam æterno,quãtùm in ſe fuit, & propter illud dereliquit æternum Deum.Et ſic ligatus dum ligatur,debet ſe abſtinere à ſuſceptione ſacramentorum Eccleſiæ,quia tunc ponit obicem,quando eſt ſic ligatus in conſcientia, & in voto, & per conſequens,eſt in diſpoſitione contraria effectui ſacramentorum; confitendo autem & pœnitẽdo de peccato, ſoluitur in ſuſceptione ſacramentorum.Priùs igitur ſuſcitatur,ſi non ponit obicem, & abſoluitur à Deo principaliter à vinculis pœnæ æternæ, quàm miniſterialiter à vinculis Eccleſiæ; ſed tamen priùs natura ſuſcitatur à pœna æterna,& actuali obice in voto,quàm à vinculis abſolutus ſit.

14. Obiectio.

Et ſi dicas quòd miniſterialiter ſuſcitatur à Sacerdote;igitur Sacerdos eſt inſtrumentum Dei in collatione gratiæ.Reſpondeo quòd verum eſt eo modo, quo ſuprà dictum eſt de Baptiſmo, quòd eſt inſtrumentum diſponens de congruo ſuſcipientẽ ſignum ſacramentale, ad recipiendum effectum talis ſigni; quia ſicut illud ſignum inſtituitur à Deo ad efficaciter, & veraciter ſignificandum quòd fiat, ita eadem inſtitutione habet ſignatum ſuum ſecum ſemper,quantùm eſt ex ſe; & ita ex pacto, quo Deus pepigit cum Eccleſia, ſemper confert Deus gratiam, niſi impedimentum obſiſtat.

Solutio.

Ad vltim.

Ad aliud, dico quòd Sacerdos habet illum actum abſoluẽdi miniſterialiter, cui Deus aſſiſtit principaliter mundans ipſam animam confitentis per gratiam, & Sacerdos miniſterialiter, vt dictum eſt.

Sed cùm arguis quòd nõ, quia ſicut nec legalis Sacerdos mundabat, ſed oſtendebat fore mũdatum,ita Euangelicus tantùm oſtendit mundatum.Reſpondeo quòd non eſt ſimile,quia in veteri lege non fuit ſacramentum, quo adhibito à Sacerdote mundaretur peccator à lepra peccati regulariter, quia non tantam gratiam dedit illis ſacramentis,ſicut noſtris,nec per conſequens tãtam poteſtatem miniſtrandi illi Sacerdoti ſicut noſtro In lege autem Euangelica eſt tale ſacramentũ,quo adhibito mũdatur peccator à peccato. Vnde hæc affirmatiua abſolutè eſt vera,quòd Sacerdos Euangelicus oſtendit mundatum,ſicut ille Moſaicus;quia tamen aliquid facit Sacerdos hîc quod nõ fecit ille ibi; Ideò hæc conſequẽtia neganda eſt,legalis tantùm oſtendit aliquem eſſe mundatum,& nullo modo mundauit; igitur Sacerdos noſter nullo modo mundat, ſed tantùm oſtendit aliquem eſſe mundatum.

Sacerdos noue legis mundat & oſtendit mundatum veteris verò ſolùm oſtendebat.

DISTINCTIO XV.

DE SATISFACTIONE.

QVÆSTIO I.

Vtrùm cuilibet peccato mortali actuali correſpondeat ſatisfactio propria?

Alenſ 4.*part.quæſt.*84 *per totam* D.Bonauent *hic art.*1 *q.*1. *&* 3.D.Thom.*quæſt* 1.*& in ſuppl.quæſt* 5 *art.*2.Richard. *art.*1 *quæſt* 2.Bellarm 4.*de pœnit.* Suar.4. *tom. diſp* 28. Coccius 2.*tom lib.*7.*art* 4.Scot.*in Oxon hic quæſt.*1.*& in Theorem* 5. Non poteſt probari.

1. Arg.primum negatiuum.

ARguitur quòd nõ,quia tunc poſſet ſatisfieri de vno peccato,& non de alio ; ſed ſatisfaciens ſufficienter pro vno peccato , eſt amicus , vel non inimicus,quod videtur inconueniens.

Secundum.

Item, ſi ſic;poſſet tunc abſolui ab vno peccato,& manere in alio.

Tertium.

Item, ſi cuilibet peccato debetur propria ſatisfactio,igitur vni peccato debetur propria oratio , vt ſatisfactio , & alteri ieiunium , & alteri eleemoſyna , & per conſequens illæ tres partes pœnitentiæ , non poſſent imponi vt ſatisfactio, pro aliquo vno peccato , quod eſt falſum , nec quælibet illarum pro quolibet peccato alioquin pauper habens aliquid iniuſtè , non poſſet ſatisfacere.

Quartum.

Item,ſola contritio,ſi fuerit intenſa,ſufficit ad deletionem peccati; ſed contritio eſt indifferenter de quocunque peccato ; igitur non cuilibet peccato correſpondet propria pœna.

Ratio ad oppoſitum.

Contrà:cuilibet culpæ correſpondet propria pœna,iuxta illud Apoc.18. *Quantum glorificauit ſe in deliciis,tantum date illi tormenti , & luctus* ; ergo correſpondet luctus ipſius peccatis ſuis.

SCHOLIVM I.

Poſita definitione ſatisfactionis,docet contra ſententiam,quæ videtur Anſelmi,de potentia abſoluta hominem independenter a Paſſione Chriſti poſſe ſatisfacere,non tamen de potentia ordinata.

2. Satisfactio duplex.

REſpondeo ad quæſtionem , & dico quòd *ſatisfactio* poteſt dupliciter ſumi;generaliter,& ſtrictè;Primo modo dico , quòd *ſatisfactio* de virtute vocabuli generaliter loquendo importat *redditionem voluntariam æquiualentis alias indebiti.* Quòd autem ſit *reddditio* , patet per ſignificatum vocabuli,& aliter nõ eſſet ſolutio debita,nec per conſequẽs ſatisfactio.Quòd autem ſit *voluntaria*, manifeſtum eſt,quia aliter nõ eſſet *ſatisfactio*,ſed *ſatispaſſio* , & ita non eſſet redditio , ſed repaſſio. Item quòd ſit æquiualentis, patet,quia eſt actus iuſtitiæ , cuius eſt ſingula ſingulis debito modo reddere.Item,quòd ſit ſolutio *aliàs indebiti*,patet, quia non eſſet ſatisfactio , ſi ſine hoc deberetur alicui.Illa eſt igitur ratio generalis ſatisfactionis, prout inuenitur in contractibus , & in commutationibus quibuſcunque.

Satisfactionis definitio & explicatur.

Et illo modo accipiendo *ſatisfactionem*,videtur impoſſi

3.

impossibile satisfieri Deo pro peccato, quia per peccatum aufertur Deo honor sibi debitus; nihil autem honori eius est æquiualens in nobis; igitur non videtur quòd sibi possit debitum restitui, nec per consequens satisfieri.

Secundò.

Item, peccatum mortale est infinitum malum, quia est tantum malum, quantum est illud bonum, contra quod peccat: sed omne bonum, per quod nos possumus satisfacere, est finitum; igitur non est æquiualens.

3. *Tertiò. Nihil habemus quod non debeamus Deo aliquo modo.*

Item, quidquid est in nobis de bono, totum est Deo debitum ratione creationis, reparationis, gubernationis &c. igitur nihil est in nobis de bono, nec esse potest, quin aliàs sit debitum; satisfactio autem debet esse de eo, quod non esset aliàs debitū; igitur non possumus sibi satisfacere.

4. *Hæc est Anſel. Sententia, lib. cur Deus homo. cap. 20.*

Quomodo igitur est possibile nobis satisfacere Deo pro peccato? Dicunt quidam, quòd non conuenit satisfacere simpliciter, nisi in virtute meriti passionis Christi, qui non pro peccato suo, sed nostro gratiosè offerebatur. Vnde omnis alia satisfactio videtur esse insufficiens & secundùm *quid*, nisi quatenus coniungitur passioni Christi, quæ est satisfactio simpliciter.

5. *Impugnatur primò.*

Sed licèt istud verum sit aliquo modo, scilicet quòd parùm valeat omnis nostra satisfactio, nisi virtute meriti passionis Christi, per quam patet nobis via salutis, *& omnes iustitiæ nostræ sint sicut pannus menstruatæ.* Isai. 64. tamen quòd nullo modo possit fieri satisfactio, sicut verba illa sonant, non intelligo, quia possibile fuit Christum non fuisse incarnatum, nec per consequens passum, & etiam possibile fuit peccatorem satisfacere pro peccato suo per aliquam pœnam ordinantem, & per illam reparari. Hoc etiam conuenit misericordiæ, & iustitiæ, quia non præcluſit homini viam salutis, & per consequens non fuisset tunc reparatus, nec satisfeciſſet in virtute meriti passionis Christi.

Confirmatur.

Confirmatur per Augustinum, lib. 13. de Trin. c. 10. *Non defuit Deo alius modus reparandi genus humanum, quàm per passionem Christi:* licèt ille modus reparationis sit maximè congruus, & certò alius fuisset congruus, si alio modo reparasset.

6. *Secundò*

Passio Christi vt causa meritoria efficiès delet culpā.

Item, si passio Christi sit satisfactoria pro peccatis, hoc non est nisi sicut causa effectiua meritoria, vel sicut efficiens meritoria; sed quidquid potest Deus facere per causam secundam in genere causæ efficientis, potest sine ea immediatè & per se; igitur potuit immediatè iustificasse peccatores, etsi nunquam fuisset nec incarnatus, nec passus.

Tertiò.

Conuersio ad tantum bonum, quantum malum auersio.

Item, satisfactio est *redditio æquiualentis pro æquiualenti*. Sed tantum bonum est conuersio ad bonum infinitum, & Deum per charitatem, quātum malum fuit auersio per peccatum à Deo, quia quantitas priuationis semper attendenda est secundùm quantitatem habitus sui: igitur si fuit possibile per peccatum auferre à Deo honorem sibi debitum, possibile est per charitatem & gratiam restituere sibi tantum honorem, quantum abstulit; & per consequens peccator contristando de peccato suo, & conuertendo se humiliter, potest satisfacere pro peccato suo, quia tantum bonum est in actu contritionis & conuersionis ad Deum per pœnitentiam, quantum fuit malum in actu culpæ & auersionis eius à Deo.

Replica.

Si dicas quòd gratia, per quam acceptatur pœnitens, & actus eius fit bonus, & meritorius, datur animæ virtute passionis Christi, quia sine passione Christi non fuisset gratia alicui data, & ideò semper stat argumentum, quòd virtute passionis Christi tantum satisfacere potest peccator.

7. *Solutio.*

Respondeo, licèt ita sit de facto, quòd gratia modò datur virtute passionis Christi, nō tamē est hoc simpliciter necessarium, quin alio modo posset hominem iustificare; posset enim Deus homini dare primam gratiam sine merito passionis Christi exhibitæ, vel exhibendæ in futurū, & hoc factū est. Patet de anima Christi, cui dedit Deus summam gratiam, quam tamen sibi non meruit passio, nec exhibita, nec exhibenda, quia si nunquam mortuus, nec passus fuisset, non fuisset minùs Deo gratus. Hoc constat.

Christus non meruit sibi gratiam summam.

8. *De facto omnis satisfactio est virtute passionis Christi.*

Respondeo igitur quòd loquendo de potentia absoluta, possibile fuit satisfactionem sibi fieri, & sine incarnatione Christi, vel passione eius; igitur non est præcisè possibilitas satisfactionis ex eis: de potentia tamē ordinata non potuit aliter esse satisfactio debita, & completa, quàm per passionem eius, quia sic ordinauit, quòd per eam fieret completa & vltima satisfactio.

9. *Probatio primæ partis cōclusionis.*

Primum patet, quòd de potentia absoluta aliter posset Deo satisfieri; suppositā gratia & charitate in satisfaciendo, quia sine gratia impossibile est placere Deo, satisfactio enim, vt dictum est, *est redditio æquiualentis pro æquiualenti aliàs non debiti.* Posset autem alicui pœnitenti dare tantam gratiā, in cuius actu est formaliter tanta bonitas, quanta fuit malitia in actu culpæ, & ideò in acceptatione diuina daret æquiualens pro æquiualenti, & illud bonum esset aliàs indebitum, licèt enim secundùm totum illud, quod sumus, & possumus, teneamur Deo propter suam magnā bonitatem, ex debito persoluere; propter tamen nostram imbecillitatem, & miseriam noluit nos sibi obligari, nisi ad Decalogum præceptorum, & nō ad cōsilia obseruanda ex debito, quæ sunt supererogationis, sed ex mera voluntate nostra; & ideò posset Deus opera consilij & supererogationis ordinare tanquā satisfactionem sufficientem pro peccato, & æquiualentem per gratiam in acceptatione sua, & tanquam aliàs indebitam, quia nō instituit hominem ad opera consilij obligari, sicut ad opera præcepti. Et ideò quomodo opera præceptorum sunt ei debita, quia ex obligatione, ita opera consilij indebita; non quia non debeantur sibi, sed quia non obligauit nos ad ea obseruanda, sed commisit libertati voluntatis nostræ; & ideò vt per illa, vel per passionem aliquorum aliorum terribilium possit absolutè fieri satisfactio.

Non debemus Deo de rigore iustitiæ opera nostra supererogatoria.

10. *Probatio secundæ partis.*

Secundum probo, quia de potentia ordinata non disponit aliquem posse sibi satisfacere, nisi cui disposuit dare gratiam; non dat autem gratiā primam alicui animæ dum est in peccato, & in dispositione cōtraria ad gratiam, nisi virtute meriti illius, qui erat sine peccato: igitur si alicui animæ dum est in peccato, & in dispositione contraria aliquando nocenti, dat gratiam, hoc est virtute meriti passionis Christi, quia omni animæ disponit dare gratiam virtute meriti illius animæ innocentis, & passionis eius, & sic non ordinauit aliquam satisfactionem posse fieri, nisi merito passionis Christi.

Nulla datur nobis gratia sine passione Christi concurrente.

SCHOLIVM II.

Præſuppoſita definitione ſatiſfactionis externæ pro peccatis, docet nullam eſſe propriam vni peccato, & non aliis. Appropriatur tamen ieiunium contra peccata carnis: eleemoſyna contra auaritiam, oratio contra ſuperbiam. Vide ſcholium in Oxon. hîc ad n. 12. Habet Doctor hîc n. 14. & d. 17. n. 22. & d. 19. n. 25 pœnitentem negantem acceptare ſatisfactionem, non eſſe dimittendum abſque abſolutione; pro quo vide adducta in Scholium num. 12.

11. *Quid ſit ſatisfactio externa?*

SEcundo modo ſumendo *ſatisfactionem* ſtrictè, prout ſcilicet diſtinguitur contra alias partes pœnitentiæ, confeſſionem ſcilicet, & contritionem, quæ magis ſatisfaciunt pro peccato, quàm ipſa ſatisfactio, vt eſt tertia pars pœnitentiæ: dico quòd eſt *operatio exterior laborioſa voluntariè aſſumpta ad placandum diuinam offenſam.* & pœna voluntariè ſic inflicta dicitur ſatisfactio *exterior*, prout diſtinguitur ab interiori, ſcilicet attritione, rubore in confeſſione, & contritione, quæ eſt diſplicentia, & pœna interior, & eſſentialiter pœna, quæ magis reddit æquiualens pro peccato, quàm aliqua alia ſatisfactio: quia illa diſplicentia interior, quæ eſt eſſentialiter pœna, poteſt ſatisfacere pro quolibet peccato indifferenter, & illa eſt neceſſaria ad remiſſionem cuiuslibet peccati mortalis, ita quòd neceſſe eſt peccatum diſplicere, vel non placere. Et iſto modo loquendo de ſatisfactione propriè, dico quòd non requiritur propria ſatisfactio de quolibet peccato neceſſariò, nec reſpondet cuiibet culpæ tantùm vna pœna, vel multæ.

Diſplicentia peccati neceſſariò requiritur ad remiſſionem peccatorum.

12. *Deciſio quæſt.*

Hæc enim ſatisfactio diſtinguitur in ieiunium, orationem & eleemoſynam, vt in ſuas partes, quarum qualibet per ſe, vel omnibus ſimul poteſt diuina offenſa placari, quia largam fecit Dominus viam ſalutis; vnde licèt de congruo magis deceat contra ſuperbiam, & alia peccata ſpiritualia ſatisfacere per orationem, quàm per eleemoſynam, & magis conueniens ſit ſatisfactio contra peccatum in proximum, vt peccatum crudelitatis, & auaritiæ, & rapinæ, eleemoſyna, quàm oratio; & ſimiliter contra peccata carnis ieiunium, quam illa prædicta; tamen huiuſmodi, pœnæ poſſunt indifferenter, & pro aliis peccatis infligi. Vnde raptori, qui multa bona acquiſiuit, quando eſt pauper, omninò nihil habens, non eſt imponenda eleemoſyna, propterea, quia nihil habet vnde reſtituat; ſed imponenda eſt ſibi oratio, vel ieiunium; vel ſi non poteſt ieiunare, quia laborat, vel infirmatur, oratio; & ſi non poteſt orare propter nimium laborem, vel infirmitatem, imponatur ſibi labor ſuus, vel infirmitas ſua pro pœnitentia: laboranti autem corporaliter imponenda eſt eleemoſyna pro pœna ſi ſit diues; ſi autem ſit pauper, oratio, & non ieiunium, quia tota vita ſua eſt quoddam ieiunium, quia ſemper eſt in labore quæſitionis victus ſui, qui labor concipitur ſub ieiunio. Similiter peregrinis imponenda eſt eleemoſyna, vel oratio, & non ieiunium, quia peregrinatio eſt labor maximus & pertinet ad ieiunium.

Opera ſatisfactoria externa

Congruenter oratio contra ſuperbiã, cõtra auaritiã eleemoſyna. contra peccatum carnis ieiunium.

13. *Cuilibet peccato non correſpondet propria ſatisfactio.*

Sic igitur dico ad quæſtionem, quòd cuilibet culpæ correſpondet pœna, vel propria ſatisfactio, & pœnalis, de omnibus congruis circumſtantiis concurrentibus; ſed in caſu quandoque non oportet, nec expedit congruiorem pœnam peccatori illi imponere pro ſatisfactione, vt dictum eſt.

SCHOLIVM III.

Probat contra D. Thomam, & alios, ſatisfactionem factam in mortali, pœnam ſoluere, etſi meritoria non ſit: pro quo multa hîc in Oxon. in ſcholio allata ſunt ad num. .

14. *Ad duo arg. prineipalia reſponſio D. Thomæ.*

AD duo prima argumenta, dicitur quòd nullus poteſt ſatisfacere pro vno peccato ſatisfactione exteriori, niſi ſatisfaciat pro alio, ſi habeat aliud, vel ſaltem ſit in voluntate, & propoſito ſatisfaciendi pro alio.

Sed non placet.

Sed illa ſententia eſſet nimis dura contra peccatores: ſi enim ita eſſet, ſequeretur quòd priùs confeſſus, & abſolutus de peccato ſuo, & continuans pœnitentiam ſibi impoſitam à ſacerdote, pro illo peccato, ſi poſt illam confeſſionem aliquando reincidiſſet in aliquod peccatum mortale, nihil facit, & tunc obediendo Eccleſiæ, & ſoluendo completè pœnam ſibi impoſitam à ſacerdote, non ſatisfaceret pro peccatis priùs confeſſis, & modò per pœnitentiam redemptis, quod eſt mihi credere, vel intelligere nimis durum; & conſtat quòd non obediendo præcepto Eccleſiæ de ſoluendo pœnam peccaret mortaliter; igitur obediendo benè facit; quia hoc dicere eſt retrahere hominem ab omni bono opere, quãdo eſt in aliquo peccato veniali, vel mortali.

Quomodo pœna peccati venialis & mortalis in inferno ſoluuntur.

Vnde credo quòd licèt non mereatur continuando pœnitentiam ſuam, quando recidiuauerit, mereretur autem ſi non peccaſſet, verè tamen ſatisfacit Deo per pœnitentiam, quam ſoluit pro peccato ſibi iniunctam, ita quòd non oportet eum alias pro illo ſatisfacere, nec pro eo in inferno punietur; poſſibile eſt enim aliquid ſoluere de pœna in Inferno, pro vno peccato, & tamen obligari perpetuò ad pœnam æternam pro alio. Patet de peccato veniali, quod ſufficienter poteſt ſolui in Inferno ad certum tempus, ſed propter peccatum mortale remanet obligatio ad pœnam æternam.

15. *Valet ſatisfactio exterior facta in peccato mortali pro vno peccato & nõ pro alio: ſecus de interiori. Satisfactio vna meritoria alia verò minimè.*

Dico igitur quòd recidiuans in peccatum poſt confeſſionem, & abſolutionem, poteſt ſatisfacere ſatisfactione exteriori, quæ eſt ſolutio alicuius operis pœnalis, & laborioſi pro vno peccato, licèt non pro alio, licet non poſſit ſatisfacere ſatisfactione interiori de vno; & non de alio.

Vnde duplex eſt ſatisfactio, vna placans, & reconcilians amicitiam, & hæc non poteſt eſſe ſine merito, & gratia, quia nullus poteſt placare ſibi alium, niſi amicus, & per conſequens hac ſatisfactione non poteſt aliquis ſatisfacere de vno, & non de alio. Alia eſt ſatisfactio exterior ſolùm, non placans, nec reconcilians; & hac ſatisfactione aliquis poteſt ſatisfacere de vno, & non alio, quia non oportet quòd ſoluens pœnam iuſtam, ſit amicus illius, quem offendit. Patet de latrone, qui ſuſcipiendo diſpendium, vel aliquã pœnam pro peccato, quod commiſit contra legem impoſitam ſibi à Rege, ſatisfacit ei exteriùs, nòn tamen fit ex hoc amicus Regis, nec reconciliatur ei; ita vt recipiatur in gratiam eius. Eodem modo damnati non complentes pœnam pro aliquo peccato pro eis impoſitam, ſed continuè exſoluentes reſiduum eius in Inferno ſatisfaciunt pro illo; nunquam tamen reconciliantur Deo.

Satis faciens in peccato mortali, non meretur.

16. *Inſtantia.*

Et ſi dicas, igitur damnati in Inferno de omnibus peccatis ſuis poſſent ſatisfacere ſuſcipiendo illas pœnas.

Reſpondeo

Soluto. Iuſtè damnati non ſatisfaciunt.

Reſpondeo, vt dictum eſt, quòd ſatisfactio non ſolùm eſt redditio alicuius operis laborioſi, ſed voluntaria redditio: Dæmones autem non voluntariè ſuſcipiunt illas pœnas propter nimiam, & immoderatam affectionem commodi, & non affectionem iuſtitiæ, quæ regnat in eis, & ideò non poſſunt ſatisfacere.

16. *Expleti pœnitentiam in mortali, & reſurgenti nõ eſt imponenda noua.*

Dico igitur ad hæc argumenta, quòd talis licèt non eſſet amicus Dei per gratiam, ſatisfaceret tamen de peccatis prioribus, ſoluendo impoſitam ei pœnam pro eis, nec eidem de nouo venienti ad confeſſionem eſt iniungenda pœna noua pro illis peccatis, pro quibus ſatisfecit; ſed pro illis, pro quibus non ſatisfecit.

Ad tertium.

Ad aliud, quando arguitur quòd tunc non poſſet imponi vni peccato niſi vna pœna; patet reſponſio per prædicta; Illæ enim tres partes ſatisfactionis poſſunt eſſe vel vna, vel plures pœnæ aſſignandæ pro peccatis, vel peccato indifferenter ſecundùm arbitrium, & diſcretionem, & definitionem Sacerdotis; licèt de congruo omnibus concurrentibus eſſentialibus quælibet ſatisfactio proprio delicto correſpondeat.

17. *Ad quartum.*

Ad aliud de contritione, facit pro me, concedo quòd tantam poteſt homo habere contritionem, & pœnam interiorem, quòd ſufficienter deleat peccata, & obligationèm ad omnem pœnam exteriorem; niſi quod tenetur ex præcepto Dei, & Eccleſiæ de confeſſione facienda Sacerdoti, quãdo opportunitas debita occurreret, nec hoc eſt ſibi inutile, imò valdè vtile, quia ex hoc auget ſibi gratiam, & meretur; ſi autem contritio non ſit tanta, quòd deleat omnem culpam, ſed aliquam minorationem eius, & remiſſionem, tunc adhibendæ ſunt aliæ pœnæ exteriores, vt ieiunium, & oratio, & eleemoſyna, vt peccatum totaliter redimatur, & inter has quædam de congruo magis deberent imponi aliquibus peccatis generaliter quàm aliæ, licèt non ſemper in omni caſu.

Contritio aliquando tollit totam pœnã, aliquando partem.

Ad argum in oppoſitum.

Ad aliud in oppoſitum de Apoſtolo, dico quòd loquitur de pœna damnatorum; vnde non eſt ſimile de pœna arbitraria Sacerdotis, & pœna Iudicis principalis.

Qvæstio II.

Vtrùm ille, qui iniuſtè abſtulit, vel detinet rem alienam, poſſit pœnitere abſque reſtitutione illius rei?

De materia huius, & duarum ſequentium quæſtionum, nempe de reſtitutione, agunt Alenſ 4 part quæſt 24. aliàs 36. D. Thom quæſt 62. anoni. 2 cap. Si reiol. 14 quæſt 5. & reg peccatum de reg. iuris 6. vbi Couar. Sententiariũ, & alij.

1. *Arg. primum affirmatiuũ.*

Aristot.

QVòd ſic, quia reſtitutio non eſt aliquid pœnitentiæ: igitur non requiritur ad pœnitentiam. Probatio conſequentiæ, quodlibet poteſt eſſe ſine eo, quod non eſt aliquid eius 5. *Metaphyſ. text.* 35. igitur & pœnitentia ſine reſtitutione. Antecedens probo ſic, quia ſi reſtitutio eſſet aliquid pœnitentiæ, non eſſet aliud, quàm ſatisfactio; ſed reſtitutio non eſt ſatisfactio, quia ſatisfactio, vt dictum eſt priùs, eſt *redditio alicuius æquiualentis aliàs indebiti*: ſed ille, qui abſtulit, vel detinet rem alienam iniuſtè, tenetur eam ſibi reddere, vel in ſe, vel in ſuo æquialenti, quia debitum; igitur reſtitutio non eſt redditio alias indebiti.

Secundum.

Item, nullus obligatur ad impoſſibile, quia nullus ex lege Dei eſt perplexus, ſed aliquis habèns alienum, neſcit cui ſit reſtitutio facienda, quia non nouit illum, à quo habuit, nec aliquem de ſuis. Similiter de illo, qui inuenit rem alienam, & neſcit cuius eſt; igitur in tali caſu non tenetur ad reſtitutionem.

Tertium.

Item, nullus tenetur ad maiorem reſtitutionem faciendam alicui, quàm ſit illud, quod iniuſtè abſtulit, vel detinet ab eo; ſed ſi ille, à quo quis abſtulit, multùm diſtet, & agat in remotis partibus, magis damnificabitur, quàm ſit bonum quod abſtulit ab eo, quia oportet eum in eundo, & mittendo ad eum maiores expenſas facere, quod videtur iniuſtum.

Quartum. Aristot.

Item, 1. *Ethic. cap.* 7. bonum commune diuinius eſt, & præferendum bono perſonali; ſed ſi reſtitutio neceſſariò facienda eſt perſonæ damnificatæ, poſſet talis reſtitutio cedere in damnum communitatis, & boni communis, puta, ſi perſona, quæ hoc abſtulit, ſit membrum ciuitatis, & magis indigeat, quàm ille, cui abſtulit, & reſtitutio facienda eſſet; igitur in illo caſu videtur quòd poſſit pœnitere abſque reſtitutione.

2. *Quintum.*

Item, omnis reſtitutio eſt in fauorem damnificati, & illius, à quo iniuſtè ablatum eſt, ſed in aliquo caſu, ſi reſtitutio fieret damnificato, magis cederet in damnum & malum eius, quàm in fauorem, puta ſi fureret, & reſtitueretur tunc ſibi gladius; igitur.

Sextum.

Item, adultera concipiens ex adulterio, filius ſuccedit viro ſuo in hæreditate, & defraudat legitimum filium, & verum hæredem ab hæreditate ſua, non poteſt ſibi reſtituere, niſi damnando ſe, quod fuit meretrix, quòd fortè vir ſuus non crederet: vel ſi ſic, eſſet occaſio maioris mali, vt interfectionis eius; igitur in hoc caſu non tenetur reſtituere, & per conſequens poteſt ſine reſtitutione pœnitere.

Septimum.

Item, aliquis poteſt beneficium alteri conferendum ſibi efficaciter procurare, & procurando ſibi ab alio auferre, & tamen non tenetur beneficium ſibi procuratum illi reſtituere: igitur.

Octauum.

Item, in guerris inferuntur multa damna, & non fit reſtitutio illorum: igitur.

3. *Ratio ad oppoſitum.* Auguſt.

Contrà Exod. 22. *Seruus qui fecerit furtum, non habens vnde ſatisfecerit, vt põſſit reddere, venundabitur, vt reddat.*

Item, Auguſtinus ad Maced. epiſtola 2. & ponitur in litera diſt. 4. & habetur quæſt. 6. cap. 1. *Quamdiu res, propter quam pœnitere debet homo, iniuſtè habetur, vel detinetur, non agitur pœnitentia, ſed multiplicatur culpa*: igitur ad hoc quòd aliquis verè pœniteat, omnino eſt reſtitutio alicui facienda, quia ibidem habetur quòd *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Iuxta hoc vlteriùs

Quæro.

QVÆSTIO III.

Vtrùm damnificans alium iniustè in bonis corporis, vel animæ, teneatur necessariò ad restitutionem, ita quòd non possit pœnitere sine restitutione?

D. Thom *hic quæst.* 1. *art.* 5. Richard. *art.* 5. & 6. Palud *q.* 2. Maior *quæst.* 7. *dub. vlt.* Petrus Nauar. 2. *de restitut. c.* 2. *num* 50 Arag. 2. 2. *quæst.* 62. *art* 2 Sylon. *& alij, ibi agunt* de restitutione damni spiritualis, de restitutione damni in corpore agitur, *ad art* 2. vbi Sylon. *contra* 4. *&* 7. Arag. *ibi*, Petrus Nauar. 4. *de restitut. cap* 1. *dub* 10. Gab. *hic quæst.* 15 *art.* 2. Alens. 2 *part lib* 5. *tit* 9. *art.* 1 Adrian. 4. *de restit q vlt.* Anton. 2 *part.* 2. 2. *cap* 2 *&* 5. 1. Syl. *verbo* Restitutio 3. *quæst.* 1. *&* § 5. Scotum sequuntur Adrian. Anton. Syl. Palud. Gab Maior. & conuenit Richardus.

3. *Arg primum negatiuum.*

ARguitur quòd non, quia nullus tenetur ad impossibile: sed damnificans alium in bonis corporis, vt si occiderit, vel mutilauerit auferens aliquod membrum corporis ab eo, vel in bonis animæ, vt si induxerit illum in peccatum mortale, vel huiusmodi, impossibile est restituere, quia nullo modo potest reddere æquiualens pro eo, quod abstulit, quia maius malum est sic damnificari, quàm sit aliquod bonum, quo posset sibi satisfacere.

Secundum.

Item, aliquis retrahens suo consilio aliquem, puta consanguineum, vel affinem ab ingressu Religionis, damnificat illum, & religionem in omnibus bonis spiritualibus, quæ iste consecutus fuisset in religione, si moratus fuisset in ea, videlicet in tot bonis, quot ille fecisset, si intrasset Religionem, per totam vitam suam; sed talis sic impediens non posset satisfacere, nisi intraret Religionem pro eo; quod non videtur necessarium ad restitutionem illam faciendam: igitur.

4. *Ratio ad oppositum primæ.* Exod.

Contrà, Exod. 22. de coëunte cum virgine, *si quis deceperit virginem, & coierit cum ea, habebit eam in vxorem*, &c. Si igitur in talibus est restitutio facienda commutans castitatem virginalem in castitatem coniugalem, & bonum matrimonij, multò magis in damnificatione iniusta alterius in bonis corporis, vel animæ.

Secunda.

Item, 6. *quæst.* 1. *cap. Ex merito*, dicit Canon quòd *deteriores sunt, qui mores corrumpunt, quam qui substantias diripiunt*; sed illi, qui substantias diripiunt, tenentur ad restitutionem: igitur multò magis & alij. Iuxta hoc quæro tertiò,

QVÆSTIO IV.

Vtrùm damnificans iniustè in fama, possit verè pœnitere sine restitutione famæ eius?

D. Thom. 2. 2 *quæst.* 62. *art.* 2. Richard *art* 5. *quæst.* 3. Gab. *quæst.* 16. *art.* 2. Soto 4 *de iust quæst.* 6 *& alij citati in Oxon. hic apud Doctorem quæst* 4.

5. *Arg primum.*

QVòd sic: *Extrà, de calumniatoribus cap.* 2. dicit Dominus Innocent. Papa quòd *denunciator falsi criminis infamis est*; sed aliquis criminosus accusatus de aliquo crimine ab aliquo, negans illud, quod denunciatur, & proponitur de se, facit alium denunciatorem falsi criminis infamem, sed talis non posset alteri restituere famam suam, nisi reuelaret proprium crimen, & sic procedendo seipsum infamaret, quod non debet aliquis facere; igitur potest aliquis pœnitere sine satisfactione.

Secundum.

Item, plus tenetur quilibet ad custodiam propriæ famæ, quam alienæ, sicut ad dilectionem suam, quàm alterius; sed in illo casu non potest alterius famam custodire illæsam, nisi diffamando se, quod non tenetur facere. Si enim infamauit falsò accusantem; negando quod ille denunciauit de eo veraciter, non posset illi famam restituere, nisi fatendo se fuisse priùs mentitum, & per consequens, quia denunciator falsi criminis contra alium, esset infamis.

6. *Ratio ad oppositum.*

Contrà, Augustinus ad Maced. Epistola vbi priùs, & ponitur in distinct. 14. 1. quæst. 6. cap. *Non dimittitur p ccatum, nisi restituatur ablatum*, & Prouerb 22. *Melius est enim nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.*

SCHOLIVM I.

Primum dictum huius literæ In statu innocentiæ conueniebat dominia esse indistincta, sed contra post lapsum. *Ratio vtriusque partis est clara. Secundum*; lex primò distinguens dominia, potuit esse patris in filios, vel Principis in subditos, *& non determinat, vtra fuit. Vide quæ in Oxon. hic habet num.* 8. *scilicet Noë post diluuium fortè diuisisse filiis possessiones; vel filij fortè communi consensu diuiserunt, non negat tamen antea factam fuisse diuisionem, quia Genes.* 4. *Abel obtulit de primogenitis gregis sui. In hac enim quæstione ita censet.*

7. *Tria examinanda.*

CIrca solutionem primæ quæstionis, & per consequens aliarum, quarum solutio videbitur ex solutione huius, tria sunt videnda. Primò, vnde sunt dominia rerum distincta, & quando inceperunt distingui, vt istud dicatur meum, & illud tuum, & vnde hæc distinctio sit?

Secundò, quomodo possunt ad aliquos dominia transferri iustè, & quomodo iniustè.

Tertiò, quòd omnis alia translatio, vel occupatio rerum est iniusta, & de his patebit solutio primæ Quæstionis.

Iure naturæ & diuino dominia essent indistincta.

De primo, dico quòd de lege naturæ non est, quòd dominia rerum sunt distincta, sicut patet in Canone *Dist.* 8. *&* 22. *quæst.* 1. *cap. Dilectissimus*, quia in statu innocentiæ non fuit talis distinctio dominiorum, vel rerum temporalium, sed fuissent omnibus omnia communia. Nec de lege diuina, quia secundùm Augustinum, *dist.* 8. *cap* 8. *& sequente*, Iure diuino non fuissent dominia rerum distincta tempore innocentiæ, nec multò magis iure naturæ, & per consequens, tunc vixissent homines secundùm legem naturæ, & diuinam, vnusquisque sine vsurpatione proprij dominij, in communi dominio omnium rerum, nec tunc fuisset Ius scriptum, vel lex positiua, quæ cuilibet suum dominium distinctè reddidisset; sed fuissent omnia communia, & hoc propter duas causas, vt propter pacificam conuersationē conseruandam, & necessitatem cuiuslibet supplendam. Pacifica enim conuersatio hoc exigebat illo tempore innocentiæ, vt quilibet acciperet quod sibi erat vtile, & necessarium ad

Propter duas rationes omnia in statu innocentiæ essent communia.

ad ſuſtentationem naturæ, & non plus, aut minus, ſecundùm quòd indiguiſſet. Nec tunc aliquis ſibi vſurpaſſet dominium alicuius rei, quia illa re potuiſſet alius magis indigere quàm ipſe, & per conſequens vendicando ſibi dominium illius rei iniuſtè, non ſuppleſſet neceſſitatem alterius, nec per conſequens cum illo pacificè eſſet conuerſatus.

8. *Diſtinctio dominiorum tunc eſt poſt lapſum.*

Sed poſt peccatum introducuntur diuerſa rerum dominia, vt hoc dicatur tuum, & illud meum; & hoc fuit neceſſarium illo tempore poſt lapſum, vt non omnia eſſent communia, propter cauſas prædictas. Primò propter pacificam conuerſationem conſeruandam inter homines, cùm enim peccatores vſurpent ſibi res non tantùm ad neceſſarium vſum, & copioſam ſuſtentationem vitæ, ſed ad ſatietatem auaritiæ & congregando copioſos theſauros, opprimunt alios ex potentia, ſicut fuit de *Nemrod, qui fuit venator potentiſſimus coram Domino*, id eſt, depræ-dator aliorum. Geneſ. 10. & ſic pauperes ex impotentia non valentes iſtis reſiſtere, non haberent neceſſariam ſuſtentationem vitæ ſuæ. Propter ſecundam, ſcilicet neceſſitatem cuiuſlibet ſupplendam, quia communia non benè curantur, nec cuſtodiuntur; ſed propria, ideò expediebat dominia diſtinguere, & cuilibet partem ſibi propriam ſeparare iure legis ſcriptæ.

Politia Ariſtotelica præferenda Socratis.

Et ſecundùm hoc melior eſt opinio Ariſtotelis 2. *Polit.* qui politias, & familias diſtinguit, quàm Socratis, qui voluit omnia eſſe communia, quia vtilius eſt diſtinguere dominia in ſtatu illo, quem Philoſophus inuenit eſſe in mundo; quàm eſſe penitùs indiſtincta.

9. *Lex poſitiua conſtituens dominium pertit prudentiã & auctoritatem in ſerẽte.*

Sed vnde habent authoritatem leges poſitiuæ diſtinguentes dominia eſſe iuſta poſt peccatum? Dico quòd ab auctoritate Legiſlatoris, non enim omnis veritas de agibilibus eſt lex iuſta, ſed lex iuſta eſt veritas practica indicta ab aliquo habente auctoritatem, vnde dicitur lex, quia ligat illos, ad quos eſt miſſa. Requiritur igitur ad hoc quòd lex ſit iuſta, & iuſtè indicta, quòd in Legiſlatore ſint iſta duo, ſapientia, vel prudentia; & auctoritas. Conſtat autem quòd poſt lapſum potuerunt homines habere ſapientiam, & prudentiam ad ſapienter, & iuſtè condendas leges.

10. *Auctoritas paterna quid.*

Sed vnde habuerunt auctoritatem? Reſpondeo quòd omnis auctoritas vel eſt præſidentiæ paternæ reſpectu filiorum ſimul conuiuentium, & eodem modo cohabitantium ſub eodem, non tam corpore, quàm mente, & illa auctoritas ſemper manſit in lege naturæ à primo patre Adam, vſque ad Moyſen, & extendebat ſe iſta auctoritas ad omnes alios præcedentes per ſucceſſionem generationis ab Adam, vbicunque eſſent, vſque ad Moyſen, & tempus legis ſcriptæ; quia illam auctoritatem acceperunt filij à patribus ſuis. Et hæc auctoritas & modus præſidentiæ paternalis non fuit deſtructa per Legiſlatorem Iuris ſcripti, vel legis Moſaïcæ; ſed multò magis confirmata. Et hæc lex fuit conuiuentium ſub vno patre, non tantùm corpore, ſed etiam mente: vnde primus pater gentium Abraham ſtatuit quòd quicunque de alienigenis vellent circumcidi, quòd admitterentur ad cultum Dei, & ita tenuiſſent iſtam legem filij ſui, & filij filiorum eius, vſque ad Moyſen, & hæc lex fuit iuſta recta, & naturalis, nec extendebat ſe ad extraneos, niſi gratis vellent ſe ſubiicere præceptis legis. Sed propter malitiam habitantem in hominibus malis filiis, quorum cogitatio totaliter conuerſa erat ad malum, parùm durauit.

Auctoritas paterna habetur per naturalem deſcenſum.

11 *Auctoritas politica, ſiue principis qualis.*

Alia eſt auctoritas non præſidentiæ paternalis reſpectu filiorum, ſed extraneorum, & diuerſorum ſimul congregatorum in aliqua communitate, terra, vel ciuitate, quæ eſt auctoritas habita per electionem ab illis extraneis. Et poteſt dici auctoritas Principis ad ſubditos. In ciuitate enim, vel terra, congregabantur primò multæ gentes extraneæ, & diuerſæ, quarum nulla tenebatur alteri obedire, quia nullus habuit auctoritatem ſuper alium, & tunc ex mutuo conſenſu, omnium propter pacificam conuerſationem inter ſe habendam potuerunt eligere vnum ex eis Principem, cui in omnibus ſolùm, dum ille viueret, vt ſubditi obedirent, vel quòd ſibi, & ſuis ſuccedentibus legitimis ſubeſſent, ſecundùm conditiones, quales vellent; ſic, vel ſic, vt diuerſi modò tenent Principatum; quia quidam tantùm ad vitam, quidam per ſucceſſionem; & ſic patet duplex auctoritas condendi leges iuſtas, ſcilicet auctoritas patris ad filios, & auctoritas Principis ad ſubiectos. Vel tertio modo ſi à tota communitate, & ita triplex iuſtitia. Vnde Princeps habens prudentiam in ſe, vel in ſuis Conſiliariis, poteſt condere leges iuſtas ad pacem conſeruandam, & ideò omnis politia & conſuetudo, eſt iuſta, ſi ſic, vel ſic ſimiliter dictaretur. De hoc in Canone *diſt.* 8. *cap. Quo iure.*

Communitas dupliciter poſſet ſe ſubmittere vni, vel ſibi tantùm, vel ſibi & ſucceſſoribus.

Auctoritas conſtituendi legẽ duplex, paterna ſcilicet & politica.

Ex prædictis patet quomodo dominia fuerunt iuſtè diſtincta poſt lapſum. Si enim illa propoſitio ſit de lege naturæ *quod nullius Iuris eſt, primò occupanti conceditur*; quod non credo, ſed de lege poſitiua, accipiendo ſtrictè *legem naturæ*, prout quilibet poteſt propria auctoritate occupare tantam, & talem partem, qualem, & quantam vult. Patet ſic quomodo iuſtæ poſſunt eſſe primæ occupationes, & iuſta dominia. Si autem ſit de lege poſitiua, vel eſt condita auctoritate præſidentiæ paternalis, ſicut fortè diſtribuit Adam filiis ſuis primò terram dicens: *Ecce terra coram vobis eſt, occupet quilibet quod magis ſibi placuerit*; vel auctoritate concordis, vel communis conſenſus omnium filiorum, vt vnus haberet vnam partem terræ, & alius aliam, ſicut concordauerunt Abraham, & Loth poſt diluuium. Patet ita quòd iuſtè poſſunt dominia diſtingui. Duplici enim lege poſſunt diuidi, lege naturæ, vel lege poſitiua; lege poſitiua dupliciter, quia condita, vel auctoritate præſidentiæ patris, vel auctoritate Principis, quia vtriuſque auctoritate poſſunt iuſtè leges & dominia diſtingui.

12. *Solutio primi articuli q. 2.*

Dominia poterant diſtingui & lege naturæ, & lege poſitiua.

SCHOLIVM. II.

Dominium transfertur primò, authoritate legis, vt in præſcriptione, & vſucapione, & ponitur clara huius ratio. Secundò, voluntate proprij domini liberaliter, ſi alius acceptet; alioquin res erit derelicta. Tertiò, voluntate domini non liberaliter, ſed per contractum: in quo ſeruanda eſt æqualitas in ſubſtantia, quantitate, & qualitate. Declarat optimis exemplis. Notat etiam pretium non conſiſte-

re

re in indiuiſibili, ſed habere latitudinem: aut etiam licere rem cariùs emere ad vitandum damnum. Item, paciſci de pœna ſoluenda, ſi pecunia locata (idem de mutuata) tali die non ſoluatur. Vide ipſum in Oxon. hic quæſt. 2. num. 17. & ibi ſcholium, & aliud num. 26. vbi circa hoc habes quædam notanda de mutuo, & vſura.

13. *Dominium quomodo transferri poſſit.*

DE ſecundo principali, quomodo ſcilicet dominia iuſtè poſſunt transferri de vno in alium? dico quòd duobus modis in genere, vel voluntate domini proximi, vel voluntate domini ſuperioris iuſtè dominantis inferiori. Quòd autem dominus ſuperior poſſit iuſtè transferre dominia, patet. Si enim dominus ſuperior, vt Princeps, poteſt iuſtam legem condere, de diuiſione & definitione dominiorum ad pacificam conuerſationem habendam, vt propter finem, cùm tanta auctoritas remaneat apud eum, poſt diſtinctionem dominiorum, ſicut priùs, poteſt propter eundem finem ſcilicet propter pacificam conuerſationem ſubditorum dominia diſtincta, & diuerſa transferre iuſtè. Si enim nunquam poſſent dominia transferri poſt mortem vnius, haberet alius mouere lites pro bonis ſuis, & alius ſimiliter tertius, & omnes, & ita nunquam foret pax, ſed ſemper lites, & pugnæ mortales, & bella mortalia, & ita deſtructio pacis Reipublicæ; igitur lex condita de dominiis transferendis vſque ad certum tempus propter conuerſationem pacificam Reipublicæ, non iniuſta eſt.

Tranſlatio dominiorum inuenta eſt ad lites euitandas.

14. *Præſcriptione & vſucapione dominia transferuntur.*

Huiuſmodi lex eſt de præſcriptione, & vſucapione, quarum prima eſt de tranſlatione dominij rei immobilis; ſecunda de tranſlatione rei mobilis, vnde in tranſportationem alicuius rei per talem legem ſub conditionibus debitis requiſitis, ſit verus, & iuſtus dominus illius rei, & filij ſui ſuccedentes ſibi ſimiliter. Conditiones autem requiſitæ ſunt, quòd ſit fidei poſſeſſor, & quòd intret in illam poſſeſſionem iuſto titulo, vt habetur *extra de præſcript. & vſucap.* & ſi illæ conditiones conſeruentur, eſt pax, & certitudo dominij, aliter non.

Duæ conditiones ad dominium tranſferendum.

Item, non tantùm eſt hoc rationabile ſemper propter iſtum finem bonum, ſed etiam ex parte Legiſlatoris. Ille enim, qui ita diu ſiluit in petendo ius ſuum, quantùm in eo erat, dedit occaſionem contentionis, & litis communitati, vt quilibet quærerêt ius illius rei, poteſt iuſtè puniri à Legiſlatore, propter ſuam negligentiam, quæ vergebat in damnificationem communitatis, & ſicut poteſt iſtum punire in pecunia iuſtè, & dare communitati damnificatæ; ita poteſt illam rem, quam neglexit, applicare communitati, vel transferre in aliquem, qui eſt miniſter legis, & hoc, & illo modo poteſt tranſlatio dominiorum eſſe iuſta.

Res, quæ præſcribitur, habetur pro derelicta.

15. *Tranſlatio dominij à particulari ſuo domino proximo, ſit dupliciter. Quid donatio.*

Secunda tranſlatio iuſta poteſt fieri de voluntate proximi domini immediati, & hæc tranſlatio eſt duplex; vel merè liberalis, vel non merè liberalis. Dicitur autem eſſe liberalis, *quando eſt ſimplex tranſlatio dominij in alium ſine expectatione alicuius retributionis pro iſta.* Et hæc tranſlatio liberalis requirit duas conditiones, quibus concurrentibus, tranſlatio, vel donatio dicitur eſſe iuſta: Prima conditio eſt, quòd adſit voluntas, & conſenſus domini ſuperioris, ita quòd dominus ſuperior non contradicat illi donationi, & quòd non ſit contra voluntatem eius; quia ſi ſic, donatio non ſolùm eſt iniuſta, ſed nulla etiam, ſicut patet *extra de cenſur. cap. Romana, & de procurat. & exact.* ideò, &c. Vbi præcipit Papa quòd Clerici Epiſcoporum in viſitationibus nihil recipiant in munuſculis à perſonis viſitatis; ſed omnia reſtituantur integrè. Et Dominus Bonifacius in 6. libro *extr. de Viſitat. eodem tit.* iubet reddi duplum infra menſem illi, à quo ſic ceperunt, ſub pœna irregularitatis, & ſuſpenſionis per menſem, & addit, *nulla eis indulgentia valitura*; & etiamſi dans vellet ſibi totaliter, & liberaliter remittere, non poſſet.

Ad donationem requiruntur duæ conditiones prima nõ impeditio ſuperioris.

Hoc eſt ad propoſitum. In illo igitur caſu & ſimilibus, non poteſt aliquis Clericus, vel ſubditus, vel ſpiritualis aliquid merè liberaliter transferre in alium, ſi ſit contra voluntatem domini ſui Superioris, vel Epiſcopi, vel Papæ, nec ſubditus alicuius Principis, nec filiusfamilias de bonis patrisfamilias poteſt aliquid transferre, ſi paterfamilias contradicat.

Nullus ſubditus poteſt donare aliquid ſine voluntate ſuperioris.

16. *Secunda conditio eſt liberalis & voluntaria receptio.*

Secunda conditio in tranſlatione, & donatione rei merè liberalis eſt, quòd ille, cui fit donatio, & in quem transfertur dominium alicuius rei, ſit volens illud recipere, quia nullus efficitur dominus alicuius rei, niſi volens, cùm omne dominium ſit liberum. Si enim non vult illud recipere, nec alter, qui dat, res eſt derelicta, quia neuter vult, & per conſequens primò occupanti conceditur. Si igitur non contradicente domino ſuperiori (ſi adſit voluntas recipientis) rem liberaliter donatam; poteſt dominus proximus in alium transferre dominium iuſtè alicuius rei, & recipiens eodem iure, quo dans dat, iuſtè poſſidere, & recipere, & hæc tranſlatio dicitur donatio liberalis.

17.

Idem dico de tranſlatione vſus rei liberalis retento dominio apud ſe, quæ poteſt dici accommodatio liberalis, quia dominium rei retinetur, & remanet penes actorem, nec eſt inconueniens, vel inutilis talis tranſlatio vſus ſine dominio; patet *extra, Exiit, qui ſeminat*, ſed meritoria, & ſancta. De hoc aliàs *.

* Vide infrà n. 14 & d. 30. q. 2.

18. *Diuerſæ ſpecies contractus.*

Alia eſt tranſlatio dominij non liberalis, ſed expectans retributionem, quia non eſt ſimplex alienatio rei à tranſferente; & dicitur contractus mutuus, quia illo contrahuntur ſimul, & mutuo voluntates duorum, quia in illo quilibet dat vt recipiat, quia neuter alienat ſimpliciter liberaliter rem ſuam à ſe, ſed vt pro iſta aliud recipiat. Et contractus mutuus, ſiue tranſlatio rei pro re, habet multas ſpecies. Nam quidam eſt contractus emptionis; quidam venditionis; quidam mutuæ commutationis; & ſic diuiditur contractus de tranſlatione rei in illas ſpecies; & dicitur in illis eſſe iuſtitia, vel iniuſtitia, ſecundùm tranſlationem rei iſtis diuerſis modis. Sic poteſt diſtingui de tranſlatione vſus iuſta, vel iniuſta, ſecundùm omnes illas ſpecies contractus.

Tres contractus tranſlatiui dominij, emptio, venditio, mutua commutatio.

In tranſlatione autem rerum inuentum eſt quoddam medium ad faciliter commutandũ rem aliquã, quod eſt numiſma, quia ſine illo nõ poteſt ita conueniẽter fieri trãslatio rerũ, vt domus, vel agri,

ágri, vel alicuius immobilis, & ille contractus factus per hoc medium, dicitur *tranſlatio œconomica* propriè, quia hoc medium eſt inuentum ab œconomicis, ſicut dicit Philoſophus 1. Politicæ c. 3. Vna dicitur *tranſlatio commutatiua rei pro re*, dando panniũ; vt recipiat lanam, domum pro agro, & huiuſmodi.

Quid ſit cõmutatio œconomica; & quid permutatio.

Ariſtot.

Quid ſit emptio & venditio.

Tranſlatio autem pro nummiſmate ex parte illius, qui dat & transfert dominium nummiſmatis, dicitur *emptio*; & ex parte illius, qui recipit nummiſma; & transfert rem à ſe, dicitur *venditio*: ſed tranſlatio nummiſmatis pro nummiſmate ſicut ſit per campſores, & in mutuis; dicitur *cambium*, vel *mutuatio*, cui correſpondet multiplicatio, vel ſolutio, vel redditio.

Cambium quid?

19. In omnibus iſtis contractibus ad hoc quòd ſint iuſti, obſeruandum eſt quòd fiant ſine fraude in ſubſtantia, & qualitate, quantitate, & in vero valore, pro quo res venditur: In ſubſtantia quidem, vt ſcilicet non detur, vel vendatur, vel quomodolibet commutetur aurichalcum pro auro, aqua pro vino, & ſemper ſeruanda eſt æquitas valoris ſecundùm rectam rationem, inquantùm poſſibile eſt ſine fraude. Item, quòd non ſit fraus in qualitate & vtilitate rei, vt vendatur vinum corruptum, vel mixtum pro vino puro, pannus obſoletus pro panno nouo, & huiuſmodi.

In contractu eſt equalitas ſeruanda in ſubſtantia, qualitate, & quantitate.

Item, quòd non ſit fraus in quantitate, ſed ſit iuſta menſura, & iuſtum pondus, vt non vendatur vncia pro libra, vel modius pro ſextario, vel quarta pro lagena.

In omnibus enim iſtis, vel aliquo iſtorum, decipiens aliquem, tenetur ad reſtitutionem faciendam, quia iniuſtè detulit, vel abſtulit alienum, ſicut habetur *extrà de iniuriis & damno dato, qui iniuriam fecit alteri*, &c.

In iſtis contractibus neceſſarium eſt obſeruare ſecundùm medium rectæ rationis, verum valorem rei, ad rem, vt quòd tantum valeat iſtud ad neceſſitatem, & vſum illius, ſicut illud, quod datur pro iſto, ad vſum iſtius, & è conuerſo, quilibet in gradu ſuo; non tamen oportet quòd ſemper ſit æqualitas valoris naturalis ſecundùm medium rei, ſed ſecundùm medium rectæ rationis. Vinum eſt nobilius & melius omni non vino in natura, non tamen quantùm ad vſum neceſſarium ſuſtentationis humanæ.

Res melior in eſſe naturæ eſt villionis pretij.

20. Illa autem æqualitas, vel hoc medium, quandoque determinatur per legem poſitiuam, quandoque per voluntates contrahentium, quibus committitur à lege, vel Principe, huiuſmodi medium rectæ æqualitatis ſecundùm rectam rationem determinare; & non eſt iſtud medium exiſtens in indiuiſibili, vt dicit quidam Doctor, quia eſt quædam iuſtitia, quæ habet medium rei tantùm, ſicut oſtenditur in tertio *, ſed habet magnam latitudinem ſicut medium temperantiæ, quæ eſt æqualitas quædam, inter nimis parum, & nimis multum; & ideò quilibet contractus emptionis, & venditionis, vel commutationis rei pro re debet regulari ſecundùm iuſtitiam, quæ conſiſtit in medio ordinantis ſecundùm rectam rationem; & debitas circumſtantias legum, & conſuetudinum, & temporum, & ſimilium, iuſtum pretium non exeedens totale medium rectæ rationis in contractu vendentis, vel ementis. Et hoc medium poteſt ſciri, vel cognoſci ſecundùm leges, & conſuetudines, quæ in diuerſis nationibus ſunt diuerſæ.

Rich. l. 3. d. 33.

** in Oxon. d. 34. q. 1.*

Datur latitudo pretij in medium, infimum, & ſummum.

Iuſtum pretium, aut lege, aut cõſuetudine deſignatur.

21. In contractu autem venditionis, poteſt vendens iuſtè, & licitè attendere ad damnificationem ſuam, quam incurrit ex alienatione illius rei venditæ alteri; propter neceſſitatem alterius, & ſic iuſtè, & licitè poteſt illam chariùs vendere, quàm aliàs, quando tranſlatio talis rei non eſſet ſibi damnoſa, quia ſic poteſt vendere damnum ſuum licitè. Si enim aliquis ex mira inſtantia ementis, & neceſſitate illius; vendat ſibi bouem, vel equum, quibus tunc multùm indiget, vel neceſſariò indigebit citò, & quorum carentia eſt ſibi damnoſa, magis tamen damnoſa ementi; poteſt licitè attendere ſecundùm rectam rationem, non ſolùm ad valorem rei in ſe, ſed quantum valeret, etſi illam non venderet; & ne damnificetur in aliquo, poteſt illum valorem ſibi chariùs vendere.

Poteſt res chariùs vendi ad damnũ reſarciẽdum.

22. Sed ſi vendens attendat ad neceſſitatem, & vtilitatem ementis, & quam emens reportat ex re ſibi vendita, & ideò ſibi chariùs iam vendit; iniuſtè facit, & defraudat eum, & quod iam vendit, non eſt ſuum. In nullo enim damnificatur vendens, ſi vendat neceſſariò indigenti re ſua, vel non indigenti. Per hoc enim quòd res eſt mihi neceſſaria, nec res in ſe eſt pretioſior, nec ipſi vendenti. Et ideò eſt ibi maxima fraus. Patet in vſurariis, qui vendunt non damnum, ſed neceſſitatem alterius, & tempus, quorum neutrum eſt illorum; & ideò hîc eſt neceſſariò reſtitutio facienda.

Res nõ poteſt carius vendi ob lucrum, quod ex ea accipit emptor.

23. Et quomodo dictum eſt de tranſlatione rei in ſe, quomodo poteſt eſſe iniuſta, dicendum eſt de tranſlatione rei quantùm ad vſum eius, tantùm retento dominio. Sicut enim vendens rem ſuam debet reſpicere ad damnum ſuum, quod incurreret, ſi chariùs rem venderet, quàm valeat, & non ad neceſſitatem ementis, quod non eſt ſuum, ſic conducens, vel locans alteri domum, vel equum, vel librum, ſemper debet attendere, & ſeruare ſe indemnem in dando vſum neceſſarium ſibi; & ſic poteſt plus accipere, & nullo modo debet reſpicere ad commodum, & vtilitatem, quam reportat emens; & talis ſemper fiat contractus, ne excedat medium rectæ rationis ordinatum à lege, vel conſuetudine, & aliis circumſtantiis debitum, ad iuſtum contractum requiſitis.

Idem per omnia dicendum eſt de accommodatione rei.

In contractu autem, & tranſlatione nummiſmatis pro nummiſmate, quæ dicitur *mutuatio*, cui correſpondet mutui datio, debet eſſe medium rei indiuiſibile, vt quantum accepiſti, tantum reddas æqualiter, & non plus. De hoc in tertio in materia de vſuris *. Ratio autem quare in hoc contractu eſt medium indiuiſibile, aſſignatur ab vno Doctore

**De hac materia nõ egit Doctor in 3. vide cenſurã huius operis. Ratio Rith.*

Ratio Rich. ctore talis: vſus pecuniæ eſt eius conſumptio; igitur non debet aliter diſtrahi, vel mutuari, quin ſemper reddatur tantum, vel æquale, quia non poteſt locari vſus ſine dominio, cùm ſint inſeparabilia. Sed hæc ratio habet fundamentum falſum. Dicitur enim extrà de verb. ſignif. *Exiit qui ſeminat, & eſt hodie in 6. lib.* quòd vſus rei eſt ſeparabilis à dominio, cùm vſus rei concedatur dominio remanente.

Reijcitur.

25. Et ideo pono aliam rationem. Pecunia quantùm ad ſuum naturalem vſum, qui eſt quoddam pulchrum ad videndum, & tangendum, vel ordinandum aliquid, poteſt locari, non mutuari, quia locans non eſt mutuans, ſicut equus, vel domus, ſed retento dominio pecuniæ, ſicut retento dominio equi, vel domus, tranſlato vſu eius ad tempus aliquod per locationem. Sed illa eſt differentia inter contractum locationis, & mutuationis, quòd mutuans ex natura mutuationis, ſicut ſonat nomen *mutui*, ſimul cum vſu rei transfert dominium rei in alium, faciendo de meo tuum, & de ſuo alienum; nec in illo contractu debet creditor reddere idem numero creditori, quia creditor tranſtulit dominium in debitorem illius rei, ſed tantùm debet ſibi reddere debitor de quanto & æquali, ſecundùm rectam rationem determinatam à lege, vel conſuetudinibus: locans alteri pecuniam ad vſum, quem habet de ſe naturaliter, ſcilicet ad attrahendum, vt oſtendat ſe diuitem, vel ad ordinandum, vel aliquid huiuſmodi, non transfert dominium ſimpliciter à ſe, ſed tantùm vſum ex natura locationis, ſicut nec locans domum, vel equum, transfert dominium à ſe; igitur ex quo dominium iuſtum retinetur apud aliquem illius rei, tempore quo conceditur ad vſum, eſt eadem res numero reddenda. Et ita nummiſma probatur in ſubſtantia, quanto, & quali.

Ratio Doct. quare in mutuo nihil vltra ſortẽ reciꝑi poteſt.

Differentia mutuationis à locatione.

Pecunia eſt locabilis ad ornatum, & ſimilia.

Qualiter reddenda.

26. Item, in contractu mutuationis nummiſmatis pro nummiſmate, magis habet eſſe medium indiuiſibile, quàm in aliis, propter illam rationem. Pecunia enim de ſe non habet fructum naturalem, niſi de induſtria vtentis illa, & non ex ſe; ſicut ager, vinea, & huiuſmodi, quæ ex ſe proferunt fructus naturaliter, in quibus pars & ſors in lucro debetur mutuanti. Igitur ſi mutuans pecuniam vult aliquid ab eo, cui mutuauit vltra pecuniam ſuam, ſimilem in pondere & menſura, vult aliquid non ſuum, ſed de induſtria aliena; & ſi ex pacto petat hoc ab eo in faciendo ſibi mutuum, facit contractum vſurarium: tenetur tamen ſibi ex natura mutuationis reddere æqualem pecuniam, non eandem, quia tunc eſſet locatio, & non mutuatio, vt æqualitas attendatur in ſubſtantia, quanto & quali, pondere & menſura, & tenetur ſibi vt conſeruet eum indemnem, licèt alius iuſtè non poſſet petere, nec teneatur ſibi ex pacto plus dare, vt dictum eſt, niſi forte aliud intereſſet; vt ſi creditor mutuans faceret tale pactum, niſi ſoluas ad talem diem, vel tale tempus, quando eſt neceſſaria mihi pecunia mea pro mercationibus meis; ſolues mihi tantum plus, vt duplum, vel tantum, vel partem aliquam maiorem, vel minorem; quia veriſimile eſt quòd tantum poſſet lucrari de pecunia ſua, ſi eam haberet in manu ſuâ, & vnuſquiſque poteſt licitè conſeruare ſe indemnem.

In mutuatione pecunia eſt reddenda eadem in ſubſtantia, qualitate & quantitate.

Quomodo ex pacto in mutuatione aliquid vltra ſortem reciꝑi poteſt.

Dico quòd tunc debitor tenetur ſuo creditori plus reddere ex pacto, dummodò non ſit in fraudem vſurarum, non eſt enim aliqua fraus; vel vſura, quando creditor ex pacto vult habere ſuum illo tempore, quo videt ſe magis indigere, & magis poſſe proficere in mercationibus, & in lucro. Tenetur etiam creditori ad conſeruandum eum indemnem in foro conſcientiæ, licèt alius non poſſet ex iure aliquid petere, niſi in tenendo ſe damnificatum; nec hoc facit in fraudem vſurarum, tunc enim eſt contractus vſurarius, & fraus vſuræ, quando creditor, qui commodat, magis vult prolongare diem, & differre diem ſtatutam, vt lucretur, quàm quod debitor ſoluat die determinato, & ſtatuto, quia manifeſta vſura eſt, quando vendit non ſuum, vt induſtriam alterius, vel tempus aliquod pro quo commodat, & magis accipit, quam tradidit. 27.

Quando pœna conuerſionalis ſit licitè exigenda.

SCHOLIVM III.

Ad quæſtionem ſecundam. Non abſoluendum pœnitentem, ſi noluerit reſtituere ablata, ex ratione ad oppoſitum, quæſt. 2. Ponit caſus, quibus differri poteſt reſtitutio ſuppoſito reſtituendi animo, & per alios fieri, de quibus vide eum in Oxon. hic quæſt. 2. num. 19. & 33. & ibi Scholium. Ibi habet regulam, quam communiter in hac materia ſequitur, ſcilicet differendam reſtitutionem, quando dominus non eſt rationabiliter inuitus.

28. DE tertio, dico quòd in quolibet contractu quilibet contrahentium vult eſſe indemnis quantum poteſt; igitur ſi vnus non ſeruando iuſtitiam debitam defraudat alium, non poteſt meritoriè, nec verè pœnitere, ſine reſtitutione. Cuius probatio eſt, quia nullus poteſt iuſtè, nec verè pœnitere dum manet in actu peccati mortalis; ſed velle tenere alienum perſeueranter eſt peccatum mortale; igitur non poteſt pœnitere, dum illud habet, & manet in actu non ſatisfaciendi, ſed retinendi alienum.

Reſtitutio oritur ex iniuſtitia.

Ex hoc patet quando reſtitutio eſt facienda, & quando quilibet tenetur ad reſtitutionem, quia ſemper & ad ſemper, quia præceptum de non habendo alienum eſt præceptum negatiuum, & per conſequens reſtitutio eſt actus præcepti negatiui, & non affirmatiui, vt dicunt aliqui. Et ideò ſicut ſemper tenetur homo non habere alienum, & pro ſemper; ſic tenetur ſemper, & pro ſemper reſtituere alienum, ſi habeat, & poſſit; vnde nunquam abſoluerem aliquem, niſi priùs reſtitueret, ſi haberet; ſicut nunquam abſoluerem volentem actu tenere, & rapere rem alienam, quia eſt in actu peccati mortalis, dum ſic vult alienum recipere, quia ſemper nolendo recipere alienum continuò peccat contra præceptum Dei, de nullo tempore habere alienum iniuſtè;

Reſtitutio ſit præcepti negatiui obligat ſemper & pro ſemper.

Non eſt abſoluendus qui non vult reſtituere.

iniuſtè; igitur quamdiu aliquis tenet alienum potens reſtituere, & non reſtituit, peccat mortaliter actu, & per conſequens non poteſt meritoriè pœnitere antequam reſtituat. Caueant hîc abſoluentes, quia hîc non poteſt Eccleſia, vel aliquis inferior Deo, diſpenſare.

In reſtitutione cùm ſit de lege diuina nõ poteſt Eccleſia diſpenſare.

29. Iſta autem reſtitutio non eſt iſta ſatisfactio, quæ eſt pars Pœnitentiæ Sacramenti, cuius probatio eſt, quia ſatisfactio eſt vltima pars Pœnitentiæ impoſita à Sacerdote, poſt confeſſionem, quæ ſemper non eſt neceſſaria, vt priùs patuit, nec neceſſariò imponenda, ſi aliæ partes inſint, & præcipuè prima; ſed reſtitutio ſemper neceſſariò facienda eſt, & non eſt ex præcepto Sacerdotis, ſed omnipotentis Dei. Eſt etiam reſtitutio facienda antequam veniatur ad confeſſionem, ſi poſſibile ſit, quia ſicuti veniens ad confeſſionem cum mortali peccato, actu volens in eo manere, non dicitur attritus, vel contritus, ſed fictus, ita volens alienum habere, & retinere, & non ſatisfacere veniens ad confeſſionem eſt fictus, quia actu manet in peccato mortali.

Quare reſtitutio non ſit ſatisfactio, quæ eſt Pœnitentiæ pars.

30. Veruntamen in caſibus aliquibus ex circumſtantiis debitis poteſt quandoque differri reſtitutio facienda, vt circumſtantia temporis, vel damnificationis nimiæ perſonæ reſtituentis, vel damnificationis perſonæ, cui eſt facienda reſtitutio: ſi enim tempore furiæ aliquis reſtitueret furioſo gladium, aliàs ab eo iniuſtè ablatum, non ſatisfaceret ei, quia non conſeruaret eum indemnem. Similiter ſi aliquis abſtuliſſet rem alienam occultè, non tenetur publicè, vel ipſemet in perſona reſtituere, quia non tenetur reddere ſe infamem, ſed reſtituat tantùm per perſonas medias certas, & fideles, de quibus conſtat ſibi quòd reſtitutio fiat illi, cuius res eſt, vt per confeſſorem, vel alium fidelem. Reſtitutio igitur ſemper eſt neceſſariò facienda in facto, ſi poſſibile ſit, vel in voto, ſi non poſſit, quia ſi non poſſit modò, & aliàs poſſit propter impotentiam priorem, non excuſatur à reſtitutione, vel à ſatisfactione facienda.

Caſus in quibus poteſt reſtitutio differri, & in quibus per alios fieri poteſt.

Voluntas reſtituẽdi ſemper eſt neceſſaria.

Similiter ſi auferens & detinens rem alienam multùm damnificaretur, ſi ſtatim ſatisfaceret de illa infra eundem diem, vel ad breue tempus, puta ſi rem ablatam cum bonis ſuis aliis in mercationibus poſuit, & ſi illud redderet, multum perderet de bonis ſuis, & alius, cui debetur reſtitutio fieri, in nullo damnificaretur, ſi differretur reſtitutio ad tantum tempus, poteſt iam rem licitè ad tempus tantum, vel tantum tenere, quia hoc ex lege naturæ debet quilibet velle ſibi fieri in caſu conſilij. Et ideò præſumitur iſtum, cui fieri debet reſtitutio, hoc velle, licèt non actu, ſed habitu, quia naturalis inclinatio eſt cuiuſlibet ad hoc volendum ſibi in tali caſu: ſemper tamen, vt dictum eſt, reſtitutio eſt facienda, quo commodius poterit in facto, vel in voto.

SCHOLIVM IV.

In reſponſione ad argumenta ſecunda quæſtionis multa habet notanda.

Ad ſecundum ait incerta bona malè acquiſita, reſtituenda eſſe pauperibus, cap. cum de vſuris; *probabile tamen talia non malè acquiſita, retineri poſſe, de quo vide in Oxon. Scholium hîc q. 2. n. 32.*

Ad quartum docet, & bene, decentiam ſtatus non excuſare à reſtitutione. Item ſi creditor, & debitor incidant ſimul in extremam neceſſitatem, rem deberi creditori, cùm ſit dominus eius, & eandem cum alio habeat neceſſitatem. Vide de hoc Scholium num. 36.

Ad ſextum de adultera. vide Scholium n. 38. quomodo teneatur ſatisfacere legitimo filio, excluſo ab hæreditate.

Ad ſeptimum ſolutio eſt difficilis, quare ex odio impediens beneficium dari alteri, teneretur ad reſtitutionem. Vide Scholium ad n. 40. vbi res explicatur, & ceſſabunt quæ ab aliis contrà eã opponuntur.

AD argumenta ſecundę quæſtionis. Ad primum, cùm arguitur quòd reſtitutio nõ eſt pars Pœnitentiæ, igitur non requiritur ad Pœnitentiam. Reſpondeo quòd conſequentia non valet, quia loquendo de Pœnitentia, quæ eſt tertia & vltima pars Pœnitentiæ, vt Sacramẽtum, ſcilicet de ſatisfactione, quæ eſt Pœnitentia exterior, impoſita à Sacerdote pro peccato, ſic dico quòd reſtitutio non eſt aliquid Pœnitentiæ, quia illa Pœnitentia imponitur à Sacerdote pro peccatis poſt confeſſionem, & abſolutionem receptam: ſed habens alienum tenetur primò, ſi poſſit, ſaltem in voto firmo, ſi non poſsit in facto, alteri reſtituere ſuum antequam confiteatur, quia habens propoſitum, vel votum retinere alienum actu peccat contra præceptum Dei, & eſt fictus veniens ad confeſſionem, & non poteſt à Sacerdote abſolui antequam reſtituat modo prædicto, quia *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Patet igitur quòd reſtitutio non eſt ſatisfactio, vel pars ſatisfactionis, vt diuiditur in ieiunium, orationem, & eleemoſynam, & ideò non eſt reſtitutio imponenda à Sacerdote, pro pœna peccati, ſed inſligenda eſt cum hoc pœna alia pro peccato, iniuſtæ ablationis, & detentionis rei alienæ, quod prohibuit Deus in Decalogo. Vnde adultero detinenti, vel auferenti vxorem alienam, quod eſt contra præceptum Dei, non tantùm debet imponi pro pœna peccati redditio, vel reſtitutio mulieris, ſed etiam alia grauis pœna pro peccato adulterij, & infidelitatis, quam habuit contra vxorem propriam.

31. *Ad argumẽta principalia à principio quæſt. 2.*

Reſtitutio in re, vel ſaltem in voto an cedit partes Pœnitentiæ.

32. Ad aliud, cùm dicitur quòd nullus tenetur ad impoſſibile; ſed neſciens illum, à quo rem abſtulit iniuſtè, ſi teneretur reſpectu illius ad reſtitutionẽ, teneretur ad impoſſibile. Reſpondeo quòd non inuenio quid poſſit in illo caſu reſtituere pauperibus, ſi non nouerit vel filios, vel cognatos eius, à quo abſtulit, qui aliàs eo multũ indigebãt, quia illis viuentibus reſtitutio eſt eis facienda, & ſi ſint pauperes, & indigẽtes, ęquè ſicut aliis, & ita reſtituẽdo iſtis pro anima eius, reſtituit ſibi ſpiritualiter. Non inueni tamen in aliquo, per quos debet fieri iſta reſtitutio pauperibus, vel propinquis aliis; nisi quòd vnus * dicit, quòd non per illum, qui abſtulit, ſed per alium, vt per Sacerdotem, vel aliquam perſonam aliam fidelem, & communem. Videtur tamen mihi quòd ille per ſe, vel per alium, de quo confidit, poteſt ſatisfacere ſibi, vel propinquis; quia poſſet dare in manus aliquorum reſtitutionem faciendam, qui ponerẽt illam in vſus proprios, vel aliquorum

Ad ſecundũ.

Quibus & per quos fieri debet reſtitutio bonorum quorum dominus non extat.

* Rich. a 4. q. 4.

quorum aliorum, quibus non deberetur, & in eo caſu, in quo non poſſet inuenire aliquem fidelem, de quo crederent reſtitutionem fideliter fieri, teneretur per ſe reſtituere.

35. *Ad tertium.* Ad aliud cùm dicitur quòd aliquis diſtet multùm. Reſpondeo quando non habet perſonam præſentem, cui eſt reſtitutio facienda, nec ſperat habere præſentem, nec per nuncium præſentem, niſi plus expenderet in numero, & damnificaretur in nunciando, quàm ſit illud, quod iniuſtè tenet, nec aliquis adſit de ſuis, per quem poſſet ſibi ſuum mittere, quod rarò accidit; tunc non tenetur ſatisfacere in perſona, ſed, vt priùs, reſtituendum eſt ei ſpiritualiter, dando illud pauperibus, vel propinquis.

Caſus in quo ſolùm ſpiritualiter damnificato debet fieri reſtitutio.

34. *Ad quartũ.* Ad aliud, cùm dicitur quòd quandoque illud, in quo alteri ſatisfaceret, eſt ſibi ita neceſſarium, quòd ſine eo non poſſet viuere, & per conſequens, ſi tunc ſatisfaceret, eſſet in damnum communitatis. Dico quòd aliquid poteſt eſſe neceſſarium alicui dupliciter, vel quantùm ad arctum victum, & ſuſtentationem naturæ, vel ad decentem victum ſtatus ſui. Si iſto ſecundo modo, dico quòd tenetur reſtituere; quia nullus tenetur, vel debet decenter, vel nobiliter viuere de alieno. Si eſt neceſſarium primo modo, tunc diſtinguo; aut ille habens alienum deuenit ad neceſſitatem arcti victus, & alius, cui facienda eſt reſtitutio, non eſt in tali arctatione victus, ſed habet vnde viuere poſſit aliunde; & tunc dico quòd non tenetur ei ſatisfacere, quia pro illa neceſſitate fit ſuum iure politico quod aliàs fuit alienum. Tamen poſtea veniens ad pinguiorem fortunam victus, tenetur ad reſtitutionem illius rei, vel æquialentis, & interim tenetur dolere, quia viuit de alieno tempore medio. Si alius, cui reſtituendum eſt, veniret ad talem neceſſitatem arcti victus, & alius non, tunc tenetur ei dupliciter ſatisfacere. Primò, quia iniuſtè rem abſtulit alienam. Secundò, quia illud ſuum eſt ratione extremæ neceſſitatis, etiamſi priùs non fuiſſet ſuum, iure naturæ. Si autem vterque ſit in extrema neceſſitate, tunc ille, cuius res primò fuit, non cadit à iure ſuo in re ſua propter neceſſitatem alterius; & ideò reſtituendum eſt.

Reſtitutio inopis debitoris ſuſpenditur, ſed non extinguitur obligatio reſtituendi.

Ad quintã. Ad aliud de reſtitutione gladij furioſo, dico, ſicut dictum eſt, in ſolutione quæſtionis, quòd reſtitutio debet fieri cum diſcretione, & recta ratione, in fauorem damnificati, vt conſeruet eum indemnem; reſtitutio verò gladij eſſet ſibi damnificabilis.

Reſtitutio debet fieri ad bonum damnificati.

35. *Ad ſextum.* Ad aliud de adultera, dicunt aliqui quòd adultera tenetur facere conſcientiam filio ſuo ſpurio, quòd malè occupat hæreditatem, & iniuſtè, & tenetur eum efficaciter inducere vt dimittat illam. Sed iſtud non video quomodo vtiliter ſit faciendum. Nam filius ſpurius, aut crederet matri dicenti ſibi ipſum eſſe illegitimum, & per conſequens iniuſtè occuparet hæreditatem fratris ſui hæredis; aut non crederet. Si non vult credere matri facienti ſibi conſcientiam de dimittendo hæreditatem, nihil proderit talis inductio. Si vult credere, & tamen non dimittere hæreditatem nihil prodeſt; ſed exponit filium ſuum magno periculo, quia filius ſciens triſtitiam matris, nolens aliquo modo dimittere hæreditatem, ex quo nouit ſe illegitimum, ſit filius gehennæ, & mater diffamat ſe; & dicit ſe adulteram, quod non eſt neceſſarium, & vtroque modo ſiue credat, ſiue non, ſequuntur inconuenientia.

Reſponſion R ch. q. 4. a. 5. Oſtienſ. tit de pœnit. & remiſſ. Reiicitur.

36. *Adultera ad quid tenetur legitimè.* Dico igitur quòd talis mater tenetur inducere filium efficaciter, vt dimittat hæreditatem, & conſulat de alia via bona, vt de introitu ad Religionem, vel aliqua alia generali ad dimittendum hæreditatem; ſed non debet, nec tenetur illum inducere ad dimittendum illam per viam præmiſſam, dicendo, ego fui adultera, vel meretrix in conceptione tua, & per conſequens tu es ſpurius, quia non debet reddere ſe infamem, maximè cùm nihil proficeret per hoc, ſi alter non audiret, nec crederet ſibi, & ſic tali infamiæ non fuit neceſſe ſe exponere.

Alia via Doctorum. Multum differt habere & prope eſſe. Aliter poteſt dici, quòd non eſt idem habere, & prope eſſe. Ille autem legitimus fuit prope hæreditatem ſecundùm iuſtitiam; ſed non habuit, quia nunquam fuit in poſſeſſione; & ideò minus, quàm æquiualens hæreditati, ſufficit pro reſtitutione; & illud minus determinetur ſecundùm arbitrium boni viri. Videtur itaque omninò quòd debeat illegitimus prouidere legitimo de honeſto victu, & veſtitu, ſi hæreditas eſt ita pinguis quòd poſſit ſufficere hæredi ad duplum, vel triplum iſtius, & ſi hoc non poſſit, faciat quod dicitur in iſto cap. *Odoardus.*

37. *Ad ſeptimũ.* Ad aliud de beneficio Eccleſiaſtico, reſpondeo quòd ſi procurauit & abſtulit ab aliquo beneficium in fraudem, & malum alterius propter odium, vel inimicitias ad illum, tenetur ad reſtitutionem, non totius, ſed partis, quia nõ habuit, nec fuit in poſſeſſione illius beneficij: tamen abſtulit alienum, quia ſi ipſe non impediuiſſet, talis beneficium illud conſecutus fuiſſet. Si autem alius procurauit ſibi non in fraudem alterius, ſed propter bonum proprium, ſic in nullo tenetur alteri priuato tali beneficio, quia ſic non habet alienum, ſed proprium; tenetur enim, & poteſt aliquis magis attendere ad commodum proprium, quàm alienum ſecũdùm iuſtitiam cuiuſlibet legis. Quia aliquis habens in area, vel vinea ſua fontem, vel riuũ aquæ viuę, attendens neceſſitatem ſuam, & bonum proprium, & non malum alienum, poteſt ſine omni iniuria alteri facienda, circumdare eam muro, & per conſequens præſcindere aliis viam ad illam, vt magis ſibi valeat. Ad octauũ de guerris, dico quòd quidquid aufertur ab innocente, qui non dat occaſionem bello iniuſto, nec conſentit in illud inferendum, iniuſtè aufertur, & ideò damnificans eum tenetur ad reſtitutionem.

Ad octauũ.

38. *Ad rationem oppoſitam.* Ad argumentum in oppoſitum quæſtionis, dico quòd nullus tenetur ſe vendere in ſeruitutem propter rem aliquam temporalem iniuſtè ablatam, de qua non poteſt ſatisfacere, quia libertas eſt pretioſiſſima res, & nobiliſſima, quæ eſt in anima, & per cõſequens in homine, & ideò pro rebus, vel bonis tẽporalibus nullo modo debet vendi, vt habetur *extra de reg. iur.*

Quomodo quis tenetur pro libertate alterius ſe vendere. Sed ſi aliquis fecit aliũ ſeruum iniuſtè, & abſtulit ab eo libertatẽ ſuã; tunc dico quòd tenetur ſe vendere, ſi alio modo non poſſit eum libertati reſtituere, niſi perſona illius ſit melior perſona alterius, & per conſequens illius ſeruitus vergit in maius damnum communitatis,

tis, quàm ſeruitus alterius; quia ſic non tantùm daret æquale pro æquali, ſed ſuperabundans pro æquali, quòd non tenetur, ſed tenetur liberare eum quantum poteſt, & ſeruitutem illius per omnia bona, quæ poteſt compenſare.

Ad locum Exodi. *In lege Euãgelica nõ tenemur ad iudicialia.*

Ad locum Exodi, dico quòd inſtitutio illa de facto non fuit lex moralis, ſed cæremonialis, & iudicialis; & per conſequens non pertinebat ad legem naturæ, vel Euangelij, ſicut moralia, quæ ſemper manent. Vnde nos qui ſumus ſub Euangelio, non tenemur ad illa iudicialia, & cæremonialia, ſicut ille populus Iudaïcus, cui propter ruditatem ſuam impoſita ſunt talia.

SCHOLIVM V.

Ad tertiam quæſtionem primum dictum: Inducens aliquem ad vitia, tenetur, quantum poteſt, inducere ad bonum. *Puto obligationem tantùm eſſe charitatis, niſi fiat inductio per dolum, quia tunc erit ex iniuſtitia. Vide in Oxon. Scholium hic quæſt. 3. num. 3.*

Secundum dictum: Multa, quæ ſunt legis Moſaïcæ, poſſunt ſtatui à Chriſtianis, & de facto ſtatuta ſunt. *Tertium*, Non eſt in Eccleſia pœna talionis, niſi contra homicidas. *Quartum*, Mutilans tenetur ad omnia, quæ acquiſiſſet mutilatus, ſi talis non eſſet factus, & ad aliquid vltra, pro ipſa mutilationis deformitate, & moleſtia. *Quintum*, Plus reſtituendum eſt diuiti mutilato ratione deformitatis, quàm pauperi.

39. AD ſecundam quæſtionem, quæ fuit de bonis animæ, dico quòd damnificatio animæ non eſt de bonis animæ naturalibus; ſed moralibus: nullus autem poteſt effectiuè in animam damnando ipſam in aliquo bono morali ſibi debito, niſi poſſet defectiuè in malum culpæ; in hoc autem non poteſt aliquis effectiuè, vel defectiuè, quia malum culpæ ſemper eſt à voluntate propria, & libera peccantis, in tantum quòd ſi non ſit voluntaria, non erit culpa ſecundùm Auguſtinum. Sed tantum poteſt aliquis alium damnificare in bonis animæ diſpoſitiuè, inducendo eum ad peccatum, & malum culpæ, ſolicitando diuerſimodè, & retrahendo ab actu bono, & meritorio ſibi conueniente, & debito; & per conſequens ſi debeat illud ablatum bonum propter peccatum reſtituere, debet per oppoſitum diſpoſitiuè, quantum poteſt, inducere efficaciter ad bonum pœnitentiæ, & ita peccatum, & culpam commiſſam ſubtrahere: & vt inductio ſit efficax, tenetur per ſe, & alios, orationes procurare, quibus alius, qui peccauit, meritoriè conuertatur ad Deum, & dimittat peccare, & ita decet etiamſi alius non acquieſcat ſuis inductionibus ad bonum ſibi ablatum per culpam reſtituere. & quòd ſic teneatur homo ad reſtitutionem, ſicut in aliis bonis corporalibus, vel temporalibus corporis, vel ſubſtantiæ, patet, quia ſicut bona animæ ſunt meliora, & excellentiora bonis corporis, & ſubſtantiæ temporalis; ita peior eſt qui diſpoſitiuè aufert à proximo iſta bona maxima, quia per illa conſequeretur finem ſuum vltimum; quàm qui aufert alia bona. *Peiores* enim *ſunt corruptores morum, quàm qui corporum ſubſtantias diripiunt:* ſicut dicitur 6. *quæſt.* 1. *ex merito:* igitur ſi in aliis bonis eſt reſtitutio facienda, multò magis hîc. Caueant igitur inducentes homines ad peccatum, & ſollicitantes ad malum, quia vix, vel nunquam poſſunt ſatisfacere, propter inhabilitatem ad bonum poſt peccatum.

Damnificans in bonis animæ diſpoſitiuè ad quid tenetur. *Deciſio quæſtio 3. in ordine.* *Deterior eſt corruptio morum quàm ſubſtantiarũ direptio.*

Quantùm tamen ad damnificationem, quam vnus infert alteri in bonis corporis, diſtinguendum eſt. Aut damnificatio illa eſt remediabilis, & curabilis; aut non eſt curabilis, vt mutilatio, & intoxicatio; ſi ſic, tunc tenetur damnificans alium, ſoluere, vel procurare expenſas pro cura facienda circa læſum per medicinam, & chirurgiam, vel alium modum ſibi debitum, ſicut ordinabatur in lege Moſaïca. patet *extra de iniur. & damn. dat. c.* 1. Et præter expenſas, & alia neceſſaria ad curationem ſuam, tenetur damnificans placare eum pro offenſa, ſicut tenetur, ſi non vulneraſſet eum, & totum damnum quod tempore curationis incurrit per impedimentum vulneris, tenetur compenſare, & reſtituere per ſe, vel per alium, quantum poteſt, voto ſaltem, vel effectu. 40. *Ad quid tenetur damnificans in bonis corporis.*

Si autem damnificatio ſit irremediabilis, quia mutilatio, vel ablatio alicuius partis corporis neceſſariæ: videndum eſt primò, quid poſſet iuſtè ſtatui pro reſtitutione tanti boni, & recompenſatione tanti damni. Secundò quid ſtatutum ſit ab Eccleſia. De primo, dico quòd iuſtè poſſet ſtatui à Rege, vel Principe in ſuo regno pro tali damnificatione, vel ablatione alicuius membri, lex talionis, vt oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, &c. ſicut ordinatum fuit in lege Moſaïca, quia nihil ſubſtantiæ temporalis æquiualet membro hominis, vel parti eius corporali. 41. *Quomodo pro mutilatione ſit reſtituendum.* *Rex in ſuo regno poſſet iuſtè ſtatuere pœnam talionis pro mutilatione.*

Dices, igitur iuſtè poſſet obſeruari lex iudicialis, & cæremoniæ Iudæorum, & per conſequens iuſtè, & licitè poſſet quilibet homo, qui talem legem ſtatuiſſet iudaizare, quod eſt abſurdum. *Inſtantia.*

Reſpondeo, quòd obſeruare iudicialia, vel cæremonialia, eo quòd ſint illius legis, vel quòd habeant efficaciam, vel robur ab auctoritate illius legis Iudæorum, eſt iudaizare, & malum; quia illa ablata eſt à Chriſto. Patet de Baptiſmo, & eius effectu maiori reſpectu circumciſionis: ſed obſeruare ea, non quia illius legis, ſed quia conſona rectæ rationi, & ſtatuta à Legiſlatore Chriſtiano Rege, vel Imperatore cõfirmata auctoritate Euangelij, & Eccleſiæ, non eſſet iudaizare, quia tunc tales leges licèt eſſent Iudæorum, non haberent robur ex inſtitutione legis Synagogæ iam ſepultæ, ſed ex inſtitutione, & auctoritate Euangelij, & Eccleſiæ militantis. *Soluitur.* *Quomodo obſeruare iudicialia nõ ſit iudaizare.*

Iſtud confirmatur, quia multæ Decretales, & leges Chriſtianæ Imperiales extractæ ſunt à multis capitulis Exodi, qui comprehendebatur in lege Moſaïca, ſtatutæ, & confirmatæ per Eccleſiam, & obligant ad obſeruationem earum, non vt tradita & ſtatuta à lege Moſaïca, vel Moyſe, ſed à Papa, vel aliquo Principe Chriſtiano. Patet 1. *c. extr. de iniur. & damn. dat.* Eodem modo dicendum eſt de cæremoniis, & iudicialibus obſeruandis. 42. *Confirmatur primò.*

Hoc idem patet communiter in actibus humanis, & diuerſis politiis. Nam vna Religio *Secundò*

videns honeſtas, & conuenientes ordinationes, & ſtatuta obſeruari in alia Religione, poteſt illa applicare ad ſuam Religionem, & iuſtè ſtatuere, vt illa obſeruentur ita ſtrictè in ſua Religione, ſicut in alia, vel ſtrictiùs, ſicut ſibi placet, nec tamen ideò obligantur ſubditi illius Religionis ad iſta, quia ſtatuta in alia Religione, ſed quia ſtatuta in Religione propria, vel à tota communitate, vel à Prælato illius.

Tertiò. Similiter vna ciuitas poteſt ſibi aſſumere regimen, & leges alterius ciuitatis benè regulatæ per illas, & eas obſeruare, non quaſi alterius ciuitatis, ſed quaſi proprias, ad quarum obſeruationem poſtquam ſtatutæ ſunt, obligatur populus illius ciuitatis vniuerſus.

43. *Inſtantia.* Si dicas quòd Chriſtus in ſaluando, & liberando mulierem adulteram, de qua in Euangelio dicitur, quæ ſecundùm legem Moyſi iuſtè erat lapidanda, remouit, & euacuauit omnia illa iudicialia, & ſtatuta illius legis, quia dimiſit eam ſine omni pœna, inuitans tantùm ad pœnitentiam, & peccatum dimittendum.

Solutio. Reſpondeo quòd Chriſtus ex tunc remouit ea, vel poſt promulgationem Euangelij, vt ampliùs non eſſent iudiciaria, vel ſtatuta illius legis, ita quòd ſemper homines obligarentur ad obſeruandum, vel obſeruationem illarum, quia talia; ſed non remouit ea inquantùm eſſent conſona rationi, & recto regimini populi Chriſtiani, & ſtatuta iuſtè à Prælato, vel Principe ad pacem, vel æquitatem ordinatiſſimam obſeruandam, quia aliter oporteret dicere omnes conſuetudines Iudæorum fuiſſe malas, quod eſt falſum, quia illæ placuerunt ſanctis Patribus, Abraham, Iſaac & Iacob, ſicut noſtris Patribus noui Teſtamenti. Credo enim quòd iuſtiſſimè ordinaret qui blaſphemũ faceret lapidari, & alia peccata contra Deum grauiùs puniri, quàm puniuntur, quia homo magis iuſtè debet puniri pro peccato contra Deum immediatè, quàm contra hominem. Hoc igitur de facto iuſtè poteſt ſtatui & fieri: ſed quòd factum, & ſtatutum eſt modò pro iſtis, ſcandaloſum eſt in aliquibus partibus in quibus Principes plus puniunt peccata in ſe commiſſa quàm in Deum, & magis attendunt ad lucrum temporale quàm ad honorem Dei.

Quomodo Chriſtus remouit cæremonialia.

Aliqua Iudæorum conſuetudines bona.

Peccatũ immediatè contra Deũ maximè puniendum.

SCHOLIVM VI.

Primum dictum, Iuſtè ordinatum eſt, vt iniuſtus homicida occidatur. *Secundum*, Occiſor tenetur ad alendos propinquos, & parentes, quos occiſus alebat. *Vide in Oxon. Scholium hic q. 3. n. 6. Ita communis, ſi intelligatur de hæredibus neceſſariis: & probabile eſt de omnibus. Tertium, Doctori non placet, quòd fures pro ſimplici furto ſuſpendantur, putátque* iuſtiùs adulterum occidendum. *Vide quæ circa hoc dicta ſunt in Scholio q. 3. ante n. 7. Sententia hæc eſt pia, & vera, benè intellecta, quam alij graues Doctores ſequuntur. Ad ſecundum, docet impedientem aliquem ab ingreſſu religionis teneri ad reſtitutionem. Intelligeſi fraude, vel dolo id fecit, non aliter; quia ſine fraude non læditur iuſtitia, impediendo bonum fieri. Vide Scholium q. 2 ad n. 40.*

44. *Damnificatio duplex.* DE ſecundo, reſpondeo quòd damnificato irremediabilis, vel eſt extrema, ad quam ſequitur mors, vt occiſio, vel intoxicatio; vel eſt citra extremam, vt mutilatio; ſed iſta mutilatio duplex eſt, quia quædam eſt enormis, vt ablatio pedis, manus, vel oculi, vel alicuius huiuſmodi, quæ impedit communes actus humanos. Alia eſt mutilatio, nec grauis, nec enormis, vt ablatio digiti, vel iuncturæ, quæ non impedit actus humanos.

Mutilatio enormis quæ cenſetur, & quæ non.

De prima damnificatione irremediabili eſſet iuſtiſſima reſtitutio facienda per legem talionis, quia corpori humano animato diuiſo per mortem nihil eſt comparabile inter corpora, niſi corpus eiuſdem ſpeciei, (quod certum eſt de bonis ſubſtantiæ.) hoc ſtatutum eſt in multis terris, & iuſtè, Deus enim ita pretioſam habet vitam hominis, vt Dauidi (qui ex iuſta cauſa occiderat) non permitteret ædificari ſibi templum, propter ſanguinem multum, quem effuderat. Caueant igitur homicidæ, quibus alij ſunt magis laxi, & mites, dicentes quòd non tenerentur ad legem talionis occidendo, & quòd ſi occidiſſent bouem, vel equum tenerentur ad reſtitutionem, quia auferens bouem, ſecundùm eos, tenetur ad reſtitutionem bouis, aliàs non poteſt abſolui, ſed auferens vitam hominis non tenetur reddere vitam corporalem, vel ſpiritualem pro vita; quod videtur inconueniens, quia non debet liberalior pœna pro grauiori culpa infligi.

Quæ reſtitutio facienda pro occiſione

45. *Solutio Auctoris.* Dico tamen ego, quòd occidens alium, quomodocumque iniuſtè, tenetur ad omnem reſtitutionem faciendam ſibi poſſibilem, procurando ſibi vitam ſpiritualem, & dando propriam pro eo in terra Sancta contra infideles, vel in cauſa Eccleſiæ contra præciſos rebelles, & inobedientes.

Occiſus autem aut habuit parentes, patrem ſcilicet, & matrem, filios, & filias; qui vixerunt ex laboribus eius, & ſuſtentabantur per eum; & tunc dico quòd occidens, de bonis propriis, vel laboribus ſuis tenetur iſtis ad reſtitutionem victus, & veſtitus, quia hoc abſtulit ab eis, occidendo illum, qui illos in talibus iuuabat. Si autem non habet talis parentes ſuperſtites, tenetur ſibi procurare orationes, & Miſſas, & eleemoſynas, & ieiunia, & tot bona ſpiritualia, quot ipſe habuiſſet, ſi vixiſſet, quia tot bona ſibi abſtulit occidendo eum.

Iſta autem lex talionis iuſtè eſt inſtituta occiſoribus in noua lege. Eam Chriſtus primò inſtituit. Patet per illud dictum Ioan. 18. *Mitte gladium tuum in vaginam; omnis enim qui percuſſerit* (id eſt, occiderit, dicit gloſſa) *gladio peribit*: ſi occidat, ſupple iniuſtè, nõ vt miniſter legis, aut iuſtitiæ, ſed quis iuſtè occidat, & quis nõ, poteſt haberi. 23. q. 5. c. *ſi non licet*, vbi habetur: *Iniquè occiduntur exceptis iis, quos lex iuſta generaliter, vel Deus ſpecialiter iubet occidi.* Et Aug. 1. de ciuit cap. 11. & 22. *Quiſquis hominem occiderit, criminis erit reus. Iniuſtè autem quilibet occidit alium, qui occidit, vbi Deus dicit, Quòd non liceat eum occidere, vel prohibet ne occidat.* Deus autem abſolutè præcipit, ne quis occidat, niſi in caſibus ab eo determinatis, vel non prohibitis explicitè, vel implicitè; igitur omnis lex præcipiens occidere, niſi Chriſtus Deus hoc ſtatuit, eſt iniuſta, quia in nullo præcepto morali Decalogi poteſt aliqua lex inferior in aliquo diſpenſare in eo, quod contradicit legi diuinæ:

Quomodo lex talionis iuſtè inſtituta eſt occiſoribus.

Aug. *Quis ſit iniuſtus occiſor.*

Quæ lex cenſeatur iuſta.

Inferior non poteſt diſpenſare in præcepto ſuperioris.

diuinæ:& ideò nihil poteſt iuſtè ſtatuere, niſi quod ſtatutum eſt in lege Dei explicitè,vel implicitè. Quare nullus poteſt aliquem iuſtè occidere, niſi vt miniſter legis iuſtè latæ, auctoritate Iudicis,vel Principis;vnde non licet occidere, niſi in caſibus permiſſis à iure diuino in Scriptura.

An iuſtè occidantur fures.

Caueãt itaque Principes, qui pro furto plectunt homines lege mortis. Certum eſt quòd hoc non habent ex Scriptura; ſed quòd *Prouerb.6.* tales reddant ſeptuplum; ex quo enim Chriſtus *Ioan. 8.* diſpenſauit cum adultera, quòd non moreretur,quod pertinet ad bonum moris ablatum ab aliquo; multò magis de his, quæ pertinent ad lucrum & theſaurum, quæ ſunt minora bona. Sciant igitur Iudices reum aliter ſatisfacere debere quam per mortem. Et ideò niſi Deus aliquando de iſtis caſibus diſpenſauerit, iniuſtæ ſunt omnes leges ciuiles, quæ iubent homines pro iſtis interfici.

Peccatum adulterij eſt maius furto.

46. De damnificatione autem irremediabili non extrema enormi,vel non enormi, & eius pœna & reſtitutione facienda, non eſt ordinatum per Eccleſiam ad legem talionis, ſed reſtitutio fiat in aliis poſſeſſionibus; ſi enim ſit mutilatio ſecundo modo dicta, videlicet non enormis,ſatisfactio fiat per expenſas pro cura, & offenſa,& dolore,quem ſuſtinet, dum curatur, quia per talem mutilationem, ſcilicet digiti,vel iuncturæ,non impeditur pes, vel manus ab actibus ſuis; & ideò non tenetur tantum ſibi reſtituere, quantum poſſet per totum membrum manus,vel pedis,acquirere operando,tantùm reſtituere tenetur illa,quæ dixi. Et ſi poſtea ſit illud membrum minùs aptum, & habile ad operandum,quàm priùs, aliquid tenetur pro illo ſibi reſtituere; ſi non,nihil,niſi pro curatione, & offenſa placanda per expenſas. Si autem ſit grauis, & enormis mutilatio, vt ablatio alicuius membri, per quam impeditur ab operatione humana, tenetur quantum potuit non mutilatus per illud membrum ſibi acquirere,ſecundùm rectam rationem, & plus ratione triſtitiæ,& doloris,quem patitur continuè ex amiſſione talis membri,minùs tamen tenetur ſibi ſatisfacere ſi ſit diues;& habet vnde poſſit aliunde viuere, quàm ex operibus membri mutilati, quàm ſi non ſit diues, tantùm viuens ex labore illius partis ſibi ablatæ.

Ecclesia non inſtituit legẽ talionis pro mutilatione.

Quomodo reſtituendũ ſit tam pro non enormi quàm pro enormi mutilatione.

Plus reſtituẽdum eſt pauperi mutilato quàm diuiti.

47. Ad primum argumentum tertiæ quæſtionis cùm dicitur, quòd impoſſibile eſt reſtituere membrum corporis mutilatum,& bonum animæ ablatum, patet ſolutio ex prædictis, quia pro mutilatione alicuius membri impediente actum humanum, debet reſtituere ſibi tantum de bonis temporalibus, quantum poſſet mutilatus per illud ſibi acquiſiuiſſe, & pro bonis animæ ablatis tenetur ipſum inducere efficacius, quo poteſt ad bonum reſtauratiuum illius,quod perdidit,& ſi non poteſt hoc per ſe facere,tenetur per ſuffragia,& orationes aliorum,hoc ſibi prouidere.

Ad primum arg. huius q.30.

Ad ſecũdum.

Ad ſecundum dico quòd retrahens alium à Religione intentione damnificandi Religionem, peccat mortaliter, quia aufert perſonam vtilem Religioni, ſi intraſſet, & tunc tenetur illum illi ordini reſtituere, ſi poteſt eum aliquo modo poſtea ad hoc inducere.Quia ſi hoc non poteſt,credo quòd faceret benè,ſi intraret pro eo,& cùm nó tenetur ad excedentẽ reſtitutionẽ religioni ſufficit inducere alium equalem illi,quem retraxit ab Ordine,vel ferè ſibi æqualem,ad intrandum Religionem.Non autẽ tenetur ſimpliciter equalem inducere ad Religionis ingreſſum pro eo,quia alius non fuit in Ordine, & ideò ſubtrahens Ordini illã perſonam non extrahit illum de Ordine. Non eſt autem idem,vt dictum eſt priùs, prope eſſe in Religione,& eſſe in illa, & ideò non eſt tanta reſtitutio facienda pro ſubtractione illius qui prope fuit in Ordine, & illius,qui ſimpliciter fuit in Ordine. Si autem hoc non fecerit in malum Religionis, nec intentione damnificandi Religionem, ſed tantùm intentione conſulendi illam perſonam, quia conſanguineus,vel ſibi carus ſit, in nullo tenetur Religioni, ſed perſonæ damnificatæ non intranti Religionem, tenetur tantum reſtituere in bonis ſpiritualibus,quantum ab ea abſtulit impediendo ingreſſum eius, & quantum ipſa habuiſſet, ſi Religionem ingreſſa fuiſſet.

Retrahens aliquem ab ingreſſu Religionis pẽcat, & tenetur reſtituere.

Nemo tenetur ad reſtitutionem niſi adſit fraus.

SCHOLIVM VII.

Ad quartam quæſtionem reſpondet per tria dicta. Primum, Imponens aliis falſum crimen,tenetur ſe retractare directè. *Ita communis. Vide in Oxon. Scholium hîc q.4.n.2. Secundum dictum,* Qui impoſuit verum crimen occultum,publicè non debet dicere ſe mentitum,quia hoc dicendo mentiretur;ſed ſe malè feciſſe, vel quid ſimile. *Ita communis cum D.Thoma, & aliis. Vide Scholium ibidem q.4.n.4. Tenetur etiam ad damna infamati. Tertium dictum:* Negans vetum crimen in iudicio ſibi impoſitum, ſi non eſt interrogatus iuridicè, id eſt, à legitimo Iudice, præcedente ſemiplena probatione,ad nihil tenetur;ſecus ſi iuridicè interrogatus neget; *& ſic exponendus eſt Doctor hîc, vt habet expreſsè q 4. ad ſecundum, & tenet communis cum D.Thoma, oſtenditur licere æquiuocare quando iniuſtè interrogaris, & reſpondere cogeris.*

48. AD tertiam quæſtionem, cùm quæritur,an damnificans alium in fama teneatur ad veram reſtitutionem illius ad hoc quòd verè pœniteat?Dico vniuerſaliter quòd ſic,& aliter non poteſt verè pœnitere.In genere autem aliquis poteſt diffamare alium tripliciter. Vno modo imponendo ei falſum crimen. Secundo modo imponendo ei verum crimen in publico,occultum, & in priuato commiſſum;& illo modo etiam fit diffamatio, quia non ſeruato ordine iuris,fit defectus prolationis, & ita infamatio. Tertio modo negando crimen veraciter ſibi impoſitum, quod negando demonſtrat alium eſſe denunciatorem falſi criminis.

Tripliciter poteſt quis aliũ diffamare.

Primo modo dico quòd tenetur ad totalem reſtitutionem faciendam, & quia ſic non poteſt reſtituere, niſi retractando crimen, quod alteri iniuſtè impoſuit, & oſtendendo ſe priùs fuiſſe mentitum, & denunciatorem falſi criminis; ideò tenetur coram omnibus, quibus alium diffamauit,hoc facere, dicendo ſe priùs dixiſſe falſum, vel fuiſſe mentitum de hoc, quod alteri iniuſtè impoſuit. Quamdiu enim iniuſtè abſtulit, vel detinet famam alterius, tenetur ſibi reddere quod detinet.

Impoſnens falſum crimen tenetur ſe retractare.

Inania reuocatur.

Si dicas quòd nullus tenetur infamare ſe; ille retractans modò, quod priùs alteri impoſuit, infamat ſe, quia dicit ſe fuiſſe priùs delatorem falſi criminis. Dico quòd tenetur facere aliquem actum iuſtitiæ; ad quem ſequitur reſtitutio famæ infamati, etiamſi ad illum actum ſequitur infamia propria, ſi aliter non poteſt fieri; ille enim iniuſtè, & falsò diffamando alium infamat ſe, & reddit ſe infamem; & non infamat ſe denunciando alium innocentem, & per conſequens ſe falſum, & mendacem, quia tacendo laudem, & innocentiam alterius, fouet in ſe falſam laudem, & facit hypocriſim, quam dimittit reuocando quod alteri falsò impoſuit: nec per hoc diffamat ſe; quia tres videntes aliquem concumbere cum adultera, & accuſantes eum, non diffamant eum, ſed ipſe in faciendo illud crimen in publico infamat ſe, ita hîc.

Dico igitur quòd licèt magis ſit ſaluanda, & diligenda fama propria, quàm aliena, magis tamen ſaluanda eſt fama alterius iuſta quàm hypocriſis propria iniuſta: vnde benè debent ſe homines cuſtodire in lingua ab omni mendacio, & detractione, quia *detractores ſunt Deo odibiles*, ſecundùm Apoſtolum Rom. 1.

50. Si vero ſecundo modo infamet alium imponendo ei verum crimen in publico, quod tantùm commiſſum eſt in ſecreto, nec in foro communi poteſt probare, Dico quòd tenetur ad reſtitutionem illius, quem diffamauit in publico, non tamen ſicut primus, faciendo aliquid ad quod conſequeretur propria infamatio, quia non debet dicere, tu non feciſti hoc, quia cùm eſſet certus de oppoſito, mentiretur perniciosè, & nullus tenetur propter quemcunque alium, ſicut nec propter ſe ſaluandum peccare mortaliter. Poteſt tamen, & tenetur retractare illud, quod indiſcretè propoſuit, dicendo aliqua verba humilia: iſta videlicet, vel conſimilia: *Non benè dixi*, & verum eſt hoc, quod ſtultè dixit, quia non ſeruando ordinem debitum Iuris, propoſuit in foro publico quod probare non potuit coram Iudice. Vnde in foro iudiciali, qui non poteſt probare crimen, quod proponit, exponit ſe pœnæ talionis, & facit ſe infamem, pro quanto non poteſt probare quod ſtultè proponit.

Quomodo reſtituet qui impoſuit publicè verum crimen occultum.

51. Tertio modo infamans alium, negando in publico quod ſic non fuit commiſſum, ſed in occulto, & priuato, crimen verum iuſtè ſibi impoſitum, & ita denuncians alium delatorem falſi criminis, Dico quòd non tenetur infamare ſe dicendo, *ego feci quod mihi ille impoſuit*, ſed debet ei dicere, quòd ipſe non benè proponit, nec ſanè, ſed peſſimè, & malè, quia proponit malum priuatum, non proponendum in publico, quod propoſuit. Et ideò ſi proponatur coram Iudice publico, poteſt conſtanter negare modum proponentis, ducentis in publicum, quod fuit in priuato, & dicere quòd non eſt verum, vt ille propoſuit, quia vt ſic, non poteſt probari; & non debet ſimpliciter negare, quia tunc mentiretur perniciosè, nec ſimpliciter concedere, quia concederet ſe infamem, ſed debet temperare ſermonem pro ſe, dicendo quòd alius vt fatuus, & malus, accuſauit. Et hoc verum eſt, quia modo indebito propoſuit quod probare non poteſt, & ideò accuſans tenetur ſibi ad reſtitutionem in præ-

Quomodo reſtituet, qui negat verum crimen occultum ſibi publicè impoſitum.

dicto ſecundo modo diffamationis. Debet etiam aliqua verba dicere pro accuſante, iſta, vel ſimilia: *Credo quòd habuit bonam intentionem in accuſando me*, vel huiuſmodi excuſantia ipſum, ne alius ſimpliciter appareat delator falſi criminis, ſed tamen ſtultè, & ſicut malus propoſuit.

An qui negat crimen quod commiſit, peccet mortaliter.

Sed peccátne mortaliter negando ſe feciſſe crimen, quod ſibi in publico, & indebito modo proponitur? Hîc dicitur quòd ſi tantùm appareat vnus teſtis coram Iudice contra eum, peccat mortaliter, negando quod commiſit, & ſi non, nullo modo.

52. Sed qualiter debeat confiteri veritatem, vel negare coram Iudice fauorabili & paternali, requiſitus ab eo per obedientiam, de quo ſupponitur correctio ad emendam, & non ad confuſionem, vel infamiam? De hoc dico quòd non tenetur confiteri, ſi inde ſequatur ſibi aliquod opprobrium: ſin aliter ſatius eſt ſecretò fateri, & conſilium paternum admittere. Cauendum tamen eſt Superioribus ne facilè huiuſmodi præcipiant per obedientiam; graue enim eſt ſubdito crimen ſuum Prælato reuelare. Deinde dico, quòd coram iudice iudicante ſecundùm ſcriptam iuſtitiam, poteſt negare crimen ſibi impoſitum, quia non eſt verum, vt ſibi imponitur coram tali iudice, quia non debet iudicare de occultis, ſed de publicis & manifeſtis; ſed ſic eſt falſum, quia non peccauit vt propoſuit: vnde tantùm negat illud, quod ſibi imponitur ſecundùm intentionem illius Iudicis publici, coram quo fit accuſatio; vnde poteſt dicere coram Iudice: *nego quod tu hîc coram Iudice imponis mihi*; quia ex natura propoſitionis coram Iudice, & fori publici, & communis, nihil debet proponi, niſi manifeſtum, & publicum, quod poteſt probari per multos teſtes, cuius negans nihil fecit. Tutum eſt tamen poſt talem negationem in publico, pœnitere vt de mendacio, vel falſo dicto coram Iudice, vt ſi ſit peccatum veniale, pronunciet vt de veniali; ſi mortale, vt de mortali.

Coram iudice in fori publico nihil debet proponi, quod non poteſt probari.

53. Ad argumenta in oppoſitum patet ſolutio ex dictis: cùm enim dicit quòd negans crimen verè ſibi impoſitum, facit alium denunciatorem falſi criminis, & mentitur; Dico quòd ille non negat illud in re, quod alius ſibi imponit, nec denunciat alium eſſe infamem, ſed vitando infamiam propriam, quam alius ſibi indebitè imponit, negat quod ſibi imponitur, vt in foro iudiciali proponitur; & ideò non credo quòd teneatur accuſanti ipſum directè reſtituere famam, reddendo ſe infamem, & dicendo: ipſe in accuſando me dixit verum, & ego malum, & falſum; ſed poteſt dicere in aliqualem excuſationem alterius ſaluando ſemper famam propriam, ipſe credit verum dicere, & fortè habuit bonam intentionem in accuſando, ſed ſtultè proposuit.

Ad arg. primũ quæſtionis quartæ.

Negãs in publico quod occultè commiſit nihil tenetur accuſanti.

Et per hæc ad ſecundum de reſtitutione famæ, & de fama, qualiter habet reſtitui, & mendacio, habet dici in tertio*.

* Diſt. 38. ſed in ſcripto Oxon. Doctor nihil agit de reſtitutione, & Pariſienſe nõ abſoluit.

DISTIN

DISTINCTIO XVI.

De partibus Pœnitentiæ.

QVÆSTIO I.

Vtrùm illa tria, contritio, confeſſio, & ſatisfactio, ſint partes Pœnitentiæ?

Alenſ. 4 p. q. 66. per totum: D.Thom 3.p.q.84.art.2. & quæſt. 90.art 2.D.Bouau hic dub 1. Richard. art 1.q.1. Marſil 4 p.q.10. Durand d. 4.q.3. Suarez 4.tom. d.18. ſ.2. Scot. in Oxon.hic q.1.

1. IRCA Diſtinctionem decimamſextam. Quæro vtrùm illa tria, contritio, confeſſio & ſatisfactio ſint partes Pœnitentiæ?

Arg. primum negatiuum. Primò arguitur quòd non, quia Pœnitentia eſt remedium contra peccatum; ſed peccatum eſt ſimplex, & non habet partes: igitur nec remedium eius, quod eſt Pœnitentia.

Secundum. Item, ſi iſtæ eſſent partes Pœnitentiæ, aut igitur partes integrales, aut ſubiectiuæ, aut eſſentiales? Non eſſentiales, quia eſt ſimplex, vt argutum eſt ſuprà; nec integrales, quia quælibet illarum infert Pœnitentiam, quia ſequitur, conteritur, igitur pœnitet; ſatisfacit, igitur pœnitet; confitetur, igitur pœnitet: ſic non partes integrales diuiſim inferunt, nec partes ſubiectiuæ, quia tunc pars ſufficeret ad concludendum veram pœnitentiam, ſicut Petrus verè eſt homo, etſi nullus alius eſſet.

Tertium. Item, ſi eſſent partes Pœnitentiæ, aut Pœnitentiæ quæ eſt Sacramentum, aut Pœnitentiæ quæ eſt virtus? Non ſecundo modo, vt ſint partes Pœnitentiæ virtutis, quia Pœnitentia virtus eſt habitus ſimplex, materia & forma indiuiſibilis, & ſpiritualis; confeſſio autem, & ſatisfactio ſemper ſunt in aliquo ſenſibili ſigno; nec ſunt partes Pœnitentiæ, quæ eſt Sacramentum, quia omne Sacramentum eſt in aliquo ſigno ſenſibili: pars autem Pœnitentiæ, vt contritio, eſt forma ſpiritualis in anima omninò inſenſibilis.

Quartum. Item, quod eſt fructus Pœnitentiæ, non eſt pars eius, quia fructus eſt illud vltimum, quod expectatur de re, & non ipſa res, patet de pomo, quod non eſt arbor; ſed ſatisfactio, & partes eius, videlicet oratio, ieiunium, & eleemoſyna, dicuntur fructus Pœnitentiæ. Patet ex illo verbo Matth. 3. *Facite dignos fructus Pœnitentiæ*, vbi gloſſa aſſignat tres eſſe partes Pœnitentiæ.

Ratio ad opp. Contrà, Pœnitentia eſt remedium contra peccatum, & pœna peccato correſpondens; ſed peccato non tantùm debetur pœna interior, ſed exterior, quia ſecundùm Magiſtrum in litera, Deus non tantùm infligit damnatis vermem, & remorſum conſcientiæ rodentem eam, quæ reſpondet contritioni, & eſt pœna interior; ſed etiam addit exteriorem, vt pœnam ſenſus; afflictionem ſcilicet ignis exteriorem, quæ reſpondet ſatisfactioni exteriori, & ardorem ſpecialem in lingua (patet de diuite Lucæ 16.) quæ reſpondet confeſſioni; ergo eodem modo debet homo vincere peccatum in ſe.

SCHOLIVM

Contritio, confeſſio, ſatisfactio, non ſunt partes habitus Pœnitentiæ, nec Sacramenti, ſed Pœnitentiæ ſumptæ pro cauſa proxima pœnæ infligendæ, vel pro ipſa punitione, quia primum cauſat triſtitiam; ſecundum ruborem; tertium afflictionem, & laborem. Magis propriè loquendo ſunt partes effectus proximi actus Pœnitentiæ, & ſic ſunt integrales, ſumpta tamen Pœnitentia pro ipſa punitione ſunt partes ſubiectiuæ. Plures reprehendunt Scotum, quòd neget has eſſe partes Sacramenti Pœnitentiæ, ſed inmeritò. Fatetur Scotus eas requiri ad Sacramentum, & negat propriè eſſe partes, & ſic loqui videtur Trid. ſeſſ. 14. vocans eas quaſi partes, & ponens præcipuam vim in abſolutione. Neque eſt facienda vis in voce, cum de re conſtet. Vide in Oxon. Scholium hic num. 7. vbi plura de hoc.

2. REſpondeo ad quæſtionem, & dico quod accipiendo pœnitentiam non pro Sacramento, adhuc eſt æquiuocum. Et poteſt accipi quadruplicitet. Vno modo pro pœnitentia virtute, quæ eſt ſimpliciter habitus in anima. Secundo modo pro actu proprio pœnitentiæ virtutis, quomodo eam accipimus communiter in communi ſermone; loquendo alteri, *facias pœnitentiam*: vbi non arctamus, quòd quis faciat in ſe habitum & virtutem pœnitentiæ, ſed infligat ſibi actum proprium illius habitus. Tertio modo accipitur *pœnitentia* pro effectu proximo, & proprio proprij actus virtutis pœnitentiæ. Quarto modo accipitur pro effectu remoto illius actus. Et ignorantia diſtinctionis illius vocabuli facit magnam deceptionem in multis, de hac materia.

Pœnitentia quadruplex accepitio.

3. Primò accipiendo pœnitentiam: pro habitu, ſcilicet virtutis ſimplicis in anima, Dico quòd *eſt quædam iuſtitia punitiua, & vindicatiua proprij delicti, in quantùm eſt offenſiuum Dei, & reſpectu alicuius alterius indebiti*, vt dictum eſt in duabus primis quæſtionibus de pœnitentia.

Pœnitentia habitus quid?

Secundo modo, Pœnitentia eſt velle iuſtè vindicare in ſe peccatum, quod commiſit, & eſt quidam actus voluntatis, & imperatiuus, efficaciter, pœnitentiam ſibi ipſi infligi pro peccato commiſſo in offenſam Dei ſecundùm inclinationem habitus pœnitentiæ, quæ exiſtens in eo inclinat ad actum iuſtum vindicandi peccatum.

Deſcriptio pœnitet. vt eſt actus proprius Pœnitentia virtutis.

Tertio modo, Pœnitentia eſt actus imperatus vel imperati in potentiis inferioribus, ex quo ſequitur pœna, quæ eſt effectus proximus prædicti actus imperandi pœnitentiæ virtutis. Nam voluntas inclinata ad vindictam iuſtam per iuſtitiam vindicatiuam, quæ eſt in ea, importat actum imperatiuum pœnitentiæ efficacem, qui importat alios actus pœnitentiarum, ad quos ſequitur pœna, vel paſſio, & iſti actus imperati ſunt tam actus interiores, quàm exteriores, ad quos ſequuntur diuerſæ pœnitentiæ, & paſſiones exteriores, & interiores. Nam actus ille præcipiens intellectui conſiderationem interiorem peccati, quod commiſit, & offenſæ

offenſæ diuinæ, cauſat in voluntate ex illa conſideratione nolitionem offenſæ Dei, & peccati efficacem deteſtationem, & ex nolitione illius, quod conſiderat, cauſatur in ea diſplicentia, & triſtitia vehemens, quòd vnquam offendit Deum per peccatum. Et iſti ſunt actus immediatè imperati à voluntate per illud vel le imperatiuum inflictionis pœnitentiæ vlteriùs, & mediante conſideratione, & nolitione offenſæ Dei, & peccati imperat voluntas per iſtum actum pœnitentiæ actus, & pœnas exteriores, primò videlicet explicationem, & propalationem peccati fieri Sacerdoti per actum confitendi, & hunc actum ſequitur pœna ſpecialis, ſcilicet paſſio verecundiæ, & erubeſcentiæ. Secundò importat actum exequéndi laborioſum ſibi impoſitum à Sacerdote, & dicitur ſatisfactio: & hunc actum ſequitur aliqua paſſio dolorоſa in carne, quæ naturaliter conſueuit aliàs ſequi tale opus laborioſum.

Tres effectus proximi actus virtutis pœnitentia.

Et iſti tres actus immediatè imperati ab actu virtutis pœnitentiæ ſunt totalis effectus eius proximus, partiales tamen in ſe, & inter ſe ordinati in ratione effectuum ordinatorum ad eandem cauſam, quia idem actus pœnitentiæ virtutis immediatè imperat omnes illos tres actus; ad quos conſequuntur tres pœnæ ſpeciales; ita quòd duo actus in genere imperantur, actus interior, quæ eſt conſideratio de peccato, & nolitio eius, qui ſimul ſunt vnus perfectus actus interior, ad quem ſequitur pœna interior, quæ dicitur contritio, & dolor de conſideratione peccati noliti; & actus exteriores, ſcilicet confeſſio, & propalatio Sacerdoti, ad quam ſequitur pœna exterior correſpondens, quæ dicitur verecundia, & erubeſcentia; & executio operis laborioſi, & aſperi propter appetitum partis ſenſitiuæ, quem conſequitur pœna aliqua in carne correſpondens, & iſti tres actus ſunt effectus proximus actus imperatiui virtutis pœnitentiæ.

Tres effectus remoti virtutis pœnitentiæ.

4. Quarto modo accipitur *pœnitentia* pro effectu remoto illius actus pœnitentiæ virtutis: & illo modo tres pœnitentiæ continentes tres actus, qui ſunt effectus proximus actus pœnitentiæ virtutis, vt triſtitia, & diſplicentia interior, & erubeſcentia, vel verecundia, & dolor, vel aliqua pœna exterior in carne, poſſunt dici pœnitentia.

5. Ad propoſitum, dico quòd nullum illorum eſt pœnitentia Sacramentum, loquendo de pœnitentia primo modo dicta, quæ eſt habitus iuſtitiæ vindicatiuæ, quieſcens in anima. Dico enim quòd non habet partes illas, quia pœnitentia virtus habet *eſſe* quietum in anima, illa autem non habent *eſſe*, niſi in *fieri*; quod autem eſt in *fieri*, & habet *eſſe* ſucceſſiuum, non eſt pars eius, quod habet *eſſe* permanens, & quietum; igitur illæ tres partes non ſunt partes pœnitentiæ primo modo dictæ. Nec etiam partes pœnitentiæ ſecundo modo dictæ, ſcilicet ipſius velle vindicare efficaciter offenſam Dei, & actus pœnitentiæ virtutis, quia pœnitere, & actus pœnitentiæ imperatiuus eſt immediatè à voluntate; illæ tres partes, ſiue accipiantur pro actibus imperatis, qui ſunt effectus proximus actus pœnitentiæ; ſiue pro paſſionibus, & pœnis, quæ conſequuntur ad eas, quæ ſunt effectus eius totalis, & remotus, non ſunt immediatè à voluntate, ſed mediante actu voluntatis imperatiuo elicito, ſecundùm inclinationem pœnitentiæ virtutis.

Pœnitentia primo & ſecundo modo prædicti tres actus nō ſunt partes.

Sed accipiendo *pœnitentiam* tertio modo, pro tribus actibus imperatis, qui ſunt effectus proximus, & proprius pœnitentiæ ſecundo modo dictæ, ſic illa tria, contritio, confeſſio, & ſatisfactio, poſſunt dici partes illius pœnitentiæ totalis tertio modo dictæ, quia per iſtos tres actus imperatos habet homo totum quidquid pertinet ad pœnitentiam; ita quòd contritio accipitur pro duplici actu interiori imperato ab actu virtutis, pro conſideratione ſcilicet, & nolitione offenſæ Dei, & confeſſio, & ſatisfactio pro actibus exterioribus, oris ſcilicet, & aliarum partium corporis, quibus fit executio operis doloroſi, & aſperi, & non pro paſſionibus conſequentibus illos actus. 6. *Quomodo cōtritio, confeſſio, & ſatisfactio ſunt partes pœnitentiæ.*

Sed ſi accipiatur pœnitentia quarto modo pro pœna totali, & effectu remoto actus pœnitentiæ virtutis correſpondente totali effectui proximo, ſcilicet punitionis, & paſſionis ex conſequenti regulatæ, imperatæ actu imperatiuo pœnitentiæ virtutis, ſic contritio, & confeſſio, & ſatisfactio ſunt partes pœnitentiæ, accipiendo paſſiuè, vt ſic per *contritionem* intelligatur triſtitia, & paſſio interior conſequens actum conſiderationis, & nolitionis, ſiue deteſtationis peccati, inquantùm eſt offenſiuum Dei; & per *confeſſionem* intelligatur erubeſcentia, vel verecundia conſequens actum confeſsionis, & per *ſatisfactionem* pœna, & dolor operis aſperi, & laborioſi. Vnde accipiendo *contritionem*, *confeſſionem*, & *ſatisfactionem* actiuè, ſic ſunt partes pœnitentiæ tertio modo dictæ. Sed accipiendo illa paſsiuè, prout ſcilicet ſunt pœnitentiæ, & paſsiones conſequentes ad pœnitentiam actiuam ſecundo modo dictam, ſic ſunt partes pœnitentiæ quarto modo dictæ. 7. *Sumpta pœnitentia quarto modo tam illi tres actus quàm paſſiones ad illos conſequentes ſunt partes eius.*

In iſtis autem modis pœnitentiæ eſt quidā ordo, ſicut patet. Nā pœnitentia primo modo dicta, quæ eſt habitus in anima quieſcens, poteſt eſſe ſine pœnitentia ſecundo modo dicta, ſcilicet ſine actu interiori imperatiuo, & è cōuerſo, actus poteſt eſſe ſine habitu iſto. Nam actus, qui natus eſt elici conformiter rectæ rationi, & appetitui perfecto per habitum; poteſt præcedere habitum, & eſſe illius generatiuus. Sed electio vindicandi peccatum in ſe, inquantùm eſt offenſiuum Dei, eſt huiuſmodi actus, natus conformari rectæ rationi, & appetitui perfecto per habitum iuſtitiæ, & generatiuus illius iuſtitiæ punitiuæ; quæ eſt virtus acquiſita ex frequenti actu: igitur poteſt præcedere habitum, & non elici ab ipſo, licèt habitus generatus inclinet in conſimiles actus. 8. *Quomodo differunt acceptiones pœnitentiæ.*

Similiter pœnitentia tertio modo dicta, vel exteriores actus, vel interiores imperati à pœnitentia ſecundo modo dicta, & actu imperatiuo virtutis pœnitentiæ, poſſunt mutuò eſſe ſine ſe inuicem, ita quòd ſecundus poſſet eſſe ſine tertio. Patet, & ſimiliter quòd tertius poſſet eſſe ſine ſecundo. Patet, quia iſti actus imperati poſſunt imperari à voluntate perfecta per alium habitum, vel actum, quàm per pœnitentiam virtutem, vel actum eius, vt per actum charitatis infuſæ. Nam voluntas per actum, vel habitum charitatis lata in Deum 9.

ſub

Voluntas per habitum; vel actum charitatis potest detestari peccatum & reliquos actus consequentes habere.

sub ratione summi boni, & optimi, potest detestari peccatum commissum, & inquantùm offensiuum tanti boni; & præcipere sibi consideratiõem eius, & maximè nolitionem eius; & hoc eodem actu imperatiuo charitatis, & post alios actus exteriores confessionis; & satisfactionis; & ita potest pœnitentia tertio modo dicta esse sine ea secundo modo dicta, vt ex alio habitu, & actu imperata; vt ex habitu pœnitentiæ; & actu eius potest sibi imperari: Et ex hoc pœnitẽtia sufficit ad salutẽ vtroque modo imperata, quia actus cõtritionis imperatus vtroq; modo, est formatus, & sic de aliis.

10.

Pœnitentia tertio modo potest esse sine pœnitentia quarto modo dicta, non tamẽ è conuerso.

Similiter pœnitentia tertiõ modo dicta, vt effectus proximus pœnitentiæ secundo modo dictæ, potest esse sine pœnitentia quarto modo dicta, sed non è conuerso; quia quandoque illos actus imperatos non sequitur tristitia interior, vel exterior, nec illæ passiones consequentes ipsos; vel si sic; non tamen tantam quantitatem, & intentionem actuum; nam actum nolendi peccasse, non sequitur tristitia interior semper, nec actum confessionis verecundia; nec opus pœnosum, vel laboriosum; quod est opus satisfactionis; dolor, vel pœna exterior in carne; vel si sic, non semper sunt tantæ, quantæ sunt detestationes, & actiones imperatæ. Posset enim nolitio tanta esse, & adeò intensa, quòd ipsa sufficeret ad salutem sine quacumque tristitia consequente: Vnde

Pœnitentia tertiò modo dicta potest se sola sufficere ad salutem.

pœnitentia tertio modo per se potest sufficere sine secundo, vel quarto modo dicta, & maximè prima pars pœnitentiæ tertio modo dictæ, quia nolitio & detestatio peccati ita intensè potest imperari à charitate, vel actu eius sine habitu pœnitentiæ, & actu eius, quòd per se sufficiat ad salutem sine aliqua passione consequente, vt dictum est; & per consequens maius meritum potest quandoque esse in tali nolitione intensa sine passione, quàm cum passione, quia passionibus non meremur, neque demeremur. Sed pœnitentia quarto modo dicta nunquam potest esse sine illa tertio modo dicta, quia passiones nascuntur ex actibus, & ideò non natæ sunt inesse sine eis. Patet igitur quomodo tertium & quartum possunt esse sine duobus primis, quia potest esse actus imperatus à charitate, & actu eius, sine pœnitentiæ virtute, & per consequens sine actu eius, & sic sine eis, sicut eum eis, per se sufficiunt ad salutem.

11.

Pœnitẽtia secundùm quas acceptionẽ sufficit ad salutem, & secundùm quas non.

Similiter tertium per se potest esse sine primo, & secundo & quarto; & sufficere sine eis ad salutem. Similiter potest esse cum secundo, & quarto sine primo, & sufficere ad salutem. Secundum autem non per se sufficit, quia non est actus imperatus de se gratus. Tertium autem cum secundo magis sufficit, quàm tertium cum quarto, quia magis meremur, & sumus grati actionibus, quàm passionibus. Quartum per se non est, sed semper cum aliquo præcedente. Potest primum non inesse secundo existente, sed tunc secundum est generatiuum primi. Tria tamen vltima, vt dictum est, sufficiunt ad salutem sine primo.

12.

Contritio, cõfessio, & satisfactio non sunt partes Sacramenti pœnitentiæ proprie loquendo.

Sed si loquamur de pœnitentia; quæ est Sacramentum, sic dico quòd non sunt partes pœnitentiæ, nisi valdè extendendo *pœnitentiam*, quia pœnitentia Sacramentum nihil aliud est; quàm forma audibilis verborum prolatorum super pœnitentem à Sacerdote.

Obiectio.

Contrà, in definitione eius superiùs posita ponuntur illæ partes, vt videtur, quia dicitur quòd *est hominis pœnitentis*: nullus autem est pœnitens, nisi secundùm aliquod illorum trium; scilicet contritionem, vel confessionem, vel satisfactionem; confessio etiam ibi ponitur, cùm dicit *facta à Sacerdote*; igitur sunt partes definiti.

13.

Solutio.

Respondeo quòd illæ partes non ponuntur in definitione Sacramenti pœnitentiæ, quia sunt partes eius; quia dictum est quòd pœnitentia nullo trium modorum prædictorum dicta est pœnitentia Sacramentum; sed partes pœnitentiæ tertio modo dictæ, quia pœnitentia, qua aliquis est pœnitens, & confessio, qua confitetur, sunt quædam dispositiones congruæ, & præambula conuenientia ad susceptionem congruam pœnitentiæ Sacramenti, quæ est *absolutio facta à Sacerdote certis verbis*. Absolutio enim sacramentalis ex quo significat effectum interiorem inuisibilem inesse pœnitenti suscipienti hoc Sacramentum, præsupponit, & exigit in eo duas partes pœnitentiæ tertio & quarto modo dictæ, scilicet contritionem de peccato cum eiusdem displicentia: & confessionem, siue propalationem eius cum sua pœna consequente, scilicet verecundia, & rubore, ad hoc quòd pœnitens sit capax signi sacramentalis absolutionis, quia est Sacramentum pœnitentiæ. Si enim Sacerdos inueniret non contristantem de peccato, nec detestantem peccatum, nec accusantem se per confessionem; non absolueret eum, nec per consequens reciperet Sacramentum pœnitentiæ; quia hoc Sacramentum ex natura suâ est signum efficax absolutionis interioris, quæ non potest inesse animæ nisi pœnitenti per nolitionem peccati, & eius propalationem, nec tamen absolutio Sacramenti pœnitentiæ est causa illarum partium in esse simpliciter; sed in esse gratuitò, præsupponens ea in suscipiente de congruo ad susceptionem absolutionis, vt eius necessariam & immediatam dispositionem, vt dictum est *suprà* de aliis Sacramentis *. Tertia autem pars pœnitentiæ tertio & quarto modo dictæ, scilicet satisfactio, quæ est executio operis laboriosi cum sua pœna, sequitur absolutionem, & Sacramentum pœnitentiæ; quia Sacerdos per absolutionem sacramentalem absoluit quidem pœnitentem, & ligat; absoluit quidem à culpa & pœna æterna, quæ debetur culpæ, & ligat eum ad solutionem operis laboriosi commutando pœnam æternam in temporalem.

Contritio & confessio præ-requiruntur ad Sacramentũ pœnitentiæ.

*suprà d. 1. q. 3. & 4.

14.

Satisfactiõ. sequitur Sacramentum Pœnitentiæ.

Sacerdos absoluendo ligat pœnitentem.

Ad argumentum in oppositum, cùm arguitur primò quòd pœnitentia est simplex, igitur non habet partes sicut nec peccatum, quia remedium debet correspondere morbo. Dico quòd remedium, quod est tale ex natura rei, debet esse simplex, sed remedium ex-institutione legislatoris, non oportet quòd sit simplex, quia multiplex pœna potest iustè vni peccato imponi, & tamẽ adhuc citrà demeritũ peccati.

15.

Ad arg. primum principale.

Aliter potest dici secundùm distinctionem prædictam de pœnitentia, quia licèt pœnitentia primo & secundo modo dicta sit simplex, sicut peccatum, & non habeat partes, accipiendo eam pro habitu, & actu iustitiæ vindicatiuæ, accipiendo tamen eam tertio & quarto modo

Pœnitentia tertio & secundo modo habet partes.

modo pro effectu proximo, & actibus imperatis, vel effectu remoto, vel paſſionibus conſequentibus tales actus, ſic habet partes.

16. *Ad ſecundũ.* Ad ſecundum, cùm arguitur quòd ſi ſint partes pœnitentiæ, aut ſubiectiuæ, aut integrales? Dico quòd pœnitentia poteſt accipi in cõmuni, prout abſtrahit ab hac pœnitentia particulari, & illa; vt à contrione à confeſſione, & ſatisfactione, & eſt indifferens ad hoc totum ſimul, vel partes eius. Vel poteſt accipi pro totali, & perfecto effectu proximo, vel remoto actus virtutis pœnitentiæ includente hæc tria, vt partes eius. Primo modo eſt pœnitentia quoddam totum homogeneum, ſicut aqua in communi abſtracta ab hac aqua, & illa, eſt quoddam totum homogeneum, & dicitur de qualibet pœnitentia, & parte eius, vt parte ſubiectiua; & ſic illæ partes ſunt partes ſubiectiuæ, quia quælibet pars pœnitentiæ eſt pœnitentia, illo modo loquendo de ea, ſicut quælibet pars aquæ eſt aqua. Et concedo quòd quælibet illarum partium inferat totum, vt quælibet dicatur pœnitentia.

Pœnitentia vt quoddam totum homogeneum dicitur de qualibet eius parte ſecus verò vt heterogeneũ.

17. Secundò, pœnitentia eſt quoddam totum heterogeneum, accipiendo eam pro quodam totali, & perfecto effectu pœnitentiæ, includente tres actus imperatos, ſicut aqua alio modo accipitur, non vt eſt indifferens ad hanc aquam, & illam, ſed pro totali aqua, & perfecta: quia totum integrale non prædicatur de aliqua ſui parte tantùm, ſed de omnibus ſimul, quia omnes partes integrales requiruntur ſimul ad completionem totius. Pœnitentia igitur vt abſtrahitur ab hac, & ab illa, eſt quoddam totum vniuerſale, & prædicatur de iſtis tribus, vt partibus ſuis ſubiectiuis diuiſim, & concedo quod infertur, à qualibet parte diuiſim, quia contritio eſt pœnitentia, confeſſio eſt pœnitentia, ſatisfactio eſt pœnitentia. Secundo modo eſt quoddam integrale, & perfectum, includens illas vt partes integrales, quarum nulla per ſe infert pœnitentiam perfectam, & totalem, ſed omnes ſimul.

18. *Ad tertium.* Ad tertium, cùm dicit, ſi eſſent partes pœnitentiæ, aut pœnitentiæ virtutis, aut pœnitentiæ Sacramenti? Dico quòd nec ſic, nec ſic. Non pœnitentiæ virtutis, quia pœnitentia virtus eſt eſſentia ſimplex, nec habens tales partes; nec pœnitentiæ Sacramenti, quia duæ illarum præcedunt pœnitentiam Sacramentum, & tertia ſequitur eam; requiruntur tamen ad pœnitentiam, quæ eſt Sacramentum, vt quædam præſuppoſita de congruo, & ad pœnitentiam, quæ eſt virtus, vt partes imperatæ ab ea propinquæ, vel remotæ.

Ad quartũ. Ad aliud, cùm dicitur quòd fructus pœnitentiæ non eſt pars pœnitentiæ. Dico quòd verum eſt inquantùm fructus non eſt pars pœnitentiæ, quæ eſt virtus, vel actus eius; ſunt tamen fructus inquantùm conſequuntur actus imperatos, & effectum proximum pœnitentiæ. Vnde hæc eſt vera formaliter, *fructus non eſt pars*, ſed falſa cauſaliter, quia partes illæ imperatæ à pœnitentia virtutis, & actu eius, ſunt cauſæ illius fructus. Sunt etiam hæc tria fructus Sacramenti pœnitentiæ, quia ſequuntur ipſum Sacramentum, & abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis ligantis ad opera pœnalia, quæ non ſunt fructus, ſed fructus conſequuntur ad illa.

Quomodo partes ſunt fructus, & è conuerſo.

QVÆSTIO II.

Vtrùm infuſio gratiæ, & remiſſio, vel expulſio culpæ ſit tantùm vna ſimplex mutatio?

Alenſis 4. *part. q. 17. m. 4. art. 6.* D. Thom 1. 2. *queſt. 113. art. 1.* D. Bonau. *d. 17. art. 1. q. 1.* Richard. *d. 15. q. 7. & d. 17. art 4. q. 2.*

ARGVITVR quòd non. Auguſtinus de vera & falſa pœnit. c. 14. *Dolendum eſt peccatori, non ſolùm quia peccauit, ſed etiam quia virtute ſe priuauit*; igitur vt duplici dolori correſpondeat duplex gaudium, per oppoſitum, gaudium eſt non ſolùm de expulſione culpæ, ſed etiam de infuſione gratiæ; igitur alia eſt mutatio expulſionis culpæ, & alia infuſionis gratiæ, 1. *Arg. primum negatiuum.*

Item, ſicut in moralibus alia eſt corruptio vitij, & alia inductio, vel generatio virtutis: ita in propoſito, alia eſt mutatio, vel expulſio culpæ, & alia mutatio, generatio, vel infuſio gratiæ. Antecedens probo ſic: Habitus vitioſus eſt quædam qualitas poſitiua, & realis, ſicut habitus virtuoſus. Patet de audacia, intemperantia, iniuſtitia, quæ inclinant ad actus vitioſos, ſicut habitus virtuoſi oppoſiti, & contrarij ad actus virtuoſos, & per conſequens poſſunt habere proprios motus, & mutationes. Quando autem eſt mutatio inter contraria, vt habitus, vel contrarias qualitates, alia mutatio eſt corruptio vnius, & alia generatio alterius; ſicut eſt vna mutatio corruptio nigri, & alia generatio albi, & alij per ſe termini ſunt *nigrum*, & *non nigrum*, duæ mutationes ſunt, termini *non album* & *album*; igitur à ſimili, alia eſt mutatio expulſio culpæ, & alia infuſio gratiæ. *Secundum.*

Confirmatur, quia generatio & corruptio ſunt diuerſæ mutationes oppoſitæ; ſed duæ oppoſitæ mutationes habent quatuor terminos oppoſitos, vt oſtenſum eſt; igitur cùm infuſio gratiæ ſit quædam generatio, per quam homo priùs accipit eſſe gratum, & expulſio culpæ ſit corruptio formæ contrariæ, ſequitur quòd ſint diuerſæ mutationes. *Confirmatio.*

Item, diſpoſitio, & illud ad quod diſponit, diſtinguuntur: ſed expulſio culpæ eſt quædam diſpoſitio, per quam aliquis fit de inimico non inimicus, infuſio gratiæ eſt forma alia, per quam homo fit amicus; eſſe autem non inimicum diſponit ad eſſe amicum, & non eſt ipſum. Patet de ſe, quia aliud eſt alicui remittere offenſam, per quam deletur inimicitia, aliud reconciliare ſibi per amorem, vel amicitiam; igitur cùm ſic ſe habeat expulſio culpæ ad infuſionem gratiæ, vt ſit diſpoſitio ad ipſam, ſequitur quòd diſtinguuntur. *Tertium.*

Contrà, ſi expulſio culpæ ſit alia mutatio ab infuſione gratiæ, aut erit alia acquiſitiua, vel deperditiua (vt alij loquuntur) aut poſitiua, aut priuatiua (vt alij loquũtur.) Nõ mutatio deperditiua, 2. *Prima nutio ad oppoſitum.*

ditiua, aut priuatiua, quia non habet terminum priuatiuum; quia ſi ſic, ſequitur quòd terminus *à quo*, qui eſt culpa, ſit aliquid poſitiuum; impoſſibile eſt autem vtrumque per ſe terminum alicuius mutationis eſſe priuatiuum: nec expulſio culpæ eſt mutatio alia poſitiua ab infuſione gratiæ, nec ad terminum poſitiuum alium, quia poſt expulſionem culpæ nihil eſt poſitiuum in anima, niſi gratia: igitur ipſa, & mutatio infuſionis gratiæ ſunt eadem mutatio.

3. *Secunda.* Item, ſi ſint duæ mutationes, igitur inter eas eſt aliquis ordo naturæ prioritatis, & poſterioritatis; ſed hoc eſt falſum; igitur falſum eſt, quòd ſint duæ. Maior patet, ex quo ſimul ordinantur ad eundem finem eſſentialiter, non ex æquo ſe haberent ad illum. Minor patet, quia ſi expulſio culpæ eſſet prior natura, tunc aliquis in illo priori eſſet non amicus, quia caret gratia, & non inimicus, quia caret culpa, & ita eſſet in quodam ſtatu medio; quia nec amicus, nec inimicus, quod videtur impoſſibile. Nec infuſio gratiæ præcedit natura expulſionem culpæ, quia tunc aliquis in aliquo inſtanti naturæ eſſet gratus Deo, & amicus per gratiam, & tamen in illo inſtanti eſſet ſub culpa, & per conſequens inimicus, & ita ſimul amicus & inimicus, quæ videntur abſurda.

SCHOLIVM I.

Prima ſententia, infuſionem gratiæ, & expulſionem culpæ non poſſe eſſe realiter vnam mutationem, ſed duas. Primò, quia ſecundum plurificari poteſt cum vnitate primi. Secundò, poteſt vnum eſſe ſine altero, & è contra. Tertiò, culpa, & gratia formaliter non repugnant, alioquin peccator annihilaret gratiam. Quartò, hic tantùm ſunt duo termini. Vide Doctorem ſuprà d. 1. quæſt. 6. & d. 17. q. 1. art. 1. & 2. d. 28. quæſt. 1.

4. *Opinio. var. in. 4. d. præſenti.* RESpondeo ad quæſtionem illam, in qua aliquando tenui quòd non eſſent vna mutatio, ſed duæ per quatuor rationes, quæ me ſicut alios mouebant. Prima eſt hæc, quod plurificatur realiter, non eſt idem ei, quod non plurificatur realiter, quæ ſunt contradictoria de eodem; infuſio gratiæ non eſt niſi vna realiter, expulſiones ſunt multæ realiter, ſicut ſunt multæ culpæ; igitur non ſunt eadem numero, ſed duæ.

Probatio prima quòd remiſſio culpæ & infuſio gratiæ non ſint vna mutatio.

Secunda. Item, infuſio gratiæ poteſt eſſe ſine expulſione culpæ. Patet, quia in ſtatu innocentiæ, nulla fuit expulſio culpæ, quia nulla culpa; & tamen innocentes habuiſſent tantam, vel maiorem gratiam, quantam nos habemus. In Beata etiam Virgine deſcendit plenitudo gratiæ, quia fuit gratia plena, & tamen nullam habuit culpam præcedentem, quæ tunc expellebatur, vel aliquando poſt, quia nunquam peccauit culpa actuali. Idem etiam patet de Angelis beatis, qui habuerunt gratiam ſine omni culpa, aliquando expellenda.

Poteſt eſſe infuſio gratiæ ſine expulſione culpæ, & è contra.

Sicut Deus poteſt hominẽ creare ita & reſtaurare. Similiter poteſt culpa expelli abſque hoc quod infundatur gratia, nam Deus de potentia ſua abſoluta poteſt aliquem creare in puris naturalibus ſuis, & in tali ſtatu, quòd nec tunc eſt amicus, nec inimicus; igitur talem poſt lapſum, & peccatum commiſſum in eodem ſtatu reparare, expellendo culpam, & tamen non infundendo gratiam, vt ſic non ſit amicus, nec inimicus Dei; Sed quæcunque poſſunt ſeparari ab inuicem, ita quòd vnum poteſt eſſe realiter ſine altero, & è conuerſo non ſunt idem realiter, quia nihil poteſt eſſe ſine ipſo realiter, vel ſeparari à ſe ipſo realiter; igitur illæ mutationes, quæ ſic realiter poſſunt ſeparari, non ſunt eadem numero realiter.

5. *Tertia.* Item, culpa & gratia non ſunt formaliter oppoſita, nec inuicem repugnantia ſicut album & nigrum, vel albedo & nigredo, calidum & frigidum, & huiuſmodi, quia ſi ſic, agens quod haberet cauſalitatem reſpectu vnius in *fieri*, haberet cauſalitatem reſpectu alterius oppoſiti *in deſtrui*, quia idem agens, ſcilicet calefaciens, quod inducit calidum, corrumpit, & deſtruit frigidum, & per conſequens voluntas creata, quæ habet cauſalitatem effectiuam, vel defectiuam reſpectu culpæ (quia nullum peccatum, niſi quantum ſit voluntarium) haberet cauſalitatem effectiuam reſpectu gratiæ (quia defectiuam non poteſt habere reſpectu eius, cùm terminus ſit poſitiuus) quod falſum eſt, quia ſicut tantum incipit per creationem, ita deſinit per annihilationem, quorum neutrum conuenit voluntati creatæ: ſed ſi culpa & gratia non ſint formaliter oppoſita, Deus poteſt de potentia ſua facere vnum, & non creare aliud, & ita expellere culpam, etſi non infundat gratiam, & è conuerſo.

Gratia & culpa non opponuntur formaliter.

Sicut gratia habet eſſe per creationem, ita deſinit, eſſe per annihilationem.

Item, vniuerſaliter vniuſcuiuſlibet mutationis ſunt duo per ſe termini, terminus *à quo*, & terminus *ad quem*, forma & priuatio; igitur ſi expulſio culpæ & infuſio gratiæ non ſit niſi vnica mutatio ſimplex; tunc illius mutationis per ſe terminus *à quo* eſſet culpa, & terminus per ſe, *ad quem* eſſet gratia; ſed hoc eſt falſum, quia vnius per ſe habitus & formæ, eſt per ſe vnica priuatio; ſed quaratione vna culpa eſſet per ſe terminus *à quo*, & alia, & alia, ita quòd cuilibet expulſioni culpæ correſpondet ſua gratia infuſa; vel multæ formæ, vel habitus eſſent termini *ad quem*, & multæ priuationes termini *à quo*, quorum vtrumque eſt impoſſibile; quia ſicut priuatio non habet entitatem in comparatione ad ſuum habitum, & formam, ſic nec vnitatem; igitur cùm nec culpa actualis poſſet eſſe terminus *à quo* illius mutationis ſimplicis, ſed priuatio gratiæ propter prædicta; ſequitur quòd ſint duæ mutationes, & quatuor termini, quia illæ rationes bonæ ſunt, & videbantur mihi aliquando concludere.

6. *Quarta.*

Vnius mutationis duo tantùm ſunt per ſe termini.

SCHOLIVM II.

Sententia Doctoris, non eſſe propriè loquendo vnam mutationem realiter, vt probant rationes allatæ, neque duas, quia remiſſio culpæ non eſt realis mutatio, ſed relatio rationis. Occaſione huius docet reatum, ſeu maculam manentem poſt actum peccati, non eſſe aliquid reale, ad quod, vel à quo poſſet dici mutatio realis. Hoc ergo tantùm negat Doctor, dari medium aliquod reale inter actum peccati tranſactum, & obligationem ad pœnam. Et quando dicit nihil remanere præter illam obligationem, intelligit de me-

dio tali reali, ſed non negat ipſum actum prateritum moraliter manere donec remittatur, & in hoc ſtat reatus, macula, ſeu peccatum habituale. Vide ſcholium ſupra d. 14. quæſt. 1. num. 6.

7. *Determinatio Doctoris.*

REſpondeo ad quæſtionem, quòd propriè loquendo, expulſio culpæ, & infuſio gratiæ, nec ſunt ſimpliciter vna mutatio, nec ſimpliciter duæ: ſi enim culpa actualis relinqueret aliquam maculam in anima, quæ eſſet aliquid poſitiuum in ea, quod priùs negaui quæſtione 7. de pœnitentia diſt. 14. tunc facile eſſet videre quid diceretur ad quæſtionem, quia tunc dicerem quòd talis macula, vt quoddam poſitiuum, haberet propriam expulſionem, & propriam mutationem, aliam ab infuſione gratiæ: ſed hoc negaui, vt dixi, quia anima non poteſt eſſe immediatum fundamentum talis maculæ, vel obliquitatis abſolutæ, remanentis, & quieſcentis in ea ceſſantibus actibus peccatorum, quorum priùs fuit ſubiectum, ſed tantùm poſt tales actus peccatorum remanet in ea reatus, vel obligatio quædam ad pœnam æternam, vt dictum eſt priùs.

Si etiam dicerem quòd nihil remanet in anima, nec macula, nec aliquid poſt actum peccati, ſed culpa eſſet immediatè quædam corruptio rectitudinis, & iuſtitiæ naturalis, & non corruptio gratiæ, & quòd omnes culpæ eſſent vna totalis cauſa vnius corruptionis rectitudinis naturalis totalis, tunc reſtitutio illius totalis rectitudinis, eſſet expulſio totalis omnium culparum, & reſtitutio partialis rectitudinis naturalis, eſſet expulſio vnius culpæ; ſic etiam dicerem quòd alia eſt mutatio expulſionis culpæ, & infuſionis gratiæ.

8. Sed de illo præſertim dictum eſt in quadam quæſtione de Circumciſione d. 1. q. 5. & in ſecundo libro * amplius dicitur, vbi oſtenditur quòd culpa, vel peccatum nihil corrumpit de natura, vel rectitudine naturali: ſi enim quodlibet peccatum mortale aliquid adimeret, vel corrumperet de natura, tantum poſſent peccata multiplicari per tempus aliquod in futurum, quòd nihil remaneret de natura peccabili, eo quòd natura peccabilis eſſet corruptibilis, & tamen animæ damnatæ, & Angeli mali mortaliter continuè, & in æternum peccabunt; quia *ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper* Pſal. 73. ſequitur quòd natura eorum tota per peccatum corrumperetur, quod eſt manifeſtè falſum, & ita non eſſet eorum pœna perpetua. Item Auguſtinus in Enchirid. cap. 24. *Peccatum in tantum eſt malum, inquantum adimit de bono non quod ineſt, ſed quod tunc deberet ineſſe*, igitur peccatum non eſt ademptio boni naturæ, vel alicuius rectitudinis naturalis, ſed alicuius actus boni, qui deberet tunc ineſſe, quando peccatum ineſt.

* d. 1. q. 5 & d. 7 q. 1 & 3. d. 23.

Nihil naturale corrumpitur per peccatum.

Aug.

9. *Nota quod negat tàtum aliquid reale poſitiuum manere poſt actum peccati quod ſit peccatum, tamen non negat ipſum actum moraliter manere vt notaui*

Non video autē in anima peccatrice carētiam alicuius actus, vel formæ quę debet ei ineſſe, niſi carentiam gratiæ habitualis, vel actualis, vel iuſtitiæ actualis, vel habitualis. Nec video per expulſionem culpæ aliquid poſitiuum in anima, vt maculam, vel aliquid aliud relictum in ea in *eſſe* quieto, corrumpi, ſed tantùm carentiam gratiæ. Iſta autem carentia gratiæ, vel peccatum, vt argutum eſt, eſt tantùm priuatio vna, ſicut forma & habitus eius eſt vnus, tamen inter vnam priuationem, & ſuum habitum, non eſt niſi vnica mutatio; igitur in iuſtificatione impij eſt tantùm vnica mutatio expulſio priuationis gratiæ per introductionem, & infuſionem gratiæ, quia eadem mutatione, qua ab anima expellitur culpa, & priuatur fœditate peccati, ponitur ſub habitu gratiæ. Scholio 2. d. 14. q. 1.

10. *Quare expulſio culpæ non ſit mutatio realis propriè.*

Dico ergo quòd expulſio culpæ non eſt propriè aliqua mutatio realis, quia nihil tale expellendum in anima remanet, relictum ex actu peccati in ea, ceſſante illo actu, ſed tantùm remanet in ea quædam obligatio ad pœnam æternam, quæ tantùm eſt relatio rationis in ea, inquantùm intelligitur ab intellectu diuino iuſtè per actum voluntatis diuinæ non ordinantis eam ad gloriam, ordinari, vel obligari ad pœnam, abſque mutatione obiecti, vt intellecti ab intellectu diuino, & abſque aliquo poſitiuo relicto in anima poſt actum peccati: quia ſi iſto modo intelligereris à me ab æterno, modò dignus pœna, & priùs non, nihil plus poſitiuum eſſet in anima tua nunc, quàm priùs, quando non ſic intelligereris à me; ita in propoſito, intellectus diuinus intelligens aliquem per *velle*, & actum voluntatis diuinæ iuſtitiæ ordinari ad pœnam pro peccato, non magis præſupponit aliquid poſitiuum in anima illius ſic ordinata, & obligata, quàm priùs.

11. *Obiectio.*

Sed contra iſtud poteſt ſic obiici: Impoſſibile eſt eſſe tranſitum à contradictorio in contradictorium, vel aliquid aliter ſe habere, nunc quàm prius, niſi per aliquam mutationem factam in ipſo, vel in altero ſcilicet extremorum: ſed ille ante peccatum non fuit ordinatus, vel obligatus per voluntatem diuinam ad pœnam, & modò poſt peccatum eſt per actum illius voluntatis ordinatus ad pœnam; igitur impoſſibile eſt hoc eſſe, niſi per aliquam mutationem factam in voluntate diuina ordinante ipſum ſic ad pœnam, vel in creatura, ſic ordinata. Non in voluntate diuina, quia ipſa non ſe habet aliter nunc, quàm ab æterno; igitur per mutationem factam in creatura, & per conſequens remiſſio culpæ, & illius obligationis ad pœnam, eſt quædam mutatio paſſiua in creatura, ſicut infuſio gratiæ eſt quædam mutatio actiua in ea vel reſpectu eius.

12. *Solutio.*

Reſpondeo quòd voluntas diuina nullo modo mutatur, nec reſpectu obiecti ſui primi, eſſentiæ ſuæ videlicet, quæ eſt omninò immutabilis; nec etiam reſpectu obiectorum ſecundariorum, vt tranſit ſuper obiecta extrà, quia impoſſibile eſt eſſe aliquam nouitatem in ea, vt tranſit ſuper ea. Non enim fit de non volente volens, vel aliquo modo mutatur, quando vult me ſedere pro *A*, & ſtare pro *B*, vel non ſedere pro *B*, ſed eadem voluntate vult me ſedere, & me non ſedere, ſed pro diuerſis inſtantibus, & non pro eodem inſtanti; quia velle ſimul contradictoria ineſſe alicui pro eodem inſtanti eſt nihil velle, quia eſt velle hoc, & non hoc. Vnde ab æterno habuit plures volitiones ſecundùm rationem, reſpectu oppoſitorum, ſed pro diuerſis inſtantibus; nec tamen ſunt in ſe oppoſitæ, quia non ſunt reſpectu eiuſdem inſtantis: ſicut eſt de voluntate mea, quæ ſi ſemper haberet illas volitiones à principio creationis, ſedere pro *A*, & non ſedere pro *B*, nec mutaretur quando de non ſedente fieret ſedens, quia non ſemper eſſent in ea: nec eſſent oppoſitæ, quia

In voluntate Dei nihil nouum.

quia reſpectu diuerſorum inſtantium temporis.

13. *Digreſſio de voluntate diuina.*

Ad propoſitum, dico quòd ille obligatus voluntate diuina per intellectum diuinum peccaturus pro *A*, pœnitens pro *B*, voluntas æternaliter habet ſimul volitionem puniendi iſtum ratione peccati, & offenſæ; & volitionem remittendi pœnam, & dandi gratiam ratione contritionis & diſplicentiæ, ſed non pro eodem inſtanti temporis: ſed pro diuerſis, in quibus peccator peccat, & pœnitet, quæ non ſunt compoſſibilia in eodem inſtanti temporis. Vnde voluntas diuina in inſtanti eodem æternitatis iſtum obligatum per intellectum ſuum pro inſtanti *A*, peccaturum, ordinat volitione æterna pro eodem inſtanti puniendum, vel damnandum, & iſtum obligatum tanquam pœniturum pro *B*, non ordinat puniendum pro *B*, & ita vult oppoſita, concedo; ſed non pro eodem inſtanti, & ſic ſunt in Deo mille, imò centum millia volitionum puniendi iſtum, & totidem non puniendi iſtum, pro diuerſis inſtantibus temporis, & tamen in eodem *nunc* æternitatis; licèt pro diuerſis *nunc* temporis, ſicut ille poteſt ſucceſſiuè in diuerſis *nunc* temporis offendere Deum, & placare offenſam eius. Nec tamen velle punire, vel damnare peccatorem eſt *velle* ipſius Dei abſolutum, & efficax, quia tunc ſtatim puniret eum in inferno, & damnaret, ſed eſt *velle* eius ſub conditione, ſcilicet ſi tunc moreretur, & deſineret eſſe viator, & quia vult me eſſe viatorem, quamdiu fuero in ſtatu præſentis vitæ, pro eodem tempore, pro quo ſcit me eſſe permanſurum in peccato, vult me pœnitere, & ſi tunc vellet me eſſe in termino, ſtatim puniret; eadem igitur eſt voluntas, & eadem volitio ſecundùm rem, diuerſa tamen ſecundùm diuerſum modum intelligendi tantùm, omninò immutabilis, & oppoſita in ſe, qua vult me punire & non punire, ſed non ſimul pro eodem inſtanti, ſed diuerſis; nèc tamen vult abſolutè, & voluntate efficaci me punire; ſed ſub conditione, vt dictum eſt.

Nota contra decreta abſoluta actuũ liberorum.

Velle punire & damnare peccatorem non eſt velle Dei abſolutũ.

SCHOLIVM III.

Explicat optimè quomodo quis fieri poſſet de abſoluta potentia iuſtus ſine gratia, licèt de lege ordinata id fieri nequeat; & quomodo eo caſu fieret mutatio, de iniuſto in iuſtum, ſi nihil poneret in iuſto.

14. *Deus poteſt remittere culpam & dare gratiam alicui ſine aliqua mutatione.*

PEr hoc ad formam rationis dico, quòd non fit mutatio in voluntate diuina, nec in obiecto vt cognito, vel volito tantùm, ſed in obiecto, vt eſt extrà in effectu, & ibi, non tamen neceſſariò, Deus de potentia abſoluta ſua poſſet remittere alicui culpam, & dare gratiam, etiamſi ille nullo modo aliter ordinaretur, nunc quàm priùs: Non poteſt eſſe mutatio in voluntate diuina, quia potentia ſemper habens plures actus ſimul, qui aliquo modo terminantur ad idem, vt ad eandem perſonam in ſubſtantia, & aliquo modo ad diuerſa in acceptatione diuina, & in ratione moris ſemper in eodem inſtanti; licèt pro diuerſis inſtantibus temporis habebit omnes ſine aliqua mutatione iſtorum, quia omnes ſunt in eadem menſura ſimplici, & indiuiſibili, ſcilicet inſtanti æternitatis, quæ eſt tota ſimul, nec eſt mutatio in obiecto, vt cognito, vel volito, quia vt ſic, ſunt in æternitate; ſed tantùm eſt mutatio in obiecto, vt extrà poſito in *eſſe* effectus, quia ille per actum elicitum voluntatis, vt velle punire ſe pro offenſa Dei, & actum imperatum nolitionis peccati, & deteſtationis eius ſit de ordinato, & obligato ad pœnam, non ſic ordinatus, licèt Deus poſſet de potentia ſua abſoluta aliter facere, quia ſine omni punitione poſſet remittere culpam, & dare gratiam, vt dictum eſt.

15. *Inſtantia.*

Et ſi dicas, actus meus punitiuus peccati, & offenſæ Dei, non eſt cauſa, quare Deus modò iſtum non ordinat ad pœnam, & priùs ordinauit; quia nihil temporale eſt cauſa æterni: igitur ſi modò iſtum ſic ordinat & priùs non, mutatur Deus in ſe.

Reſponſio.

Reſpondeo; concedo quòd temporale non eſt cauſa æterni, nec actus punitiuus culpæ eſt cauſa ordinationis alicuius ad gloriam, ad quam non ordinabatur ante illum actum; & tamen non mutatur voluntas, nec eius volitio ad puniendum, vel non puniendum, quia ſemper habuit eandem volitionem ab antiquo, quam modò habet; ſed non pro eodem inſtanti, ſed pro inſtanti, pro quo conteritur, vult eum non damnare, & pro inſtanti, quo peccat, vult eum damnari, & ab æterno hoc voluit, & modò vult, & ideò nullus actus temporaliter elicitus, eſt cauſa volitionis eius.

16. *Réplica.*

Et ſi dicas, quòd non eſt tranſitus ab oppoſito ad oppoſitum, ſiue à contradictorio ad contradictorium ſine mutatione alicuius, ſed Deus modò fit placatus de non placato; ergo.

Solutio.

Dico quòd non eſt in Deo ille tranſitus, quia Deus æternaliter habet illos actus ſimul placationis, & non placationis, quia nulla eſt ibi ſucceſſio obiecti illius, nec viciſſitudinis obumbratio in eo; ſed tantùm eſt tranſitus, & ſucceſſio, vel mutatio in obiecto, non vt cognito, vel volito, quia ſic ſunt in æternitate, ſicut volitiones ſunt æternæ; ſed in obiecto, vt eſt extrà pro diuerſis inſtantibus ſucceſſiuè, in quorum vno eſt peccator per peccatum commiſſum, in alio pœnitens, pro quo Deus eadem volitione eſſentiali vult eum damnari, & non damnari; & ita oppoſita, & ita contradictoria pro diuerſis inſtantibus, quod non conſueuit dici eſſe inconueniens, & ſic patet quomodo expulſio culpæ, & non obligatio eius, non eſt realis mutatio alia ab infuſione gratiæ.

Quare in Deo non ſit tranſitus de contradictorio in contradictorium.

Stat benè nec volentem nec volitum mutari, licèt volitum ſit poſt nolitum.

17. *De lege ordinaria infuſio gratiæ concomitatur remiſſionem culpæ.*

Dico tamen quòd de potentia Dei ordinata, & de facto remiſſionem culpæ extra, vt eſt in obiecto actu exiſtente extrà (non dico remiſſionem culpæ obiecti exiſtentis in intellectu, vel voluntate diuina) talem, inquam, remiſſionem culpæ concomitatur realis mutatio, ſcilicet infuſio gratiæ, nec illo modo ordinatur ad gloriam pro inſtanti, pro quo primò ordinabatur ad pœnam; ſed pro alio, & alio.

18. *Epilogus totius quæſtionis.*

Et ſi quæras, aut igitur ſunt vna mutatio, vel duæ, expulſio culpæ, & infuſio gratiæ? Dico quòd formaliter loquendo, nec ſunt vna numero, nec plures quia ſic etiam ſunt ſuo modo diſtinctæ, & plures acceptationes, voluntatis eius, reſpectu talis obiecti ſed mutatio realis, ſcilicet infuſio gratiæ, quæ concomitatur tales expulſiones, & remiſſiones peccatorum non eſt niſi vna, non ſunt igitur vna mutatio, ſed plures aliquo modo, quia remiſſiones ſũt plures;

infuſio gratiæ tantùm vna: ſunt etiam aliquo modo vna mutatio realiter, quia in iuſtificatione peccatoris non eſt niſi vna mutatio realis, quæ concomitatur plures remiſſiones & expulſiones peccatorum. Secundò dico quòd in Deo nulla eſt mutatio. Tertiò dico quòd remiſſio, quod eſt propriè dictum, ſiue remiſſio talis obligationis ad pœnam, vel expulſio culpæ, quod eſt impropriè dictum, quia nihil obligatum in anima expellitur, nec corrumpitur, quod præfuit in ea ante remiſſionem culpæ, ſed tantùm præfuit in ea ordo ad pœnam, & infuſio gratiæ ex parte paſſi; non ſunt duæ reales mutationes, quia realis mutatio non eſt niſi ad formam realem corrumpendam vel generandam; culpa, quæ remittitur, & expellitur, non eſt niſi ens rationis, quia non niſi ordo ad pœnam; igitur remiſſio culpæ eſt formaliter tantùm mutatio rationis, & non realis: ipſam tamen de facto & potentia Dei ordinata ſemper concomitatur infuſio gratiæ, quæ eſt mutatio realis, & terminatur ad formam realem, & abſolutam.

19. *Ad primum principale.*

Ad primum argumentum, cùm dicitur ſecundùm Auguſtinum, *dolendum eſt non ſolùm quia peccauit, ſed etiam quia virtute ſe priuauit.* Reſpondeo quòd alia eſt mutatio realiter peccare, & gratiam corrumpere demeritoriè per actum peccati, qui eſt aliquid reale in anima, vt malum velle, & alia, annihilatio gratiæ, quia peccare eſt à voluntate creata, & infuſio gratiæ, & annihilatio eius eſt à voluntate diuina: ſed non ſequitur, igitur expulſio culpæ, & infuſio gratiæ ſunt duæ mutationes reales, quia, vt dictum eſt priùs, expulſio culpæ non eſt niſi ens rationis, vt non obligatio, vel non ordinatio animæ ad pœnam; ſi tamen actus peccandi, quo quis dicitur peccator, vel peccans, actu maneret in anima vſque ad infuſionem gratiæ in *eſſe* quieto, vel derelinqueret aliquam formam abſolutam in ea, tunc concederetur quòd expulſio eius, & infuſio gratiæ eſſent duæ mutationes reales, licet à diuerſis agentibus, ſcilicet increato, & creato. Nunc autem, vt dictum eſt priùs, nihil manet in anima poſt actum peccandi, niſi relatio rationis, vt obligatio, & ordinatio paſſiua animæ ad pœnam æternam, quamdiu offertur per intellectum diuinum ſuæ voluntati peccator, & non pœnitens, & ideò non ſequitur quòd expulſio ſit aliqua mutatio realis.

Peccare eſt voluntatis creatæ, infuſio & annihilatio gratiæ eſt à voluntate diuina.

20. *In actu peccaminoſo ſunt duæ mutationes reales in anima, in iuſtificatione verò vna tantùm.*

Dico igitur quòd in toto proceſſu iſto ſunt duæ mutationes reales in anima, vna ad peccare, & alia ad annihilationem gratiæ, ſed in iuſtificatione animæ non ſunt duæ mutationes reales, vt expulſio, vel remiſſio culpæ, ſed vna eſt tantùm rationis, vt expulſio, vel remiſſio culpæ; & alia realis, vt infuſio gratiæ, quia ſemper concomitatur aliam de facto, & de potentia Dei ordinata, & ita concedo quòd in paſſo ſunt duæ mutationes, vna realis, & alia ſecundùm rationem.

Ad ſecundū. Quare in moralibus corruptio vitij & generatio virtutis ſint duæ mutationes reales, & in iuſtificatione vna tantùm.

Ad aliud, cùm dicitur quòd alia mutatio eſt expulſio vitij, & inductio virtutis: Reſpondeo quòd hæc & omnia argumenta ſoluuntur per hoc, quòd in moralibus ideò ſunt duæ mutationes, quia ibi ſunt duæ priuationes reales, & duæ formæ, & habitus oppoſiti eis. In iuſtificatione impij tantùm eſt vna forma realis, & vna tantùm realis priuatio, vt corruptio eius, vel non eſſe eius in anima, ſed ordinari ad pœnam, vel ad gloriam, non eſt aliquid reale in anima, ſed tantùm ens rationis, niſi velis vocare relationem voluntatis, qua aliquis comparat, & ordinat illam ad ens reale realem & ſolùm relationem intellectus ens rationis; ſed hoc nihil eſt vt aliquis imaginatur, quia ita poteſt voluntas comparare aliquid ad hoc, & ordinare aliquid ad hoc, & aliud, & per conſequens cauſare ens rationis; ſicut intellectus, quia aliter eſſet limitatior ſuo intellectu, quod eſt impoſſibile. Ad confirmationem de generatione & corruptione alicuius mixti, dico quòd non eſt ſimile; quia in generatione, & alteratione mixti ſemper ſe concomitantur duæ mutationes, & quatuor termini reales.

Sicut intellectus poteſt cauſare relationem rationis ita & voluntas.

Ad confirmationem.

Ad aliud de non inimicitia, quæ diſponit ad amicitiam, dico quòd illa diſpoſitio non inimicitiæ, quæ fit per remiſſionem, & expulſionem culpæ ad amicitiam, non eſt diſpoſitio realis, dicens de ſe aliquid poſitiuum, ſed tantùm ens rationis, vt non ordinationem ad pœnam, Patet hoc, quia anima in puris naturalibus ſuis habet hanc diſpoſitionem, quia non creata vt inimica, nec vt amica; igitur nec vt amica, nec vt inimica.

21. *Ad Tertium.*

Noninimicitia eſt tantùm diſpoſitio rationis.

SCHOLIVM IV.

Explicat, quem ordinem habent inter ſe expulſio culpæ, & infuſio gratiæ, & ferè nullus eſt: ſi tamen dicas gratiam eſſe priorem intentione, quia eſt perfectior: tranſeat; ſed non video quomodo remiſſio culpæ ſit prior executione, quia non remittitur niſi per gratiam. Id certum, nullum eſſe inter hæc cauſalitatis ordinem.

AD argumentum in oppoſitum, cùm arguitur, aut eſt mutatio poſitiua, vel priuatiua; dico quòd remiſſio, vel expulſio culpæ, vt ſunt mutationes rationis tantùm, ſic ſunt priuatiuè; Et cùm arguis, igitur habebunt terminum *à quo* poſitiuum, concedo tale poſitiuum, quale conuenit mutationi rationis & termino eius, non quidem poſitiuum ſecundùm rem; ſed tantùm ſecundùm rationem. Vnde qualis eſt mutatio priuatiua, talis eſt terminus eius *à quo* poſitiuus, vt ſi realis, realiter poſitiuus: ſi rationis, tunc ſecundùm rationem poſitiuus. Expulſio autem culpæ eſt mutatio priuatiua ſecundùm rationem, quia eſt non ordinari ad pœnam, cuius terminus *à quo* ſecundùm rationem tantùm poſitiuus eſt ordinari ad pœnam, vterque tamen terminus *à quo* & *ad quem* tam poſitiuus, quàm priuatiuus, ſunt termini tantùm rationis, non reales. Ideò non eſt mirum, ſi mutatio inter illos non ſit realis, ſed tantùm rationis.

22. *Ad primam rationem oppoſitam.*

Remiſſio culpæ eſt mutatio rationis à termino poſitiuo rationis ad priuatiuum rationis.

Ad aliud, cùm dicitur quòd ſi ſint plures mutationes; igitur inter eas eſt ordo prioritatis, & poſteriotatis, de quo ordine faciunt alij quæſtionem per ſe in iſta materia. Reſpondeo quòd non eſt ordo realis illarum mutationum, quia altera eſt tantùm mutatio realis, & alia eſt mutatio rationis, quia cùm culpa non poſſit eſſe terminus *à quo*, cùm ipſa non maneat in anima, non manente actu, ſequitur quòd terminus *à quo* illius mutationis ſit relatio rationis tantùm, vt ordo animæ obligatæ ad pœnam per actum voluntatis diuinæ.

23. *Ad ſecundū. D. Tho. Rich. & alij.*

Dico igitur quòd talis eſt ordo remiſſionis culpæ ad infuſionem gratiæ, qualis eſt prioritas vnius mutationis ad aliam; remiſſio autem culpæ,

pæ,quæ eſt non ordinati ad pœnam,eſt prior naturaliter ſecundùm generationem , & naturam, & rationem , vel prædicationem, illa mutatione , qua aliquis ordinatur ad gloriam , ita quòd poſſet eſſe de potentia Dei abſoluta ſine eo: quia poſſet Deus ſic remittere culpam , abſque hoc quòd ordinaret ad gloriam , non infundendo gratiam ; ſaluando hominem in ſuis puris naturalibus, non è conuerſo:iſta autem ſunt priora aliis ſecundùm Philoſophum 5 . *Metaph. c. de prioritex.* 16.quia poſſunt eſſe ſine ſe inuicem,& alia non poſſunt eſſe ſine illis ; igitur prioritate perfectionis , & actualitatis priùs eſt ordinatio alicuius ad gloriam per infuſionem gratiæ , quæ eſt mutatio realis , quàm non ordinatio eius ad pœnam per expulſionem,& remiſſionem culpæ, quæ eſt tantùm ſecundùm rationem.Patet ex terminis.Ens autem reale prius eſt perfectione ente rationis , licèt è conuerſo ens rationis eſt prius generatione,& ſecundùm conſequentiam,& rationem, & ſunt poſteriora in *eſſe* ſimpliciter , & perfectione. Patet de animali , & homine, quia licèt animal ſit prius ſecundùm rationem , & conſequentiam , homo tamen eſt ſimpliciter priùs in *eſſe*,& perfectione.Ita in propoſito,licèt remiſſio,quæ non eſt ordinari ad pœnam,ſit prior ſecundùm conſequentiam,& rationem infuſione gratiæ,quæ eſt ordinari ad gloriam, & ita ſecundùm *quid* , & non ſimpliciter,tamen ordinari ad gloriam eſt prius,& perfectius:patet , quia ſi diuiderentur illæ mutationes,ſcilicet , qua aliquis ordinatur ad pœnam , & qua ordinatur ad gloriam,non ſunt eiuſdem rationis, quia aliquis poteſt ordinari ad pœnam, vel non ordinari ad eam ſine alia mutatione reali ad aliam formam abſolutam in eo, qua ſic,vel ſic ordinetur ſola mutatione,vel relatione rationis; ſed nullo modo poteſt ordinari ad gloriam,niſi priùs realiter mutetur ad aliquam formam , qua ſic ordinetur,vt ſit amicus Dei;patet igitur quomodo mutatio realis poſterior ſecundùm rationem , eſt prior ſecundùm perfectionem,& è conuerſo,mutatio ſecundùm rationem eſt prior prædicatione , & poſterior perfectione.

Deus de potẽtia abſoluta poteſt remittere culpam & non infundere gratiã.

Ariſtot.

24. *Prius prioritate conſequentiæ & rationis eſt poſterius perfectione.*

Soluitur.

Et ſi quæras quæ illarum ſit prior ordine cauſalitatis?Reſpondeo quòd non eſt quæſtio, quia ex quo culpa commiſſa extrà non eſt cauſa prima ordinationis alicuius ad pœnam , ſed culpa cognita in æternitate , multò fortiùs nec remiſſio culpæ commiſſæ extrà in tempore eſt cauſa ordinationis ad gloriam , quia eſt poſterior ea vt ſic,quia ordinatio alicuius ad gloriam eſt in æternitate ; & talis remiſſio culpæ actualis eſt in tempore ; remiſſio autem culpæ vt in æternitate cognita,eſt prior ſecundùm rationem, & conſequentiam ordinatione alicuius ad gloriam , non tamen eſt cauſa eius; nec è conuerſo , ordinatio ad gloriam , eſt cauſa remiſſionis, quia remiſſionem culpæ,ſicut eſt ens , & mutatio , ita præcedit.

25. *Dubium.*

Remiſſio culpæ in tempore non eſt cauſa ordinationis ad gloriam, nec è contra.

SCHOLIVM V.

Soluit argumenta adducta num. 4. quibus ſuadebatur,remiſſionem culpæ, & infuſionem gratiæ,eſſe duas mutationes realiter , docens neque eſſe vnam omnino,neque duas realiter.

26. *Ad primum Arg. primæ opinionis.*

AD argumenta pro prima opinione. Ad primum; cùm dicitur quòd plures ſunt expulſiones,& non ordinationes ad pœnam , & quòd multiplicantur realiter ; Dico quòd falſum eſt, non pluriſicantur illæ expulſiones culparum realiter , ſed tantùm ſecundùm rationem , quia ſunt relationes,& entia rationis, & ideò non ſequitur quòd illæ , & infuſio gratiæ ſint plures mutationes reales , ſed vna realis , & multæ ſecundùm rationem,quod concedo.

Ad ſecundũ

Ad aliud , cùm dicitur quòd poſſunt ſeparari ab inuicem ; dico quòd abſolute poſſet eſſe infuſio gratiæ ſine expulſione alicuius culpæ præcedentis ; ſicut fuit in beata Virgine , & fuiſſet in tempore innocentiæ in innocentibus , quia tunc nulla fuiſſet culpa remittenda , vel expellenda : è conuerſo autem abſolutè , & de potentia Dei abſoluta , poſſet eſſe expulſio culpæ ſine infuſione gratiæ , tamen de potentia Dei ordinata vna ſemper concomitatur de facto aliam , vt infuſio gratiæ remiſſionem culpæ , & ita concedo quòd aliquo modo ſunt plures mutationes reales

27. *Ad tertium Supernaturale & naturale non opponuntur ex natura rei formaliter.*

Ad aliud , cùm dicitur quòd culpa & gratia non ſunt oppoſita formaliter , nec ſibi inuicem formaliter repugnantia , vt calidum & frigidum , album & nigrum ; concedo quòd nullum ſupernaturale eſt formaliter oppoſitum alicui naturali , vt probat , quia non ſunt in eodem genere entis. Sed cùm infers,igitur Deus poſſet de potentia abſoluta infundere animæ gratiam manenti ſub culpa. Dico quòd non ſequitur , quia hoc includeret contradictionem; ex hoc enim quòd in aliquo inſtanti maneret in culpa , eſſet non amica , ſed inimica Dei ; & ex hoc quòd in eodem inſtanti ſibi infunderetur gratia,eſſet amica,& ita ſimul eſſet amica,& nõ amica,quod eſt impoſſibile includens contradictionem ; de potentia tamen non ſolùm abſoluta , ſed etiam ordinata poſſet eſſe amica , & non amica pro alio & alio inſtanti , quia eadem volitione antiqua , qua voluntas diuina Petrum præſentatum ab intellectu diuino,vt ſub culpa,ordinat ad pœnam , vt inimicum ; eundem præſentatum vt non ſub culpa , ſed ſub pœnitentia , & contritione , ordinat non ad pœnam, ſed ex conſequenti ad gloriam , pro alio & alio inſtanti temporis , ſub quibus eſt peccator , & pœnitens,ſiue iuſtus.

Ad vltimum

Ad aliud , quando dicitur quòd vnius mutationis ſunt duo per ſe termini , forma & priuatio,concedo, & ideò dico quòd illius mutationis realis , quæ eſt infuſio gratiæ, terminus *à quo* eſt priuatio gratiæ , & illius mutationis ſecundùm rationem , quæ eſt expulſio culpæ , vel non ordinatio alicuius ad pœnam , terminus *à quo* eſt ens rationis , & poſitiuum ſecundùm rationem; & mutatio illa ſecundùm rationem , ſicut mutationis realis vt corruptionis gratiæ , terminus *à quo* eſt poſitiuus ſecundùm rem,vt forma gratiæ realis & poſitiua. Non autem poteſt dici quòd culpa , vel aliquid reale derelictum ex ea,ſit terminus *à quo* iſtius mutationis ſecundùm rationem , cùm nihil tale maneat in anima poſt actum peccati.

***

DISTINCTIO XVII.

DE CONFESSIONE.

QVÆTIO VNICA.

Vtrùm neceſſe ſit peccatorem confiteri omnia peccata ſua Sacerdoti?

Alenſ.4 *part quæſt.80 per totum*, D.Bonauent. *hic 1.part. art 1 quæſt 4* Richard *art quæſt 1.* D.Thom. *quæſt 3. art 2* Suarez *tom 4.diſp 17.ſect 2. & diſp.11.* Bellarm. *lib 3.de pœnit.* Coccius *tom.2.lib 7 art.3.* Scot. *in Oxon. hic quæſt.vnic.*

1. *Arg. primum negatiuum.* Ambroſ.

CIrca diſtinctionẽ 17. Quæro: *Vtrum neceſſe ſit peccatorem confiteri omnia peccata ſua Sacerdoti?*

Arguitur quòd non: Quia dicit Ambroſ. ſuper illud Lucæ 22. de Petro negante Chriſtum, & pòſt ſe conuertente ad Chriſtum, & amarè flente: *lacrymæ lauant delictum, quod vocẽ pudor eſt confiteri, quia lacrymas Petri lego, ſatisfactionem, & confeſſionem oris non lego*, igitur non eſt neceſſe peccatorem confiteri exteriùs Sacerdoti peccata ſua, ſed interiùs Deo.

Caſſiod. Item, ſuper Pſalm 31. *Dixi cõfitebor aduerſum me*, &c. dicit Caſſiodorus exponens illud *dixi*, id eſt, *apud me deliberaui, quòd confitebor, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei. Magna eſt pietas Dei, quæ ad ſolam promiſſionem peccatum dimittit; votum enim*

Auguſt. *apud eum pro operatione iudicatur.* Et Auguſtinus ibidem: *Nondum pronunciat, ſed promittit ſe pronunciaturum, & Deus dimittit, nondum enim eſt vox in ore, vt homo audiat confeſſionem; & Deus audit, & dimittit*; igitur talis confeſſio exterior Sacerdoti nõ eſt neceſſaria. Illæ auctoritates ſunt in litera.

Secundum. Item, ſola præcepta decalogi ſunt neceſſaria ad ſalutem iuxta illud *hoc fac, & vives*, vt dixit Saluator, Lucæ 18. Si igitur talis confeſſio eſſet neceſſaria ad ſalutem, eſſet aliquod decem præceptorum Decalogi; ſed in illis non inuenitur aliquod de confeſſione facienda, imò magis oppoſitum, quia in lege naturæ & lege ſcripta fuit peccatum mortale alteri reuelare peccatum, niſi propter vtilitatem conſilij, quia hoc faciens alium actiuè ſcandalizabat. De illicitis non ſunt præcepta Decalogi, imò nec de licitis ſecundùm omnem ſtatum: igitur.

2. *Tertium.* Item, nullus obligabatur ad impoſſibile; ſed mutus non poteſt confiteri; igitur non eſt ſibi neceſſaria confeſſio; omnis autem barbarus in terra extranea, eſt quaſi mutus, eò quòd non poteſt conceptum mentis ſuæ alicui exprimere, vt ei ſit intelligibilis; igitur.

Quartum. Item, non habens Sacerdotem præſentem non tenetur confiteri; quia non poſſet ei confiteri, niſi eſſet ei præſens, nec tenetur ei confiteri per ſcriptum, cùm non inueniatur aliquod præceptum Dei, nec Eccleſiæ de huiuſmodi confeſſione facienda, nec tenetur alteri confiteri quàm Sacerdoti, non potens habere Sacerdotem, quia ſolùm Sacerdotibus eſt poteſtas clauium conceſſa, & iuriſdictio.

Quintum. Item, nullus tenetur mentiri, cùm teneatur ad oppoſitum, & nullus ſit perplexus ex lege Dei; ſed habens conſcientiam quòd per totum annum vixit innocenter, & ſine peccato mortali, & etiam veniali, ſi poſteà confitetur ſe peccaſſe, mentiretur, quia diceret contra conſcientiam ſuam; igitur.

Ratio ad oppoſitum. Iacob. Contrà in epiſtola Iacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*, &c.

Item, Magiſter in litera, qui adducit Auguſt. lib. de Pœnit. ſuper illud Pſalm. 68. *Non vrgeat ſuper me puteus os ſuum*; vbi dicit Auguſtinus: *Puteus eſt profunditas iniquitatis, in quem ſi ceciderit, non claudet ſuper te os ſuum, ſi tu non clauſeris os tuum; confitere igitur, & dic.*

Multæ auctoritates patent in litera.

SCHOLIVM I.

Confeſſionem peccatorum non obligare iure naturæ: quia neque eſt principium lumine naturæ notum, neque concluſio neceſſariò ex tali deducta, alioquin fuiſſet in omni ſtatu. Conſtat tamen non fuiſſe in ſtatu innocentiæ, vel naturæ. Obiicit tripliciter, & ſoluit clarè.

3. *Status quæſtionis.* CIrca ſolutionem huius quęſtionis oſtendam quatuor. Primò, quo præcepto tenetur quis ad confeſſionem? Secundò, quid & quantum includit iſtud præceptum de Confeſſione? Tertiò, quid eſt ſuperadditum iſti præcepto, ex præcepto Eccleſiæ, vel quomodo ſpecificatur per eam? Quartò, ad quæ peccata confitenda ſpecialiter hoc præceptum eſt neceſſarium?

Duplex præceptum obligatiuum. Quantùm ad primum, ſciendum eſt, quòd duplex eſt præceptum obligans quemlibet ad aliquid faciendum; quoddam præceptum eſt de lege naturæ; quoddam de lege diuina poſitiua, ſalua gratia Domini Gratiani *diſtinct.* . qui dicit quòd omnia præcepta, quæ ſunt de lege, vel Iure diuino ſunt de lege naturæ, nam ſacramenta, & multa alia, ſunt de Iure poſitiuo diuino, & non ſunt de Iure naturæ, non enim fuerunt in omni ſtatu.

Principia practica & omnia, quæ immediatè ſequuntur ex eis, ſunt de lege naturæ ſtrictè. De lege autem naturæ dicuntur omnia principia practica nota ex terminis lumine naturali, ſicut principia ſpeculatiua in ſpeculationibus, licèt non ſint tot principia practica in practicis, quot ſpeculatiua in ſpeculationibus. Et non ſolùm principia practica ſunt de lege naturæ, ſed omnia, quæ immediatè ſequuntur ex eis, vt concluſiones neceſſariæ neceſſaria deductione, vel demonſtratiua illatione deducta ex eis.

4. Alia autem ſunt extra iſta, quæ ſic demonſtratiuè concluduntur ex eis, quæ multùm ſunt conſona illis principiis practicis; quia ab omnibus ſunt viſa multùm rationabilia, & bona, & ab omnibus iuſtè ſeruanda; licèt non poſſent ex eis demonſtrari, ſicut priora, & quatenus conſona talibus principiis dicuntur de lege naturæ, licèt non ſimpliciter, quia non ſimpliciter ſequuntur ex eis, ſed ex Iure poſitiuo. Alia verò ſunt adhuc talibus principiis conſona, ſed ita, quòd etiam eorum oppoſita ſunt eis ita conſona, ſicut illa: & ita ſtare poſſunt cum eis, cuiuſmodi ſunt ceremonialia, & conſuetudines, quæ merè ſunt de Iure poſitiuo tantùm; vt ſacrificia, & oblationes, & huiuſmodi. Vnde omnia cæremonialia Iudæorum fuerunt de Iure poſitiuo tantùm, & non ex lege naturæ, & etiam multæ obſeruationes noſtræ, vt oblationes, & ſacrificia. Si enim accipias maiorem de lege naturæ, quod Deus eſt colendus cum honore ſibi debito; & accipias minorem

Quomodo omnia quæ ſunt conſona iuri naturali dicuntur legis naturalis.

Cæremoniæ nouæ & antiquæ non ſunt de iure naturæ.

rem illam,cæremoniæ & oblationes ſunt honor ſibi debitus;igitur eis eſt ſic colendus.Minor eſt de lege poſitiua,& non de lege naturæ,quia cæremoniæ non ſunt eædem in omni ſtatu, quia aliæ ſunt in nouo Teſtamento, & aliæ fuerunt in veteri.Illa autem,quæ pertinent ad legem naturæ,ſunt eædem apud omnes, & in omni ſtatu; etſi minor eſt de Iure poſitiuo, & concluſio eſt de lege,& Iure poſitiuo, quia concluſio ſemper ſequitur debiliorem,& infirmiorem præmiſſam, & minùs neceſſariam.

5. Ad propoſitum igitur, dico quòd habemus duplicem legem poſitiuam, quarum vna continet præcepta Euangelica, quæ vt in pluribus ſunt conſona legi naturæ; alia continent præcepta Eccleſiaſtica,quæ vt ſic non ſunt ſic conſona naturæ. Et ideò dico quòd confiteri peccata homini Sacerdoti non tenetur aliquis de lege naturæ,vt ad præceptum;quia nihil eſt de lege naturæ,ad quod teneamur,ſicut ad præceptum,niſi quod eſt principium practicum, ſtatim omnibus lumine naturali notum,vel ſequens ex principio practico neceſſaria deductione, vel quod omnibus videtur eſſe conſonum illis, quæ ſunt de lege naturæ. Quia illud dicitur eſſe de lege naturæ,quod eſt idem apud omnes; ſed confiteri Sacerdoti omnia peccata non eſt principium practicum per ſe notum ex terminis,nec etiam neceſſariò deductum ex eis, quia adhuc non inuenitur aliquis, qui hoc poſſet neceſſaria deductione demonſtrare ſequi ex principio practico, nec videtur conſonum omnibus pro omni ſtatu, quia tunc fuiſſet ſeruatum in omni lege, quod eſt falſum, quia nec fuit ſeruatum in lege naturæ,nec in lege Moſaïca.Relinquitur igitur quòd præceptum de confeſſione facienda Sacerdoti non eſt de lege naturæ.

Confeſſio non eſt de lege naturæ.

6. *Obiectio prima.* Sed dices quòd ſic:quia poteſt demonſtrari ex principio practico ſequi neceſſaria deductione; & hoc ſic Notum eſt omnibus per ſe tanquam rationale,& conueniens, quòd nullus debet eſſe iudex in ſua cauſa propria, in qua eſt reus, quia nimis familiaris alicui non debet in ſua cauſa iudex conſtitui *extrà,de offic.Iud.deleg.cap.Inſinuante*,igitur cùm quilibet ſit ſibi naturaliter familiaris,non debet ſuus iudex proprius conſtitui,quia ibidem dicit gloſſa, quòd officium familiaritatis veritatem ſolet impedire;igitur ad hoc quòd iuſtè iudicetur aliquis, oportet quòd ab alio iudicetur. Non poteſt ab alio iudicari in illo foro priuato,niſi accuſet ſe ei per confeſſionem propriam,quia iudicium, vel arbitrium non eſt omninò de ignotis etiam occultè. Rationabile autem eſt, vt talis accuſatio ſecreta tantùm fiat Sacerdoti,qui eſt perſona communis, media inter Deum & hominem; igitur hoc eſt de lege naturæ.

Nullus eſt iudex ſua cauſe de lege naturæ.

Secunda Item,gloſſa ſuper illud Geneſ. 3. *Adam vbi es* dicit:*vox eſt increpantis, & confeſſionem requirentis*, &c.ibi.

Tertia. Item,in Leuit. cap. 16. ſcribitur quòd Sacerdotes,filij Aaron *confitebantur peccata populi*; igitur confeſſio fuit neceſſaria omni tempore tam de lege naturæ quàm de lege Moſaïca.

7. *Ad primam obiectionem. Reum iudicari eſt iuris naturalis.* Ad primum ,concedo quòd de lege naturæ ſit quòd reus puniatur,& quòd ab alio iudicetur in cauſa ſua, in qua eſt reus, quia nullus debet eſſe iudex in cauſa propria.Ille autem iudex, qui debet eum iudicare de occultis,& vindicare, vel punire peccatum,eſt ſolus Deus principaliter,& quilibet alius, cui hoc Deus commiſiſit, poteſt ſicut miniſter in iudicando, vel puniendo illum iudicare ſecundùm legem, & iudicium Iudicis principalis. Commiſit autem Deus cuilibet, & non tantùm Sacerdoti poteſtatem iudicandi, & puniendi miniſterialiter proprium peccatum occultum, vt miniſter legis ſuæ, per pœnitentiam & diſplicentiam de peccato. Non ſic de peccato manifeſto,& publico,quia de tali committit iudicium alteri,quia non tantùm eſt contra eum,ſed contra alium, inquantùm eſt ſic publicum;quia vt ſic,eſt ſcandalolum proximis:igitur ſicut Deus exequitur modò huius punitionem de peccato alicuius per Sacerdotem ex ſtatuto poſitiuo,ita poſſet exequi illam punitionem per miniſtrum alium, vt per illum, qui peccat. Quia cuilibet commiſit, vt miniſtro legis ſuæ, executionem vindicandi proprium delictum in ſe, & ideò non eſt de lege naturæ, quòd aliquis debeat iudicari à Sacerdote per confeſſionem ſibi faciendam de peccatis; ſed tantùm de lege Euangelica, vel Eccleſiaſtica. Solùm enim notum eſt de lege naturæ, quòd Deus eſt iudex, & huius cauſa principalis,& quicunque alius indifferenter, cui hoc commiſit miniſterialiter.

Solus Deus pr.incipaliter eſt iudex peccatorum.

Peccatorem debere iudicari à Sacerdote non eſt iuris naturæ.

Et ſi dicas quòd non, quia ſi peccator confitetur peccata ſua Deo; non conſtaret ſibi de ſententia punitiua lata contra eum in iudicio pro peccatis, & ita poſſet faciliter errare in exequendo huiuſmodi vindictam in ſe pro peccatis; igitur rationabile eſt quòd alteri ſapientiori ſe manifeſtet, qui ſibi debitam punitionem ſecundùm legem Dei pro peccatis illis imponat conuenientior; nullus talis eſt niſi Sacerdos. 8. *Inſtantia.*

Reſpondeo, quòd ſententia Iudicis punitiua impoſita, vel imponenda ſecundùm legem Iudicis pro peccatis, poteſt cuilibet conſtare per Scripturam, & per prædicationem, & non tantùm per Sacerdotem; quia multi laïci modò meliùs cognoſcunt per doctrinam aliorum, vel prædicationem; vel Scripturam, pœnas debitas pro peccatis, quàm multi Sacerdotes. *Solutio. Pœnæ peccatis debitæ cõſtant ex ſcriptura.*

Ad ſecundum, cùm dicitur quòd vox fuit requirentis confeſſionem vox Dei ad Adam. Dico quòd verum eſt quòd erat vox Dei increpantis, & requirentis confeſſionem Adæ de peccato ſuo, interiorem, ſcilicet pœnitentiam, & contritionem, quia habere diſplicentiam, & dolorem interiorem de peccato,eſt Deo confiteri;& hoc ſufficiebat ſibi in lege naturæ;& etiam eſt in omni ſtatu diſplicentia de peccato neceſſaria. Sed Adam non confitebatur, nec manifeſtabat ſe aliquo modo peccatorem Deo; nec interiùs, nec exteriùs, dicendo *peccaui*, nec aliquid huiuſmodi, ſed abſcondit ſe, & addidit peccatum peccato, dicens:*mulier quam dediſti mihi*,&c. tanquam non habens vnde poſſet reſtitiſſe peccato.Interior igitur confeſſio & triſtitia de peccato ſufficiebat de lege naturæ abſque confeſſione oris. 9. *Ad ſecundã.*

Diſplicentia & dolor interior peccatorum ſufficiebat in lege naturæ.

Ad tertium,dico quòd confeſſio, quam faciebant filij Aaron de peccatis populi, fuit confeſſio generalis, quæ tota die fiebat coram omnibus dicendo; *peccauimus nos, & patres noſtri, iniuſtè egimus*, ſicut nos modò in Eccleſia generaliter confitemur; ſed quòd quilibet teneretur dicere peccata ſua alteri 10.

dicendo, ego feci fornicationem, adulterium, & huiuſmodi, non habetur ex iſta lege; ſed nos nunc de iſta confeſſione peccatorum quærimus, & non de illa in generali. Patet igitur quòd confiteri in ſpeciali peccata, ſicut intenditur quæſtio, non eſt præceptum de lege naturæ, neq; fuit in omni ſtatu.

SCHOLIVM II.

Probat ex aliis præceptum de confeſſione haberi ex Iacob. 5. & Ioann. cap. 20. Quorum remiſeritis, &c. & impugnat fuſè, oſtenditque neutrum locum ſufficienter probare intentum.

11. *An præceptū confeſſionis ſit iuris poſitiui diuini.* Ioann.

SEd éſtne præceptum legis poſitiuæ? Dicitur quòd ſic, quia præceptum legis poſitiuæ diuinæ patet Ioann. 20. dixit Chriſtus Sacerdotibus: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Ibi enim Chriſtus dedit Apoſtolis, & omnibus Sacerdotibus poteſtatem iudicandi peccata, ligandi, & abſoluendi, non principalem, quia ſic tantùm Deus iudicat; igitur arbitralem; ſed nullus poteſt benè arbitrari de cauſa ſibi ignota, nec benè iudicare, ſcilicet iſtum eſſe puniendum, vel ligandum, & iſtum ſoluendum, niſi ſciat vitam vtriuſque, quod non eſſet, niſi vterque propria confeſſione ſe ei ſubderet, & ſua peccata detegeret; igitur eadem auctoritate, qua iſti facti ſunt iudices in iſto foro, eadem obligantur alij, vt ſint ſubditi eis in illo foro ad accuſandum ſe ipſos, per confeſſionem peccatorum ſpecialem.

Sed hæc ratio non eſt ſufficiens, concedo enim quòd Chriſtus dedit poteſtatem Sacerdotibus abſoluendi, & ligandi, qui ſe vellent gratis ſubdere poteſtati eorum, ſed non ſequitur quòd ſi datur alicui poteſtas iudicandi in aliqua cauſa, quòd ſemper alteri præcipiatur ſe ſubmittere iudicio ſuo.

12. *Reiicit primò hanc rationē.* Et ſi dicas, nullus conſtituitur iudex præcisè ſecundùm voluntatem eius, qui debet iudicari ab eo, quia non ex hoc eſt iudex alterius; quia alius vult ab eo iudicari. Patet de ſe, igitur eo ipſo, quo aliquis conſtituitur iudex alicuius, neceſſarium eſt vt ſe ſubdat iudicio ſuo. Licet enim hæc ratio ſit probabilis, non tamen video neceſſitatem aliquam in ratione, quare ſic oporteat confiteri Sacerdotibus. Si enim Chriſtus dixiſſet illas negatiuas, *quorum non remiſeritis peccata, non remittuntur eis, & quorum non retinueritis non erunt retenta*, ſicut dixit affirmatiuas, *quorum remiſeritis*, &c. Non fuiſſet dubium quin fuiſſet de præcepto diuino in illo caſu confiteri eis, & tunc peccator fuiſſet de neceſſitate obligatus ad ſubiiciendum ſe illis in confeſſione, & iudicio eorum: patet autem quòd affirmatiuè dedit eis hoc iudicium.

13. *Secundò.* Item, eſto modò quòd decem ſint Sacerdotes habentes poteſtatem audiendi confeſſionem vnius, iſte non obligatur vt ſe ſubmittat arbitrio cuiuſlibet eorum, quia ſemel confiteri vni eorum peccata ſua ſufficit; aliter enim nullus abſolueretur à peccatis ſuis, quouſque confiteretur omnibus, quod eſt abſurdum; igitur poteſt talis eligere vnum, vel alium indifferenter, cui confiteatur, quia non tenetur magis vni quàm alteri. Patet in noua conſtitutione *Inter cunctas*; igitur non ſequitur quòd quia aliquis habeat poteſtatem remittendi peccata alicuius, vt arbiter, ſi alius eius arbitrio ſe ſubmiſerit, quòd alius de neceſſitate tenetur ei confiteri; ſufficit enim quòd talem auctoritatem habeat ſuper eum, ſi alius ei eligit confiteri, & tunc tantùm habet iuſtum iudicium ſuper iſtum.

14. *Alenſ. & Rich. placitum. Reiicitur primò Ex illo Iacobi non colligitur præceptum confitendi.* Si dicas, quòd Iacobus inſtituit præceptum de confeſſione facienda. Iacob. 5. *Confitemini alterutrum*, &c. Dico quòd iſtud nihil eſt; tum quia Iacobus non habuit poteſtatem, nec auctoritatem ſuper alios ad obligandum eos ad obſeruationem alicuius ſacramenti magis quàm quilibet alius Apoſtolus, vel inſtituendum aliquod ſacramentum auctoritate propria. Vel ſi inſtituiſſet aliquod, vt iſtud, vel aliud auctoritate Chriſti, vt miniſter eius diuulgando illud, non præcepiſſet obſeruationem eius ſicut à ſe, & auctoritate propria, ſed ſicut à Deo, & eius auctoritate; nec Paulus quando præcepta Dei indicauit omnibus, & præcepit eis obſeruationem aliquorum auctoritate Dei, dixit 1. Cor. 7. *Non ego, ſed Dominus*; ſed quando addidit aliqua de ſuo, conſulendo, & excitando dixit; *Dico ego, non Dominus; bonum eſt ſic eſſe vxorem ſine viro, & habens ſit tanquam non habens, & beati qui caſtrauerunt ſe propter regna cœlorum, qui poteſt capere capiat*; igitur, quando Iacobus dixit: *Confitemini alterutrum*, &c. non præcepit ſacramentum Confeſſionis inſtituendo illud, quia non habuit auctoritatem; nec vt miniſter promulgando, quia tunc expreſſiſſet auctoritatem.

Nullibi conſtat Apoſtolū Chriſti nomine præcipere confeſſionem.

Item, id non eſt forma ſacramenti Confeſſionis, ſiue pœnitentiæ, *confitemini alterutrum*, &c. ſed aliquid aliud; igitur poſito quòd dixiſſet illa verba auctoritate Dei, cùm illa verba non ſint verba ſacramentalia Pœnitentiæ, & abſolutionis ſacramentalis, ſed illa, *ego te abſoluo*, &c. quomodo vtitur Eccleſia, ſequitur quòd ibi non ſtatuerit Deus hoc ſacramentum. Alibi autem Iacobus cap. 5. expreſſit formam ſacramenti Extremæ vnctionis: *Infirmatur quis inter vos*, &c.

15. *Secundò.*

Item, non præcipit magis ibi confeſſionem fieri Sacerdoti ſacramentaliter, per *Confitemini alterutrum*, quam per illud, quod ſequitur ibidem, *& orate pro inuicem*; non magis igitur eſt confeſſio mutua, de qua loquitur ibi, ſacramentaliter, quàm oratio mutua; intendit enim quemlibet inducere ad humilitatem, vt nullus ita ſit ſuperbus, quòd non reputet ſe peccatorem; ſed humiliter quilibet ſe talem reputet coram Deo, & proximo, quia omnes iuſtitiæ noſtræ ſunt, Iſai. 64. *Sicut pannus menſtruata*: Vnde 1. Ioann. cap. 2. *Si dixerimus quòd peccatum non habemus*, &c. Et ita ſimiliter hortatur, vt oremus pro inuicem ad maiorem charitatem, & pacem conſeruandam.

Tertiò. Ex illo loco aquè colligitur oratio mutua ac confeſſio mutua.

SCHOLIVM III.

Præceptum de confeſſione eſſe Iuris diuini, habetur ex illis locis Ioann. & Matth. adiuncta Eccleſiæ declaratione & traditione, & dat optimas congruentias huius inſtitutionis. Et infert ex præcepto dato conferendi hoc ſacramentum, Ioann. 20. teneri peccatores illud accipere.

16. *An cōfeſſio ſit tantùm legis poſitiuæ Eccleſiæ.*

NVnquid igitur præceptum de confeſſione facienda ſit præcisè ex lege poſitiua Eccleſiæ, diſtinguendo illam à lege poſitiua Dei? Si

Si dicas quòd ſic, quia Dominus Innocentius Papa III. (ſub quo ſanctus Franciſcus incepit regulam ſuam) hoc inſtituit in Concil. Later. Sicut patet ex illo cap. *Extr. de pœnit. & remiſſ. omnis vtriuſque ſexus.* Quomodo igitur beatus Auguſtinus *de viſitatione infirmorum*, & patet in litera, & Ambroſius & multi alij, qui præceſſerunt Innocentium III. reputauerunt confeſſionem fieri Sacerdoti eſſe neceſſarium ad ſalutem, & hoc etiam priùs fiebat in Eccleſia?

Opinio Gloſſatoris de pœnit. d. 5. reiicitur.

Auguſt. Ambroſ.

17. Dico igitur ad hunc articulum, quòd de Iure poſitiuo immediatè à Chriſto inſtituto, tenetur quis ad confeſſionem faciendam Sacerdoti, & ex illo præcepto Chriſti eſt neceſſitas confitendi peccata Sacerdoti. Et ſi illud præceptum contineatur in Euangelio, neſcio aliud fundamentum, quàm illud præallegatum, quod poteſt accipi Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata*, &c. Vbi Chriſtus dedit poteſtatem Sacerdotibus audiendi confeſſionem, & abſoluendi, & per conſequens obligauit alios, vt poteſtati eorum ſe ſubmitterent.

17. Sententia Doctoris.

Præceptum confeſſionis eſt iuris diuini.

18. Sed aliter hoc deduco, quàm priùs deductum eſt; ſicut quando aliquod remedium eſt generale, & conuenit omnibus, licèt aliqui per alia remedia ſpecialia poſſent ſaluari, & curari. tamen præceptum de remedio generali eſt multùm rationabile, quia commune, & vtile omnibus; igitur licèt aliqui ſine confeſſione oris ſacramentali, vt per contritionẽ interiorẽ poſt Baptiſmum poſſint acquirere primã gratiam amiſſam per peccatum, tamen remedium generale omnibus neceſſarium poſt perditam gratiam, eſt confiteri peccata Sacerdoti habenti iuriſdictionem, per quam recuperabit eam, quia Chriſtus huic ſacramento ſicut aliis dedit, quòd ſit ſignum efficax, & verum gratiæ inuiſibilis, quam deſignat infallibiliter conſequendæ, inquantùm eſt de ſe, niſi ſuſcipiens ipſum ſit fictus, & ponat actualem obicem; igitur ex quo Chriſtus dedit Sacerdotibus poteſtatem audiendi confeſſiones, & abſoluendi, vel diſpenſandi hoc ſacramentum, confitentibus, & ſubdentibus ſe poteſtati eorum, dedit eiſdem remedium generale conferendum, ſi illi non ponant obicem actualem, ſicut ficti. Quia ſi confitentes non ſe accuſant, vel non actu pœniteant, peccant mortaliter; igitur ex pacto diuino, quod pepigit Deus cum ſacramentis Eccleſiæ recipiunt gratiam, & remiſſionem peccatorum; ita quòd ampliùs non imputantur eis ad culpam, nec pœnam æternam; ſed commutatur pœna æterna in temporalem, & tanta poteſt eſſe attritio, vel contritio confitentis de peccatis, quòd ſimpliciter remittuntur ei, nec imputantur ad aliquam pœnam, nec temporalem, neq; æternam. Igitur ex eodem præcepto, & eadem auctoritate, qua conſtituit Sacerdotes ad diſpenſandum & conferendum hoc remedium gratiæ, priùs perditæ per peccatum; obligauit alios ad recipiendum iſtud remedium gratiæ, quam perdiderunt, quam non poſſent recuperare, niſi ſuſcipiendo ſacramentum, & ſubdendo ſe poteſtati, & iudicio eorum: igitur.

18. Aliter probatur quàm priùs.

Confeſſio rationabile & generale remedium ad recuperandã gratiam.

Contritio cõfitentis poteſt eſſe tanta vt deleat omnem pœnam & culpam.

19. Confirmatur per idem. Obligatur aliquis ad ſuſcipiendum Baptiſmum, quod eſt remedium generale, & omnibus vtile, vt ianua ſacramentorum, per quam primò intratur in vitam ſpiritualem, quo quis fit primò de familia Chriſti, & ad habendum primam gratiam, licèt aliqui habeant primam gratiam aliis mediis ſpecialibus, vt per martyrium, & votum ſanctum; igitur eodem præcepto, quo dedit aliis poteſtatem adminiſtrandi ſacramentum Baptiſmi, obligauit alios ad ſuſceptionem eius; igitur ſimiliter in propoſito per illud præceptum, quod dedit Apoſtolis, vel Sacerdotibus poteſtatem audiendi confeſſionem, obligauit alios ad ſuſceptionem abſolutionis per illud; igitur per quod alicui datur via ſalutis, & via ad primam gratiam ſuſcipiendam, per id implicitè obligatur ad recuperandam illam perditam; ſed non poteſt prima gratia recuperari poſt lapſum, niſi per pœnitentiam; igitur per eam quilibet tenetur recuperare eam; ſed non poteſt aliquis illam recuperare, niſi ſuſcipiendo ſacramentum Pœnitentiæ, & ſubdendo ſe per confeſſionem Sacerdoti, ad quam ſequitur reſtitutio gratiæ perditæ.

19. Confirmatio.

Ex præcepto confitendi confeſſionem habetur omnes ad illam obligari ſicut in Baptiſmo.

Si autem iſtud ſacramentum Pœnitentiæ non accipitur ex Euangelio, ſed Chriſtus per ſe & immediatè illud inſtituit, & tradidit Apoſtolis, poſteà Eccleſiæ promulgandum, quia *multa fecit, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc*, adhuc dicendum eſt, quòd præceptum obligans homines ad confeſſionem non eſt præciſè de lege naturæ, nec de lege poſitiua Eccleſiæ, vel humana, ſed eſt de lege poſitiua diuina, quia Chriſtus immediatè, & explicitè talem ordinationem inſtituit, & illam denunciandam omnibus præcepit, & ita Eccleſia primitiua ab Apoſtolis hoc habuit, & modò per conſuetudinem hoc idem nobis traditur ſub præcepto, & ſic eſt ſimpliciter Chriſti præceptum, & non Eccleſiæ, niſi inquantùm habet auctoritatem à Chriſto, qui id priùs per ſeipſum inſtituit, ſicut & omnia ſacramenta, licèt diuerſimodè promulgata.

29.

SCHOLIVM. IV.

In hoc articulo tria reſoluit. Primum, ſolis Sacerdotibus confitendum, quia illis dictum eſt: quorum remiſeritis. *Poteſt tamen quis pro conſilio, vel inſtructione confiteri laïco, ſed non ſacramentaliter. Secundum; omnia mortalia, quæ occurrunt memoriæ factæ debitâ diligentia, confitenda ſunt vni: Trid. Seſſ 4. cap. 5. Hinc patet circumſtantias mutãtes confitendas, & idem vt probabilius dicendum de aggrauantibus. Vide in Oxon. ſcholium hîc num. 20. & ibid. Doctorem. Tertium; omnis vſum rationis habens & mortale peccatum, ad confeſſionem tenetur. Non determinat Doctor quæ ætate ligat, & benè, quia non eſt hîc præſcribenda certa regula. Alij ponunt decimum annum, alij duodecimum, alij pubertatem. Vide ſcholium ibid. num. 18. Quartum, ad venialia confitenda nemo tenetur, etiam ad impletionem præcepti annui. Vide ſcholium num. 24.*

DE ſecundo principali, quid ſcilicet includat hoc præceptum? Reſpondeo, quòd includit tria in genere *quis cui? & quæ?* *Quis* includit peccatorem habentem annos diſcretionis, non tot, vel tot annos, ſed quàm citò eſt doli capax, ſciens diſcernere inter iuſtum & iniuſtum, quia in multis malitia ſupplet ætatem, iuxta illud in Legenda ſanctæ Agnetis, *fides non annis computatur.*

21. *Quando incipit quis teneri ad confeſſionem.*

Cui? dico ſoli Sacerdoti poteſtatem habenti, quia dictum eſt, *Ioann. 20.* Apoſtolis & eorũ ſucceſſoribus, *quorum remiſeritis peccata*, &c. Et ideò Epiſcopis tenentibus vicem Apoſtolorum, & Sacerdo-

22. *Confeſſio facienda eſt tãtùm Sacerdoti iuriſdictionem habenti*

Sacerdotibus aliis data est hæc potestas audiendi confessionem, & absoluendi. Item istud congruit, quia quibus data est potestas conficiendi corpus Christi verum, data est potestas super corpus Christi mysticum.

Confiteri peccata laïco potest valere alicui per modum meriti tantùm.

Sed nunquid laïco, vel non Sacerdoti est in aliquo casu confessio facienda? Dico quòd non, quia non est necessaria ad salutem per modum sacramenti, quia nullus habet ministrare hoc sacramentum absolutionis, nisi Sacerdos habens iurisdictionem; potest tamen alicui valere per modum meriti, propter verecundiam, & humiliationem; quam habet aliquis in reuelando alicui peccata; & possibile est quòd tantam, vel maiorem habeat de eis recordando ea in se. Crederem tamen quòd melius esset soli Deo confiteri, vbi non est copia Sacerdotis, quàm confiteri laïco, quia nullus debet reuelare peccatum suum cuicunque alteri à Sacerdote, nisi per modum consilij requirendi ab eo, de quo est præsumendum quòd nouit bonum consilium apponere, sed hoc non est adeò facilè præsumendum de laïco; nec vnquam fuit licitum, nec etiam in lege naturæ, quòd aliquis se reuelando, peccata sua alteri ostenderet.

Melius est nõ reuelare peccata laïco, nec illud fuit licitum in lege naturæ.

23. *Peccata venialia nõ sũt necessariò cõfitenda.*

Sed *quæ* sunt dicenda necessariò Sacerdoti in confessione? Respondeo quòd tantùm peccata mortalia, & non venialia, quia de illis non est confessio necessariò facienda, nam pœnitentia est secunda tabula post naufragium necessaria naufrago, ne submergatur, sed peccatum veniale non frangit nauem, & acceptationem alicuius ad vitam æternam, nec propter ista submergitur homo, quia charitas manet integra cum omnibus venialibus peccatis; igitur de peccatis talibus nõ est confessio necessaria ad salutem; sed tantùm de mortalibus, de quibus debet homo habere tantam diligentiam ad confitendum, quantam requirit fragilitas humana.

24. *Omnia peccata mortalia sunt necessariò confitẽda*

Sed quorum mortalium est necessaria confessio? Dico quòd omnium, de quibus potest habere memoriam adhibita diligentia, ita quòd non sit ignorantia crassa, vel affectata in eo, & debent omnia dici eidem Iudici, & non diuidi, vt vnum dicat vni, & aliud alteri, quia hoc esset hypocrisis, & quædam species superbiæ, ostendendo se per talem diuisionem innocentiorem, quàm sit, secundùm Augustinum *de vera & falsa pœnit.* & & sic post talem confessionem diuisam recederet magis reus, quam venit, quia portaret omnia peccata sua secum, quæ attulit, & vnum ampliùs, vt hypocrisim, & superbiam. Nec propter hoc dico quòd tenetur dicere omni homini omnia peccata sua, quia in non narrando omnia cuilibet homini, non ostendit se innocentem; sicut in non confitendo omnia peccata vni, & eidem Sacerdoti; quia in non narrando cuilibet homini sua peccata ostendit se non esse obligatum ad dicendum cuilibet, sicut suo Iudici; sed in non narrando Sacerdoti omnia peccata sua, cui est obligatus ad dicendum omnia peccata sua mortalia, facit se innocentem, & est hypocrita pessimus, si abscõdat ab eo aliquod peccatum, & ideò aliquod peccatum ei celare est speciale peccatum.

Augustin.

Confessio non est dimidianda.

Abscondere aliquod peccatum in cõfessione est speciale peccatum.

25. * d. 15. q. 1. *Obiectio.*

Si obiicias quia priùs dixi *, quòd satisfactio facta ab aliquo existente in peccato mortali pro aliquo peccato præcedenti, valet sibi, ita quòd est vna pars pœnitentiæ, & non oportet aliàs pro illo satisfacere; igitur multò magis, vel saltem potest aliquis æqualiter facere confessionem de vno peccato mortali, & satisfacere pro illo satisfactione, quæ est pars pœnitentiæ, reticendo, & silendo aliud, & per consequens non facit nouum peccatum hic faciendo.

Dico quòd si ille fuerit verè absolutus à Sacerdote de peccatis suis, iniuncta sibi pœnitentia taxata pro eis ab eo, & post absolutionem inchoata, vel completa satisfactione pro eis, iterum cadat in nouum peccatum mortale; si, inquam, pœnitens de vltimo peccato veniat ad confitendum Sacerdoti, non est ei imponenda noua pœnitentia pro peccatis priùs confessis, & redemptis satisfactione completa, vel inchoata; si tunc moreretur cum illo nouo mortali peccato, non damnaretur pœna æterna pro peccatis priùs ablolutis, pro quibus satisfecit temporali completa, in peccato mortali existens; sed pro peccato illo nouo addito post absolutionem, pro quo pœna temporali non satisfecit, ita quòd si ista pœna temporalis sibi iniuncta à Sacerdote pro illis non sit completa hîc, dummodò hîc inchoẽtur, soluetur in Inferno, non æternaliter, sed tantùm ad certum tempus. Debet igitur sibi imponi noua satisfactio pœnalis, pro illo nouo peccato mortali commisso post absolutionem, & totius pœnæ, vel partis pœnæ prioris solutionem: Sed ille qui à proposito, & scienter vnum peccatum mortale dimittit, & confitetur aliud, non absoluitur ab aliqua culpa, nec pœna æterna, quæ debetur talibus peccatis; nisi virtute absolutionis, & pœnitentiæ Sacramenti arbitrio Sacerdotis commutetur in temporalem. Quare scienter confessionem diuidens, addit nouum peccatum mortale aliis præcedentibus, peccatum scilicet Hypocrisis, quo se simulauit innocentem, & ideò nihil, quod posteà facit de pœnitentia sibi iniuncta à sacerdote, valet ad solutionem, vel satisfactionem pro eis, quia antequam quis verè soluat, vel satisfaciat pro peccatis, oportet culpam & peccatum eius remitti, & pœnam æternam in virtute absolutionis Sacerdotalis, seu sacramentalis in pœnam temporalem commutari. Huius autem non remittitur, sed augetur ipso facto, quia non remittitur pœna ei debita, neque in aliam commutatur, scilicet temporalem, quia pœna æterna ei debetur pro eis, & nulla temporalis tantùm.

Solutio.

Quare non potest tolli vna culpa mortalis sine alia sicut pœna vnius peccati sine pœna alterius.

Patet igitur, *Quis* debet confiteri, quia omnis peccator postquam ad annos discretionis peruenerit, habens vsum rationis, & non tantùm ad duodecim annos, sed ad quoscunque citra duodecimum annum, quando habet vsum rationis, & est doli capax, quod frequenter contingit ante duodecimum annum, quia malitia supplet ætatem. *Cui*? dico quòd Sacerdoti habenti iurisdictionem, & nullo modo laïco, vel alteri, quia sententia à non suo iudice lata, irrita est, & nulla. *Quæ*? quia tantùm peccata mortalia necessariò, & venialia sufficienter, & debet insuper addere circumstantias essentiales, quæ aggrauant mortalia.

Omnis Adultus tenetur ad confessiõ omnium suorum mortalium Sacerdoti iurisdictionem habenti.

Circumstantiæ aggrauãtes sunt cõfitendæ.

SCHOLIVM V.

Quoad tertium articulum explicat quid determinatum sit ab Ecclesia circa personam, cui confitenda sint peccata; circa locum, vbi facienda sit confessio; circa numerũ & tempus. An autem aliquando obligauerit Ecclesia aliquem ad confitendum statim post commissum peccatum, vide in Oxon. scholium ad n. 28.

De

26. *Præceptum confeſſionis quadruplicitèr ſpecificatur ab Eccleſia*

DE tertio articulo, quid ſupperaditur illi præcepto, & quòmodo eſt ſpecificatum, & explicatum per Eccleſiam? Dico quòd explicatur, & ſpecificatur quantùm ad quatuor. Primò quantùm ad *Cui*, quia proprio Sacerdoti patet ex illa Decret. *Extra de pœnit. & remiſſ. cap. Omnis vtriuſque ſexus ſemel in anno confiteatur proprio Sacerdoti omnia peccata*, ſiue proprius Sacerdos dicatur Commiſſarius, qui hoc habet ex commiſſione Superioris, ad quem aliàs non ſpectat cura; ſiue proprius Sacerdos dicatur Curatus ordinarius, qui hoc habet ex Iure communi. A principio autem, & tempore Apoſtolorum non fuit ſpecificatũ *Cui*: nec fuit proprius Sacerdos, quia tunc non fuit neceſſe, cùm tunc Apoſtoli curabant totum mundum, tanquam propriam Parochiam eis commiſſam à Deo.

Proprius Sacerdos eſt quilibet habens iuriſdictionẽ ad immediatè abſoluendum.

Item, ſpecificatur in illa Decretali citata quantũ ad *Vbi*, quia in propria Diœceſi, vel Parochia, quod notatur, per hoc, quod dicit *proprio Sacerdoti*, diſtinctio autem Parochiarum, Diœceſum, & Epiſcopatuum, eſt de Iure poſitiuo Eccleſiæ.

Diſtinctio Parochiarũ & Diœceſum eſt iuris poſitiui Eccleſiæ.

Item, ſpecificatur quantùm ad *Quoties*, quia *ſemel in anno* ad minus.

27. *Quilibet tenetur confiteri ſemel in anno & hoc in Quadrageſima.*

Item, ſpecificatur quantùm ad *Quando*, quia in Quadrageſima ante Paſcha, nec tenetur confiteri in principio Quadrageſimæ, licèt hoc congruum ſit, vt virtuosè ieiunet Quadrageſimam; ſed tunc tenetur ſemper eſſe in voluntate confitendi pro aliquo tempore ante Paſcha, etiam in principio ieiunij. Sed nunquid tenetur quantùm ad *Quando*, & quãtùm ad *Quoties*, pluries in aliis caſibus confiteri? Dico quòd ſic, quia quantùm ad *Quando*, ſemper omni tempore, quando imminet periculum mortis, vel mors, vt quando vadit ad bellum, vel vltra mare, vel tempore grauis infirmitatis. Similiter quando vult communicare, & quoties talis neceſſitas, vel periculum immerſerit, tenetur quilibet confiteri, & ad hoc non obligatur aliquis ex præcepto Eccleſiæ ſuperaddito præcepto Dei de confeſſione facienda, ſed ex præcepto Dei, quo omnem hominem obligat ad eligendum viam ſalutis; & ad ſuſceptionem ſacramenti Pœnitentiæ, per quam recuperat gratiam, quam perdidit per peccatum: quia ſine gratia impoſſibile eſt placere Deo.

Cõfeſſio obligat in periculo mortis, & ante communionem poſt culpam mortalem ex præcepto Dei.

SCHOLIVM VI.

Refert & impugnat ſententiam Richardi, aſſerentis ex præcepto Eccleſiæ venialia eſſe confitenda, quando quis non habet mortalia. Reſoluit deinde neque contritionem, neque confeſſionem requiri pro venialibus, nec præceptum Eccleſiæ ad hæc obligare. Ita Nauar. cap. 2. nu. 9. Ledeſ. art 5. dub. 6. Henriq. lib. 4. cap. 20. punctо 1. & 10. Cano. relect. de pœnit. part. 5. & alij multi. Alij tamen tenent cum Rich. quo ad Religioſos, ſed ſine vllo fundamento, quia Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. can. 8. generaliter negat obligationem confitendi venialia. Declarat Doctor quo modo in tali caſu ſatisfiet præcepto Eccleſiæ.

28. *Sententia Rich. in præſenti diſt. 21. 2. q. 4.*

QVantùm ad quartum articulum: éſtne alia ſpecificatio, vel explicatio facta per Eccleſiam huius præcepti de confeſſione peccatorum facienda, quantùm ad quæ peccata?

Hìc dicit vnus Doctor quòd abſolutè non tenetur quis ex præcepto Eccleſiæ ad confeſſionem peccatorum venialium, quia illa non frangunt nauem, nec interrumpunt gratiam acceptationis diuinæ; & ideò ſi habeat mortalia tenetur omnia illa confiteri ſemel in anno, non tamen venialia; ſed ſi non habeat mortalia, ſed tantùm venialia, tunc propter illud præceptum *omnis vtriuſque*, &c. tenetur ad conſtendum illa venialia ſemel in anno. Iſtud non intelligo quomodo ſit verum: Nam cùm dicitur in illa Decret. *Omnis vtriuſque ſexus*, tenetur confiteri omnia peccata, aut ex intellectu iſtius præcepti ſit ibi diſtributio pro omnibus peccatis, tam venialibus, quàm mortalibus; igitur quilibet tenetur ex vi præcepti ad venialia ſicut ad mortalia, quantumcunque habeat mortalia, ſiue non habeat. Et ideò quantumcunque confiteatur de mortalibus, ſi habeat venialia, adhuc tenetur ad confeſſionem venialium, quod eſt contra te. Si autem ex vi, & intellectu præcepti tantùm fiat diſtributio pro peccatis mortalibus, igitur falſum eſt quòd illud præceptum obliget ad venialia tempore aliquo, quia tunc non fit diſtributio pro eis pluſquam pro lapide, & tunc habeo propoſitum, quod non magis tunc, quàm aliàs eis confeſſio neceſſaria de eis. Vnde vnum membrum videtur deſtruere aliud.

Impugnatur Rich. primò.

Item, ponatur quòd quis per totum annum vixerit innocenter, ita quòd non peccauit mortaliter, ſed tantùm venialiter vſque ad diem Paraſceues, tunc per tè tenetur iſta peccata venialia confiteri, ſi non habet alia, propter præceptum Eccleſiæ. Pono etiam quòd illo die peccet mortaliter, & quæro vtrùm ex præcepto Eccleſiæ tenetur ad confeſſionem, tam illius mortalis, quàm aliorum præſentium venialium, aut non? Si ſic, igitur contradicis tibi ipſi; quia dicis quòd habens mortalia peccata non tenetur ad confeſſionem venialium ex præcepto Eccleſiæ; ſi non, igitur propter peccatum mortale commiſſum illo die factus eſt liberior, quia abſolutus eſt ab obligatione præcepti Eccleſiæ, ad quod ante peccatum commiſſum tenebatur, ſicut ad præceptum, quod eſt abſurdum.

29. *Secundò.*

Dico igitur quòd non ſpecificatur ab Eccleſia de confeſſione peccatorum quantùm ad venialia, ita quòd aliquis de neceſſitate ſalutis tenetur confiteri venialia, imò nec contritionem habere de illis, quia exiſtens in talibus peccatis tantùm, non eſt diuiſus à regno Dei per naufragium. Patet.

30. *De venialibus non eſt neceſſaria confeſſio, imò nec contritio.*

Quomodo igitur ſatisfaciet Eccleſiæ? Reſpondeo quòd ſi veniat ad Sacerdotem, non habens niſi peccata venialia, ſufficit ſibi facere talem humiliationem propter præceptum Eccleſiæ, & dicat: Pater regratior Deo, quia non habeo conſcientiam quòd peccauerim mortaliter iſto anno, appoſita quantumuis diligentia debita prout ſciui. Vnde quilibet tenetur habere in voto voluntatem implendi omnia præcepta Eccleſiæ, quæ pertinent ad iuſtitiam eius, ſed de facto nihil tenetur confiteri virtute præcepti Dei, vel ſpecificationis eius, per Eccleſiam, niſi propter mortale peccatum, quia illud facit naufragium, & diuidit à regno Dei.

Quomodo habens tantùm peccata venialia ſatisfaciet præcepto Eccleſiæ?

SCHOLIVM VII.

Vide ſolutiones ſequentes fuſiùs apud Doctorem in Oxon. hìc à numero 29. & ſcholia varia ibi poſita. Quod ait ad quartum, non eſſe obligationem confitendi per interpretem; eſt communior ſententia, pro qua adducuntur plures Doctores in ſcholio numero 31. Probabile tamen eſt oppoſitum, vbi nullum eſt periculum

lum reuelandi peccata. De ſcriptura confeſſionis mittenda abſenti pro abſolutione, videtur eſſe damnatum. Vide dictum ſcholium, vbi de hoc agitur.

31. *Ad primum principale. Per hoc explicantur Auguſt. & Caſſiodor.*

AD primum argumentum principale, quando arguitur quòd lacrymæ lauant delictum, quod pudor eſt confiteri. Dico quòd per contritionem interiorem, frequenter quoad Deum delentur, & tolluntur delicta, vt per principalem partem ſatisfactionis, non ita tamen, quòd propter illam ſolam abſoluatur quis à pudore confeſſionis, habita copia Sacerdotis prout decet, quia hoc eſſet contemnere dominicum ſacramentum. Sic igitur lacrymæ ortæ ex triſtitia interiori lauant delictum, quod adeò eſt graue, & pudor eſt confiteri, ſi aliquis ſe ſubmittat arbitrio confeſſoris. Sic tamen lauant delictum, quòd non excludunt pudorem Confeſſionis, ſed includunt.

Præceptum de confeſſione non fuit vſque poſt Reſurrectionem.

Aliter dico quòd illa auctoritas tantùm habet intelligi de pœnitentia ſolemni. Et cùm dicis, non lego in Petro niſi lacrymas, quia nec confeſſionem oris publicam, vel priuatã. Dico quòd hoc confirmat dictum meum priùs, ſcilicet quòd nullus de lege Moſaïca tenetur alteri ſuum peccatum confiteri, quia præceptum de confeſſione facienda, non fuit, nec tempore legis naturæ, vel legis ſcriptæ inſtitutum, ſed primò poſt reſurrectionem Domini, quando inſufflauit in eos, & dixit: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ioann. 20. Tunc fuit primò inſtitutum, & ideò Petrus non peccauit noua peccato, non confitendo alteri negationem Domini.

Inſtantia.

Et ſi arguas quòd ſic Matth. 26. dixit Dominus Petro: *dabo tibi claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram*, &c. vbi videtur inſtituiſſe hoc ſacramentum.

Solutio.

Reſpondeo quòd non, quia tunc tantùm ſibi promiſit dare diſpenſationem huius ſacramenti, & ideò dixit: *tibi dabo claues.* Sed poſt paſſionem dedit ſibi auctoritatem diſpenſandi hoc ſacramentum *Ioan. 20. vbi priùs*, ſic igitur tunc non tenebatur confiteri, quia tunc non erat inſtitutum; nec pòſt, quia ante inſtitutionem eius delebatur ipſum, & omnia alia peccata actualia Petri per Baptiſmum.

32. *Ad ſecundũ reſpondetur primò.*

Ad aliud, cùm dicitur quòd ſola præcepta Decalogi ſufficiunt ad ſalutem: Dico quòd verum eſt, ipſa ſola explicitè, & alia in ipſis implicitè, vel explicitè neceſſariò incluſa. Vnde in nullo præcepto Decalogi inuenies præceptum de Baptiſmo, & tamen dicit Saluator: Ioann. 6. quòd *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit*, &c. Dico igitur quòd omnia præcepta de ſacramentis quibuſcunque, vt de Baptiſmo, & Pœnitentia, & aliis, & omnia alia, quæ pertinent ad actum latriæ, cuiuſcunque ſpeciei latriæ ſint, includuntur ſub illo vno præcepto, quod eſt de cultu diuino, & honore ſibi debito exhibendo, ſub illo videlicet Exod. 20. *Memento ſanctificare diem ſabbati.*

Omnia præcepta & omnes cæremoniæ nouæ & veteres reducũtur ad primũ vel tertium præceptum decalogi.

Secundò.

Aliter poteſt dici quòd omnia præcepta de ſacramẽtis pertinent ad illud præceptum Decalogi Deuter. 6. *Vnum Deum habebis, & nullum alium adorabis*; & ideò eodem præcepto, quo obligatur ad honorandum vnum Deum, & illi ſoli ſeruiendum, quod videtur obligare ad ſeruandum omnia quæ ille inſtituit & ordinauit facienda; ſicut in veteri Teſtamento Iudæi tenebantur ad cæremonialia propter præceptum quod habuerunt de cultu vnius diei, ſcilicet ſabbati.

Deuter. 6. Iudæi tenebantur ad cæremonialia ex præcepto de cultu vnius Dei.

Ad tertium de muto, dico quòd mutus, ſi aliter non poteſt loqui, debet confiteri per ſigna, ſi nota ſint illa Sacerdoti; quòd ſi non ſint ei nota, videtur quòd debet confiteri per interpretem, qui nouit iſta ſigna. Et ſi hoc ſit verum, tunc dico quòd quicunque interpres illius muti, noſcens ſua ſigna, tenetur ad ſigillum confeſſionis obſeruandum, ſicut Sacerdos, ſiue ille interpres ſit laïcus, ſiue clericus; & tunc non eſt periculum facere confeſſionem per interpretem, ſiue vnum, ſiue alium. Si verò ſit periculum quòd nolit hoc celare, dico quòd non oportet nec mutum, nec barbarum confiteri per interpretem; ſed mutus confiteatur Deo; & alius cum propoſito, & voluntate confitendi, ſi haberet, qui audiret eum, confiteatur Deo, & expectet proprium Sacerdotem, & hoc vniuerſaliter melius eſt, quàm confiteri per interpretem talem, quia nullus tenetur exponere ſe periculo, vel infamiæ.

33. *Ad tertium. Confiteri per interpretem an quandoquè tenemur?*

Ad quartum de illo, qui non habet Sacerdotem, dicitur quòd tenetur ei confiteri per ſcriptum. Sed hoc non intelligo, quia ſicut forum, & iudicium illius ſacramenti eſt ſecretiſſimum, ita & accuſatio debet eſſe maximè priuata, & ſecretiſſima, quia forma fori priuati non eſt de publicè accuſando, ſed omnis accuſatio in ſcriptis, vel facta per Scripturam, ex genere, & natura talis actus Scripturæ, ſit publica ab illo tempore, quo emanat à manu mittentis, propter multa pericula, quæ poſſunt contingere, quibus ſe exponit ſic confitens, quia literæ poſſunt in via, & in termino aperiri, perdi, & multipliciter diſtrahi, igitur contra naturam confeſſionis ſacramentalis eſt quòd fiat per Scripturam; tenetur igitur expectare copiam Sacerdot.

34. *Ad quartũ.*

Non licet confeſſio per ſcriptum abſenti facta.

Ad aliud, cùm dicit quòd nullus tenetur mentiri, concedo, ſed innocens qui non habet conſcientiam de aliquo peccato, ſi confiteretur ſe peccatorem, mentiretur, concedo; vnde dico quòd ſi iſte ſit ſimpliciter innocens, ſicut fuit beata Virgo, & non præſumat de ſe quòd ſit nimis iuſtus, vel innocens, quia talis præſumptio eſt peccatum, non tenetur confiteri ſe peccatorem, quia tunc de nouo peccaret, & mentiretur. Nam beata Virgo nunquam tenebatur confiteri Petro aliquod peccatum, quia nullum habuit, & tamen beata Virgo vixit poſt inſtitutionem huius ſacramenti.

35. *Ad quintum.*

Beata Virgo non poterat confiteri, quia caruit omni peccato.

Quomodo igitur ſatisfaciet præcepto Eccleſiæ, talis innocens, quæ præcipit ſemel in anno quemlibet Chriſtianum ad minùs confiteri? Si dicas quòd tenetur ex vi præcepti facere ſibi conſcientiam de venialibus. Dico quòd non tenetur, ſed tantùm tenetur ex præcepto Eccleſiæ dicere Sacerdoti, Dominę non habeo conſcientiam de aliquo peccato mortali, ex quo vltimò fui confeſſus, & ideò peto Euchariſtiam: ad hoc enim ſtatuitur hoc præceptum, vt quilibet oſtendat ſe Sacerdoti antequam ſacramentum, quod petit, recipiat, quia Sacerdos per iudicium ſecretum illius fori debet diſcernere inter dignos & indignos ad ſuſceptionem Euchariſtiæ.

Quomodo innocens, qui caret omni peccato, ſatisfaciet præcepto Eccleſiæ

Si dicas quòd Sacerdos non vult ei credere de tali innocentia, quam oſtendit ei, dico quòd ſi non vult ei credere relinquat eum, &

36.

& ſecretè recipiat alibi Euchariſtiam,quia fecit quod in ipſo fuit:Sacerdos autem in denegando ei huiuſmodi Sacramentum, ſibi debitum,peccauit mortaliter; ita enim ei tenetur credere de innocentia, quam oſtendit, & eſſe teſtis conſcientiæ ſuæ innocentis,ſicut ſi diceret decem peccata mortalia. quomodo enim crederet ei quòd toties peccaſſet mortaliter, niſi per confeſſionem eius ? igitur quare non crederet ei in confeſſione vitæ innocentis, neſcio,niſi propter maliciam ſuam:multi enim ſunt per gratiam Dei,qui ſic per aliquot annos innocenter viuunt ſine omni mortali, quare magnus theſaurus meritorum in Eccleſia eſt.

Sacerdos negans Euchariſtiam tali innocenti peccat mortaliter.

DISTINCTIO XVIII.

De poteſtate clauium.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm poteſtas clauium in Sacerdote ſe extendat ad delendum culpam, & ad remittendum pœnam aliquam?

Alenſ. 4 *p.q.*80 *n.*1.D.Bouau.*hic art.*2.*q.*1. Richard.*a.*2. *q.*1.Gab.*q.*2.Maior.*q.*1 D.Thom *in ſupplem. q.*18.*a.*1. Suarez 4.*tom.diſp.*16.*ſ.*2.3.

1. *Arg. primum negatiuum.*

IRCA Diſtinctionem 18. & 19. de poteſtate clauium & collatione earum:In 18.de poteſtate,& in 19.de collatione.Ideò primò quæro de poteſtate,& in ſequenti diſtinctione quæram de collatione. Quæro igitur:*Vtrùm in Sacerdote poteſtas clauium ſe extendat ad delendum culpam, & ad remittendum pœnã aliquam?* Arguitur quòd nõ.Quia ſi ſic,aut igitur ad remittendum pœnam talem,vel eam infligendam?Non ad remittendum pœnam,quia tunc per frequentes abſolutiones poſſet totam pœnam debitam alicui peccato remittere, & ita pœnam & culpam poſſet totaliter remittere, quod videtur abſurdum. Conſequentia eſt manifeſta,quia ſi decimam partem pœnitentiæ debitæ peccato mortali, poſſet vna abſolutione remittere,cùm pœna non ſit formaliter infinita,poſſet per alias decem abſolutiones pœnam totaliter remittere, & ita pœnam & culpam totaliter remittere, quia actus ſimiles in ſpecie ſunt eiuſdem virtutis ad cauſandum eũdem effectum. Nec ſe extendit poteſtas clauium ad infligendum pœnam talem temporalem,quia tunc quilibet teneretur talem pœnitentiam ſibi iniunctam à Sacerdote ſemper implere totam,& totaliter,ſiue ſit iuſtè,ſiue iniuſtè inflicta, quia Deus non imputat alicui ad peccatum,ſi aliquis non implet pœnitentiam ſibi indiſcretè iniunctam. Aliquis autem poteſt ex Scriptura ſcire quòd aliqua eſt ſibi indiſcretè iniuncta; igitur non tenetur tunc ad iudicium inferioris, quando eſt contra iudicium Superioris in Scriptura;igitur,&c. Conſequẽtia eſt manifeſta, quia ſubditus tenetur ad voluntatem domini ſui implendam.

Secundum. Item, Ioan.20. *Quorum remiſeritis pecc.* &c. Hîc videtur quòd eis tradita ſit poteſtas ad remittendum culpam, & nullo modo ad remittendum pœnam.

9. *Prima ratio ad opp.* Contrà, poteſtas clauium ad aliquid ſe extendit, aliter non eſſet poteſtas,vel potentia; ſed ad iuſtificationem peccatoris non requirũtur niſi vel remiſſio,vel deletio culpæ, vel relaxatio totalis pœnæ debitæ pro peccato; & commutatio pœnæ æternæ in tẽporalem,quæ dicitur inflictio,vel remiſſio pœnæ tẽporalis; igitur cùm ſecundùm Magiſtrum in litera duo prima ſint tantũ,& præcisè à Deo.ergo vltimũ pertinebit ad poteſtatem clauiũ Sacerdotis.

Secundo. Præterea,ante vſum,& abſolutionem ſacramentalem per ſolam contritionem,& propoſitum confitendi remittitur culpa.patet per Auguſtinum ſuper illud Pſalm.31. *Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam.* Similiter & per Caſſiodorum; igitur ſi talis abſolutio aliquid valeat,hoc eſt ad remiſſionem,vel inflictionem pœnæ. Igitur.

DISTINCTIO XIX.

Quando dantur claues?

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm cuilibet Sacerdoti in ſuſceptione Ordinis ſacerdotalis dentur claues regni cœlorum?

Alenſ 4.*p.q.*39.& 80. D.Thom.[2.2. *q.*39.*a.*3.& 4. & *hic q.*1.*a.*1.D.Bonau.*p.*1.*a.*1.& 2.Richard.*a.*1.& 2.Suar. *tom.*4 *d.*16.*ſ.*3. Caſtro *de ieiuſt.har.punit. cap.*21. Nauar. *ſum.cap.*9.

1. *Arg. primum negatiuum.*

VXTA hoc, ſcilicet,circa Diſtinctionẽ 19.quæritur,*Vtrùm cuilibet Sacerdoti in ſuſceptione Ordinis Sacerdotalis dentur claues Sacerdotij?*

Arguitur quòd non. Apoc.3.dicitur de Chriſto, *claudit & nemo aperit; aperit, & nemo claudit*;igitur ſolus Chriſtus habet poteſtatem,& per conſequens nullus Sacerdos.

Secundum. Item Auguſtinus contra Donatiſtas lib.5. c.21.in litera,*à peccato nõ abſoluit niſi columba, vel membrum columbæ.* per *columbam* intelligit Chriſtum; igitur nullus poteſt peccatũ dimittere,niſi Chriſtus,vel membrum Chriſti. Soli iuſti ſunt membra eius;igitur illis ſolis dantur claues,& nullo modo malis;quia non ſunt mẽbra Chriſti innocentis;igitur ipſi nec poſſunt ligare,vel excommunicare,& huiuſmodi, nec aliquem abſoluere. Ordinem autem Sacerdotij poſſunt indifferenter recipere iuſti,& iniuſti,membra columbæ, & nocentes;igitur in illo Ordine non confertur poteſtas clauium. Aug.

Tertium. Item,vna clauis huius poteſtatis dicitur *clauis ſcientiæ*:ſed Sacerdos ante ſuſceptionem Ordinis ſacerdotij inſciens, poſt-ſuſceptionem eius non inuenit ſe ſapientem,& ingenioſum, vel habitum ſcientiæ, vel ſapientiæ augmentatum,quod neceſſariò contingeret,ſi tunc daretur clauis ſcientiæ, quia impoſſibile eſt nos habere habitus nobiliſſimos intellectuales,& quòd lateant nos,2.*Poſteriorum in fine.* Ariſtot.

Quartum. Item,nullus poteſt ſoluere aliquem,vel ligare,niſi ſit ſuus ſubditus,quia ſententia à non

ſuo Iudice lata, nulla eſt. *extra de iudiciis, ac ſi clerici, extr. de offic,* ſed nullus Sacerdos ex vi Ordinis, aut Sacerdotij habet ſubditum, aliàs quilibet poſſet abſoluere non ſolùm ſuum ſubditum, ſed quemlibet, quia ex vi Sacramenti non magis datur ſibi ille ſubditus, quàm alius; igitur in tali ordinatione non conferuntur illæ claues.

Quintum. Item, ſi tantùm dentur eis claues in Ordine Sacerdotali, tunc nullus non ordinatus in Sacerdotem poſſet vti iſtis clauibus, quod manifeſtè eſt falſum, quia Archidiaconus poteſt ligare, & ſoluere, excludere, excommunicare, & renouare in Eccleſia militante, vt habetur in multis Canonibus.

Prima ratio ad oppoſitum, Matth. Contrà, Matth. 16. dicit Dominus Petro, & in eo omnibus Sacerdotibus, *Dabo tibi claues regni cœlorum*, promittendo ſibi poteſtatem clauium, quam ſibi, & in eo omnibus Sacerdotibus actu dedit, Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata*, &c.

Ioan.

Secunda, Item, cui datur poteſtas ſuper corpus Chriſti verum, datur & poteſtas ſuper corpus Chriſti myſticum, quia poteſtas ad actum conſecrationis corporis Chriſti veri, eſt maxima inter omnes, quæ aliquando datæ ſunt homini; & cui datur maius, veriſimile eſt quòd ei detur minus; ſed omni ordinato in Sacerdotem regulariter datur poteſtas conficiendi corpus Chriſti verum; igitur & regulariter datur ei poteſtas ligandi & ſoluendi ſuper corpus Chriſti myſticum.

SCHOLIVM I.

Clauis non eſt apertio, nec aperiens, nec merita, ſed poteſtas ſententiandi ad, vel à regno cœlorum. Eſt autem triplex, principalis, ſoli Deo conueniens; excellentiæ, animæ Chriſti commiſſa; & commiſſaria communis, quæ cuilibet Sacerdoti confertur; de quo in Oxon. hîc d. 14. q. 1. & diſt. 17. à num. 10.

3. *Quinque diſcutienda.* PRimò hîc reſpondeo ad ſecundam quæſtionem, vbi quinque ſunt videnda. Primò, quòd clauis principalis cõfertur in ſuſceptione Ordinis ſacerdotalis. Secundò, quòd clauis minùs principalis etiam conferatur in ſuſceptione illius ordinis. Tertiò, quomodo illæ claues aliquo modo ſunt duæ; & quomodo vna? Quartò, qualis eſt poteſtas illius & aliarum clauium? Quintò, an ſit aliqua alia clauis in Eccleſia, quæ non conferatur in ſuſceptione Ordinis ſacerdotij?

Reſolutio primi. Quantùm ad primum, cùm omnes transferentes ſecundùm aliquam ſimilitudinem trãſferãt, Dico, quòd ſicut clauis materialis eſt inſtrumentum proximum claudendi, vel aperiendi alicui domum; miniſter autem claudens, vel aperiens domum, vel ipſa clauſio, vel apertio domus, non ſunt huiuſmodi inſtrumentum proximum, quia ipſis non aperitur, niſi mediãte inſtrumento clauis. Proinde dico quòd clauis noſtra principalis ſpiritualiter dicta eſt immediatum inſtrumentum, quo cœlum alicui clauſum propter peccatum, aperitur cùm pœnitet, & idem clauditur, cùm iterum peccat. Non autem meritum, vel demeritum ſunt claues proximæ, quæ aperiunt, vel claudunt iſtam domum; quia non ſunt proximum inſtrumentum illius apertionis, vel clauſionis, ſed ſunt diſpoſitio, vel inſtrumentum remotum ad huiuſmodi apertionẽ, vel clauſionem, & ipſa poteſtas, vel clauis ſpiritualis principalis eſt inſtrumentum proximum, per quod alicui proximè aperitur, & clauditur domus Dei,

Cur poteſtas dicitur clauis?

Iſta autem clauis ſpiritualis & principalis, ſicut proximum inſtrumentum claudendi, & aperiendi cœlum, eſt poteſtas iudiciaria, vel auctoritas ſententiandi cœlum eſſe apertum propter merita, & clauſum propter demerita, & non ipſa merita, vel demerita, quæ non ſunt niſi ſicut diſpoſitio remota; nec etiam ipſa ſententia definitiua actualiter lata à Iudice, eſt illa clauis, quæ eſt proximum inſtrumentum aperiendi, vel claudendi cœlum, ſed eſt ipſa clauſio, vel apertio, quæ præexigit neceſſariò illam clauem, & iudiciariam poteſtatem. 4. *Quomodo poteſtas iudiciaria eſt clauis.*

Illa autem clauis, vel poteſtas iudiciaria definitiuè ſententiandi aliquem dignum cœlo, vel indignum; in genere eſt triplex, quædam prima, & principalis. Quædam inſtrumentalis, & commiſſaria, quæ eſt duplex. Quia quædam eſt poteſtas inſtrumentalis commiſſaria cum præeminentia. Alia eſt inſtrumentalis & miniſterialis ſine tali præeminentia. Et hæc eſt duplex, quia quædam communis & generalis. Alia tantùm partialis. *Poteſtas iudiciaria, ſiu clauis quotuplex.* *Poteſtas commiſſaria duplex.* *Poteſtas inſtrumentalis, ſiue præeminẽtia duplex.*

De iſtis habita ratione nominis, & eius diſtinctione; Dico ad propoſitum, quòd prima clauis eſt auctoritas prima, & principalis; quæ non poteſt competere niſi ſoli Deo, & voluntati eius, quia cùm iudicium primum & principale ſit actus primæ iuſtitiæ, quæ eſt regula omnis alterius iuſtitiæ, iuxta illud Pſal. 118. *Feci iudicium & iuſtitiam*, cui primò competit prima iuſtitia, quæ eſt regula omnis alterius iuſtitiæ, & ad quam omnis alia iuſtitia reducitur ſi eſt iuſtitia, conformiter ei competit primum iudicium; voluntas diuina eſt iuſtitia prima inobliquabilis, tanquam regula, ad quam habet omnis alia reduci, & eidem conformari; igitur voluntati diuinæ conuenit prima auctoritas iudicandi. 5. *Poteſtas iudicandi principalis ſolius Dei eſt.*

Iſtud autem iudiciun., vel voluntatem iudicandi, non poſſet Deus de potentia abſoluta alicui dare, præſidentis enim eſt iudicare; igitur ad primum præſidentem pertinet primum iudicium; ſed Deus non poſſet dare alteri primam præſidentiam, vel primam auctoritatem præſidendi, niſi faceret ipſum eſſe Deum, quod non poſſet facere, quia tunc non poſſet eſſe Deus, ſi eſſent duo; igitur non poteſt alteri dare primam auctoritatem, vel poteſtatem iudicandi. *Poteſtas iudiciaria principalis non poteſt per diuinam potentiã alteri à Deo conuenire.*

Secunda autem clauis commiſſaria, inſtrumentalis & præeminentiæ, poteſt alicui committi cum duplici præeminentia, quia cum vniuerſalitate inquantùm committitur talis poteſtas reſpectu omnium, & cum firmitate, & ſtabilitate, inquantùm ſententia eius de aliquo, tunc eſt inuiolabiliter rata, & irreuocabilis: & illo modo Deus tantùm vt cauſa principalis claudit, & aperit. Poteſtas autem commiſſaria iudicij vniuerſalis reſpectu omnium poteſt ei iuſtè committi, qui nouit omnia merita, & demerita omnium, atque præmia, & ſupplicia, quæ eis correſpondent. Poteſtas autẽ commiſſaria, cuius iudiciu.. ſit ratũ, & firmum 6. *Clauis præcellens, non principalis conuenit ſoli Chriſto.*

&

& irreuocabile, potest committi illi soli, qui inseparabiliter adhæret legibus diuinæ voluntatis; nec potest errare in sententiando de aliquo, quia conformiter agit suæ regulæ primæ iustæ, diuinæ scilicet voluntati. Et illo modo dico quòd potestas iudicandi de aliquo tantùm conuenit animæ Christi, quæ est inseparabiliter vnita Verbo, & conformiter agens voluntati eius, quæ etiam omnia nouit in Verbo merita, & præmia, culpas & pœnas in ordine Sacerdotali.

7. Tertia verò clauis, & auctoritas iudicandi commissaria, & instrumentalis in communi sine tali pœnitentia confertur in ordine Sacerdotali, & potest conferri congruè Sacerdoti, & hoc dupliciter, vt dictum est, quia vel generaliter, vel particulariter; quia sicut qui omnia cognoscit, potest iustè sibi committi iudicium vniuersale respectu omnium, sicut committebatur Christo, ita cognoscenti aliqua particulariter per Scripturam, potest particulariter committi, & alicui plus, alicui minus, secundùm quod plura, vel pauciora cognoscit, quia nullus debet esse ignorans in causa, quam iudicat, nec ignorare leges scriptas, quæ diuersis diuersa imponunt. Et illo modo claudunt, & aperiunt Sacerdotes, & Pontifices tantùm ministerialiter, & illi soli congruè; quia sicut Deus non subtrahit causæ secundæ naturali causalitatem propriam, & naturalem, quæ potest sibi competere respectu alicuius effectus, quinimò agit cum illa ad producendum effectum suum naturalem in *esse*, ita nec in *esse* morali subtrahit à Sacramentis, quibus assistit ex pacto ad conferendum quod designant, proprium effectum, & iudicium, quod in eis confertur ad talem effectum dispensandum. Dispensatur autem hoc Sacramentum de congruo tantùm per Sacerdotem, nam congruum est vt extrema, & vltima reducantur in prima per medium, vel per media; medium autem inter Deum & hominem est Hierarcha & Sacerdos; igitur congruum est quòd ei committatur ad sententiandum sententia rata, merita & demerita, & præmium & supplicium, in conformitate ad suam regulam, & voluntatem diuinam secundùm leges eius cognitas per Scripturam. Et si hoc est congruum, est maximè congruum, vt communicetur hoc primo Hierarchæ, qui illam postea inferioribus prout expedit, & conuenit, committet, vt sic infima per media congrua coniungantur.

Clauis commissaria sine excellētia cōpetere potest cuilibet Sacerdoti.

Congruentia quod in Ecclesia sit clauis, & penes Sacerdotem tantùm.

8. Ista etiam auctoritas Sacerdotibus de facto est commissa, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. inquit Dominus discipulis, & in eis omnibus Sacerdotibus, non vt sint iudices principales, quia solus Deus est talis Iudex; nec vt Iudices commissarij, cum pœnitentia vniuersalis notitiæ omnium, & immutabili firmitate sententiæ latæ, quod conuenit soli Christo; sed vt Iudices commissarij particulares, & per consequens, quorum sententia non est immutabiliter firma, nec rata, nisi inquantùm conformatur voluntati diuinæ, tanquam primæ regulæ primæ iustitiæ: & ideò Christus, videlicet, qui habet hanc auctoritatem ex prima commissione, cum illa duplici præeminentia, dixit Sacerdotibus, *quod iudicaueritis remittendum in terra, erit remissum & in cœlo; & quod iudicaueritis ligandum in terra, erit ligatum & in cœlis.*

Quomodo potestas Sacerdotibus cōcessa habet firmitatem.

SCHOLIVM II.

Authoritas examinandi causam est clauis scientiæ, éstque triplex, sicut de claue sententiandi dictum est; & commissaria communis datur in Sacerdotio, quia sine ea prima clauis frustrà esset. Innuit valere sententiam ab ignaro Sacerdote latam, quod tenet Suar. 4. tom. disp. 18 s. 2. & alij. Communior tamen sententia cum Richardo hîc art. 2. quæst. 8. absolutionem à prorsus ignaro datam, nullam esse. Id certum, peccare ipsum & accedentem ad eum sine extrema necessitate. Quanta autem scientia requiratur, difficile est in particulari determinare.

9. QVantùm ad secundam clauem minùs principaliter dictam, & etiam in ordine Sacerdotali minùs principalem, dico quòd ipsa etiam confertur in susceptione Ordinis; & hæc clauis est auctoritas, vel potestas cognoscendi in causa, de qua postea debet esse iudicium. Et dicitur minùs principalis priori claui, quia non est immediatum instrumentum, quo cœlum aperitur, & claditur, sed est quædam dispositio ordinata ad illud proximum instrumentum, & auctoritatem sententiandi in aliquo. Cuius probatio est illa, quia quicumque habet auctoritatem definitiuè sententiandi de aliquo, habet auctoritatem cognoscendi in causa illius; non è conuerso; quia iudicium definitiuum non est de ignotis, & incognitis. Auctoritas commissaria collata alicui ad definiendum de aliquo, necessariò præsupponit auctoritatem cognoscendi illud, non è conuerso, quia interdum datur aliquibus auctoritas cognoscendi, & inquirendi in causa, sine auctoritate sententiandi in eadem, sed facta inquisitione, & discussione illius causæ, referatur veritas eius Iudici superiori, qui de illa definitiuè sententiet, qui sibi in illa causa potestatem, & iudicium solummodo reseruauit, sicut communiter modò faciunt Principes, & Prælati.

Habet Sacerdos auctoritatem cognoscēdi causā pœnitentis, quæ dicitur clauis minùs principalis.

Auctoritas sententiandi supponit auctoritatē cognoscendi, non tamen è conuerso.

Ordinatur igitur hæc clauis, quæ est auctoritas cognoscendi quis sit dignus vita æterna, & quis pœna æterna, sicut minùs principalis ad priorem clauem definitiuæ sententiæ, habentem potestatem de cœlo alicui aperiendo, vel claudendo: & sicut clauis principalis, vel auctoritas definitiuè sententiandi de aliquo est triplex, quarum vltima tantùm conuenit creaturæ puræ; sic & secunda clauis & auctoritas cognoscendi in aliqua causa est triplex; vna principalis, quæ tantùm conuenit soli Deo; & alia commissiua; & illa duplex, vna cum duplici eminentia ex parte commissarij; & alia sine illis: & hæc tertia auctoritas cognoscendi ministerialiter in causa, confertur Sacerdotibus in susceptione Ordinis. Et hæc auctoritas arbitrariè, & ministerialiter cognoscendi in causa meriti, & demeriti, dabatur implicitè & antecedenter in priori claui in auctoritate ministerialiter sententiandi de eis, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c.

Potestas cognoscendi in qualibet causa est triplex sicut auctoritas iudicādi.

10. *Clauis scientiæ quid sit*

Sed quæ est illa clauis? Respondeo, quòd propriè potest dici clauis scientiæ, non scientiæ, quæ est actus, vel habitus prudentiæ, vel alicuius habitus speculatiui; vel cognitiui, sicut dixit Magister, & malè, qui vocauit clauem scientiæ habitum cognoscendi, quia tunc Sacerdos insipiens, vel laicus non acciperet illam virtutem Sacramenti Ordinis, & per consequens nihil faceret secundùm illam clauem circa sibi confessum, quod manifestè est falsum. Sed dicitur clauis scientiæ tantùm potestas, vel auctoritas cognoscendi in causa, licèt habitus scientiæ, & discretio vera sit multùm necessaria in Sacerdote ad rectum, & perfectum vsum clauis; sicut habitus iustitiæ est multùm necessarius in Sacerdote ad rectè sententiandum de inuento, & inquisito sapienter, *extra de offic. iud. deleg.* & ita de congruo tam habitus scientiæ, quàm iustitiæ concomitantur illam clauem, licèt absolutè neuter sit necessarius simpliciter, ita videlicet, quòd non possit esse sine eis, quia etsi in Sacerdote, nec esset prudentia, nec iustitia, adhuc verè reciperet in ordinatione Sacerdotij vtramque clauem, & vtramque potestatem. Ad congruum tamen & rectum vsum earum requiritur in ministrante Sacramentum Pœnitentiæ, scientia & iustitia, & sic potest exponi dictum Magistri.

Dictũ Magistri reijcitur.

Sola potestas cognoscẽdi dicitur scientia clauis.

Tantùm de congruo tam habitus scientiæ, quàm iustitiæ concomitantur clauem scientiæ.

Magistrũ pie interpretatur.

SCHOLIVM III.

Claues non sunt character, nec ambæ vna clauis, quia potestas in corpus Christi verùm, priùs data est. Et sic modò fit, vt habet Doct. d. 24. art. 3. & videtur haberi in Trid. sess. 23. cap. 4. Ostendit manifestè vnam clauem ab altera separabilem esse; quod verò clauis iurisdictionis, quæ vtramque includit, distinguatur à charactere; colligitur ex Trid. sess. 4. c. 7. Vide Scholium hîc a. 9.

11. *Opinio D. Th. d. 18. q. 1.*

QVantùm ad tertium principale, vtrùm hæ duæ potestates cognoscendi, & sententiandi in causa aliqua sint vna clauis, vel duæ? Dicunt aliqui quòd illæ claues collatæ in Ordine non sunt nisi character Sacerdotij, sed character est vnus; igitur vtraque potestas est vna clauis inter se.

12. *Refutatur primò.*

Contrà, illa potestas non est eadem alteri, quæ potest esse, & fuit de facto sine alia; sed cuilibet Apostolo, & Sacerdotibus in eis conferebatur potestas conficiendi corpus Christi verum in Cœna Domini, vbi primò imprimebatur character Sacerdotij, Matth. 26. *Hoc quotiescumque feceritis*, &c. non potuerunt tamen tunc aliquem absoluere, vel cognoscere in causa meriti, vel demeriti, vt Iudices, quia potestas cognoscendi, & sententiandi de aliquo huiusmodi non fuit eis collata vsque post passionem, & resurrectionem, Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. vbi primò Christus dedit auctoritatem, & potestatem absoluendi, & cognoscendi peccata, vel merita subditorum; igitur non sunt idem cum charactere. Deinde eodem modo possunt ab inuicem separari, nam Episcopus communiter confert ordinem Sacerdotij retinendo sibi ad tempus claues illius duplicis potestatis, sicut modò faciunt Prælati nostri quantùm ad executionem aliarum potestatum.

Sacerdos priùs tempore accepit potestatem conficiendi quàm absoluendi.

Item (sicut priùs * patuit) character non est nisi vna relatio rationis; sed relatio distinguitur secundùm distinctionem terminorum, quia non potest esse relatio vna duorum terminorum, sicut nec vna paternitas ad duos filios, quia altero terminorum existente, vel destructo, nihilominus manet illa relatio; character est relatio potestatis ad corpus Christi verum conficiendum; non igitur ad corpus Christi mysticum iudicandum, quod est omninò alius terminus, & per consequens alia potestas. Vnde dico, quòd illæ claues non sunt character Ordinis Sacerdotij, sed præsupponunt in Sacerdote de congruo istum characterem, tanquam dispositionem præuiam, per quam disponitur ad recipiendum huiusmodi potestatem cognoscendi, & iudicandi in causa aliqua. Exemplum ad hoc est, quia si aliquis primò est factus de familia alicuius Regis, vel Principis in determinato gradu, vt Armigeri, vel Camerarij, per hoc quòd est de familia illius in tali gradu, magis est dispositus ad ascendendum superiùs, & recipiendum altiorem gradum, vt Militis, vel Baronis, vel Consiliarij, vel Iudicis, quàm ille, qui non est de familia Regis talis; & tamen isti gradus non sunt idem, sed diuersi, quia non est idem gradus, vel dignitas Armigeri, & Baronis, nec inter se, nec in comparatione ad familiam, vel totam domum Regis. Ita hîc, per hoc quòd aliquis recipit characterem adscribitur familiæ Christi, ad sibi seruiendum in tali gradu determinato, vt scilicet habeat potestatem conficiendi corpus Christi verum, & per hanc potestatem de congruo disponitur ad recipiendum, vel habendum maiorem potestatem, & auctoritatem in familia eius; vt auctoritatem super corpus Christi mysticum ad iudicandum, & sententiandum de eo, præcognoscendo illud, & diuidendo membrum integrum à corrupto, vnum puniendo, & aliud præmiando.

Reijcitur secundò.

Vnius relationis vnus est terminus proximus.

Character est potestas respectu corporis Christi veri tantùm.

13. *Resolutio Doctoris.*

Quomodo claues præsupponit characterem.

Hæ autem potestates cognoscendi, & iudicandi in aliquo non sunt eædem cum tertia, quia possunt diuidi ab ea, quia potest alicui conferri character sacerdotalis sine potestate, & auctoritate cognoscuntur, vel sententiandi in causa, licèt de facto ordinato conferatur vtraque clauis post susceptum characterem. Nec auctoritates cognoscendi, & sententiandi de aliquo sunt eædem inter se, licèt vna non posset ordinatè committi sine alia, & sequuntur modò inseparabiliter, quia posset aliquis Episcopus conferre, & committere alicui potestatem cognoscendi in aliqua causa, & reseruare sibi sententiam. & potestatem iudicandi; & è conuerso posset conferri alicui potestas iudicandi, absque cognitione in causa, vt quod sua mera voluntate deciditur in causa. Et hoc illi posset committi, quia non potest errare, nec declinare à prima regula iustitiæ ex diuina tamen iustitia, & ordinatione, modò semper concomitantur se. Vnde sine præiudicio videtur mihi quòd illæ duæ auctoritates sunt duæ claues simpliciter;

14. *Bene posset alicui dari character sine clauibus quã. nis de facto non detur.*

Auctoritas sententiandi, & cognoscendi non sunt eadem inter se, quamuis ordinatè vna non est sine alia.

Hæ auctoritates quamuis simpliciter sint duæ, tamen secundũ quid dicitur vna clauis.

*d. 6 art. vlt. q. 1.

ſimpliciter,& aliquo modo vt ſecundùm *quid* ſint vna; inquantùm vna ſubordinatur alteri reſpectu eiuſdem effectus principalis, clauſionis ſcilicet,vel apertionis cœli.

SCHOLIVM IV.

Poteſtas clauium data in ordinatione, non eſt proxima,vel impedibilis, alioquin quilibet Sacerdos validè poſſet abſoluere, ſicut & conficere corpus Chriſti non obſtante quacumque prohibitione. Tantùm ergo datur in ordinatione poteſtas incompleta, & completur per iuriſdictionem ab Eccleſia datam, in quo Caietanus, & Armachanus errarunt. Vide in Oxon. Scholium hîc num. 12.

15. *Quæ ſit potentia remota, & quæ proxima.*

QVantùm ad quartum articulum, ſcilicet qualis ſit poteſtas clauium illarum?Dico quòd *poteſtas* poteſt dupliciter accipi;vno modo vt poteſtas proxima, & propinqua ad aliquid faciendum: alio modo vt remota. Potentia remota dicitur illa, qua aliquis poteſt ſtatim & immediatè quantùm eſt ex parte agentis, exire in actum, licèt non ſequatur actio, propter impedimentum, vel impedimenta, ex parte paſſi, ſicut viſus dicitur potentia remota, ſecundum Anſelmum *de liber. arbitr. cap.* 30. quia quis poteſt abſolutè in actum videndi, quantùm eſt ex ſe, licèt quandoque non ſit viſio propter impedimentum, vel indiſpoſitionem ex parte paſſi, vt quia medium non eſt illuminatum, vel perſpicuum, vel aliquid huiuſmodi; quia paſſum non eſt determinatè approximatum. Potentia autem proxima & propinqua, eſt illa ſecundùm Philoſophum 9.*Metaph.cap.*4.*text.* 10. ad quam ſtatim, & immediatè ſequitur actio, quæ includit approximationem paſſi ſufficienter, & amotionem omnium impedimentorum.

Ariſtot.

Ariſtot.

16. Ad propoſitum dico quòd ſi poteſtas clauium eſſet poteſtas excludens omne impedimentum, & includens omnia neceſſaria requiſita, vt approximationem materiæ, & ſimilium, ita quòd non poſſet ſuſpendi, nec prohiberi ab habente characterem ſacerdotalem: ſicut nec poteſtas conficiendi Corpus Chriſti poteſt ſuſpendi, nec prohiberi ab habente characterem ſacerdotalem, (quod non aſſero, quia communiter tenetur contrarium.) ſi, inquam, ita eſſet, dico quòd illaclauis eſſet poteſtas proxima, vel propinqua ad ſententiandum vni cœlum per abſolutionem,& alteri clauſionem eius.Et ex hoc quòd alicui daretur clauis illa, vel illæ, daretur ſibi poteſtas, vel iuriſdictio in aliquem ſubditum indiſtinctè, in quem poſſet ſententiare ſecundùm merita & demerita, & poteſtatem talem ſibi datam virtute clauium exercere, ita quòd non poſſet à principio talis poteſtas ſibi dari, niſi daretur ſibi ſubditus,quia includit amotionem impedimentorum, & adminiſtrationem omnium ex parte materiæ, & paſſi: vnde ſi de facto talis poteſtas ſuſpenderetur, & prohiberetur à Sacerdote quantùm ad vſum clauium, & ipſe nihilominus poteſtatem eius exerceret abſoluendo aliquem à peccato, licèt peccaret, etiam mortaliter, hoc faciendo contra prohibitionem Superioris, verè ille abſolueret, & alius verè eſſet abſolutus; ſicut prohibitus conſecrare corpus Chriſti,ab illo qui poſſet eum ſuſpendere, nihilominus contrarium faciens poteſtate characteris ſacerdotalis, ſibi à principio tradita in principio ſuſceptionis talis ordinis, verè conficeret, & conſecraret; licèt hoc faciendo contra mandatum Superioris, cui tenetur obedire,peccaret.

An clauis ſit poteſtas propinqua ſicut character ſacerdotalis.

Tenetur tamen communiter, quòd illa clauis huius duplicis poteſtatis non eſt potentia propinqua,ſed remota aperiendi, vel clauendi; character autem ſacerdotalis eſt poteſtas propinqua conficiendi corpus Chriſti verum, quæ non poteſt ſuſpendi, vel auferri,eo modo quo dictum eſt; quia hæc clauis non habet iuriſdictionem, nec per conſequens ſubditum diſtinctum, vel indiſtinctum. Igitur ad hoc quòd habeat iuriſdictionem, licèt ipſa quantùm eſt ex ſe, poſſet ſtatim in actum abſoluendi,& ligandi, requirit neceſſariò approximationem paſſi,& materiæ, & amotionem impedimentorum; & ita ad iuriſdictionem habendam, vel exercendam, oportet ſibi dari ſubditum, quia non habet iuriſdictionem per hoc, quòd habet characterem, & poteſtatem conficiendi corpus Chriſti, quia poſſunt ſeparari, vt dictum eſt, ita quòd ſuſpenſus ab hac poteſtate, & vſu clauium, ſi contrarium faciat, exercendo circa materiam non ſibi debitam, ſuam poteſtatem, non ſolùm non benè, vel licitè abſoluit, ſed etiam omninò nihil facit, quantùm ad abſolutionem; quia non ſolùm poteſt clauis ſuſpendi quantùm ad vſum bonum,& licitum, ſed etiam ſimpliciter ſecundùm aliquos,licèt non ſic poteſtas conficiendi corpus Chriſti verum; & hoc rationabiliter, quia à principio nulli nocuit quin quilibet Sacerdos poſſet conficere corpus Chriſti; fortè tamen nocuiſſet,ſi quilibet poſſet alienum,vel aliquem ſubditum abſoluere,& ita non expediebat eis conferre vniformiter vtramque poteſtatem.

17. *Poteſtas clauis eſt remota & impedibilis, character verò ſacerdotalis poteſtas proxima & inimpedibilis.*

SCHOLIVM V.

*In Eccleſia eſſe poteſtatem publicam examinandi,& ſententiandi per excommunicationem, & abſolutionem ab ea. Vide in Oxon.Scholium ad hoc num.*15. *vbi habes an à Papa emanet omnis poteſtas excommunicandi, & an parochi poſſint excommunicare.*

18. *Eccleſia habet clauē iudicij publici, quæ non confertur in prædinatione.*

QVantùm ad quintum articulum, Si modò ſit in Eccleſia aliqua alia clauis, quæ non conferatur in Ordine ſacerdotali? Dico quòd ſic,quia in Eccleſia eſt alia clauis publicæ, & communis iuriſdictionis in aliquos, qua alicui committitur poteſtas cognoſcendi, & definitiuè ſententiandi in cauſa publica, quæ competit Epiſcopis, & Prælatis ſuperioribus: & hæc clauis præſupponit aliam clauem, & habet ſubditum, ſicut illa. In Eccleſia enim eſt duplex forum conſcientiæ, ſecretiſſimum, & priuatum, quod pertinet ad clauem poteſtatis collatæ in collatione Ordinis ſacerdotij. Aliud eſt forum contentioſum, & publicum, & commune, & quodlibet habet ſuas claues,&ſubditos,in quos poteſtatem clauium poſſunt variare, & diuerſimodè

Eccleſia habet foriũ priuatum & cõtentioſum.

ſimodè ſecundùm merita, & demerita, exercere. Ita quòd Sacerdos, qui eſt iudex ſecretiſſimus, & fori ſecretiſſimi, ſic cognoſcens iſtum reum, qui eſt teſtis ſuæ accuſationis, eſſe contritum, & dolentem de peccatis ſuis per aliqua ſigna, quæ videt in eo, poteſt ſententia definitiua iudicare ipſum abſolutum, & diſpoſitum ad cœlum; & alium, qui cum riſu, & cachinno, & omnimoda impœnitentia, & incontritione de peccatis poteſt iudicare tanquam indiſpoſitum, eſſe ligandum, & non abſoluendum. Iſtud forum inſtituendum promiſit Chriſtus Petro Matth. 16. *Tibi dabo claues*, &c. & inſtituit Ioan. 20. *Quorum remiſeritis*, &c.

De inſtitutione vtriuſque fori à Chriſto, & quãdo.

19. Sed forum publicum, & auctoritas exteriùs iudicandi in communi cauſa, & publica, & imponendi pœnas publicas, quod non confertur in ordinatione Sacerdotij, inſtituebatur à Chriſto Matth. 18. dicente Petro: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſũ ſolũ. Si te non audierit, dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*; id eſt, excluſus à communione fidelium, ſicut homo infidelis alterius legis, conſcientiæ prauæ. Vel inſtituebatur à Chriſto hæc auctoritas Prælatis principibus Eccleſiæ Matth. 16. *Amen dico tibi* (dixit Petro) *quodcunque ligaueris ſuper terram, erit*, &c. Vnde hæc clauis non eſt collata in ordinatione Sacerdotij, quia eſt poteſtas publicè reconciliandi aliquem excluſum, & præciſum ab Eccleſia propter peccatum publicum, ad communionem fidelium, ſi pœniteat, & hoc per pœnam publicam ordinantem, & excludendi, vel excommunicandi aliquem, ſi permaneat pertinaciter in peccato, & delicto publico, quod commiſit. Vnde hæc clauis non eſt illa, quæ confertur in ordinatione Sacerdotij, quia iudex in iſto foro poteſt eſſe commiſſarie laïcus non ordinatus, vel ſimpliciter Clericus, vel Archidiaconus, cui committi poteſt auctoritas ſuper Capitulum, vel Collegium, vel aliquas perſonas excludendi, vel excommunicandi eos, à communione fidelium, & excluſos reuocandi. Hæc tamen poteſtas & clauis, vel auctoritas in foro publico præſupponit in principali committente huiuſmodi poteſtatem, vt in primo Hierarcha Eccleſiæ clauem ordinis ſacerdotalis.

Laïcus commiſſarie poteſt eſſe iudex in foro publico.

20. Sed potéſtne quilibet excommunicare, vel excludere aliquem à communione omnium fidelium? Dico quòd non, niſi hoc fiat auctoritate eius, cui omnes ſubſint. Nam hæc excommunicatio eſt prohibitio negatiua, excludens communionem eius cum omni fideli, & è conuerſo cuiuſlibet fidelis ad eum; igitur auctoritate eius tantùm poteſt hæc excluſio, & prohibitio à communione omnium fidelium fieri, & è conuerſo, cui omnes fideles ſunt ſubditi in ſe, vel in ſuo Vicario, cui hoc commiſerit: talis eſt vnus in Eccleſia tantùm, vt primus Hierarcha; igitur ſibi tantùm ex iure competit talis auctoritas, & non aliis inferioribus prælatis, niſi eis committatur, & tunc eſt excommunicatio vniuerſalis, conueniens eis vt miniſtris; & tunc regula Iuris eſt intelligenda *quod non eſt conceſſum, cognoſcitur eſſe prohibitum*; vnde ſi ille Prælatus tantùm habeat tres ſubditos, vel tres Parochias in Diœceſi ſua, poteſt prohibere, & excludere vnum illorum trium à communione aliorum duorum, vel duarum ſubditarum; & ſubditum vnius Parochiæ, ne communicet cum aliquo illius, vel aliarum duarum Parochiarum. Et ſimiliter poteſt prohibere communicationem omnium, qui ſunt ſubditi eius, cum illis duarum, vel cum illo excluſo. Non poteſt tamen prohibere alios non ſubditos de alienis Diœceſibus, ne communicent cum eis, quoniam illi non tenẽtur in aliquo ei obedire, quia non eſt conſonum rectæ rationi, quòd Diœceſani habeant ex Iure communi, vel commiſſione generali auctoritatem excommunicandi aliquos ſubditos per ordinem ad quoſcumque, qui ſunt extra ſuam iuriſdictionem, niſi eis hoc ſpecialiter committatur, ne nimis in aliis glorientur, ſicut ipſe primus Hierarcha. Si tamen conferatur eis hæc poteſtas reſpectu omniũ, quod non credo, tunc habent poteſtatem reuocandi, & reconciliandi iſtos, qui ſunt extra ſuam iuriſdictionem ad communionem fidelium in Eccleſia, & alios excludendi à communione eorum. Sic igitur patet quòd hæc clauis eſt alia ab illa, quæ datur in ordinatione Sacerdotij, & hæc poteſt committi non ordinato, vel ſaltem non Sacerdoti, vt Archidiacono, ad iudicandum in foro publico, non priuato: de congruo tamen præſupponit aliam clauem ordinis Sacerdotij in primo Hierarcha, & per conſequens relinquitur quòd eſt diſtincta clauis.

Ad quos ſe extendit poteſtas excõmunicandi?

Solus Papa poteſt fulminare excommunicationẽ vniuerſalem.

Quomodo quod non eſt conceſſum dicitur eſſe prohibitum.

21. Ad argumenta ſecundæ quæſtionis. Ad primum, cùm dicitur quòd Chriſtus ſolus habet poteſtatem claudendi, & aperiendi. Dico quòd verum eſt duplici auctoritate præeminentiæ, quia ſolus ipſe habet vniuerſalem ſcientiam, & notitiam omnium bonorum & malorum, & voluntatem inſeparabiliter conformem ſuæ regulæ, & primæ iuſtitiæ. Et ideò iudicium eius eſt vniuerſale, & firmum.

Ad primum argumentum principale quæſt. 2.

Ad ſecundum, cùm dicitur ſecundùm Auguſtinum, quòd *nullus abſoluit niſi columba, vel membra eius*. Dico quòd confitentibus confertur gratia, vel effectus huius poteſtatis ſacerdotalis per clauem abſolutionis, ita per non membra columbæ, ſicut per membra columbæ, ita per malos, ſicut per bonos, ſed non ad vtilitatem conferentium, niſi fiat per membra columbæ, & miniſtros innocentes. Poteſt tamen dari ab aliis vt malis, & ad vtilitatem ſuſcipientium, quia malitia miniſtri non impedit effectum Sacramenti conferri ſuſcipientibus ipſum.

Ad ſecũdum.

Malitia miniſtri nõ impedit effectum Sacramenti.

Ad tertium dico, quòd clauis ſcientiæ eſſentialiter, & formaliter eſt poteſtas cognoſcendi in cauſa rei, vel iuſti, non ſicut habitus ſcientiæ, vel diſcretio accidentalis, vel habitualis, ſicut patuit priùs; ſed ſicut poteſtas, vel auctoritas iudicandi, vel ſententiandi de eis, eſt clauis poteſtatis abſoluendi, & non habitus iuſtitiæ, licèt de congruo quantùm ad vſum illarum clauium rectum & iuſtum, concomitentur prudentia, & iuſtitia.

Ad tertium.

22. Ad aliud, cùm dicitur quòd in ordine non datur Sacerdoti ſubditus, & per conſequens nec auctoritas ligandi, vel abſoluendi. Dico quòd datur ſibi potentia, vel poteſtas remota ligandi, & ſoluendi, qua poteſt vti, adhibita ſibi materia, quæ poteſt diuerſimodè addi, & ſubtrahi

Ad quartũ.

ſubtrahi per ſuſceptionem vſus clauium, & illo modo non datur ſibi ſubditus, niſi remotè. Si verò poteſtas clauium ſit poteſtas propinqua ligandi,& abſoluendi, tunc eſt dicendum ſicut de poteſtate conficiendi corpus Chriſti verum, quòd ſemper habet ſubditum, & ſic includit amotionem impedimentorum omnium, & præſentiam diſpoſitionum conuenientium ex parte materiæ, vt dictum eſt tertio articulo.

Ad vltimũ. Ad vltimum patet in quinto articulo quòd Archidiaconus non poteſt vti claue abſolutionis Sacerdotalis in priuato interiori, excommunicando ſuos ſubditos à communicatione fidelium omnium, ſed tantùm vtitur claue exterioris iuriſdictionis ordinarij, vel commiſſarij, qua ſic arcet ſuos inferiores per ſententiam definitiuam publicam à communione cum illo,quem excludit,& illius cum illis.

Non ordinatus ſolùm habere poteſt clauem fori extrinſeci.

SCHOLIVM VI.

Relata ſententia Magiſtri,probat primò claues tollere culpam,& pœnã æternam. Vide ad hoc alias rationes d.14.q.4 tunc autem tollunt hæc, quando diſpoſitio præuia non eſt ſufficiens,vt iuſtificet. Secundò,probat ratificari iudicium Sacerdotis,in imponenda ſatisfactione, eſto non ſit adinduiſibile, conforme iudicio Dei,quoad quantitatem pœnæ remittendæ.Et probationes ſunt clariſſimæ. Vide eum in Oxon.hîc à n.23.

23. AD primam quæſtionem dicitur,quòd poteſtas clauium non ſe extendit ad dimiſſionem, vel deletionem culpæ, nec remiſſionem pœnæ æternæ,quia illa ſolùm ſunt à Deo quantùm ad negatiuam : quantùm verò ad affirmatiuam dicitur quòd poteſtas clauium tantùm extendit ſe ad pœnam temporalem infligendam, vel dimittendam:Deus autem remittit culpam, & commutat pœnam æternam vi clauium in temporalem iuncto gradu, vltra quem ſi procedat, clauis errat, & nihil facit, quia clauis non habet effectum reſpectu dimiſſionis pœnæ temporalis quando errat : errat autem quando remittit vltra illum gradum certum. Exemplum, pœna temporalis debita huic pro peccatis, ſit decem graduum; huius totalis pœnæ poteſt Sacerdos virtute clauium non errantium tantùm remittere duos gradus; ſi plus remittit vi clauium,errant claues. Poteſt etiam virtute meritorum bonorum in Eccleſia,quæ ſunt theſauri Eccleſiæ,remittere alios duos gradus pœnæ, & remanent ſex ſibi infligendi pro peccato, & quatuor remiſſi, ita quòd ſi vltra illos quatuor aliquid addat,nihil facit,ſed errant claues eius.

Opinio Magiſtri tenentis clauem tollere tantũ pœnam temporalem.

24. Sed iſtud non intelligo,primum non; quia non tantùm habent illæ claues virtutem, & efficaciam reſpectu pœnæ temporalis, ſed etiam reſpectu pœnæ æternæ commutatæ, & culpæ aliquo modo remittendæ,ſicut declarauì priùs in quadam quæſtione de pœnitentia*, *Vtrùm per pœnitentiam, quæ eſt Sacramentum, & virtute Sacramenti talis remittatur aliquo modo culpa?* vbi dictũ eſt quòd ſic,aliter non eſſet Sacramentum nouæ legis ordinatum ad iuſtificationem peccatoris,ſed innocentis.

Refutatur primò quo ad primum.

Claues habẽt virtutem remittendi tam pœnam temporalem, & tum, & virtute Sacramenti talis remittatur aliquo modo culpa?

**d 14. q.4.*

Secundò. Item,ſi peccatum confitentis eſſet deletum à Deo ante abſolutionem Sacerdotis, & prolationem eius,mentiretur confitens, dicendo ſe eſſe in peccato illo,& illo,quia tunc non haberet peccatum, quod ſibi imputaretur à Deo, ergo exiſtens in peccato mortali recipiens Sacramentum abſolutionis ſacerdotalis,prout decet,recipit abſolutionem,& remiſſionem culpæ, quia hoc Sacramentum per ſe ad hoc ordinatur,vt peccator fiat iuſtus; ſi autem aliquis innocens oſtendat ſe Sacerdoti propter præceptum Eccleſiæ habens gratiam antequam recipiat hoc Sacramentum per abſolutionem, per ipſam abſolutionem reciperet maiorem gratiam,& augebitur præhabita, ſicut baptizato Baptiſmo flaminis; ſi poſtea recipiat Baptiſmum fluminis, augetur gratia præhabita, & ſi nullam præhabuit virtute Sacramenti ſuſcepti cõfertur gratia prima,quam ſi poſt per peccatum demeritoriè amittat, poteſt per Sacramentum pœnitentiæ,& ſacerdotalis abſolutionis, eam recuperare, quia iſta abſolutio ſacerdotalis eſt diſpoſitio, & inſtrumentum efficax ad gratiam conferendam, & quaſi neceſſitas quædam proxima de congruo: & ita remittens culpam, licèt Deus vt agens principale vtrumque effectum faciat,& remittat culpam,& conferat gratiam,non ſic autem remittebat culpam Sacerdos veteris legis, vt ibidem apparebat.

Sacramentum pœnitẽtiæ ordinatur per ſe ad iuſtificationem peccatoris.

Sacerdos tollit pœnã æternam, & culpam vt inſtrumentum tantum.

Ex iſto apparet quomodo illa clauis eſt inſtrumentum abſolutionis, & remiſſionis peccati.Aliquod enim eſt inſtrumentum,quod attingit per ſe effectum principalis agentis, vt ſigillum in impreſſione eius in cera, quam intendit agens principale. Alio modo dicitur *inſtrumentum* forma quædam, quæ eſt diſpoſitio neceſſaria & proxima ad inductionem effectus principalis agentis, ſicut calefactio dicitur prima, & immediata diſpoſitio ad formam ignis generandi ex aliquo igne.Illo modo ſecundo poteſtas clauium, & character ſacerdotalis eſt quædam forma, ad cuius actum, & abſolutionem ſacerdotalem immediatè, & in vltimo inſtanti illius abſolutionis, ſequitur neceſſariò remiſſio culpæ, & collatio gratiæ tanquam effectus principalis agentis. Et ideò,vt dixi,non eſt ſimile de poteſtate Sacerdotum legalium,quantùm ad lepram mundandam, & noſtrorum Sacerdotum Chriſtianorum, quia ad actum illorum non ſequebatur mundatio lepræ, ſed præcedebat actum illorum, quia tantùm oſtendebant mutationem priùs factam à Deo alicuius lepræ, & nullo modo mundabant. Sacerdotes autem nouæ legis in abſoluendo aliquem à peccatis, non oſtendunt mutationem, & remiſſionem culpæ priùs habitam, nec infuſionem gratiæ, quia tunc non abſoluerent aliquem à peccatis, ſed per ipſam abſolutionem oſtendunt ipſum eſſe de proximo ſummè diſpoſitum ad effectum huius,vt ſcilicet remittatur ei culpa, & donetur gratia.

25.

Quomodo prolatio verborum ſit inſtrumentum gratiæ.

Diſcrimen inter poteſtates Sacerdotũ veteris & nouæ legis.

Quantùm ad ſecundum de pœna temporali,Dico quòd clauis non errat, ſi non ſeruat illud indiuiſibile in remittendo pœnam aliquam, quod ſupponitur; quia vltra,vel citra illam pœnam poteſt augeri, vel minui, ſecundùm arbitrium Sacerdotis; ſed tantùm tunc errat prima clauis, quæ eſt poteſtas cognoſcendi vitam peccatoris, quando non ſecundùm debitam diſcretionem inquirit in illa

26.

Tertiò reiicitur quantùm ad ſecũdum.

Prima clauis quãdo errat?

cauſa, vt ſi non inquirat de peccatis, ſed de aliis truſſis impertinentibus ad forum, vt ſi habeat decem boues, vel ollas in domo, vel aliquod huiuſmodi, quia ex iſta claui tantùm habet ius inquirendi de peccatis, & circumſtantiis alleuiantibus, & aggrauantibus actum peccati.

27. *Quando erret ſecunda clauis, quæ eſt auctoritas iudicandi?*

Errat autem ſecunda clauis, id eſt, auctoritas iudicandi iuſtè, quando non conformiter ſententiat allegatis, & diſcuſſis per primam clauem. Eſto igitur quòd ille ſit obligatus ad pœnam determinatam decem graduum pro peccatis ex grauitate culpæ, Dico quòd Sacerdos virtute clauium poteſt eum ligare ad pœnam temporalem maiorem, vel minorem pœna decem graduum, & iterum virtute clauium poteſt ei remittere illius totius pœnæ maioris, vel minoris ſibi iniunctæ duas partes, & virtute meritorum Eccleſiæ alias duas partes. Alioquin oporteret quemlibet abſoluentem ſcire iſtam pœnam in indiuiſibili exiſtentem, quam debet pœnitens, & confeſſus ſoluere pro peccatis: ſed ad hoc Sacerdotem deuenire per propriam induſtriam, vel proprium arbitrium, eſt impoſſibile; igitur ſi ad id perueniat, hoc eſt per reuelationem ſpecialem, & ita dabitur nouum miraculum in omni abſolutione: vel à caſu, & tunc non ratificabitur iudicium ſuum, quia non eſt humanum, nec eſt ex propria diligentia, quorum vtrumque eſt impoſſibile.

Ratificatur iudicium Sacerdotis, etſi non ſit punctualiter cõforme iudicio Dei.

Confirmatio.

Et confirmatur, quia nulli committitur arbitrium ſuper aliquo iudicando, cuius arbitrium non ratificatur, ſi arbitrans adhibeat debitam diligentiam ad ſciendum cauſam, & iuſtam pœnam reformantem illam, quantum poteſt; ſed ſi pro peccato quolibet oporteret imponere determinatam, & præciſam pœnam ſibi indiuiſibiliter determinatam, & non poſſet Sacerdos citra, vel vltra addere, vel minuere, cùm ipſe neſciat ad vnguem ſic eam taxare, imponendo, vel remittendo eam; ſequitur vel quòd nihil faciat, vel à caſu aliquid faciat, quod eſt impoſſibile.

28. *Quando Sacerdos eſt arbiter inter Deum & peccatorem.*

Item, ſi nulli eſt commiſſa auctoritas arbitrandi de aliquo, quod verſaretur inter partes, niſi præcisè arbitraretur ſecundùm iuſtitiam, & voluntatem vnius partis, & hoc ſi voluntas ſuperioris ſit ſibi ignota de ſententia inferenda, & pœna determinata remittenda, vel infligenda, ſic eum in illo foro ſecreto, in quo Sacerdos conſtituitur à Deo iudex inferior, & arbiter, ſunt partes Deus, & peccator, & non conſtat Sacerdoti de voluntate Dei, quantùm ad pœnam indiuiſibilem infligendam, vel remittendam; nullus Sacerdos poſſet in illo foro ſententiare, ſed ſolus Deus, quod eſt falſum.

Reſolutio Doctoris.

Ideò dico quòd ſicut in iuſtitia commutatiua eſt medium rationis habens magnam latitudinem, infra quam poſſunt eſſe variæ commutationes iuſtæ, in quibus non attenditur medium indiuiſibile; ſicut in aliis contractibus, & vniuerſaliter in omnibus, vbi medium rei eſt indiuiſibiliter nobis notum, ſicut in numiſmate, & grano, & mutationibus talium, in talibus ſemper eſt attendenda æqualitas omnimoda, vt reddatur æquiualens in numero, pondere, & menſura, ſubſtantia, quantitate & qualitate pro æquiualenti, ſine omni fraude, quia in illis medium rei indiuiſibile eſt nobis notum, ita in propoſito iuſtitia punitiua Sacerdotis, quia iuſtè commutat, & infligit pœnam pro culpa auctoritate clauium, habet medium ſecundùm rectam rationem habens quandam latitudinem in ſe, quod poteſt ſcire per Scripturam, & leges Dei traditas in Scriptura, eſſe non medium indiuiſibile, quia tale medium ſolùm eſt notum Deo, & animæ Chriſti, omnia cognoſcentis in Verbo, & nullo modo nobis.

Quando conſtat nobis mediũ, æqualitas eſt ſeruanda.

Iuſtitia habet medium rationis, vbi æqualitas rei non eſt nota.

Et ideò ſi illa clauis minus, vel magis imponat alicui de pœna, quàm ſit illa exiſtentia in indiuiſibili, nota ſoli Deo, non errat, dummodò non excedat latitudinem iuſtitiæ, & pœnitentiæ cognitæ per Scripturam in puniendo, vel remittendo aliquam pœnam. Imò ille ſoluens talem pœnam ſibi impoſitam à Sacerdote, etſi non ſit tanta, quanta deberet ei ſecundùm ſcriptam iuſtitiam infligi, ſoluit totam pœnam debitam peccato, ita quòd nunquam plus patietur pro illo in purgatorio: ſi tamen Sacerdos imponit ſecundùm rectam rationem, & diligentiam debitam, quam debuit habere, vel cognoſcere ex Scriptura; & aliàs, peccator tenetur pœnitentiam ſibi impoſitam à Sacerdote implere, & ſicut poteſt iſtum punire citra indiuiſibile ſibi debitum, ita & vltra, dummodò non excedat medium rectæ rationis. Vnde ſi confeſſus habeat ſigna contritionis exteriùs, & verè doleat interiùs de peccato, & non ponat obicem vt hypocrita, qui conteritur exteriùs, & non interiùs, ſed actu peccat per ſuperbiam, & ſimulationem falſam, dico quòd verè abſoluitur coram Deo, & tunc non errat clauis. Si autem ſit hypocrita, & ponat obicem interiùs per ſimulationem, & exteriùs per ſigna bona conteratur coram Sacerdote, non abſoluitur, nec errat clauis, ſed confitens, qui addit peccatum peccato, & non eſt materia debita ad ſuſcipiendum Sacramenti effectum.

29. *Quomodo Sacerdos non errat in ferendo ſententiã.*

Quomodo clauis imponendo pœnitentiã errare dicitur.

SCHOLIVM VII.

Ait nolentem acceptare pœnitentiam æqualem non eſſe repellendum ab abſolutione; quia non videtur in hoc peccare mortaliter. Idem habet d. 13. q. 1. a. 3. & d. 17. num. 22. Ratio eſt, quia videtur poſſe eligere, vel pœnam hîc ſoluere, vel in purgatorio. Hoc ex quadam commiſeratione tenet Doctor, ne talis pœnitens deſperet.

30. *An tenetur peccator accipere pœnitentiam à Sacerdote.*

SEd habétne Sacerdos auctoritatem ligandi ſubditum pœna temporali? Dico quòd ſi ſubditus ſubmittat ſe arbitrio Sacerdotis, non tantùm ad recipiendum abſolutionem ſacerdotalem de peccatis, ſed etiam ad pœnam, tunc dico quòd ſubditus tenetur eam facere, etiamſi excedat pœnam debitam pro culpa, dummodò ſit intra medium rectæ rationis cognitæ per Scripturam. Si autem ſubditus ſe ſubmittat arbitrio Sacerdotis quantùm ad abſolutionem ſacerdotalem tantùm, non ponens obicem, ſed contritus de peccatis, & non ſe ſubmittat ei quantùm ad pœnam ei infligendam pro peccatis, quia non poteſt talem pœnam explere, ieiunare, vigilare, & huiuſmodi, quia talis præelegit immediatè ſe ſubmittere Deo, & pœnæ Purgatorij; Dico quòd Sacerdos

poteſt

poteſt,& debet talem abſoluere, licèt non habeat auctoritatem ei pœnam imponere, quia alius quantùm ad pœnam non vult eſſe eius ſubditus,ſed tantùm Dei,nec poteſt,nec debet eum cogere ad recipiendum talem pœnam. *An negans acceptare pœnitentiam ſit abſoluendus.* niſi per pulchras,& mites inductiones, dicendo ei quòd dimittat duritiam voluntatis ſuæ, & accipiat huiuſmodi pœnam pro peccatis ſuis,quia aliter neceſſe eſt eum ſoluere incomparabiliter duriorem poſt mortem in Purgatorio, vbi exigetur ab eo ſine miſericordia ſecundùm rigorem ſcriptæ iuſtitiæ commutatiuæ. Et ſi nolit aliquo modo acquieſcere, non propter hoc eſt damnandus , vel non abſoluendus , quia aliàs vult voluntariè ſatisfacere per pœnam duriorem , ſed non modò, & non contemnit , vel negat omnem ſatisfactionem pro peccato voluntariè , ſed modò ſe obligat ad pœnam futuram ſoluendam , & non præſentem. Si enim Sacerdos daret ſibi pœnitentiam , & ipſe licèt inuitè reciperet eam , teneretur implere eam,& ideò imponendo ei violenter aliquam pœnam grauem,quam nō poſſet ſine magno tædio ſuſtinere , datur ei occaſio peccandi mortaliter , ſcilicet non ſeruandi eam,& tales pœnæ non eſſent medicinæ curatiuæ,ſed mortiferæ , quod eſt contra naturam pœnitentiæ , & ſatisfactionis ſacramentalis. Vnde talibus habentibus duras , & malas , & indiſciplinabiles voluntates, propter deſperationem cauendam in eis iniungendæ eſſent leues pœnitentiæ,in principio, & deinde duriores,vel nullæ in præſenti,ſed in futuro in Purgatorio ſoluendæ.

31. *Ad primum principale.* Ad primum argumentum illius quæſtionis, cùm quæritur, an poteſtas clauium ſit ad pœnam infligendam,vel remittendam?Dico quòd ad vtrumque ſe extendit:& quòd per frequentes abſolutiones poteſt multum de pœna æterna debita remittere , & non totam in vna abſolutione , quia tunc tranſiret medium rectæ rationis , & totalem latitudinem medij iuſtæ pœnitentiæ. Vnde diſtinguendum eſt de *quanto* ſecundùm quantitatem & proportionem.

Ad aliam partem illius argumenti , cùm arguitur , quòd tunc teneretur obedire erranti, & indiſcretas pœnitentias imponenti : Dico quòd vbi manifeſtum eſt quòd clauis errat imponendo alicui pœnam immoderatam , & indiſcretam, poſſet ille,cui talis pœnitentia imponitur , adire alium iudicem diſcretiorem,& eius poteſtati ſe ſubmittere , & pœnam ab eo diſcretè taxatam facere , nihil explicando de illa, quam alius ſibi impoſuit. *Quando clauis errat,non tenetur reus obedire.*

Ad ſecũdum. Ad ſecundum de Ioan.20. *Quorum remiſeritis*, &c. Dico quòd Sacerdos habet auctoritatem plenam ligandi ſubditum , & ſoluendi ipſum à culpa , ſicut patet ex dictis priùs.

32. *Ad primam rationem in oppoſitum.* Ad primum in oppoſitum , cùm dicitur quòd remiſſio culpæ , & pœnæ æternæ eſt tantùm à Deo,verum eſt principaliter,non tamen miniſterialiter : clauis autem tantùm ſe extendit ad pœnam temporalem, in quam cōmutauit pœnam æternam peccato debitam, & dat gratiam , ſicut diſpoſitio immediatè neceſſitans ad eam. Si autem non inuenit culpam clauis abſolutionis , tunc auget gratiam priùs habitam , & meritum confitentis.

Ad ſecundã- Ad aliud de Auguſtino ſuper illud Pſalm. *Dixi, confitebor aduerſum me* , dico ſicut dictum eſt. Nam ſimile eſt de Baptiſmo , & Pœnitentia quantùm ad remiſſionem culpæ & infuſionem gratiæ. Baptiſmus enim fluminis auget meritum & gratiam baptizati Baptiſmo flaminis. In quo autem non inuenit gratiam , ſi ſuſcipiens non ſit fictus , confert eam. Eodem modo dicendum eſt de Pœnitentia , quæ eſt ſecunda tabula poſt naufragium , quòd quando inuenit gratiam , auget eam , quando non , confert eam: *Pœnitentia ſicut & Baptiſmus aliquando primam gratiã, aliquando ſecundam confert.*

DISTINCTIO XX.

De ſera pœnitentia.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm pœnitentia in extremis valeat ad ſalutem?

Alenſ. 4 *p.q.*157 *m.*2.*&* *q.*70.*num.*2.*&* 3. D.Thom.*hic art.*1.*q.*1.*&* 3.*p. q.*86.*art.*1. Richard,*art.*1.*q.*1. Sotus *d.*15.*q.*1.*art.*2.*&* 2.*de natura & gratia c.*8. Veg *l*13. *c.*12 *&* 15.

I RCA Diſtinctionem vigeſimam, de pœnitentia ſerotina , & confeſſione in extremis , quæro, Vtrùm talis pœnitentia valeat ad ſalutem ? Quòd non. Auguſtinus, & ponitur in littera. *Si quis poſitus , in vltimæ neceſſitate , voluerit pœnitentiam accipere; fateor vobis quòd negare illi non debemus quod petit ; ſed non præſumimus quod benè hinc exit.* 1. *Arg. primum negatiuum.* Aug. l. 50. hom.41.

Idem , de vera & falſa pœnitentia , *Periculoſiſſimum eſt , & interitui vicinum , ad mortem pertrahere pœnitentia remedium*;& ponuntur hæ, & multæ auctoritates in litera , è quibus omnibus arguitur ſic:Quicumque ex certa ſcientia exponit ſe periculo damnationis æternæ, & interitui ſalutis ſuæ, peccat mortaliter in ſic exponendo ſe ; ſed talis qui expectat vſque ad extremum vitæ ſuæ ſuſcipere Sacramentum pœnitentiæ , & confiteri de peccatis, exponit ſe periculo, quia dicit Auguſtinus in ſermone de Innocentibus:*Hac animaduerſione concutitur peccator,vt dum moriens obliuiſcatur ſui, qui dum viueret oblitus eſt Dei.*Igitur. *Secundum.* Aug.

Item, Auguſtinus ſuper illud Eccleſiaſt. 17. *Viuus & ſanus confiteberis ; Age pœnitentiam dum es ſanus;ſi tantùm ſic agis , dico quòd ſecurus es,quia pœnitentiam egiſti eo tempore, quo peccare potuiſti. Si enim vis facere pœnitentiam quando peccare non potes,ipſa te peccata dimiſerunt , non tu illa.*Pœnitentia autem non eſt meritoria,niſi ſit voluntaria, & voluntariè peccata dimittat. *Tertium.*

Item,illud non eſt ordinandum pro lege ab aliquo legislatore, quod eſt occaſio tranſgrediendi legem; ſed pœnitentiam finalem in extremis eſſe ſalubrem ad ſalutem , eſt occaſio tranſgrediendi legem Dei , quia eſt occaſio peccandi , & permanendi in peccato vſque ad extremum vitæ. Igitur. *Quartum.*

Item,nulli de lege communi dimittitur peccatum , niſi per aliquam pœnam temporalem *Quintum.*

reforman

reformantem peccatum, & ordinantem illud per pœnitentiam ſibi impoſitam,& expletam, quia pœna æterna commutatur in temporalẽ; ſed pœnitenti, & confitenti in extremis non poteſt aliqua talis pœna imponi,quia non amplius eſt viator, vt poſſit eam implere; igitur non poteſt condignè pœnitere.

Solutioni occurritur. Si dicas quòd poteſt ei imponi pœna Purgatorij pro condigna,& ibi implebit eam.

Contrà,ſicut in gratia morientes ſtatim ſunt in termino,& ſaluabuntur,ſic moriens in peccato mortali ſtatim damnatur, & deſcendit in infernum: *In inferno autem nulla eſt redemptio* peccati mortalis per quamcunque pœnam. Igitur.

Ratio ad opp. Contrà, Auguſtinus de vera & falſa pœnit. cap.17. & ponitur in litera. *Pœnitentia etſi in extremo hiatu vitæ aduenerit, ſanat, & liberat. multum ſera fuit latronis pœnitentia, ſed non fuit* Ezech. 18. & 33. *ſera indulgentia, quia dicit Dominus per Prophetam,quacumque hora ingemuerit peccator,vita viuet,& non morietur, quia non vult Deus mortem peccatoris,ſed vt conuertatur & viuat.*

SCHOLIVM.

Primum dictum. Si habetur vera pœnitentia in extremis, quod poſſibile eſt,valet. *Ita communis,& videtur haberi ex Laternen. cap.* firmiter.*& Trid.ſeſſ 6.cap.4.Secundum,* difficillimum eſt ex parte hominis, habere veram pœnitentiam in extremis:*pro quo adducit quatuor rationes verè tremendas. Tertium*, rariſſimum eſt Deum dare gratiam iuſtificantem in extremis, quia regulariter ſine diſpoſitione non dat, & rariſſimum eſt tunc poni veram diſpoſitionem pœnitentiæ, eo vſque dilatæ. *Quartum*, Monendi omnes ne expectent pœnitere in extremis,& ſi in extremis ſint, conſolandi, & animandi ſunt,ne deſperent.

2. AD quæſtionem illam dico, quòd hîc ſunt duæ veritates certæ ex Scriptura, ſcilicet quòd in extremis poſſibilis eſt vera pœnitentia haberi ab aliquo,& quandoque eſt fructuoſa.Aliud verum eſt, quòd in extremis difficilius eſt habere veram pœnitentiam, quàm aliàs, quia homines tunc rariſſimè eam ſuſcipiunt,quia Deus rarò, & in minori parte infundit gratiam tunc temporis. & de iſtis duobus eſt tota iſta diſtinctio.

3. *Probatur primum. Dei opus ſpeciale eſt inſuperare pœnitentiam fructuoſam.* Primum verum patet per Auguſtinum, & Magiſtrum in litera. Deus enim poteſt iuſtificare peccatorem dando ei gratiam, & remittendo culpam cum Sacramento Pœnitentiæ, vel cum contritione habita per ſe in extremis quantum eſt ex parte eius,per pœnitentiæ virtutem, quæ poteſt ſufficere ad ſalutem ſine confeſſione, vt patuit priùs, quia poteſt contritionem,& primam gratiam cui, & quando voluerit, ſine ſuſceptione Sacramenti infundere, & tunc pœnitentia, & diſplicentia de peccatis eſſet vtilis, & fructuoſa, licèt ſit ſera.

4. *Probatur ſecundum primò. Quando dicitur aliquis in extremis.* Secundum probo, quòd difficile ſit tunc vnam,vel alteram pœnitentiam habere,& rariſſimè hoc accidit hominibus, quantùm eſt ex parte eorum.Tunc enim dicitur aliquis eſſe in extremis,non quando habet tertianam, vel aliquam febrem lentam,vel leuem, de quibus eſt probabilis ſpes conualeſcentiæ futuræ,ſed quando imminet ſibi mors, vel periculũ mortis ex infirmitate, vel timore, vel ſi vulneraretur ad mortem, vel ſi haberet aliquam infirmitatem, de qua ſimiliter non poſſet euadere. Similiter ſi ſtatim ſubiiceretur, vel haberet gladium ſuper caput ſuum vt interficeretur.In his caſibus difficile eſt habere pœnitentiam veram.Ita enim appetitus ſenſitiuus,& omnes ſenſus, & membra ſunt occupata vehementibus paſſionibus dolorum, & timorum, quòd omninò impediunt intellectum & voluntatem agere,& velle ſecundùm rectam rationem: & propter naturalem ordinem potentiarum illarum ad alias non ſinunt illæ paſſiones vehementes penitus intellectum & voluntatem occupari in aliis quàm in iſtis. Patet de multis Martyribus,qui ita graues pœnas,& paſſiones ſuſtinuerunt propter Deum, quæ natura ſua auerterũt eos omninò ab vſu rationis,& mortui ſunt in vehementia earum; & per conſequans intellectus,& voluntas hominis ſic grauata in nullo naturaliter occupantur, niſi in paſſionibus illis exiſtentibus in parte ſenſitiua.Patet,quia delectatio intellectus,& voluntatis naturaliter eſt maxima de maximo delectabili parti ſenſitiuæ. Et ideò difficillimum eſt habere tunc contritionem,& diſplicentiam de peccato, inquantùm offenſiuum Dei; quia talis diſplicentia, & deteſtatio peccati neceſſariò requirit liberum vſum intellectus,& voluntatis,quem tunc non adeò facilè poteſt habere peccator,imò poteſt infirmitas eſſe tanta, vel tantus timor etiam,quòd ſtatim moriatur, antequam eueniat quod timetur.Si autem non impediant totaliter vſum rationis,& voluntatis,temporales pœnę,nec per conſequens contritionem, & diſplicentiam debitam pro peccato; ſunt tamen ita imperfecti actus earum, quòd non ſufficiunt ad veram pœnitentiam.

Vſum rationis timor & dolor impediũt.

5. *Alia ratio quare pœnitentia in extremis ſit ſpecta.* Præterea,diſplicentia, & deteſtatio peccati, quæ eſt eſſentialiter pœna interior, ad hoc quòd ſit debita,& meritoria;& per conſequens ſufficiens ad ſalutem, oportet quòd determinetur certis circumſtantiis,& maximè circumſtantia finis, vt ſcilicet ideò doleat, quia peccatum ſuum eſt offenſiuum Dei, & diuiſiuum ab amore eius, propter quem amorem Dei recuperandum punit in ſe peccatum per talem diſplicentiam,quod fuit contra illum, & non ideò doleat, quòd timet pœnam æternam, & iudicium extremum. Sed tunc difficillimum eſt ſibi habere talem diſplicentiam, vel pœnitentiam,& dolorem interiorem propter amorem Dei,quia tantùm tunc ſollicitatur de pœnis,quas habet, & quas timet ex iuſto Dei iudicio infligendas, quòd non poſſit perfectiùs pœnitere;igitur, &c. Hanc & priorem rationem tangit Auguſtinus in litera. *Iudicem enim non timere,ſed Iudicem diligere oportet, quia ſine charitate & dilectione nemo poteſt ſaluus eſſe.*

Pœnitentia difficillimè poteſt eſſe benè circumſtantionata in extremum dilata.

An dolor,vel timor ſine amore deleat peccata.

Præterea tertia difficultas, quare talis non poteſt fructuosè pœnitere, eſt ex cauſa,ex qua innaſcitur timor,& dolor eius de peccato,quia ex morte & pœna æterna ſimpliciter nolita; quæ cauſa eſt inuoluntaria,& contrarium eius magis voluntarium. Patet de proiiciente merces in mare propter timorem ſubmerſionis, quam ſi non timeret,non proiiceret merces in mare, quia retinere merces ſimpliciter ſibi

6. *Tertiò.*

eſſet

eſſet voluntarium, ſcilicet aliàs, quando non timeret, & modò eas deſerere eſt inuoluntarium ſimpliciter ſecundùm ſe, ſed aliunde ſit neceſſarium, vt ſcilicet euadat mortem, quia vniuerſaliter per habitum timoris vehementer inclinatur voluntas ad oppoſitum eius quod timetur ſecundùm electionem intrinſecam, & operationem extrinſecam; ſed Deus non facilè admittit, neque grataner acceptat munus oblatum ſeruiliter, & non ex mera, & libera electione. Igitur, &c.

7. *Quartò. Maior contritio requiritur in infirmo, quàm in ſano.* Huic addo, quòd ſi aliquis deberet de congruo ſe diſponere ad pœnitentiam formatam; & acceptam Deo in ianuis mortis, quòd oporteret eum habere maiorem diſplicentiam de peccato, & intenſiorem motum voluntatis in Deum, quàm alius ſanus, quia actus eius non poteſt eſſe ita liber, & voluntarius ſicut ſani, cùm neceſſariò timeat mortem, & pœnam æternam; igitur in illo requiritur maior diſplicentia quàm in ſano, quod non contingit communiter.

Satisfacit obiectioni. Et ſi obiicis de latrone, quòd pœnitentia eius fuit ſera, & non libera, & tamen fructuoſa; Dico quòd hoc fuit ex indulgentia, & priuilegio ſpeciali, & quaſi miraculosè factum à Deo; quia præter communem curſum, & diſpoſitionem. In hominibus autem illa, quæ rarò fiunt, & præter communem curſum, & tantùm aliquando conceſſa, non ſunt habenda in conſequentiam, & conſuetudinem communem, quia exponens ſe illi periculo, peccat mortaliter.

Rariſſimè datur perfecta pœnitentia in extremis.

Duo corollaria. Ex dictis ſequuntur duo breuia corollaria. Primum, quòd cõſulendus eſt quilibet, vt pœniteat, & doleat de peccatis antequam veniat in talem dolorem, vel periculum. Secundum, quòd ſi aliquis in extremis, & in fine vitæ tantùm pœniteat, quòd non deſperet.

8. *Ad arg. primum principale.* Ad primum argumentum principale, cùm dicit Auguſtinus, *non præſumimus*, &c. Reſpondeo quòd præſumptio eſt de tali, quòd non ſaluatur, quia præſumptio eſt quòd non ſufficienter pœniteat, propter multa retrahentia, quæ priùs dixi. Tum, quia ſi daretur ei gratia, non poſſet benè vti ea, ſicut priùs. Tum, quia rara. Non tamen dicit Auguſtinus quòd ſaluabitur abſolutè, neque quòd damnabitur, quia tanta gratia poteſt ei dari, quòd poteſt meritoriè, & ſufficienter pœnitere, vt quòd magis doleat, quia offendit Deum, quàm quòd iret in infernum.

Ad ſecũdum. Ad aliud, cùm dicitur, qui exponit ſe periculo contrario ſaluti ſuæ, peccat mortaliter; Dico, qui ex certa ſcientia ſtatuit in corde ſuo non velle pœnitere de adulterio commiſſo, vel quocumque alio peccato mortali, vſque in finem vitæ ſuæ, peccat nouo peccato mortali, quia exponit ſe periculo contrario ſaluti ſuæ, quia neſcit an tunc habebit pœnitentiam de eis, an non; & veriſimiliter poteſt cogitare quòd non, quia non eſt dignus vt Deus tunc faciat nouum miraculum pro eo, dando ſibi gratiam, *quia Deus peccatores non audit*, vt dicitur Ioan. 9. Quotieſcunque enim cum plena deliberatione proponit non dimittere peccatum vſque ad tale tempus extremum, toties ſe exponit periculo, & peccato etiam nouo, manens ſub antiquo.

Qui ſtatuit non pœnitere vſque ad extremum vitæ, peccat mortaliter.

Ad tertium. Ad aliud, cùm dicit Auguſtinus. Ipſe non dimittit tunc peccatum, ſed è conuerſo, nec etiam pœnitentia eſt fructuoſa. Dico quòd quamdiu homo eſt compos ſui, exiſtens viator, & habet vſum liberi arbitrij, tamdiu poteſt peccare peccato interiori in illicitis complacendo, & delectando in eis, etiam iſta peccata interiora nunquam dimittunt te, niſi tu dimittas ea per deteſtationem, & nolitionem eorum. Auguſtinus autem intelligit de peccatis extrinſecis, vt luxuria, ira, & huiuſmodi, in quibus non poteſt ſe tunc propter debilitatem interiorem potentiæ occupare, & ita dimittunt eum quodammodo, quia præſumptio eſt quòd tunc ſicut aliàs, ſi poſſet ſe in illis occuparet; ipſe tamen ſecundùm veritatem dimittit ea, ſi ſibi diſpliceant, dolendo ea vnquam ab eo fuiſſe perpetrata; nec etiam modò hoc faceret, ſi poſſet, ſed exequeretur in ſe iuſtitiam punitiuam pro eis, ſi daretur ei ſpatium vlteriùs ad viuendum, & ſic haberet veram pœnitentiæ virtutem, genitam in eo ex talibus examinationibus multis puniendi.

Aug. loquitur de peccatis exterioribus.

9. *Ad quartũ.* Ad aliud de occaſione peccati, dico quòd occaſio peccandi data à lege non debet ſtatui à legiſlatore iuſto, quia tunc ſtatim ſequeretur quòd lex iniuſta eſſet, & mala, ſed quòd occaſio peccandi accepta à lege, non data, ex malitia abutentis ea, benè poteſt ſtatui, nec debet propter malos, & abutentes ea prætermitti, maximè ſi inde proueniat maius bonum, quàm ſit malum, quod occaſione eius committitur. Pœnitentia autem extrema ex hoc quòd eſt ſalubris, & vtilis ad ſalutem alicui, non dat occaſionem peccandi, vſque ad illud tempus, ſed magis benè faciendi, quia in extremis communiter non habetur pœnitentia vera, & ideò dat occaſionem priùs benè faciendi, & ceſſandi; ſi tamen tunc habetur, fructuoſa eſt, & bona, quia prouidet periculo damnationis illorum, qui ſunt in extremis, & in hoc apparet miſericordia Dei maxima, & bonitas ad electos ſuos, quia nunquam eos relinquit ſine aliquo remedio ad ſalutem. Prouenit etiam ex ea maius bonum, quando habetur iuſtificatio peccatoris, quàm ſit totum malum occaſione eius. Si enim, quia eſt occaſio peccandi accepta, non eſſet ordinanda, nec ſtatuenda in aliqua Congregatione, ſequeretur quòd pœnitentia abſolutè non deberet ſtatui ab aliquo, quia quantumcunque homo cadat à prima gratia, & in peccata defluat, ſemper valet ſibi pœnitentia ad ſalutem, ſi conuertatur per eam. Sed, per te, ſemel abſolutus à peccatis, & poſtea recidiuãs, nunquam debet iterum abſolui; quod nihil eſt.

Quomodo pœnitẽtia ſecurina eſt ſalutifera, nec dat occaſionem peccãdi.

Ad aliud, cùm dicitur quòd nulli dimittitur peccatum, niſi impoſita ei pœnitentia tẽporali; dico quòd verum eſt de hîc, vel aliàs, & alibi perſoluenda, & non exiſtenti in extremo, qui non poteſt facere aliquam pœnitentiam temporalem, quia ſtatim moritur, ſed debet dici ei à Sacerdote abſoluente eum, talem & talem pœnam deberes gratanter, & voluntariè facere pro peccatis tuis, ſi viueres; ſed ex quo non poteris hîc ſatisfacere, ſatisfacies in Purgatorio, & non paueas in aliquo, quia Deus miſericors eſt. talia conſolatoria debent ei dici, ne deſperet.

Ad quintũ.

Non eſt imponenda pœnitentia in extremis conſitenti.

Ad vltimum, dico quòd non eſt ſimile in vtroque, quia moriens in peccato, nihil habet

Ad vlt.

retarda

retardatiuum eius, quin ſtatim ſit in Inferno: ſed ſic pœnitens non ſtatim eſt in cœlo, quia pœna condigna peccato nondum ſoluta retardat eũ à gloria, quouſque totaliter perſoluatur.

DISTINCTIO XXI.

De ſtatu poſt mortem.

QVÆSTIO I.

Vtrùm poſt hanc vitam poſſit aliquod peccatum remitti?

Alenſis *q.*124.*m.* 9. D.Thom. 1.2.*q.*87. *a.* 5. & 3.*p.q.*87. *art* vlt. & *hic q.*1.*a.*1.D.Bonau.1.*q.*1. & 2.*d.*42.*a.*2. Richard.*d.*22.*q.*3.Suarez *tom.*4 *d.*11 *ſ.*2.

1. *Arg primum negatiuum.*

ARGA Diſtinctionem 21. quæro, *Vtrùm poſt hanc vitam poſſit aliquod peccatum remitti?*

Quod non, quia nullus iuſtus poteſt poſt hanc vitam peccare, quia eſt tunc in termino; ergo nec malus reſurgere à peccato. Conſequentia patet, quia qua ratione poſſet ille pro peccato ſuo ſatisfacere, poſſet alius mereri, quod eſt falſum.

Secundum. Item, poſt hanc vitam non poteſt aliquod peccatum mortale remitti; igitur nec veniale. Conſequentia patet, quia ſunt eiuſdem rationis, quia vtrumque eſt malum, & peccatum, & non differũt niſi ſecundùm magis & minùs.

Tertium: Damaſ. Item, Damaſcenus lib.2. cap.4. *Quod eſt in Angelis caſus, eſt in hominibus mors*: ſed caſus eſt irremiſſibilis Angelis; ergo & peccatum hominis poſt mortem.

Quartum. Item, per minimam pœnam aliquod peccatum dimittitur, vt per aſperſionem aquæ benedictæ, vel huiuſmodi, ſi voluntaria ſit; igitur per maximam pœnam, vel totalem, ſi ſit voluntaria, poſſunt omnia peccata dimitti: talis autem pœna eſt mors, ſi voluntariè ſit aſſumpta, & patitur; igitur poſt mortem nullum aliud peccatum remittetur per aliquam aliã pœnam.

Occurritur reſponſioni. Si dicas, quòd mors eſt inflicta pœna pro peccato originali, & ideò non poteſt ſatisfacere pro aliquo peccato actuali. Contrà, in Baptiſmo dimiſſum eſt omne peccatum non tantùm actuale, ſed etiam originale, quia eſt remedium principaliter inſtitutum contra illud: igitur in morte patienter, & voluntariè aſſumpta pro peccatis remittitur omnis culpa.

Ratio ad oppoſitum. Contra. De peccatis in Spiritum ſanctum dicitur quòd non remittuntur nec in hoc ſæculo, nec in futuro; igitur ex hoc poteſt haberi, quòd aliqua peccata remittuntur hîc, & aliqua ibi.

SCHOLIVM I.

*Sententia Alenſ. veniali ex ſe deberi pœnam æternam; ſed per accidens temporalem. D.Thom. & D.Bonau. è contra tenent. Refutatur primò, quia ſic ſimul eſſet debitum pœnæ æternæ, & gloriæ æternæ. Secundò, debitum pœnæ æternæ excludit debitum viſionis Dei. Tertiò, mortale non excederet improportionabiliter veniale. Hîc ponit viam, quæ magis placet, nempe in inſtanti mortis tolli culpas veniales manente obligatione ad pœnam earum; per quod patet, quòd diſtinguit culpam habitualem ab obligatione ad pœnam. De quo ſup. d.*14.*q.*1.*a.*1.

2. *Peccatũ aliquod quoad culpã & pœnam tollitur poſt mortem.*

IN iſta quæſtione concluſio eſt certa, quòd peccatum aliquod poteſt dimitti poſt mortem, non tantùm quantùm ad pœnam, quia ſcilicet pœna illi peccato debita, non fuit hîc ſoluta, ſed etiam quantùm ad culpam in ſe. Probatio iſtius: nullus ſaluabitur cum aliquo peccato: ſed exiſtens cum aliquo peccato veniali poteſt dormire, & dormiendo mori; & ſimiliter poteſt aliquis venialiter peccare vſque ad vltimum inſtans, quo anima egreditur à corpore. Conſtat autem quòd ſic morienti nunquam fuit dimiſſum hoc peccatum veniale; igitur vel intraret gloriam ſine remiſſione culpæ talis venialis, vel ibi remittetur ei.

Sed quæ eſt illa pœna, quæ debetur alicui pro peccato veniali?

Quæ pœna debetur veniali?

Hîc dicitur quòd peccato veniali ſecundùm ſe debeatur pœna æterna, quia ita damnatus eſt perpetuò, & æternaliter pro peccato veniali, ſicut pro mortali. Conſtat enim quòd aliqua pœna punietur pro peccato veniali. Si æterna, habeo propoſitum, quòd ſibi ſecundùm ſe correſpondeat pœna æterna. Si pœna temporalis, igitur quandoque eſſet tale peccatum in Inferno per pœnam temporalem totaliter remiſſum, quod eſt falſum, *quia in Inferno nulla eſt redemptio.* Sed quando coniungitur cum gratia & charitate, ſicut eſt in propoſito, tunc per accidens debetur ſibi pœna temporalis, inquantùm coniungitur ei, cui reſpondet lætitia ſempiterna, & ita eſt ex gratia, & charitate, quæ per ſe acceptatur, & concomitanter veniale remittitur.

Opinio prima eſt Alenſ.

3. *Secunda opinio D.Thom. & Bonau. Refutatio opinionis Alenſ. & probatio prima ſecundæ opinionis.*

Alia eſt opinio huic ſimpliciter oppoſita, quæ dicit quòd veniali peccato ſecundùm ſe tantùm debetur pœna temporalis: & probat, quia nullus ſimul dignus eſt vita æterna, & obligatus ad pœnam æternam; ſed talis moriẽs in charitate, & cum peccato veniali, pro quo priùs non ſatisfecit, ratione charitatis, & gratiæ, in qua deceſſit, fuit acceptus Deo, & dignus vita æterna, & per re ratione peccati venialis debetur ei pœna æterna, quia ratione illius per ſe remanet obligatus ad pœnam æternam; ergo ſimiliter erit obligatus ad pœnam æternã de iuſtitia Dei ordinata, & dignus vita æterna de iuſtitia ordinata, quod eſt falſum. Probatio maioris. impoſſibile eſt quòd aliquis ſimul in eodem inſtanti poſſet de potentia Dei ordinata eſſe dignus vita æterna, vel in gratia, & obligatus ad pœnam peccati mortalis, quia peccatum mortale poſt actum nihil eſt, niſi quædam obligatio ad pœnam æternam ſibi debitam, & ſi hæc obligatio poſſit ſimul ſtare cum gratia, ſequitur quòd peccatũ poſſit de potentia Dei ordinata ſtare cũ gratia, & ita poſſet aliquis ſimul eſſe Dei amicus, & inimicus.

De potentia Dei ordinaria nõ poteſt ſtare ſimul aliquẽ eſſe obligatũ ad pœnam æternam & iuſtum.

4. *Secunda.*

Item, nulla pœna poteſt ſtare cum beatitudine perfecta, quia *beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, vbi deeſt omne malum, & adeſt omne bonum*, ſecundùm Boëtiũ, & Auguſtinum. Sed ille ratione gratiæ, quam habuit, eſt dignus gratia, & gloria beatifica; & ratione peccati obligatus ad pœnam æternam; nullus autẽ pro illo tempore, pro quo eſt

Boët. 3. de conſ. proſ.2. Aug 13. de Trin.c.5.

debitor

debitor pœnæ æternæ poteſt habere beatitudinem, nec per ſe, nec per accidẽs, & tale debitum ad mortem æternã eſt peccatũ mortale, & peccatum mortale non poteſt ſtare cum beatitudine, niſi mors æterna ſtet cum vita æterna; igitur.

Cum beatitudine non poteſt ſtare debitum pœnæ æternæ nec per accidens. Tertia.

Item, pœnæ debẽt eſſe proportionabiles peccatis; vt maiori peccato correſpondeat maior pœna; ſed peccatũ mortale, & veniale ſũt improportionabilia, quia infinita peccata venialia non æquarent vnum peccatum mortale, ſicut nec infinitæ lineæ vnam ſubſtantiam; igitur & pœnæ ſunt improportionabiles, vel deberẽt eſſe tales, non tantùm intenſiuè, ſed etiam extenſiuè, & vtraque pœna eſt finita; ſed ſi pœna vtrique debita eſſet pœna æterna, iam eſſent proportionabiles extenſiuè, quod eſt abſurdum.

Pœna mortalis improportionaliter excedit pœnã venialis.

Quarta. Carentia & priuatio non recipit magis & minus.

Item, eſſentialis pœna damnatorũ nõ eſt pœna ſenſus, ſed pœna damni, & carentia viſionis, & fruitionis diuinæ, in quibus cõſiſteret eorũ eſſentialis beatitudo, ſi non eſſent mali, & damnati; ſed carentia & priuatio non recipit magis & minùs, quia omnis carentia & priuatio ratione, qua tales, ſunt ſimpliciter, & totaliter tales, quia cæcitas non plus dicit in oculo, quàm in lapide ratione ſui, ſed tantùm ratione ſubiecti, ſicut qui non videt, nihil videt; igitur cùm talis carentia debeatur peccato veniali, ſicut mortali, igitur & æterna damnatio; quia non poſſet aliquis damnari cum oppoſita viſione Dei, ſequitur quòd pœna eſſentialis debita peccato mortali & veniali ſit æqualis; ſed carentia viſionis Dei eſt eſſentialis pœna peccati mortalis; igitur ſi hæc infligi debet pro peccato veniali, æqualis pœna eſſentialis debetur vtrique, quod eſt impoſſibile.

5. Quomodo remittitur peccatum veniale quoad pœnam & culpam, & quomodo mortale.

Secundùm iſtam viam facile eſt videre quando remittitur peccatum veniale, quia quantùm ad maculam deletur in vita per pœnitentiam, & abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis. & remanet pœna temporalis pro illo poſtea in Purgatorio ſoluenda. Et eodem modo remittitur peccatum mortale quantùm ad vitium, & maculam, in abſolutione, & commutatur ei pœna æterna in temporalem ſoluendam in Purgatorio, ſi hîc eam non ſoluat: ſed dimiſſo peccato mortali, non propterea deletur habitus vitioſus in eo acquiſitus: ſicut nec corrupta charitate corrumpitur habitus virtuoſus acquiſitus, & generatus in eo ex ſimilibus actibus: & ex tali habitu multùm eſt inclinatus ad ſimiles actus actui charitatis, etſi non habeat eam. Et ſimiliter eſt de habitu vitioſo, qui generatur ex actibus peccati, quod inclinat ad ſimiles actus, etiamſi peccatum non inſit, ſed ſimpliciter remittatur, quia non eſt idem eſſe peccatorem, & iuſtum; & virtuoſum, & vitioſum. In alia autem vita nec dimittitur peccatum mortale quantùm ad maculam, nec quantùm ad pœnam; non quantùm ad maculam, quia ipſa eſt eſſentialiter obligatio ad pœnam æternam, & illa ſemper manet, & per conſequens & pœna: lignum enim vbi ceciderit, ibi erit, ſiue in bonum, ſiue in malum.

6. Solutio D. Thom ad fundamentũ Alenſ.

Per hoc poteſt dici ad argumentum primæ poſitionis, quòd licèt peccato veniali inquantùm coniungitur cum peccato mortali, debeatur pœna æterna, & ita quaſi per accidens, quia ratione alterius, quod ex ſe debet æternaliter puniri, tamen ex ratione ſua propria non debetur ei niſi tantùm pœna temporalis.

Reiicitur.

Sed contrà: peccato mortali in non damnato, vt in viatore, nõ debetur pœna æterna, ſed temporalis, quia æterna pœna virtute ſacramentalis abſolutionis commutatur in temporalem, & pœna tempralis debetur ſimiliter peccato veniali; igitur pœnæ illorũ ſunt proportionabiles, quantùm ſcilicet ad executionem. Similiter pœna æterna correſpondens veniali coniuncto cũ mortali in damnato æquabitur pœnæ mortalis peccati, ſaltem ſecundùm extenſionem.

SCHOLIVM II.

Tenet Doctor, veniali nec per ſe, nec per accidens reſpondere pœnam æternam; quòd non per ſe, probant rationes allatæ contra Alenſ. quòd non per accidens, patet, quia Deus non excedit pœnam per ſe correſpondentem, ob aliquod annexum, cùm puniat citra condignũ. Finitur ergo in inferno pœna venialis culpæ, ſicut & pœna pro peccato mortali, hîc remiſſo. vt tenet D. Thom. hic q. 1. art. 1, ad 5. Vide in Oxon, ſcholium hic ad n. 6. vbi multi ad hoc citantur. an verò culpa venialis tollatur in inferno, necne, in certum eſt; alij affirmant, alij negant.

REſpondeo igitur aliter, quòd peccato veniali, nec in damnato, vel nõ damnato, debetur pœna æterna, nec per ſe, nec per accidens, vel concomitanter, ſed tãtùm pœna temporalis, quæ aliquo tempore minori ſoluetur in Inferno, vel in Purgatorio, vel in hora, vel die. Et cùm dicis quòd non, *quia in inferno nulla eſt redemptio*, vel remiſſio, verum eſt quantùm ad pœnam peccati mortalis, quia peccatum mortale eſt obligatio ad talem pœnam; ſed peccatum veniale verè poteſt ibi deleri, quantùm ad pœnam, per ſolutionem alicuius temporalis pœnæ; quæ parum durabit, nec eſt inconueniens; nam aliquis abſolutus de aliquo peccato mortali, & punitus pro eo aliqualiter in vita ſua faciendo pœnitentiam, & ſatisfactionem ſibi iniunctam à Sacerdote, & poſt recidiuans in peccatum mortale, & moriens in illo, punietur tantùm temporaliter pro peccato, de quo fuit priùs abſolutus, & contritus, in Inferno complendo totam pœnitentiam ſibi iniunctam, quam morte interueniente non potuit hîc complere, & non punietur in Inferno pro illo peccato, de quo fuit abſolutus, & partim punitus æternaliter, quia non redit aliqua noua obligatio ad pœnam pro peccatis priùs abſolutis, & dimiſſis per ſatisfactionem pœnitentiæ temporalis, quia *Deus non punit bis in idipſum*. Priùs autẽ erat obligatus tantùm ad ſolutionem pœnæ temporalis; igitur ad illam tantùm tenetur complendam, etiam in Inferno. Remanet autem obligatus ad pœnam æternam pro illo peccato mortali, in quo deceſſit, & pro illo æternaliter punietur.

7. Pœna debita veniali finitur & ſoluitur in inferno.

Ad fundamẽtum Alenſ.

Quando & quomodo ſoluatur in inferno pœna debita mortali hîc remiſſa.

Sed ſecundùm aliam viam oporteret dicere quòd quando dimittitur peccatum veniale per abſolutionem ſacramẽtalem commutatur virtute clauium pœna æterna in temporalem, ſicut de peccato mortali, & tunc reatus æternus tranſit in temporalem, quãdo tale peccatum remittitur. Sed iſtud non video eſſe verum, vt dixi, quia tũc eſſet æqualis pœna determinata peccato veniali, & peccato mortali.

8. Hæc reſponſio non placet.

Præterea, ſi interrogatur quando, & vbi hæc remiſſio culpæ venialis, & commutatio pœnæ æternæ in temporalem facta eſt? Reſpondere videtur nihil ad propoſitum.

Ego autem non video qualiter ſecundùm illã viam meliùs poſſet dici, quàm illo modo, quòd

9.

Peccatum venale non ſol. in remittitur per abſolutionem & actum pœnitentiæ, ſed etiam per aliud opus bonum.

peccatum veniale non tantùm remittitur per actum pœnitentiæ, vel per ſacramentalem abſolutionem, ſicut peccatum mortale; quia de illo, vt de illo, non eſt neceſſaria confeſſio, vel pœnitentia, cùm non faciat naufragiũ, ſicut mortale, quia poteſt ſtare cũ charitate; ſed remittitur alio modo per aliquod opus bonũ, & meritorium, & aliquẽ actum Deo gratũ oblatum ſibi in obſequiũ, quo magis placatur, quàm pro illo peccato offẽdatur.

Quomodo dimittitur venialis in inſtanti mortis morienti in gratia.

Dico igitur quòd in inſtãti mortis, remittantur venialia, quia cauſa, quæ poteſt habere impedimentum, & non poteſt habere impedimentum, non cauſat effectum ſuum pro illo tempore, pro quo impeditur; ſed pro alio tempore, in quo nõ impeditur; merita autem noſtra, & bona, quibus placatur Deus, nata ſunt cauſare gratiam, vel eam augmentare, quantùm eſſet in eis, niſi impedirentur, vſque ad inſtans illud, quo homo moritur, quia eſt viator, & poteſt mereri vſque tunc, & per conſequens poteſt ei gratia infundi, & culpa remitti, quia ſunt vna realis mutatio, vt priùs patuit. Impediũtur autem illa merita iuſta, & bona habere ſuum effectum vſque ad illud inſtans, quo moritur, quia ſemper concomitatur illa aliqua culpa venialis, vſque ad illud inſtans; quia omnem culpam venialem non poteſt viator effugere, licet illam, & illam, & quamlibet diuiſim; quia igitur veniale ſemper vſque ad inſtans mortis concomitatur talia opera bona, vſque ad inſtans, quo eſt impeditus effectus infuſionis gratiæ, & remiſſionis culpæ; quia tunc primò ceſſat tale impedimentum. Si enim illud impedimentum non præfuiſſet in vita, potuiſſent illa opera cauſaſſe iſtum ſuum effectum; & ideò tunc virtute omnium operum præcedentium delętur culpa venialis; & dolor mortis ſuæ poteſt ei imponi pro pœna, & ita ſecũdùm iſtam opinionem diſtinguitur remiſſio culpæ venialis peccati, à remiſſione pœnæ, & nõ tamẽ ſecũdũ aliã opinionẽ.

Nullus ex viribus naturæ poteſt euitare omnia venialia ſimul.

Prima opinio.

Confirmatur hoc, quia non ſemper augetur nobis gratia ex meritis noſtris, quæ de ſe merentur augmentum gratiæ præcedentis, quia non retribuit nobis illa ſtatim, ſed aliàs, quando magis indigemus gratia, ſed reſeruat nobis illa merita vſque ad inſtans mortis ne deficiamus in ea, non reſiſtendo fortiter tentationibus Dæmonum, & illuſionibus eorũ. Poteſt itaque Deus conſeruare merita noſtra, vt in fine vitæ, quando maximè eis indigebimus, tunc primò incipiant habere efficaciam ſuam, ad remittendum peccatum veniale, quam aliàs habuiſſent ante illud inſtans, ſi non fuiſſent per peccatum veniale concomitanter vſque ad illud inſtans impedita: vtriuſque tamen viæ difficultatem expoſuimus alibi *; & ſi nulla placet, difficile eſt inuenire aliam, per quam ſoluantur inconuenientia, quæ poſſunt afferri.

Gratia debita meritis remiſſis datur in inſtanti mortis.

* In Oxon. hîc n. 10.

10. *Ad primum principale.*

Ad primum argumentum principale, cùm arguitur quòd nullus iuſtus poteſt poſt hanc vitam peccare; igitur nec à peccato reſurgere. Dico quòd reſurrectio à peccato, vel remiſſio peccati venialis, quæ idem ſunt, poteſt intelligi dupliciter, ſecũdùm illas duas opiniones prædictas. Vno modo, quòd tantùm ſit remiſſio pœnæ poſt hanc vitam, & non culpæ; & tunc poteſt cõcedi quòd nullus poteſt reſurgere à peccato in ſe, ſed tantũ quantùm ad pœnam ſoluendã pro eo. Alio modo, vt vult ſecunda opinio, vt ſit remiſſio quãtùm ad pœnam & culpam, etiam in ſe poſt hanc vitã, non quòd poſt mortem per aliquem actum elicitũ ab anima tunc remittatur eius culpa, ſicut nec tunc poteſt peccare venialiter, cũ ſit in termino, & nõ viator, ſed tantũ virtute meritorũ præcedentium poteſt tunc vtrumque remitti, & tunc conſequẽtia prima nõ valet: non poteſt tũc peccare; igitur nec tunc à peccato reſurgere, quia nõ eſt ſimile, quia peccare, etiam venialiter, ſemper eſt cum aliquo actu elicito, non ſic de remiſſione eius.

Ad ſecundũ.

Ad ſecundũ cùm dicitur quòd peccatum mortale non poteſt poſt hanc vitã remitti, igitur nec veniale, cùm ſint eiuſdem rationis. Poteſt dici ſecundùm vtramque opinionem; ſecundùm primã ſic, quòd nec peccatum mortale, nec veniale remittitur poſt hanc vitam, niſi per accidens, quia quantùm eſt de ſe vtrique correſpondet pœna æterna. Secundùm ſecundam viam dicendũ quòd non eſt ſimile de peccato mortali, & veniali, quia peccatum mortale non ſtat cum bonis operibus, & gratia: quia merita omnia, quæ pertinẽt ad veritatem bonæ vitæ deſtruuntur, & tolluntur per illud; non ſic eſt de venialibus, quia ipſa ſtant cum gratia, & bonis operibus. Et ideò talia bona opera, & merita in acceptatione diuina reſeruata iſti vſque ad finem vitæ ſuæ, poſsũt ſibi valere ad delętionem omnium peccatorum venialium. Et cùm dicis quòd ſunt eiuſdem rationis. Dico quòd licèt actus peccatorum mortaliũ, & venialium ſint eiuſdem rationis in *eſſe* naturæ, non tamen in *eſſe* motis, meriti, vel demeriti; nec illæ malitiæ in ſe ſunt formaliter eiuſdem rationis, ſicut nec habitus oppoſiti.

11. *Ad tertium.*

Ad aliud de Angelis, dico quòd verũ eſt quãtùm ad meritum & demeritum, quòd idem eſt in Angelis caſus, quòd hominibus mors, & è conuerſo, ſed non ſequitur vltrà, igitur ſicut caſus Angelis eſt irremiſſibilis, ita & peccatum hominis, dico quòd non eſt ſimile, niſi concludat de peccato mortali, in quo quis moritur, quia tunc ſicut Angelus malus nõ eſt in via, ſed in termino, ſic & moriens in peccato mortali eſt in termino, & lignum aridum vbicũque ceciderit, ibi erit, ex ſtatuto diuino; moriens autem in peccato veniali non eſt in termino ſtatim, quia tunc eſſet beatus cum peccato veniali. Et ideò ad hoc quòd habeat illum terminum, oportet per aliquam viam illud deleri; deletur autem in inſtanti mortis, vel poſt, ſecundùm aliam opinionem; ſic tamen eſt talis in termino, quòd eſt ſecurus de vita æterna, & quòd vltra non poſſit mereri, vel demereri. Moriens autem in peccato veniali eſt viuens vita ſpirituali; moriens verò in peccato mortali eſt mortuus vita ſpirituali.

Secundùm veniale non attenditur ſtatus.

Ad vltimum argumẽtum.

Ad aliud, cùm dicitur quòd per maximã pœnã, quæ eſt mors, poſſunt omnia peccata venialia remitti, dico quòd, quidquid dicant alij, mors ſi voluntariè toleretur, deleret omnia peccata, venialia, & etiam fortè mortalia peccata quantùm ad eorum partialem pœnam non ſolutam. Licèt enim mors ſit pœna neceſſariò conſequens hominem, quia homo neceſſariò moritur, poteſt tamen Deus illam pœnam voluntariè acceptam, & toleratam acceptare pro multis aliis pœnis debitis tam venialibus, quam mortalibus, dummodò culpa priùs remittatur per abſolutionem ſacramentalem. Et ideò ſecurè imponenda eſſet latroni, qui ſtatim moretur pro faciore aliquo, mors ſua voluntariè ſuſtinenda pro pœna. Et credo quòd ſi fur illã voluntariè ſuſtineat, tanta poſſet eſſe illius contritio, & diſplicentia, & voluntaria, & libera electio mortis pro pœna ſibi debita, quòd ſtatim euolaret ad cœlum.

Mors voluntariè accepta ſoluit magnã partem pœnæ.

QVÆSTIO

Qvæstio II.

De ſigillo Confeſſionis.

Vtrùm Confeſſor in quocunque caſu teneatur celare peccatum, ſibi in confeſſione detectum?

Alenſ. 4 *part. quæſt. 78. memb 2. per totum* D. Thom. *in ſuppleм. quæſt. 11. art. 5. & hic quæſt. 3 art. 1.* D Bonauent. *2 part art 2 quæſt. 3.* Richard. *art. 4. quæſt. 3.* Durand. *quæſt 3.* Baſſol *quæſt. 2.* Suar. *tom. 4. diſp. 33. & 34. & alij hic citati.*

1. DE Sigillo Confeſſionis quæro: *Vtrùm Confeſſor de neceſſitate in quocunque caſu teneatur celare, & habere ſub ſecreto peccata confitentis?*

Arg. primum negatiuum, Arguitur quòd non, quia confitens poteſt renunciare ſuo iuri; igitur in illo caſu habet Confeſſor licentiam confeſſionem eius reuelandi; igitur in illo caſu nõ tenetur peccata eius celare.

Secundum, Item, Bern. de præcepto & diſpenſ. lib. 4. *abſit quòd illa, quæ propter charitatem ſunt inſtituta, debeant contra charitatem militare*; ſed in aliquo caſu eſſet contra charitatem peccatum alicuius celare, vbi reuelatio multum prodeſſet, vt ſi imminet damnum alicuius ciuitatis, vel communitatis, & nihil obeſſet; igitur.

Tertium. Item, ponitur caſus, quòd duo condicunt mortem Sacerdotis, & conueniunt quòd interficient eum in nemore, pòſt vnus conuertitur, & dolens de illa mala voluntate cõfitetur Sacerdoti eidem, quod cõdixit cũ alio: quæritur quid debet hic Sacerdos facere, ſi intret nemus, exponet ſe periculo mortis; ſi non, reuelat quodammodo cõfitentem, & peccatum eius, quia ipſe intraſſet, ſi ille non fuiſſet ſibi confeſſus, quod vt videtur, eſt minus peccatum, quàm exponere ſe morti.

2. *Quartum.* Item, Abbas ſciẽs per confeſſionem alicuius, Monachum ſuum deliquiſſe in grangia, cuius habet curam, poteſt licitè eum amouere à tali cura, quia indignè miniſtrat in illa, ſed ex ſuſpenſione, vel amotione talis ab illa, quodammodo reuelat aliis de monaſterio peccatum eius, ſaltem in generali, & reddit ipſum ſuſpectum de crimine, quia talis non fuiſſet amotus, niſi peccatum eius præſciuiſſet: igitur.

Quintum. Item, Sacerdos abſoluẽs Epiſcopum Simoniacum, non poteſt ſufficienter confiteri, niſi exprimendo circumſtantias talis peccati, & ita perſonam; igitur in iſto caſu non tenetur celare peccatum confitentis.

Sextum. Item, neceſſariũ eſt reuelare omne illud in cõfeſſione, quod eſt peccatũ, vel circumſtantia peccati, ſed ſæpe neceſſarium eſt ad peccati explicationẽ, dicere illud quod eſt aggrauãs, vel excuſãs; ſed tale eſt perſona, cũ qua aliquis peccat, igitur.

Ratio ad oppoſitum. Contrà, Magiſter in litera, & habetur *de Pœn. diſt. 6. Sacerdos, extrà de pœnit. & remiſſ. cap. Omnis vtriuſque.*

SCHOLIVM I.

Sententia Richardi celandã eſſ. confeſſionẽ, quia cõfeſſor eam reuelando mentiretur, quia diceret ſe ſcire in propria perſona, quod tantùm ſcit in perſona Dei. Reiicitur, quia Sacerdos in propria perſona, audit, & abſoluit. ſicut conficit, & baptizat, licèt poteſtatem ad hæc à Deo habeat; quia non habet poteſtatem principalem, nec excellentiæ, ſed commiſſariam communem, vel inſtrumentalem, de quo ſuprà d. 19. Deinde oſtendit manifeſtè Richard. ſibi contradicere.

HÆc eſt opinio ſolemnis Doctoris, qui dicit quòd in nullo caſu Sacerdos poteſt licitè reuelare confeſſionem, vel peccatum confeſſi, quia præceptum de celatione confeſſionis eſt negatiuum, obligans pro ſemper, & ad ſemper, niſi in vno caſu, vt quando inferior non potens abſoluere de peccato aliquo conſulit ſuperiorem de illo peccato, qui poteſt de illo abſoluere narrando ſibi peccatum, tacendo tamen perſonam cõfitentis. Nam triplici iure tenetur quilibet Sacerdos ad ſigillum ſecreti, & maximè confeſſionis, ſcilicet naturæ, & legis diuinæ, & Scripturæ, & iure poſitiuo Eccleſiæ. Quòd ſit de iure naturæ probatur ſic: Quilibet tenetur de lege naturę vitare mendaciũ pernicioſum; ſed Sacerdos reuelãs peccatum confeſſi, & dicẽs ipſum ſcire hoc peccatum, mentitur perniciosè. Probatio minoris. Aliquis loquens in perſona alterius, verè. & ſine mẽdacio poteſt aliquid aſſerere, & dicere in perſona illius, quod ſi diceret in perſona propria, mẽtiretur, & ita quod verè dicit in perſona alterius, poteſt verè negare in perſona propria, vt ille Angelus, qui loquebatur Moyſi dicens; *Ego ſum, qui ſum*, non hoc dixit in propria perſona, ſed Dei, quia ſi ſic, mentitus fuiſſet, quia nõ erat Deus; & ideò ſi hoc negaſſet de propria perſona quod affirmauit in perſona Dei, verum dixiſſet; igitur ad propoſitum Sacerdos, qui in cõfeſſione loquitur cum peccatore, & gerit vicẽ Chriſti, benè poſſet ibi dicere, ego ſcio peccata tua talia; & extra cõfeſſionem, vbi gerit vicẽ hominis, poteſt negare ſe ſcire illa peccata, quæ ſciuit in perſona Dei, quia poteſt ſecurè dicere, quòd nihil nouit de illis, vt talis in propria perſona; igitur reuelans, & dicens extra confeſſionem hoc, quod audiuit in confeſſione, mẽtitur perniciosè, quia ipſe eſt certus quòd nihil nouit niſi vt Deus, & non vt homo, & ideò reuelans extra confeſſionem, vbi loquitur vt homo, mentitur.

3. *Opinio primæ Richardi.*

Sigillum ligat iure naturæ.

Exod. 3.

Cõtrà, eiuſdem perſonæ eſt audire, & cognoſcere in cauſa, & ſententiare in ea, vt iudex arbitrarius, hoc eſt per ſe, quia nullus iudex ſententiat de ignoto, & incognito; igitur in cuius perſona aliquis audit, & cognoſcit peccata alicuius. in eius perſona arbitratur pœnã illis debitã; ſed miniſter, vt Sacerdos, in perſona miniſtri, & non Dei, arbitratur, & ſententiat in cauſa confitentis, quia abſoluit eum ſacramentaliter virtute clauium, & non principaliter; igitur vt miniſter in perſona audit, & ſcit peccata confitentis etiam extra confeſſionem, &c.

4. *Impugnatur hæc ratio Richardi primò.*

Sacerdos in propria perſona abſoluit & audit peccata.

Item, nõ magis gerit Sacerdos perſonã Chriſti hîc, quàm in ſacramẽto Euchariſtiæ, imò minùs, vt videtur, quia maior eſt poteſtas illa, quî conficit corpus Chriſti, quàm illa, qua abſoluit, quia illud ſacramentum, & effectus eius, eſt nobilior quàm hoc, & effectus eius, quia effectus illius ſacramenti eſt gratia ſubſiſtens; ſed Sacerdos cõficit in perſona hominis, & nõ Dei, ideò verè & ſine mẽdacio poteſt dicere, hodie celebraui, hodie cõfeci corpus Chriſti; igitur ſine mẽdacio poteſt dicere, hodie abſolui hominem à tali peccato, vt fornicationis. Vnde error. qui decipit iſtos, & multos, eſt, quia credũt idẽ eſſe miniſtrũ; & Vicariũ Dei, & non eſt ita; Vicarius enim Dei dicitur propriè tenere locum, & vicẽ eius: Et illo modo

Secundò.

Non minùs abſoluit Sacerdos quàm confiteir in perſona propria.

Aliud eſt eſſe Vicarium, & aliud eſſe miniſtrum Dei.

nullus propriè dicitur Vicarius alterius, niſi quia eſt ſententiator in perſona eius, & ideò dicens aliquid, quod audiuit, vt vicariè ſententians in perſona alterius in propria perſona, quando non tenet vicem eius, mentitur; non ſic eſt de miniſtro, quia ipſe poteſt aliquid dicere, vt talis, quia audiuit vt miniſter.

5. Tertiò.

Item, ſecundùm iſtum Doctorem, hîc & alibi, & alios omnes, peccata confitentis, vel confeſſi, nullo modo relata directè, vel indirectè ad perſonam eius, poſſunt aliis reuelari in communi ſine mendacio, aliàs nullus confeſſor poſſet conſulere de peccatis ei confeſſis ſapientiorem, quod eſt manifeſtè falſum. Tunc ſic, ille qui conſulit ſapientiorem quid ſit faciendum cum adultera, & neſcit aliquam mulierem eſſe adulteram, nec in confeſſione, nec extra confeſſionem, niſi illam, quam nouit adulteram per confeſſionem, & pro cuius adulterio commiſſo, & audito, quærit cõſilium, igitur illo modo dicens extra cõfeſſionẽ aliquam mulierẽ eſſe adulterã mentiretur, quod eſt manifeſtè falſum, & ipſi Doctori contrarium, nam non nouit eam alio modo eſſe adulteram, niſi per confeſſionem tantùm.

Licet dicere peccata in confeſſione audita quãdo non inde detegatur pœnitent.

Quarò.

Item, *extra, de pœn. & rem. cap. Officij*, Dominus Papa Bonifacius non reprehendit Sacerdotem reuelantem peccatum alicuius non relatum ad ipſum, nec etiam ſcripto reuelantem peccatum illo modo.

Præterea, non redarguit eum ibi Dominus Papa de mẽdacio, ſed redarguit eum, quia expreſſit perſonam mulieris, quæ ſe affectu meretricio expoſuit viro ſuo, conſulens quid ſuper illo eſſet faciendum. Arguo tunc ſicut priùs, neſciuit aliquam mulierem fuiſſe talem, niſi illam, & illam nouit talem per confeſſionem; igitur mentitus eſſet.

Solutioni occurritur.

Si dicas, quòd ille dicens hoc alteri ſapientiori, vel Prælato, quem ſuper hoc conſulit, dicit ei in eodem foro, quo dicebatur ei, quia in foro conſcientiæ, & ſicut Deo, & ideò non mentitur. Dico quòd ſicut licet ad Prælatum recurrere in illo caſu, & in illo foro, ratione conſilij quærendi, ita licet recurrere ad eum extra illud forum, & propter eandem rationem, nec non etiam licet ad quemlibet alium ſapientiorem ſic recurrere ad conſilium quærendum, & tunc vt priùs, cùm nullus poſſit aliquem conſulere, niſi proponendo ei caſum, quem nouit, & ille tantùm nouit hunc caſum per confeſſionẽ; igitur dicens ſe ſcire illud, ſuper quo petit conſilium, ſemper mentitur, quod eſt impoſſibile.

6. Ad fundamentũ Rich. & aliorum.

Ad motiuum autem eorum, cùm dicunt quòd Sacerdos audit vt in perſona Dei, & ſic nihil nouit extra confeſſionem; Reſpondeo quòd differt dicere, quòd iſte audit in perſona Chriſti exiſtens vice eius, vt Vicarius; & dicere quòd ille audit auctoritate eius, vt miniſter eius. In perſona autem Dei, vel Chriſti aliquid facere eſt aliquem actum illo modo exercere, ac ſi eſſet Deus, quod non poteſt pura creatura facere. Et illo modo, propriè loquendo, dicuntur ſimulatores aliquid facere in perſonis aliorum, quos ſimulant, inquantùm exercent actus aliquos, ſicut illi facerent, etſi non faciunt in omnibus ſimiliter, ſicut illi in omnibus, in quibus deficiunt à perfecta ſimilitudine eorum dicuntur mentiri. Vnde ſimulans aliquem loqui, vel comedere, vel cantare inquantùm deficit à perfecta ſimilitudine, & repræſentatione, dicitur mentiri; facere autem aliquid vt miniſter, non eſt aliquid facere, vt Dominus principalis faceret, vt patet de ſe, ſed eſt aliquid facere auctoritate eius. Sic agit Sacerdos in abſoluendo peccatorem, quia non ſimulat Deum, & ideò non mentiendo poteſt extra confeſſionem loqui de peccato confeſſi non reuelando perſonam confitentis. Tum, quia non nouit vt Deus, ſed vt miniſter: Tum, quia aliter Eccleſia doceret, & hortaretur eum mentiri, cùm hortetur quæri conſilium à Sapientibus, & ſuperioribus, quando cauſa eſt ardua & tranſcendens ſapientiam inquirentis; Tum, quia aliter nunquam poſſet aliquis prædicare contra vitia mortalia, poſito quòd non noſceret talia niſi per confeſſionem; quæ omnia ſunt abſurda.

In perſona alterius aliquid facere, vel dicere & auctoritate eius differũt.

SCHOLIVM II.

Probat celandam eſſe confeſſionem iure naturæ, & poſitiuo Chriſti, ac Eccleſiæ. Adducit optimas & claras rationes. Vide eum in Oxon. hîc à num. 8. Habet optimam doctrinam ad argumenta, de quibus fuſiùs videri poteſt loco citato, vbi appoſita ſunt varia ſcholia, quibus varij caſus huc ſpectantes reſoluuntur. Deinde, alterius Doctoris nomine reſoluit, quod & ipſe docet in Oxonienſi, Sacerdotem teneri ad celandum peccatum complicis, quod ex confeſſione percepit. Tertiò, ait ſtatutas eſſe pœnas reuelantibus ſecreta naturalia in rebus præſertim grauioribus. Quarò, eum, cui Confeſſarius reuelauit confeſſionem, teneri eodem vinculo ſecreti, quo Confeſſarius. Quintò, eodem ligari ſigillo, qui malitioſè vel fortuitò audit Sacerdotis confitentem.

7. Sigillum ligare iure naturæ probat Doct. primò. Matth. 7.

POno igitur ad probandum quòd ſit de lege naturæ, celare ſecretum alterius, duas rationes. Matth. 7. ponit Saluator vnam propoſitionẽ merè de lege naturæ, ſcilicet *quæcunque vultis vt faciant vobis homines, illa etiam vos eis facitatis*; hæc, inquam, eſt de lege naturæ: patet *in principio decret. cap.* 1. vt quilibet ſit fidelis alteri in eo caſu, in quo vellet ſibi fidem obſeruari; ſed quilibet vult naturaliter peccatum ſuum, & ſecretum ſuum omnino ſuper omnia celari, vel ſaltem deberet velle, quia quilibet de lege naturæ celat, vel celare debet illud pro fama ſua, & ſi nollet peccatum ſuum celari, non curaret infamari, quod eſt impoſſibile, quia qua ratione non curaret infamari, & quòd ille ſciret peccatum ſuum, vt diffamaretur coram illo, nec curaret quòd ſecundus, vel tertius, vel totus mundus hoc ſciret, quod eſt incredibile, & contra illud, quod Eccleſiaſt. 9. dicitur, *curam habere de bono nomine*, bonum nomen eſt bona fama; igitur ſciens per confeſſionem, & ſigillum ſecreti peccatum alicuius, tenetur illud de iure naturæ celare, & nullo modo reuelare.

Confirmatur.

Confirmatur, quia quilibet de lege naturæ tenetur eſſe alteri fidelis, & ſecretarius in illo ſummo ſecreto, quo vellet eũ eſſe ſibi fidelẽ; ſed confeſſio eſt cõmiſſio ſummi ſecreti ex natura ſua, & forum ſecretiſſimum, quia accuſans tantùm fuit teſtis ſui criminis, & nullus alius; igitur Sacerdos recipiens illam fidem, vt ſic commiſſam, tenetur illam omninò celare, & reuelãdo fit infidelis, & fraudulentus, qui frangit fidẽ, & fidẽ, quã tenetur habere in commiſſione ſummi ſecreti. Hæc ratio habetur Prou. 11. *Qui fidelis eſt, ſeruat amici cõmiſſũ, qui autem fraudulentus & infidelis, reuelat arcana.*

Item,

8. *Secundò. Confeſſor promittit implicitè celare peccata.*

Item, quilibet de lege naturæ tenetur ſeruare promiſſum; ſed voluntariè audiens aliquē in confeſſione, obligat ſe ex pacto ad tenendum illud, quod audit in ſecreto, quia nullus aliter vellet ſibi pandere peccatū ſuum, niſi crederet eum velle celare quod audiret, nō ſolùm quia dictum eſt in ſecreto, ſed quia dictum eſt in tali foro, quod ex natura ſua eſt ſecretiſſimū; igitur ſic tenetur ſeruare ſibi commiſſum in confeſſione. Hoc habetur ex Scriptura Luc. 6. *Quecunque promittitis, pacta ſeruate*, &c.

Tertiò.

Item, de lege naturæ in ordine debito vniuerſi eſt quòd inſufficientia, & ignorātia vnius inferioris ſuppleatur, & dirigatur per alium ſufficientiorē, & ſuperiorem, & diſcretiorem, ſi ex ſe nō poſſet ſufficiēter dirigi, & mederi; ſed quilibet cōfeſſus, vel etiā conſulens alium in commiſſione alicuius ſecreti, recurrit ad eum, vel ad Sacerdotē, vt eius ſtultitia, vel ignorātia dirigatur, & ordinetur, quia niſi ſciret eum eſſe talem qui ſciret, & poſſet eum conſulere, & abſoluere, & dirigere, nō recurreret ad eum magis, quàm ad aliū; igitur tollēs hoc per reuelationē talis ſecreti, tolleret omnē recurſum inferioris, vel cuiuſcunque ad alium pro cōſilio, & remedio conquirendo, & ita deſtrueret omne bonum vitæ politicæ, & communicationē eius, vt nullūs inſufficiens iuuaretur per alium in cōſilio, & ſecreto alterius, ſi quilibet poſſet licitè ſecretum ſibi commiſſum reuelare: talis autem incommunicatio, & deſtructio mutuæ ſubuentionis in conſiliis eſt contra legem naturæ.

Non celando ſecretum tollitur bonum vitæ politicæ, & debitus ordo vniuerſi.

Replica.

Sed dices quòd iſtæ rationes concludūt commiſſum quodlibet ſub ſecreto eſſe celandum de iure naturæ, & non tantùm commiſſum in confeſſione. Dicit vnus Doctor, qui ponit has rationes in virtute, quòd verū eſt quòd in omni caſu ſigillum ſecreti eſt de lege naturæ, maximè tamen ſigillum confeſſionis.

Solutio. Sigillum ſecreti in omni caſu eſſe de lege naturæ.

Secundò oſtēdo quòd ſit de lege poſitiua diuina, quod probo ſic: Reuelans peccatum alterius ſibi in ſecreto commiſſum, & maximè Sacerdos Chriſtianus, reuocat Chriſtianum à lege Chriſti, quæ eſt de confeſſione faciēda Sacerdoti alicui, quia ſimile iudicium haberetur de alio, quod de illo; nec teneretur homo habere aliud de alio, quàm de illo; ſed retrahēs ſic alium à confeſſione faciēda retrahit à lege Chriſti de confeſſione; igitur peccat contra legem Chriſti.

9. *Sigillum ligare lege diuina poſitiua probat primò. Reuelans cōfeſſionem retrahit à ſacramento.*

Secundò.

Item, lex Chriſti eſt, quòd iſtud arbitrium, & iudicium, quod habet Sacerdos in confeſſione, ſit iudicium talis naturæ, quòd ſit vltimum extremū vltimò decidēs omnes cauſas hîc cognitas, & in cælo terminatas, ita quòd de cauſa eius non licet in alio foro arbitrari, nec extra illud forum ventilari. Patet Ioan. 20. *Quorum remiſeritis*, &c. ſed prodens, & reuelans crimen ſibi confeſſum, facit arbitrium, & iudicium illud non eſſe vltimum, quia ventilat cauſam eius extra forum iſtud ad aliud; igitur quantùm in ſe eſt, facit quòd iudicium Chriſti, & ſacramentum abſolutionis non ſit tale, quale inſtitutum eſt, & ita contra legem Chriſti poſitiuam.

Tertiò.

Item, præceptum Chriſti de confeſſione eſt, vt homo confiteatur verè, & non mendaciter, quia mendaciū ibi eſt maximè pernicioſum; igitur qui occaſione data inducit homines ad confitendum mendaciter, inducit illos ad tranſgrediendum, & non obſeruandum præceptum Dei; ſed reuelans confeſſionem confeſſi, dat ei occaſionem ad cōfitendum mendaciter, & non veraciter, & quòd oſtendat ſe innocentē Epiſcopo, & aliū nocentē, vt ipſe commendetur, & alius vituperetur, quia confitendo ſe veraciter exponeret ſe periculo, ſi alius non celaret; igitur facit talis Sacerdos cōtra præceptū Chriſti, & legē eiꝰ poſitiuā, vel ſcriptā;

Tertiò, eſt de lege poſitiua Eccleſiæ; & idsò reuelās confeſſionē alicuius facit cōtra præceptū Eccleſiæ, ſicut patet *extra de pœn. & rem. omnis vtriuſque ſexus*; vbi reuelanti confeſſionē imponit Papa talem pœnā, quòd perpetuò ab executione officij Sacerdotalis ſuſpēſus vagetur per mundū, & ſimpliciter ad talia deinceps ſit ineptus: Sed iſta pœnitentia nō eſt omnibus ſufficiēter ſecura, quia talis poſſet multos corrumpere & ad ſimile delictum inducere, quia *modicum fermentum corrumpit totam maſſam. Et 4. q. 3. Sit tandem.* Dominus Bonifacius imponit talibus reuelātibus pœnam magis cōgruam, vt *ſcilicet in aliquo ſtrictiſſimo Monaſterio includantur, & ſegregētur à communi conuerſatione hominum, & in arctiſſimo victu, & pœne tribulationis, & aqua anguſtiæ parciſſimè ſuſtententur.* Et ita patet quòd triplici vinculo tenetur homo cōfeſſor celare ſibi in ſecreto reuelata; quia vinculo legis naturæ, legis diuinæ, & Eccleſiæ.

10. *Sigillum ligat lege poſitiua Eccleſiaſtica, probatur primò.*

Quæ ſit pœna reuelantis confeſſionem.

Dicit etiā vlteriùs ille Doctor, quòd eodē iure, quo Sacerdos tenetur celare peccatū confeſſi, tenetur celare peccatū illius perſonæ, cum qua confeſſus peccauit, ſi habuit ſocium in crimine, quem exprimit in confeſſione Sacerdoti; quia non poſſet diffamare illam perſonam, cuius crimen tantùm nouit per confeſſionem, niſi diffamaret confeſſum ſibi, quia hoc vellet quilibet naturaliter ſibi fieri in ſimili caſu.

11. *Sigillum perſonam complicis concernit.*

Item, eodem modo dicit de commiſſione alicuius ſecreti, quòd quilibet tenetur illo tripliçi Iure ad celationem illius: & poteſt probari per illas tres rationes primas, quòd ſit de Iure naturæ, & per alias duas ſuppoſitas quòd ſit de Iure poſitiuo diuino.

Secretum omne eſſe ſeruādum triplici iure.

Itē, lex poſitiua Eccleſiæ imponēs illas pœnas reuelanti confeſſionē, imponit eaſdē reuelāti ſecretū alicuius ſibi in conſilio cōmiſſum, ſaltē implicitè, quia idē eſt iudiciū de vtroque, niſi quòd differunt ſecundùm magis & minùs iuris ſecreti. Adhuc etiā reuelanti ſecreta ſecretorū conſiliorū apponitur vna ſpecialis pœna infamiæ, quæ accidit ſibi ex hoc quòd reuelat aliquid, quod nō poteſt probari in foro publico, vel extra forū, in quo cōmittebatur, vnde puniēdus eſt, & reputādus ex tūc denūciator falſi criminis, & ita calūniator, qui eſt infamis, *Extr. de calumn. c. dilectus.* Vnde ſiue ille accuſet aliū de crimine tali noto tantū per cōſilium, ſiue quomodocunque denunciet crimē alterius, tenetur ad pœnā illā, & alias ſupradictas.

Imponens crimen & non probans eſt infamis.

Secundò addit ille Doctor, quòd ille alius, cui Sacerdos reuelauit confeſſionem alterius, & peccatum notum in confeſſione, tenetur celare illud peccatum, ſicut Sacerdos, qui hoc audiuit in confeſſione: & hoc dicit eſſe ex duplici Iure prædicto, ſed de Iure Eccleſiæ dubitandum eſt, nam non eſt hoc ita explicitum.

Ratio autem quare ad hoc tenetur eſt iſta, quia transferens aliquid de facto, quod non poteſt licitè transferre de iure, non dat alteri ius vtendi licitè illo, quod tranſfert in eum, quia ipſe non poteſt ſic transferre de iure & licitè: ſed talis eſt Sacerdos reuelans alteri peccatum, quod audiuit in confeſſione; igitur ille, cui illud reuelauit, non poteſt habere licitè ius dicendi, vel reuelandi illud alicui alteri.

Quare ille, cui Sacerdos reuelauit cōfeſſionem alterius tenetur ad ſigillum.

Audiens confeſſionem factam ſacerdoti tenetur eodem iure ad ſigillum, quo ſacerdos.

Tertiò & vltimò, dicit ille Doctor, quòd auſcultans confeſſionem alicuius ſacerdoti factam, ſiue fraudulenter, & dolosè, ſiue in caſu hoc audiat, vel auſcultet, ſemper eodem iure, quo tenetur & ipſe ſacerdos, tenetur & ille ad celationem illius, & præter hoc, ſi dolosè, & fraudulenter auſcultet confeſſionem confitentis, vt ſciat illam, peccat mortaliter, nec poteſt alicui licitè reuelare, & crimen reportat pro curioſitate ſua.

SCHOLIVM III.

Ad primum, non licere, etiam de licentia pœnitentis confeſſionem reuelare, nec id ad quidquam deſeruit, quia ſi vult pœnitens reuelari, dicat extra confeſſionem. Vide de hoc in Oxon. n. 18. Ad tertium, nemine alterius ait non licere declinare ab ingreſſu nemoris, ſi inde colligant alij reuelationem confeſſionis; tamen declinare licitum eſſe abſolutè docet in Oxon. hic num. 20. & tenent Maior, Henriquez, Sanchez ibi in ſcholio citati. Ad quartum, quando poteſt quis amoueri ab officio ex ſcientia confeſſionis? Vide ibid. in ſchol. n. 23. Ad ſextum, potiùs dimidiandam confeſſionem, quàm confitendum eſſe peccatum, per quod reuelaretur prior confeſſio. Vide ibid. num. 21.

13. *Ad Arg. primum principale.*

AD primum argumentum in oppoſitum, cùm arguitur quòd quilibet poteſt renunciare iuri ſuo, concedo; ſed non poteſt renunciare, vel licentiare in ius alienum, & in malum alterius; ſed in caſu propoſito non eſt tantum malum, vel incommodum hominis peculiaris reuelatio peccati ſui, quantum eſt malum, & damnum totius communitatis, cuius pax & tranquillitas totaliter deſtrueretur, ſi nullus per conſilium ſuum poſſet ſupplere indigentiam, ignorantiam, & defectum alterius; quia iſte non ſeruando in ſecreto conſilium ſibi commiſſum occaſionaliter fecit, vt nullus velit alium conſulere, aut ſacerdoti confiteri. Vnde non eſt tantùm ius ſuum proprium, ſed totius communitatis. Eſto etiam quòd eſſet ius ſuum proprium, non tamen poteſt ei renunciare, ſi ſua renunciatio ſit contra ius diuinum, & ius Eccleſiæ. Et ideò licèt quantùm eſt ex parte ſui renunciare poſſet iuri ſuo, non tamen in quantùm eſt contra ius ſuperius, cuius auctoritatem magis debet ſequi, quàm ſuam. Vnde non poteſt confeſſus dare licentiam confeſſori ad reuelandum aliquid extra confeſſionem, quod ſibi dixit in confeſſione, & dato quòd poſſet dare licentiam, confeſſor tamen non poſſet reuelare propter ius naturæ contrarium, ius diuinum, & Eccleſiæ. Illud verò idem quòd dixit in confeſſione, poteſt ſibi dicere extra confeſſionem; & tunc vel dicit hoc idem illi per modum ſecreti conſilij, & neque ſic poteſt ille alij reuelare propter ſupradictam rationem, niſi petendo conſilium de illo; vel non dixit per modum ſecreti, & tunc poteſt reuelare illud, ſicut ſi alius dixiſſet hoc coram decem, dummodò ſciat alium non eſſe offendendum, nec ſcandalizandum ex hoc.

Confeſſio non poteſt reuelari etiam de licentia confeſſi.

Quid faciet confeſſor quãdo confeſſus vult ipſum dicere ſuam confeſſionem aliis.

14. *Ad ſecundũ.*

Ad ſecundum, cùm dicitur, quod ſtatutum eſt ex charitate non debet contra charitatem militare, concedo; Sed dico quòd ille actus, ſcilicet reuelare crimen notum per confeſſionem tantùm ex natura ſua, & genere proprio militaret contra charitatem, quia non eſſet via quomodo ille actus poſſet fieri licitè, ſed eſſet in præiudicium, & læſionem communitatis, & tenetur confeſſor communitati in ſecreto ſuſcepto; eſſet etiam contra ius naturæ, diuinum, & Eccleſiæ. Addit etiam ille doctor, quòd ille verſus Iuriſtarum in ſententia falſus eſt.

Hæreſis eſt crimen, quod nec confeſſio celat.

Ad tertium.

Ad aliud de ſacerdote, quem duo volebant occidere in nemore: Dico quòd multæ ſunt viæ, & occaſiones aliæ diuertendi à nemore, & poſſet dicere illis, qui condixerunt in mortem eius; volo priùs intrare in talem villam, vel talem, & poſtea neſcio quid faciam propter impedimenta, quæ poſſunt accidere, nec in hoc reuelat confeſſionem alterius illorum, quia etſi ille nunquam fuiſſet ei confeſſus, multæ cauſæ de nouo ortæ poterant impedire cum ab ingreſſu in nemus. Dicit tamen iſte Doctor quòd ſi eſſet aliquis caſus poſſibilis, in quo impoſſibile eſſet iſtum intrandum in nemus diuertere ab eo, niſi reuelaret confeſſionem confitentis in facto ſuo, tenetur potiùs ad præceptum Domini ſeruandum, ſcilicet intrare, & ſubire mortem, quàm confeſſionem aliquo modo reuelare ſuo dicto, vel facto, & talis tunc ſuſtinendo mortem eſſet reuera Martyr.

Quomodo ſacerdos ſciens in confeſſione inſidias ſibi paratas poſſit eas declinare.

15. *Ad Quartũ.*

Ad aliud de Abbate amouente monachum à grangia pro peccato noto tantùm per confeſſionem; Dico quòd ſi ſit conſuetudo communis monaſterij, vel Abbatis ad mouendum monachos ſuos ab officiis, & curis ſibi commiſſis, propter bonas cauſas, ſicut propter malas, videlicet vt quieſcat ad tempus, & alius probetur, Dico quòd amouendo iſtum, quem in rei veritate ſcit malum, non reuelat aliis fratribus ſuis, nec directè, nec indirectè crimen ſuum, quia aliàs etſi non peccaſſet, etiam amoueretur ex conſuetudine illius Domus; ſi autem ſit talis conſuetudo monaſterij, quòd aliquis tamdiu moratur in officio alicuius curæ, quamdiu nihil mali probatur contra eum, tunc amouens eum à tali cura reddit eum grauiter ſuſpectum fratribus ſuis, & facit eum infamem, & peccat mortaliter in iſto caſu.

Quomodo ſuperior poteſt amouere monachum loca ex ſcientia confeſſionis.

Ad quintum.

Ad aliud de ſacerdote, qui abſoluit Epiſcopum ſimoniacum; dico ſecundùm iſtum Doctorem quòd in illo caſu debet ſacerdos differre confeſſionem de illa abſolutione erronea talis perſonæ, quamdiu poteſt eſſe, & vſquequo habeat talem ſacerdotem, qui non poſſet per talem confeſſionem deuenire in cognitionem illius Epiſcopi ſimoniaci, ab eo abſoluit, & ſi nullum talem poſſet habere, confiteatur Deo, & ſufficit, quia ſimile eſt de eo, & de illo, qui non inuenit miniſtrum idoneum, vel de barbaro in terra aliena, vel confiteatur in generali dicendo ſe malè, & ſtultè diſpenſaſſe ſacramentum abſolutionis; ſicut audiens modò mulierem, & abſoluens eam de illo, in quo non potuit, & poſteà ſtatim confeſſus fratri ſuo, non debet dicere malè abſolui mulierem de viricidio, vel adulterio, vel huiuſmodi, quia ſtatim deueniret ille alius in notitiam talem, quòd illa mulier ſic peccauit, & ita violaret ſigillum ſecreti; ſed vel debet expectare per menſem, vel plus, vel minùs quando probabile eſt quòd abſoluit multas tales mulieres, & hoc dicendo, de nulla determinata faciet ſuſpicionem. Vel conferendum eſt de hoc in generali, ſic dicendo, malè & ſtultè miniſtraui ſacramentum abſolutionis, vel pœnitentiæ: tenetur enim talis ad celandum peccatum ſibi confeſſum; & tenetur confiteri hoc quòd abſoluit ab illo peccato, à

Potiùs dimidianda eſt cõfeſſio quàm ſigillum violandum.

Scilere confeſſionem in nullo caſu eſt contra charitatem.

qua

quo non potuit, quia tenetur ad duplex præceptum, ſcilicet celationis peccati alieni, & confeſſionis propriæ de ſuo peccato; & magis tenetur ad proprium peccatum confitendum, ſcilicet ſic in generali; quàm omninò ſic celare alienum, quia ſic non celare, videlicet in generali confiteri, non eſt illud reuelare, nec ſigillum ſecreti aliquo modo violare, quia per hoc nullo modo deuenitur ad perſonam, cuius peccatum ſic narratur.

16. *Ad ſextum.* Ad aliud, cùm dicitur quòd exprimere oportet, vel ſpecificare perſonam; dico quòd licèt iſte confeſſus, quicquid ſacerdoti in illo foro dicit, dicit ſibi per modum ſummi ſecreti, & ſigilli confeſſionis, ita quòd nullo modo committere ei tale ſecretum, niſi ſciret eum velle celare; dico tamen quòd talis nullo modo tenetur ad reuelandum perſonam, quantùmcunque ſit circunſtantia aggrauans peccatum confitentis; ſi autem non poſſet perfectè confiteri, niſi reuelando perſonam illam propter circumſtantias aggrauantes, dico quòd tunc debet exprimere circumſtantias illas, quæ aggrauant peccatum confeſſi in generali, & non perſonam, nec circumſtantias in ſpeciali, quia perſona ſimpliciter non aggrauat, ſed conditiones, & circumſtantiæ eius aggrauant, & ideò illæ debent exprimi, non in ſpeciali, quia tunc fieret contra triplex ius, vt dictum eſt, & contra præceptum negatiuum de non reuelando, quod obligat ſemper, & ad ſemper. Non tantum autem obligat præceptum de confeſſione facienda, quia non eſt de lege naturæ, nec eſt neceſſarium ſemper, & ad ſemper, quia in multis caſuſis, vt priùs patuit, ſufficit pœnitentia virtus ſine pœnitentia ſacramento, & quòd peccata venialia non cadunt neceſſariò ſub illo præcepto. Multi autem ſunt, qui aliter non peccant, quàm veniáliter.

Circumſtantiæ ſpeciales aggrauantes quandoque non ſunt in confeſſione manifeſtãda.

DISTINCTIO XXII.

De reditu peccatorum.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm peccata per pœnitentiam dimiſſa in recidiuante redeant eadem numero.

D. Thom. 3 *p. quæſt.* 88 *art.* 1. D. Bonau *hìc art.* 1. *quæſt.* 1 & 2. Rich. *art.* 1 *quæſt.* 1. 2. & 3. Durand. *quæſt.* 1. Albert. *art.* 1. Abulenſ. *in c.* 18. *Mat. quæſt.* 140. Suar. 4 *to. diſp.* 13. *ſ.* 1. Sotus *d.* 16 *quæſt.* 2.

1. CIRCA Diſtinctionem 22, quæro; *vtrùm in eo, qui cadit à vera pœnitentia per recidiuum redeant peccata priùs dimiſſa per pœnitentiam?*

Arg. primum affirmatiuè. Aug. Arguitur quòd ſic; Auguſtinus contra Donatiſtas lib. 1. cap. 5. & ponitur in litera: *Redire dimiſſa peccata, vbi fraterna charitas non eſt, apertiſſimè Dominus in Euangelio Matth.* 18. *docet in illo ſeruo, in quo Dominus debitum priùs dimiſit, & repetiit eo quòd ille conſeruo ſuo dimittere noluit, & iuſſit eum ſuffocari, & poni in carcere quouſque vniuerſum debitum ſuum redderet propter ingratitudinem, quam oſtendit poſt peccatum, & debitum ei dimiſſum;* igitur peccata priùs dimiſſa redeunt, ſi deinceps aliquod replicatur. In hac auctoritate Matth. 18. fundantur omnes auctoritates Sanctorum in litera.

Item, Iacob. 2. *Qui in vno offenderit, factus eſt omnium reus.* *Secundum*

Item, ſi aliquis contritus de peccatis ſuis contemneret confiteri, tunc quæro an illa peccata, de quibus fuit contritus redeunt poſt talem contemptum confeſſionis: ſi ſic, habeo propoſitum: ſi non redeunt, igitur huic peccato nulla adhibetur pœna, ſed ei dimiſſum ſine ſecunda, & tertia parte pœnitentiæ, quod eſt inconueniens. *Tertium.*

Item, tenebræ poſſunt redire eædem in numero; igitur & peccatum priùs remiſſum: conſequentia eſt manifeſta, quia peccatum eſt tenebra, & priuatio gratiæ, quæ deberet ineſſe. Antecedens probatur, quia priuationes diſtinguuntur per habitus *ſecundo de Anima, tex.* 118. & 3. *de An. tex.* 25. ſed idem eſt habitus numero reſpectu tenebræ prioris & poſterioris, vt lumen, vel gratia, & idem numero ſuſceptiuum, vt idem aër numero, & eadem anima numero. *Quartum*

Contrà, nullum ſucceſſiuum redit idem numero, quia tunc ſucceſſiuum non eſſet ſucceſſiuum, ſed permanens, & eſſent contraria ſimul vera; ſed peccatum habet *eſſe* in *fieri*, & in quadam ſucceſſione, quia non eſt in anima niſi per actum noſtrum, quia *Deo auctore non fit homo deterior*, ſecundùm Auguſtinùm 83. *quæſt. q.* 3. igitur non poteſt redire idem numero. *Ratio prima in oppoſitum.* Aug.

Item, peccatum non poteſt eſſe in anima niſi per actum peccantis; ſed actus, quo quis priùs peccat, non poteſt redire, nam cùm de nouo aliquis peccat, recidiuat, cùm ſit ſimpliciter alius actus; igitur nec peccatum primum redit per recidiuum in ſecundum peccatum. *Secunda.*

SCHOLIVM I.

Poteſt peccatum ſumptum pro ordinatione ad pœnam redire; ſed de facto non redit. Prima pars patet; quia potuit Deus ab æterno pro tempore A, ordinare aliquem pro peccato ad pœnas, & pro tempore B, eundem non ordinare ad eas, condonato peccato, ſub conditione tamen ſi recidiuaret, quod iterum maneret ordinatus ad eaſdem. Hoc poteſt homo pluribus actibus, & vnus ſimplex Dei actus ſine mutatione æquiualet multis actibus hominis cum ſuis mutationibus. Secunda patet ex. c. Diuina; de pœni. d. 4. *& ex Auguſtino in Pſal.* 31. Beati, quorum remiſſa, &c.

2. *An idem numero peccatũ redire poſſit.* CIrca iſtam quæſtionem declaro tria. Primò, ſi ſit poſſibile eadem peccata numero redire, quæ priùs erant dimiſſa? Secundò, oſtendam quomodo non redeunt de facto. Tertiò, quomodo poſſibile eſt ea aliquo modo redire, & aliquo modo redeant.

Ratio Rich. De primo, dicitur quòd impoſſibile eſt aliquomodo peccatum quoad maculam redire, niſi per potentiam, & actionem diuinam; ſed impoſſibile eſt peccatum ſic aliquo modo redire per actionem diuinam, quia ſecundùm Auguſtinum Aug. citatum *Deo auctore non fit homo deterior*; ergo, &c.

Reiicitur primo. Hæc ratio nihil facit ad intentionem propoſitæ quæſtionis. Eſto enim quòd verum ſit quòd peccatum idem numero quoad maculam actualem tam in actu elicito, quàm in actu exercito, non poſſit redire, non propterea ſatisfacit intentioni quæſtionis, quia quæſtio hæc non querit ſi

Senſus quæſtionis.

redeant peccata quantùm ad maculam actualem, vel culpam, quia quærit an poſt recidiuum in aliquod peccatum nouum, redeat reatus, & obligatio ad pœnam pro peccatis dimiſſis. Et hoc eſt quærere; an peccata poſt recidiuum redeant quantùm ad obligationem illam ad pœnam, & non quantùm ad maculam actualem; quia ſic *Deo auctore fieret homo deterior*; ſed non concludit quin poſſint redire quantùm ad reatum, & obligationem ad pœnam, *quia Deo auctore*, id eſt, ſolo actu voluntatis diuinæ poteſt ille recidiuans de nouo in peccatum iuſtè ordinari ad maiorem pœnam, quam ſit illa, quæ eſt debita illi peccato de nouo commiſſo, quia poteſt ordinari ad illam, & ad totam illam, quæ debebatur omnibus peccatis priùs dimiſſis in confeſſione per ſacramentum pœnitentiæ.

Quomodo Deo auctore non ſit homo deterior.

Ratio Doctoris probatur.

Quòd autem iuſtè poſſit ordinari à Deo, & voluntate eius ad eamdem pœnam poſt recidiuum in vnum peccatum, ad quam priùs ordinabatur pro peccatis præcedentibus, patet, quia actus peccandi non eſt cauſa ordinationis, vel volitionis diuinæ obligantis aliquem peccantem de nouo, ad pœnam, quia talis ordinatio alicuius ad pœnam eſt æterna, ſicut voluntas diuina eam ſic ordinans, eſt æterna. Actus autem peccandi eſt temporalis, & temporale non eſt cauſa æterni: ergo abſolutè poteſt Deus ordinare iſtum ad vitam æternam iuſtè, vel ad pœnam tantam, vel tantam ſicut ſibi placet, quia ſua voluntas ſic ordinans eſt regula iuſtitiæ ex culpa illius; & per conſequens poteſt habere actum eundem ad infligendum huic pœnam tantam, quantam priùs.

Etſi dicas quòd Deus non poſſet iſti recidiuanti infligere iuſtè totam pœnam correſpondentem peccatis dimiſſis. Dico quòd ſic, quia ſicut habetur in Canon. *Diſt. 12. q. 2. Epiſcopus*, ille qui mancipium propter ingratitudinem itèrum iuſtè ſubiicit, iuſtè facit: igitur à ſimili, homo à ſeruitute peccati liberatus per Dei miſericordiam, vt dicitur Diſt. 24. huius, propter ingratitudinem, ita reus & peccator conſtituitur ſicut antè fuerat, quantùm ad obligationem pœnæ.

3. *Quamuis poſt actum peccati nihil poſitiuum remaneat, manet tamen ordinatio ad pœnam, & actus præteritus moraliter. Reiicitur. Secundò.*

Sic igitur dico ad propoſitum, quòd licèt non remaneat aliquis actus poſitiuus maculæ actualis in anima, qui priùs inerat, quia *non poteſt Deus ingenita facere quæ facta ſunt*, quantùm ad relationem ſucceſſionis in actu, quæ præfuit; poteſt tamen eadem obligatio ad pœnam redire per ſolam actionem voluntatis diuinæ, quæ priùs inerat ei pro peccatis prioribus, & ſi hoc fieret, iuſtè fieret.

Item poſſibile eſt me per actum nouum alicuius ingrati de nouo offendentis redire ad eandem offenſam, & culpam, quam priùs dimiſi, & per conſequens appetitum nouum vindicandi; & obligandi eum ad eandem pœnam, ad quam priùs ordinaui eum; igitur Deus eadem volitione, qua voluit priùs dimittere iſti peccatum, & obligationem ad pœnam æternam pro tempore, quo confitebatur, poteſt eum obligare poſt recidiuum ad pœnam æternam, & eandem priùs dimiſſam modò infligere, quando recidiuat, & ita poteſt velle oppoſita, ſcilicet dimittere, & non dimittere pro diuerſis inſtantibus, nulla facta in eo mutatione volitionis, vel voluntatis, ſed tantùm in obiecto extra, & ita eadem volitione antiqua, qua priùs voluit iſtum non obligari ad pœnam, quando confitebatur, & pœnituit; vult iſtum obligari ad pœnam, quando recidiuat, vel ſaltem poteſt hoc iuſte velle, & ita poteſt velle oppoſita remittere aliquam pœnam, & eandem exigere priùs remiſſam pro diuerſis inſtantibus ſucceſſiue fluentibus in tempore.

Poteſt quis ex ingratitudine ne alterius ad eandem offenſam redire.

Deus eadem volitione poteſt velle oppoſita pro diuerſis inſtantibus.

4. *Reſolutio ſecundi articuli.*

Quantùm ad ſecundum articulum, an ſcilicet redeant eadem peccata de facto, quantùm ad obligationem prædictam ad pœnam eandem numero, ad quam priùs obligabatur, Dico quòd nõ redit idem reatus, vel eadem obligatio ad pœnam, quæ priùs remittebatur in confeſſione, nec eadem numero, nec eadem ſpecie. Non eadem numero, quia pœna, vel obligatio ad pœnam, non redit, niſi redeunte malitia actuali, & actu peccandi: ſed Deus ſtatuit per legem clementiæ ſuæ, vt actus peccandi ſemel extinctus nunquam ampliùs reuiuiſcat; igitur cùm obligatio noua ad pœnam ſequatur nouum actum, ſequitur quòd obligatio ad pœnam debitam antiquo actu nunquam redeat ipſo actu ſimpliciter extincto.

De facto non redire idem peccatum numero, vel ſpecie quantùm ad obligationem prædictã.

Similiter non redit neceſſariò eadem obligatio ſpecie, quia, vt dictum eſt, noua obligatio ad pœnam eſt ex nouo actu: ſed recidiuans non ſemper peccat eodem actu ſecundùm ſpeciem, quo priùs peccauit, ſed oppoſito actu quandoque, vt quia fortè priùs peccauit extremo defectu illiberalitatis, vel puſillanimitatis, modò autem peccare poteſt extremo ſuperabundanti auaritiæ, vel audaciæ, & ſic de aliis: ſed vnum oppoſitum non reducit aliud, ſed magis ipſum expellit; igitur nec ille nouus, & oppoſitus actus reducit antiquam obligationem debitam actui oppoſito, & antiquo, licèt Deus poſſet eam iuſtè iſti peccato nouo infligere, lex tamen clementiæ eius ita ordinauit *vt peccata priùs dimiſſa, vltetiùs in vltionem redire non patiatur*, ſicut habetur de pœnitentia verſus finem Diſt. 4.

SCHOLIVM II.

Primum dictum: Licèt peccata non redeant per recidiuationem, redeunt tamen merita per pœnitentiam. *Ita communis hic cum D. Thom. 3. p. q. 89. art. 50. D. Bonau. d. 14. p. art. 2. q. 3. Secundum*; Quilibet reſurgens à peccato accipit ius ad maiorem gloriam, quàm habuit, quando cecidit; quia habet nouum ius ſimul cum antiquo. *Tertium*; Non ſemper reſurgitur ad maiorem gratiam. *Ita omnes, qui tenent per opera remiſſa charitatis, & omnia aliarum virtutum, non augeri charitatem. D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 6. Alenſ. 4. p. q. 57. m. 3 Sotus. d. 16. q. 1. art. 1. Oppoſitum tamẽ communius eſt, cui maximè faueet Trid. ſeſſ. 6. cap. 10. & can. 24. & 32. nec eſt alienum à Soto diſt. 21. q. 1. n. 10. tantùm ait hanc opinionem eſſe probabilem: & ſecundum ipſum idem eſt de hac, & de meritis reſuſcitatis.*

5. *Dubium.*

SEd hîc eſt vnum dubium, quia opera bona facta in charitate priùs, & poſt, quando homo eſt in peccato mortali, ſunt mortua, quia non valent ſibi ad vitam æternam ſecundùm illud Ezech. 18. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ, quas fecit, non recordabuntur*, tamen poſtea quando abſoluitur ab illo, & eſt in gratia, & charitate, omnia illa opera priora reuiuiſcunt, & valent ſibi ad vitam æternam; non quidem redeunt illa opera meritoria in ſe, cùm

Ezech.

cùm ſint præterita, ſed in ordine ad vitam, & gloriam æternam; igitur à ſimili, licèt priora opera mala, & demeritoria non redeant in ſe, redeunt tamen in ordine ad pœnam, & illa antiqua pœna eadem numero determinata antiquis peccatis priùs dimiſſis, poteſt redire iuſtè ad puniendum peccatum nouum recidiuantis, præter illam pœnam, quæ debetur ſibi ex ratione illius noui peccati. Conſequentia probatur, quia ita eſt Deus vindex malorum, ſicut eſt retributor bonorum.

6. *Solutio.* Dico quòd Deus non ſic punit mala, ſicut præmiat bona noſtra. Et in hoc apparet maxima miſericordia ſua; ſicut enim præmiat bona noſtra opera, ex quo ſemel ſunt facta, quantumcunque interueniat peccatum mortale, de quo homo poſteà pœniteat, ſemper ſunt noſtra, ſicut ſi eſſent actualiter, & ſimpliciter in nobis, & habent *eſſe* ſimpliciter in acceptatione diuina, vt pro eis reddatur ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam vita æterna, & nunquam ſunt mortua extincta, vel tecta, quamdiu homo eſt viator, ſed tantùm ſuſpenſa. Et ideò quæ priùs erant accepta, cùm homo deſierit à peccato, incipiunt de nouo accepta eſſe ad vitam æternam, & ita quaſi bis ſunt acceptata; ſed mala & peccata ſemel deleta quantùm ad pœnam, vel culpam per pœnitentiam, & abſolutionem pœnitentialem ita ſunt deleta, ac ſi nunquam fuiſſent facta, quia totaliter ſunt tecta, & remiſſa, & ideò non eſt vindex malorum bis, quia *non punit, nec iudicat Deus bis in id ipſum.* De hoc habetur *extra de ſent. excomm. De catero*, in textu & in gloſſa, quod ſemel eſt extinctum, nunquam reuiuiſcit. Pro hoc eſt Aug. diſt. 3. de pœnit. c. 33. vbi reſpondit cuidã obiectioni, probanti quòd Deus diligit peccata, quia ſemper dimittit: dicit Auguſtinus quòd maximè Deus odit peccata, quia quantùm in ſe eſt, ſemper vellet ea annihilare & deſtruere; & bona facta nunquam, quia ſemper remanet idem ius in illis, vt patet in iſtis litigiis, in quibus iure remanente, poteſt tolli actio ad tempus, & poſteà actio iterum inchoari: quando verò tollitur actio, & ius, non poteſt actio iterum inchoari. Ita in propoſito cùm quis pœnitet de peccato commiſſo, tollitur actio & ius, ſed per peccatum bona, quæ fiunt, non extinguuntur quantùm ad ius, ſed quantùm ad actionem quandiu manet in peccato, quia pro illo tempore non eſt capax actionis.

Bona non ita totaliter extinguuntur per lapſum. ſicut mala per pœnitentiam. 3 de pœnit. c. 14.

Deus non punit bis in id ipſum.

Aug. ad Macedon. ep. 54.

7. Sed ex hoc accidit quoddam Dubium: dices enim quòd ex hoc ſequitur quòd quando aliquis reſurgit à peccato ſemper reſurgeret in maiori charitate, quàm priùs habuit, quod eſt manifeſtè falſum,

Item, ſequeretur quòd ſecundò cadens in nouum peccatum, non grauiùs caderet, quàm priùs; quod eſt falſum: quia peccatum additum peccato aggrauat præcedens peccatum. Et quòd reſurgat in maiori charitate, probatur, quia omnia priora opera bona, cùm ille reſurrexit à peccato, ſunt viua, quia ſemper manent in acceptatione diuina, & principaliter, quia in actu reſurgendi habet vnum bonum motum in Deum de nouo, quem priùs non habuit. Secundum patet, ſcilicet quòd non grauiùs cadit, quia non addit nouum peccatum, ſed tantùm iterat peccatum illud, in quod priùs cecidit.

Vna inſtantia.

8. Ad iſta reſpondeo. Ad primum, dico quòd quicunque reſurgens à peccato de nouo propter plura merita, & bona opera, quæ priùs fecit, habet ex diuina iuſtitia diſtributiua ordinem ad maius præmium, & maiorem gloriam intenſiuè, quàm priùs habuit antequam cecidit; & tamen propter illa plura merita non habet maiorem gratiam, vel charitatem, quàm priùs habuit, quicquid dicatur de charitate dormiente. Vnde tota ſcriptura diuina clamat quantitatem præmij correſpondere operibus meritoriis, & non habitibus, nam ſecundùm Philoſophum 1. *Ethic. cap. 5.* per habitum non diſtinguitur miſer à fœlice; dormiens, à vigilante. In ſymbolo autem dicitur quòd *qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam*, &c.

Ad primam inſtantiam.

Quilibet reſurgẽs à peccato reſurgit ad maiorem gratiam.

Ariſtot. *Miſer & felix nõ diſtinguuntur per habitum.*

Item, nullum opus bonum manet irremuneratum, nec malum impunitum, licèt Deus ſit abundans retributor bonorum, & remiſſus punitor malorum; nec tantùm correſpondet operibus meritoriis gloria & præmium accidentale, ſed etiam eſſentiale, quia poſito quòd opus meritorium poſſet eſſe ſine gratia acceptum, vt quòd actus ex genere actus eſſet acceptus Deo, adhuc correſpondet ſibi præmium, & gloria eſſentialis, quia quodlibet tale opus eſſet meritorium, & remunerabile vita æterna, & per conſequens cuilibet gradui operis meritorij correſpondet gradus in præmio; & maiori gradui meriti maior, & intenſior gloria, & retributio, modò tamen ad hoc, quòd opera noſtra ſint accepta Deo, & digna præmio vitæ æternæ, requiritur charitas & gratia, quia ſine ipſa impoſſibile eſt placere Deo, non tamen intenſioni, ſed operi meritorio, quod elicitur ſecundùm inclinationem eius correſpondet præmium. Vnde habens ſolùm charitatem ſine meritis, & bonis operibus, habebit tantùm de gloria & præmio eſſentiali, ſicut habens minorem charitatem cum multis meritis, & operibus bonis, non tamen habebit tantam gloriam habens ſolùm charitatem magnam ſine operibus meritoriis ſicut cum eis, quia eis correſpondet principaliter præmium.

Gloria eſt præmium eſſentiale correſpondens meritis.

Per hoc ad rationem primam dico, quòd non ſequitur, ille qui cecidit, & reſurgit in maiori merito; igitur in maiori charitate, quia ſi ſtetiſſet, habuiſſet multò maiorẽ charitatẽ, & multò plura opera meritoria bona quàm habeat poſtquam reſurget, quia dum peccauit, potuit tunc habuiſſe opus bonum, & meritorium; nec ſequitur etiam propter maius augmentum meritorium, augmentatio charitatis in operibus, niſi extendẽdo augmentum charitatis ad opera meritoria, quia non omnes operationes meritoriæ ſtatim augent meritum, quantum natæ eſſent augere illud, ſed differtur in multis vſque ad inſtans mortis, vel ad retributionem æternam, vbi dabitur correſpondens præmium meritis bonis priùs factis, ad gloriam cumulandam maiorem, vnde nunquam negligas benè operari, quia nullum bonum tuum erit irremuneratum, ſed ſalua erunt tibi omnia merita tua ad maius bonum tuum, & ad gloriam tuam augendam. Et ita licèt in perſonis perfectis, vt in beata Virgine multitudinem meritorum ſequatur augmentum gratiæ, & charitatis, quia ſibi diſpenſatiuè data eſt hìc tanta gratia, quantùm ad habitum in ſe, quantam habet modò in cælo, & hoc decuit eam, vt eſſet habitaculum dignum filij Dei, quamuis actus eius ſit modò intenſior in cælo propter

9. *Ad rationem in forma.*

Non ſemper reſurgit peccator cum maiori charitate.

Quod habitum tanta erat charitas beatæ Virginis in via, quanta nunc in cælo.

propter habitum, vel actum gloriæ, quàm actus charitatis quam habuit in hac vita, non tamen oportet propter maiora merita neceſſariò habere maiorem charitatem. Secundum ſupponit vnum falſum, videlicet, quòd non addit nouum peccatum. De hoc in tertio articulo.

Ad maiora merita non neceſſariò ſequitur maior charitas.

SCHOLIVM III.

Redeunt peccata remiſſa in relabente quoad circumſtantiam ingratitudinis. Ita communis cum D. Thom. 3. p. q. 88. art. 2. & optimè explicat capita, ex quibus aggrauatur peccatum recidiuantis, ſcilicet ex pluralitate obligationis, & quia remiſſio fuit ei maximè indebita, & quia promiſit tacitè dum reſurgeret, non recidiuare. Abſolutè tamen reſoluit contra D. Thom. 3 p. q. 88. art. 1. & alibi.

10. *Quomodo redeunt peccata?*

CIrca tertium videndum eſt quomodo redeant peccata priùs dimiſſa & quomodo non? Et dico quòd peccata priùs dimiſſa non redeunt in ſe, quando nouum peccatum committitur, ſed redeunt vt circumſtantiæ aggrauantes nouum peccatum, quia grauiùs, & magis peccat recidiuans, cui priùs dimiſſa ſunt peccata ex circumſtantiis, & conditionibus aggrauantibus peccatum eius, quàm innocens, qui tunc primò cadit in peccatum; quia recidiuans contra plura præcepta facit quàm innocens. Innocens enim, qui nunquam peccauit niſi modò, transgreditur tantùm vnum præceptum, ſcilicet de non peccando mortaliter. Nam quilibet tenetur ex præcepto diuino ad non peccandum, & ideò ligatur tantùm vno vinculo, ad hoc vt reconcilietur, ſed peccans poſtquam dimiſſa ſunt ei peccata ſua, & poſtquam reſurrexit ab eis, obligatus erat ad non peccandum ampliùs duplici vinculo præcepti; vno quidem generali, quo obligatur ad non peccandum mortaliter: alio quidem ſpeciali, quo obligauit ſe ex promiſſo, & propoſito proprio ad ampliùs non peccandum. Nam nullus poteſt reſurgere à peccato, nec iuſtificari ab eo, niſi ſeruando præceptum Domini generale de non peccando mortaliter, ad quod tenetur ratione præcepti, & niſi habeat firmum propoſitum ad ampliùs non peccandum, ad quod tenetur ratione commiſſi, vel promiſſi, ad quod non tenetur innocens, qui non peccauit mortaliter, ſed ad primum tantùm.

Cur grauius ſit peccatum recidiuantis quàm innocentis.

11. *Peccatum reincidentis eſt grauius ex circumſtantiis aggrauantibus.*

Item, quantum bonum alicui collatum eſt minùs debitum, & magis gratioſum, tantò eſt liberaliùs collatum, & magis obligatiuum; ſed Deus dans peccatori inimico gratiam reſurgendi à peccato, dat ſibi aliquid omninò indebitum, quia Deus non eſt ſibi debitor, niſi ad pœnam ſibi infligendam, quia nihil aliud eſt ſibi debitum pro peccato, niſi pœna ordinans illud: Deus autem eſt debitor innocentis coagens ei ad conſeruandam in eo ſuam innocentiam, & hoc meretur de congruo ille innocens; igitur ſi poſt peccatum iuſtificet iſtum, & faciat eum reſurgere à peccato per pœnitentiam, confert ei bonum ſibi indebitum merè liberaliter, & obligat eum multipliciùs debitorem ſibi, quàm innocentem, quia plus tenetur Deo dimittenti ei peccatum ex lege gratitudinis, quàm aliusi & ideò peccans, & recidiuans de nouo in peccatum ex circumſtantiis aggrauantibus, cõmittit grauius peccatũ mortale, & peccat contra triplicem legem, quia contra legem gratitudinis, vt ingratus, non recognoſcens Deum quando recidiuat, vt liberaliter conferentem ſibi priùs gratiam reſurgendi; & contra legem promiſſi, quam fecit in pœnitentia, de ampliùs non peccando; & contra legem præcepti communis de non peccando. Innocens autem cadens in peccatum, non facit niſi contra vnam legem tantùm, ſcilicet de non peccando. Et ſic propter ingratitudinem & promiſſum non ſeruatum, dicuntur peccata redire, non quia priora peccata in ſe redeant, ſed quia quantùm ad tales circumſtantias aggrauantes hoc peccatum nouum, illa dicuntur redire.

Reincidens peccat contra triplicem legem.

Contra iſtud obiicitur ſic, illa non aggrauant peccatum, quibus nõ exiſtentibus, peccatum illud eſſet in ſe aliàs grauius, vel æquè graue; ſed illæ circumſtantiæ peccati, in quod recidiuans cadit, ſunt huiuſmodi; igitur non aggrauant ipſum. Probatio minoris, quia ſi nulla peccata fuiſſent ei priùs dimiſſa, ſed fuiſſet ſẽper innocẽs, tũc æquè grauiter peccaret, ſiue grauiùs, quia cadens à ſtatu innocentiæ grauiùs peccat quàm cadens à ſtatu pœnitentiæ; tum quia maius beneficium recipit iſte, cui Deus conſeruauit innocentiam, quàm cui conceſſit pœnitentiam poſt peccatum; tum, quia innocens minorem habet occaſionem cadendi.

12. *Obiectio tria.*

Item, ſi peccata dicuntur redire propter circumſtantias aggrauantes, aut igitur hoc peccatum nouum ſic circumſtantiatum circumſtantiis aggrauantibus eſt peccatum vnum, aut plura? Si vnum, igitur illi poteſt aliquod priùs eſſe æquè graue, vel grauius; ſi ſit plura, ſequitur quòd quandocunque aliquis peccat ſecundùm fornicationem tantùm, vel aliud crimen, oportet eum pœnitere, & dolere de illo vt de tribus peccatis.

Secunda.

SCHOLIVM. IV.

Reſoluit innocentiam maius beneficium eſſe, quàm pœnitentiam; quod etiam docet D. Bonau hic art. 1. q. 2. Gab. q. vn. art. 3. etſi alij oppoſitum teneant. Ad ſecundam obiectionem ait, quod quodlibet peccatum concomitantur inobedientia, contemptus, & ingratitudo; ſed non ſunt peccata ſpecialia niſi directè intendantur; vt ſi quis eo fine operaretur, vt violaret legem, vel vt contemneret beneficia accepta: quare non eſt neceſſe has circumſtantias confiteri, quando non eſt talis intentio; quia de ſe Iudici innoteſcunt: ſi tamen ea quis confiteatur, melius eſt.

AD ſolutionem iſtarum, præmitto hanc aſſertionem ſcilicet quòd maius beneficium Dei eſt, & maior gratia ſimpliciter conſeruare iſtum in innocentia, quàm dimittere, vel remittere alij peccata ſua poſtquam cecidit ab ipſa innocentia, & ideò maius beneficium, & gratiam contulit Deus beatæ Virgini, & Angelis ſanctis, confirmando eos in innocentia perpetua, ne poſſent peccare, quàm ſi remitteret eis peccata, vel iuſtificaret à peccato; quia ipſum nunquam peccaſſe, quod non poteſt reſtituere poſt lapſum, fuiſſet maximum bonum. Vnde donum innocentiæ conſeruatæ comparatum ad donum dimiſſionis peccati, eſt multò maius illo, & etiam maius malum, & maior ingratitudo eſſet cadere à tali innocentia, quàm à iuſtificatione habita poſt peccatum, virtute pœnitentiæ.

13. *Maius beneficium ſimpliciter eſt conſeruare innocentiã, quam inſpirare pœnitentiam.*

Sed

Sed comparando in illo innocentiam conſeruatam à Deo, & remiſſionem peccati eius poſt lapſum ad modum conferendi iſta bona, ſcilicet conſeruationem innocentiæ, & remiſſionem culpæ, maiorem gratiam facit Deus illi, cui remittit culpam, quàm illi, cuius conſeruat innocentiam. Peccatori enim nihil debet Deus niſi pœnam, quia nihil aliud eſt ſibi debitum pro peccato, niſi pœna; innocenti verò eſt debitor aliquo modo ad bonum eius continuandum, & ideò ſi aliquod bonum det peccatori, cùm nullũ ſit ſibi debitum, ſed omninò indebitum, liberaliorem modum conferendi aliquid habet ad eum, quàm ad alium, licèt bonum, non ita liberaliter datum ſit in ſe maius bonum: vnde illa ſe habent ſicut excedentia & exceſſa.

Deus magis tenetur ad continuandũ bonum innocentis, quàm relabentis.

14. Ad cuius rei explicationem dico, quòd poteſt grauitas attendi penes duo, & intelligi dupliciter, vel quia per illud receditur à maiori bono, & ſic recedens ab innocentia magis peccat, & grauiùs, quàm alius lapſus poſt dimiſſum ſibi peccatum, & vt ſic, magis eſt ingratus, comparando ad bonum collatum, à quo voluntariè recedit. Secundò poteſt intelligi grauitas peccati quia per illud plures leges offendit, quæ omnes prohibent illud fieri: & ſic dico quòd grauiùs peccat iſte, cui peccata priùs ſunt dimiſſa, quàm innocens, nunc primò peccans, quia contra plures prohibitiones, & ſic maior gratia fit peccatori dimittendo, quàm innocenti, ſicut patet ex Euangelio Luc. 7. *Cui plus dimittitur plus diligit*, ſeu tenetur diligere, ſicut reſpondet ille Simon ad quæſtionem de duobus debitoribus, & debitis dimiſſis, *quia æſtimo eum*, inquit, *plus diligere, cui plus donauit*, & ad hoc obligatur comparando ad modum illius doni ſibi dati; ſed comparando dona illa inter ſe in aliquibus, quibus hæc dantur, ſcilicet conſeruationem innocentiæ habitæ, & remiſſionem culpæ remiſſæ, dico quòd vnus ſemper remanet obligatus ad diligendum ampliùs propter bonum indebitum, ſibi datum, & alius non, quia recipit debitum aliquo modo, & per conſequens, plus iſtum diligit, cui nihil dimittitur, vt beatam Virginem, quæ nunquam peccauit, ſed innocens, & ſancta permanſit, quàm Magdalenam, vel Petrum, vel Paulum, quibus multa peccata dimiſit.

Quomodo grauiùs peccat innocens, quàm relabens, & è contra.

Plus diligitur cui plus dimittitur ceteris paribus.

15. Per hoc ad rationem priùs obiectam, cùm dicitur: illa non aggrauant peccatum, quibus non exiſtentibus eſſet aliquod peccatum æquè graue in ſe; dico quòd hæc maior eſt falſa, ponendo, vel intelligendo maius bonum, quàm ſit remiſſio peccati, vt conſeruationem innocentiæ, à qua quis cadens ita grauiter peccat, & grauiùs quam alius recidiuans cum circumſtantiis illis aggrauantibus. Si autem non intelligatur illud maius bonum, tunc eſt illa maior vera, & minor falſa, cùm dicit quòd iſtud peccatum fuiſſet grauius, quia maior in aggrauando; dico quòd non eſt æqualis ingratitudo in innocente quando cadit in peccatum, & in peccatore recidiuante, quia magis liberaliter dimittitur iſti peccanti iteratò, quàm illi qui nũc primò cecidit ab innocentia, quia iſti recidiuanti remiſſio eſt dupliciter indebita, vel tripliciter: Tum, propter remiſſionem priorem ad ampliùs non peccandum; Tum, propter ingratitudinem, qua non cognouit miſericordiam priorem ſibi factam; Tum, propter præceptum generale ad non peccandum. Innocenti verò cadenti in peccatum indebita eſt remiſſio tantummodo vno modo.

Ad primam obiectionem.

Ingratitudo innocentis cadentis, & relabentis eſt inæqualis.

Ad ſecundum, cùm dicitur, aut eſt vnum peccatum, aut plura; dico quòd non eſt neceſſarium recidiuantem ſemper dupliciter, vel duobus peccatis peccare; & ideò dico quòd eſt tantùm vnum peccatum, quia non eſt niſi vna volitio inordinata, & vna inordinatio voluntatis prohibita, & formaliter vna malitia, & non plures. Vnde ſi aliquis faciat aliquid quod prohibetur à tribus legibus, & non conſideret illud eſſe prohibitum à tribus legibus, ſed tantùm ab vna, licèt faciat contra prohibitionem omnium trium, non tamen peccat, niſi vno peccato, quia vult facere contra prohibitionem vnius legis tantùm, & non plurium; imò diſpliceret ſibi illud tot legibus eſſe prohibitum. Vnde non contemneret illas leges in ſingulari, niſi illas conſideraret diſtinctè & in ſingulari, & ſi omnes contemmeret in ſingulari, tunc haberet tres volitiones inordinatas diſtinctè contemplando illas leges, & ita tria peccata: ſic igitur ſi non ſit diſtinctus contemptus trium legum, ſed tantùm vnius, & dolor de aliis legibus annexis prohibentibus; dico quòd etſi tranſgrediatur plures leges, non tamen peccat, niſi vno peccato, & ſic omne peccatum mortale concomitantur iſtæ circumſtantiæ aggrauantes illud, inobedientia, & ingratitudo; nec inobedientia eſt ſpeciale peccatum hîc de nouo commiſſum, ſed circumſtantia generalis cuiuslibet peccati ſpecialis recidiuantis: ex hoc enim quòd recidiuans vult facere contra præceptum Dei peccando, ſtatim illud velle inordinatum concomitantur illæ circumſtantiæ. Et cùm tunc arguis, ſi eſſet vnum peccatum poſſet aliud peccatum eſſe æquè graue cum iſto; dico quòd verum eſt, quòd aliud peccatum poteſt eſſe æquè graue cum iſto, non cum iſtis circumſtantiis, ſed cum aliis. Vnde innocens cum tanta libidine, & malo motu voluntatis poſſet peccare, peccato quod eſſet maius quàm peccatum quod ille faciet poſt recidiuum.

16. *Ad ſecundũ.*

Pluralitas legum non inducit pluralitatem peccatorum quando in ſingulari non ea emnuntur.

Inobedientia eſt communis cuilibet peccato.

17. Ad primum principale, cùm arguitur de ſeruo, de quo requirebatur vniuerſum debitum priùs dimiſſum, dico quòd vniuerſum debitum priùs dimiſſum modò exigitur, & dicitur redire omne peccatum poſt recidiuum, non quoad culpam, vel inflictionem pœnæ, ſed quoad incarcerationem, & obligationem ad pœnam æternam aggrauantem peccatum ſequens. Si enim mihi peccanti contra te priùs aliquando indulſiſti, ſi poſtea iterum delinquo in te, ex hoc iſtud peccatum aggrauatur.

Ad primum principale.

Ad illud Iacobi, *qui offendit in vno, factus eſt omnium reus*: concedo quantùm ad obligationem ad pœnam æternam, quia ita obligatur aliquis ad pœnam æternam pro vno peccato mortali, ſicut pro mille, & ita punietur pœna damni pro vno peccato, ſicut pro mille, licèt non pœna ſenſus.

Ad ſecundũ

Qui offendit in vno fit omnium reus exponitur.

Replica.

Sed contrà: ex quo illæ circumſtantiæ aggrauantes redeunt, vt concedis, videtur quòd poſt recidiuum neceſſaria de eis ſit confeſſio, & pœnitentia, ſicut de peccato principali commiſſo.

Soluitur.

Dico quòd circumſtantiæ aggrauantes non ſunt peccatum ſpeciale, ſed concomitantes peccatum ſpeciale, & ideò non tenetur aliquis ad confeſſionem earum, vt peccatorum ſpecialium, ſed in generali poteſt dicere & benè: Deus dimiſit mihi peccata, & ego vt ingratus non propter

pter hoc dimisi offendere aliàs in legem, de quo doleo.

Ad Tertium. Ad terium dico quòd contritus contemnens confiteri de illis peccatis, de quibus est contritus, punietur pœna temporali, pro illis peccatis per contritionem dimissis; quicquid alij dicant, quia credo quòd aliqua pœna temporalis potest solui in Inferno pro peccatis venialibus, & etiam mortalibus, quorum pœna fuit hîc inchoata, & quantùm ad hanc pœnam potest esse ibi redemptio, & satisfactio aliquando totaliter terminata; licèt non sit ibi reconciliatio in amicitiam, punietur tamen æternaliter propter contemptum confessionis, cui per se debetur pœna æterna, à quâ nulla erit redemptio in futurum, quia de illo non fuit contritus, sed mortuus in illo, & *lignum vbi ciderit ibi erit.*

Quomodo pœna peccati remissi soluitur in inferno.

18. *Ad vltimũ.* Ad vltimum, dico quòd antecedens est falsum, quia non potest redire eadem tenebra numero saltem per naturam, vt accipis & ita sicut positiua, vt illuminatio, vel lux, non redeunt eadem numero, sic nec priuatiua.

Eadem tenebra numero naturaliter non potest redire. Alia enim, & alia est carentia luminis ex hoc quòd est respectu alterius, & alterius luminis numero. Aliter potest dici ad probationem antecedentis, quòd non obstante quòd sit idem habitus numero, non tamen est eadem tenebra numero, quia eiusdem habitus numero possunt esse infinitæ priuationes numero.

Priuationes secundùm speciem tantum desumũtur penes habitus. Et cùm probas, quia priuationes distinguuntur per habitus, verum est, distinguuntur secundùm speciem penes habitus, non tamen distinguuntur numero penes suos habitus, quia vnius affirmationis numero non est tantùm vna negatio numero; quia hæc affirmatio vna numero: Socrates tot habet negationes diuersas numero, quot sunt res præter Socratem in vniuerso, quia lapis non est Socrates homo, animal, & huiusmodi omnia præter Socratem sunt non Socrates vnius tamen habitus secundùm speciem est tantùm vna priuatio, secundùm speciem, vt vnius motus secundùm speciem est vna quies secundùm speciem, quod patet ex Philosopho 5. *Physic. & secundo de generatione.* Non tamen oportet habitum numerari ad numerationem suæ negationis, vel priuationis, quia eiusdem affirmationis possunt esse infinitæ negationes, nec differunt priuatio & negatio secundùm se, nisi quia vna est in subiecto apto, alia non; neutra tamen aliquid ponit in re, & ideò de tot indiuiduis dicitur priuatio, sicut negatio. Patet 5. Metaph. cap. de priuatione.

Vni affirmationi numero non correspondet vna negatio numero. Aristot.

Aristot.

DISTINCTIO XXIII.

De Extrema vnctione.

QVÆSTIO VNICA:

Vtrùm extrema Vnctio sit Sacramentum nouæ legis.

D. Thom. *in supplem quæst. 29 art. 1 & hic quæst. 1. art. 1.* Rich. *art. 2. quæst. 2.* D. Bonau. *art. 1 & 2.* Suar. *to. 4. d. 39. sect. 1.* Bellarm. *lib. 1. de sacr. Vnct. cap. 4.*

1. *Arg primum principium.* CIrcà Distinctionem 23. de sacramento extremæ Vnctionis, Quæro tantùm vnum, videlicet, *vtrùm extrema Vnctio sit sacramentum nouæ legis?*

Arguitur quòd non; quia omne sacramentum nouæ legis est institutum à Christo immediatè, istud autem immediatè instituebatur a Iacobo; Patet ex isto verbo Iacobi 5. *Quis infirmatur in vobis? inducat super eum Sacerdotem, qui ungat eum oleo sancto*; &c. igitur non est sacramentum nouæ legis.

Secundum. Item, omne sacramentum nouæ legis est vnum; sed istud non est vnum, nec quantùm ad materiam, nec quantùm ad formam, quia tam materia propinqua, vt oleum sanctificatum, & vnctio, quàm forma, est multiplex, quia multæ orationes dicuntur circa illam materiam &c.

Ad oppositũ. Contrarium vult Magister in litera huius Distinct. cap. 2. vbi ait quòd est sacramentum.

Item Hugo *lib. 2. de sacram. par. 15. cap. 2.* dicit idem.

SCHOLIVM

Ponit congruitatem huius sacramenti, & quòd de facto institutum sit, vt constat ex Marci 6. & Iacob. 5. ex Concil. Niceno translato ex Arabico c. 69. Cabilon. can. 48. Florent. in instruct. Armen. Trid. Sess. 14. can. 1. Deinde adhibet definitionem, in cuius explicatione declarat breuiter & solidè materiam, formam, ministrum, subiectum, dispositiones, & effectum: & primo quòd ait deletionem venialium esse effectum, tenent D. Bonau. hic art. 1. q. 1. Rich. art. 2. q. 58. Durand. q. 1. Alens. 4. p. q. 5. m. 7. art. 2. Nauar. cap. 22. num. 13. habet tamen alios effectus secundarios vt excitationem deuotionis, & mutationem corporis. Suarez tom. 4. dist. 41. s. 1. Bellarm. lib. 2. de sacram. putant deletionem non esse eius effectum. Quæ dicit de materia, & forma habentur ex Iacob. 5. & Floren. in. decret. Eug. & Trid. sess. 14. de sacram. Vnct. Quòd oleum ex commissione Papæ possit per sacerdotem benedici, alij affirmant, alij negant.

2. *Quatuor examinanda.* CIrca solutionem huius quæstionis quatuor videnda sunt. Primò ostendam quòd possibile sit Deo finaliter dimittere peccata venialia, & ad hoc instituere aliquod signum, quod id efficaciter significet. Secundò, ostendam congruum esse tale signum institutum. Tertiò ponam rationem nominis huius, quid intelligatur per *extremam vnctionem.* Quartò ex hoc apparebit solutio quæstionis, quod est sacramentum nouæ legis.

Possibilitas institutionis sacramenti vnctionis. De primo sic; possibile est Deum remittere peccata venialia; ergo possibile est sibi instituere signum sensibile ad hoc. Consequentia patet, quia possibile est hominem instituere signum efficax practicum cuiuscunque operis sui, ergo à fortiori est Deo possibile: Sed tale est signum sacræ rei: igitur est sacramentum: igitur possibile est tale sacramentum à Deo institui.

Eiusdẽ congruitas. De secundo, dico quòd congruum est instituere tale signum ad illum effectum significandum, cùm enim de lege communi non oporteat venialia deleri per pœnitentiam sacramentum, quia pœnitentia est secunda tabula post naufragium ordinata in remedium contra naufragos; & peccatum mortale, quòd submergit, & non necessariò contra illos, qui sunt intra nauem Ecclesiæ, & nauem charitatis, quia illi etsi habent peccata venialia, possunt saluari sine pœnitentia, cùm autem non possit homo esse gloriosus, nec intrare beatitudinem cùm habeat

Venialia impediunt consecutionem regni.

habeat venialia, quæ retardant eum à gloria, quia nullus poteſt ſimul eſſe miſer & beatus, congruum fuit Deum, qui nunquam reliquit hominem ſine aliquo remedio ad ſalutem, ordinare aliquod ſacramentum, quod efficaciter & de proximo, & plenè ſignificaret in ſuſcipiente ipſam remiſſionem finalem omnium peccatorum venialium, per quam introduceretur ad ſalutem incorruptibilem vitæ æternæ: & congruum fuit dari, & recipi ab infirmo laborante in extremis, quia tunc in ianuis mortis, quando ſpiritus exit, poteſt recipiens liberari à peccato, quod retardaret eum à gloria, niſi amoueretur, & deleretur virtute ſacramenti. Iſtud autem ita factum eſſe patet Iacobi. 5. *Inducant ſuper eos Presbyteros*, &c. *& ſi in peccatis eſt, remittentur ei.*

3. Tertiò pono rationem nominis, & quid intelligo per *vnctionem extremam*, vel per *ſacramentum vnctionis extremæ*. Et Dico quòd ſacramẽtum iſtud eſt *vnctio ſeptena hominis infirmi pœnitentis cum oleo ſanctificato per Epiſcopum, facta in determinatis, & certis partibus corporis, miniſtrata à ſacerdote, ſimul certa verba cum intentione debita proferente, ſignificans efficaciter ex inſtitutione diuina remiſſionem, vel curationem ſpiritualem finalem omnium peccatorum venialium.* Iſti autem rationi nominis correſpondet aliqua res poſſibilis eſſe congruens fieri, & exiſtens de facto, vt patet. Expono igitur particulas huius definitionis per ordinem. Et primò remedium *hominis infirmi*, & ideò non debet conferri niſi infirmo tali, qui non poteſt ampliùs peccare, & qui eſt in periculo mortis. nec dari debet illi, cui aliàs, vel aliter immineat periculum mortis, quàm per infirmitatem, vt ingredienti mare, vel bellum, quia in talibus quantumcunque imminet periculum mortis, ſemper tamen habet homo vſum liberi arbitrij, & poteſt pòſt peccare, & talibus, qui poſſunt ampliùs peccare non debet dari, nec hominibus habentibus naturales defectus, & propter huiuſmodi paulatim deficientibus in natura, vt ethicis, hydropicis, &c. quia licèt tales ſint infirmi, non tamen ſtatim aufertur ab eis poteſtas peccandi venialiter: ſi tamen cum iſtis defectibus naturalibus ſit aliqua febris, de qua non præſumeretur curatio, ſed quòd mors immineat, poteſt eis conferri in illo caſu.

Definitio ſacramenti extremæ vnctionis.

Declarantur particulæ definitionis.

Tantùm periculosè infirmo danda eſt vnctio.

4. Secundò, debet eſſe hominis *pœnitentis* & iuſti, quia non inſtituitur vt remedium contra peccata mortalia, ſicut Baptiſmus & pœnitentia, quæ non conferuntur iuſtis, & pœnitentibus, ſed etiam impœnitentibus negatiuè, vt per ſuſceptionem eorum ſint iuſti & pœnitentes. Extrema autem vnctio debet dari ad finalem remiſſionem venialium peccatorum, & ideò oportet ſuſcipientem non habere obſtaculum impedies effectum huius ſacramenti: & oportet habere reuerentiam, & deuotionem ad ſacramentum & probabiliter eſſe in peccato veniali, quod per ſacramentum poſſit dimitti. Propter primum non debet dari impœnitentibus, ſi enim impœnitens contrariè in extremis peteret hoc ſacramentum, ſibi deberet denegari. Propter ſecundum non debet dari furioſis in extremis, niſi priùs ante furiam, quando vſi fuerunt ratione, illud petiuiſſent, vel aliquando per lucida interualla, ſi aliqua habuerunt, aliqualiter pœnituerint, vel ſaltem non fuerint impœnitentes contrariè. Propter tertium, innocentibus, vel paruulis, non habentibus vſum rationis, non debet dari, cùm non habeant liberum arbitrium in vſu, nec per conſequens aliquod peccatum propter quod eſſet neceſſarium: vnde beata Virgo, vel innocentes alij, qui nunquam peccauerunt actualiter peccato veniali, non indiguerunt recipere hoc ſacramentum.

Vngendus debet habere vſum liberi arbitrij.

Beata Virgo non indiguit vnctione.

Tertiò additur quòd fiat *cum oleo ab Epiſcopo conſecrato*; oleo quidem vero, id eſt, oliuæ, quod ſolum dicitur verè, & proprium oleum, quia omne aliud artificiale magis dicitur humor quidam digeſtus per ignem, vel putrefactionem aliorum, quàm oleum, quia illorum omnium ars eſt principium, & non natura. Patet de ſe, nec debet oleum miſceri cum balſamo, ſicut in Confirmatione, quia hîc non requiritur teſtimonium claritatis bonæ famæ ad confitendum nomen Chriſti, ſicut ibi, quia ad ingrediendum ſanitatem vitæ æternæ, ſufficit ſine fama puritas vitæ, & nitor conſcientiæ, vt habetur *extra de ſacramento vnction. cap.* 1. Oleum etiam debet ſanctificari ab Epiſcopo tantùm, quia vt ibidem habetur, oleum lucet in aqua. Et ideò ad ſignificandum illius ſanctitatis eminentiam, debet conſecrari per Sacerdotem ſupereminentis gradus, & dignitatis in Eccleſia, vt per Epiſcopum, aliter enim non eſſet materia proxima huius ſacramenti.

5.

Quare materia vnctionis extremæ non perit balſamum ſicut Confirmationis.

Sed contrà: ſacerdos ſimplex poteſt ſanctificare materiam Baptiſmi, vt aquam; Baptiſmus autem eſt maius, & nobilius ſacramentum extrema vnctione; igitur & poteſt conſecrare materiam huius ſacramenti, quia qui poteſt quod maius eſt, poteſt & quòd minus eſt.

6. *Obiectio.*

Dico quòd Chriſtus, qui eſt maximus in dignitate, tactu ſuæ mundiſſimæ carnis contulit vim regeneratiuam aquis, quando à Ioanne baptizatus fuit, & tunc ſanctificauit omnes aquas, vt eſſent materia debita Baptiſmi, etiamſi nunquam poſtea conſecraretur aliqua aqua à ſacerdote, quia hoc quod facit ſacerdos tunc aquam benedicendo, non eſt neceſſitatis, ſed ſolemnitatis, & ideò non indiget ſacrari ab Epiſcopo: ſicut ſimiliter Baptiſmus eſt ſacramentum abſolutæ neceſſitatis, non ſic hoc ſacramentum, & ideò non eſt ſimile.

Solutio.

Quare materia vnctionis à ſolo Epiſcopo ſanctificari debet.

Quartò, debet fieri *in determinatis partibus corporis*, id eſt, partibus organicis, quæ deſeruiunt parti ſenſitiuæ, & ideò organa quinque ſenſuum vnguntur, vt oculi, aures, os, & manus, & quando organa duplicantur, duplicantur & vnctiones. Partes etiam deſeruientes non ſolùm parti ſenſitiuæ, ſed etiam generatiuæ, & motiuæ debent inungi, vt lumbi, ſiue renes, & pedes, qui deſeruiunt parti progreſſiuæ, & motiuæ.

7

Vngenda ſunt organa ſenſuum.

Sed quare non ſit aliqua vnctio in parte nutritiua, in remedium nutritiuæ, cui correſpondet augmentatiua? Licèt huius rationem non viderim aliquem aſſignare, Dico tamen quòd lingua duo præſtat opera naturæ, ſcilicet loqui, & guſtare, & quia omne peccatum, quo peccamus circa nutrimentum, eſt per guſtum, inquantùm

Quæ partes corporis vngendæ ſunt?

inquantùm ſuper, vel aliqui cibi nimis immoderatè placent guſtui linguæ, ideò non inungitur aliqua pars ſpecialis correſpondens parti nutritiuæ, niſi tantùm os, vel lingua. Et ideò in vnctione oris intelligitur remiſſio offenſæ cuiuſlibet, & quantùm ad interpretatiuam, quæ pertinet ad loquelam, & quantùm ad nutritiuam, quæ pertinet ad virtutem deguſtatiuam.

Item quintò hoc ſacramentum debet à ſolo *ſacerdote* diſpenſari, quia ſolus ſacerdos eſt idoneus miniſter, & conueniens ad illud diſpenſandum: non eſt enim ſacramentum neceſſitatis, ſicut alia ſacramenta, Baptiſmus videlicet & Pœnitentia, & tamen illa à ſolo ſacerdote ſolemniter miniſtrantur. licèt enim Baptiſmus in caſu neceſſitatis poſſit diſpenſari per alium, quàm per ſacerdotem, non tamen ſolemniter: ſolus igitur ſacerdos eſt miniſter conueniens in diſpenſando generaliter hoc ſacramentum, ſicut & alia. Sacerdos quidem *ſimul cum intentione debita certa verba proferens. ſimul*, id eſt, ſine interruptione tali verborum, quæ impediat vnitatem, & continuitatem actus humani, Ilam ſimultatem oportet eſſe in verbis ſacramentalibus, ſicut patet in materia de Baptiſmo, & debet ſacerdos certa verba proferre in forma illorum verborum, quæ habentur in Canonica beati Iacobi. *Infirmatur quis in vobis? inducat ſacerdotes, & orent ſuper eum.* ſed ſecundùm vſum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ non vtuntur oratione indicatiua, ſed optatiua. Patet *extra de ſacr. Vnc. cap. 1. Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, parcat tibi Deus quicquid oculorum vitio deliquiſti*; vbi optatur ſibi alia vita, & plena innocentia, quantùm ad illas partes, per quas deliquit. Illa autem oratio optatiua, & deprecatiua, debet dici cum intentione debita, non quòd habeat neceſſariò intentionem actualem, vel habitudinalem, ſed virtualem, vt dictum eſt priùs, * & non malam intentionem.

8. *Quis dicitur Miniſter huius ſacramenti.*

Solus ſacerdos ſolemniter poteſt baptizare.

Forma ſacramenti extrema vnctionis eſt deprecatoria.

Sextò. Hoc ſacramentum *ſignificat efficaciter ex inſtitutione diuina.* Patet ex Euangelio Marc. cap. 6. vbi habetur quòd *diſcipuli circuibant ciuitates & caſtra, & curabant infirmos, vngentes eos oleo ſancto*, & licèt non legatur iſtud ſacramentum eſſe immediatè inſtitutum à Chriſto, ſupponendum eſt tamen pro certo, quòd iſtud, ſicut & alia fuerunt ab eo inſtituta, licèt ordo hiſtoriæ ad ſcribentes non peruenerit. Et ita à beato Iacobo tantùm diuulgata, & prædicata eſt, quia hoc quod diſcipuli audiuerunt à Chriſto, publicauerunt pro tempore diſpenſato, quia *in omnem terram exiuit ſonus eorum* &c. Patet Matth. 11.

† diſt 6. q. 5.

9. Marc.

Hoc ſacramentum fuit immediatè inſtitutum à Chriſto.

Hoc demum eſt ſignum *efficaciter ſignans ex inſtitutione diuina remiſſionem, vel curationem finalem omnium peccatorum venialium*, vt proprium effectum, & ſignatum, niſi ſuſcipiens ponat obicem actualiter peccando. Et ſicut ſunt multæ partiales vnctiones, & ſigna partialia, ita ſunt multæ curationes, & remiſſiones peccatorum venialium commiſſorum per tales partes corporis, vt os, & manus, & ſic eſt vna totalis vnctio, & integrum ſignum totalis remiſſionis, & pœnæ, & curationis omnium peccatorum venialium, qualiterumque: commiſſorum: & talis eſt effectus proprius huius ſacramenti.

Pſal. 18.

Hoc ſacramentum cauſat gratiam in non ponente obicem.

Ex quo patet & quæ ſit materia remota, & quæ propinqua huius ſacramenti. Remota eſt oleum oliuæ ſanctificatum ab Epiſcopo; proxima verò ipſa vnctio facta cum oleo. Patet etiam quæ ſit forma partialis, & quæ totalis. Partialis, eſt vnctio determinatæ partis corporis, cum oratione optatiua, & deprecatiua gratiæ, & remiſſionis culpæ vnius partis. Totalis, eſt ſeptenaria vnctio in partibus corporis cum certis verbis optatiue ſignificatis, & hoc eſt ſignum vnum vnius effectus totalis, ſcilicet curationis plenariæ omnium peccatorum venialium.

Reſolutio quæſtionis.

Ad primum argumentum de beato Iacobo, patet per iam dicta, quòd fuit à Chriſto immediatè inſtitutum, licèt à beato Iacobo promulgatum.

10. *Ad primum principale.*

Ad ſecundum dico, quòd eſt ſacramentum vnum, quia habet tam vnam materiam, quàm vnam formam totalem, quæ ſunt vnum ſignum totale vnius effectus totalis; ſcilicet plenariæ innocentiæ reſtitutæ per remiſſionem totalem omnium peccatorum venialium: licèt enim plures ſint formæ partiales, & multæ tales materiæ, vt ſeptem partes corporis, & multi partiales effectus, vt remiſſiones peccatorum venialium commiſſorum in parte tali, vel tali, vt ore, vel manu, tamen vna eſt totalis materia, & totalis forma, quæ ſunt ſignum totale totalis remiſſionis, & plenariæ iuſtificationis ab omni peccato veniali. Nam ſicut ſuccus de diuerſis & pluribus vuis, vel granis digeſtis Sole, vel igne, dicitur muſtum, vel cereuiſia, & cùm vtrumque fuerit debitè deſiccatum, & purgatum dicitur vinum, vel cereuiſia magis propriè, quàm priùs; ſic Deus facta depuratione omnium venialium in diuerſis partibus hominis, reſtaurando ſibi fructus illis debitos, & plenam innocentiam, præmiat eum vno præmio eſſentiali, quod eſt ipſe viſus, & amatus.

Ad ſecundū.

Quia vnitas extrema vnctio eſt vnum ſacramentū.

DISTINCTIO XXIV.

De Ordine

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm ſint tantùm ſeptem Ordines in Eccleſia?

D. Bonau *hic* 1 *p. art. 1. q. 1.* D. Thom. *in ſup. quæſt. 24. art. 3.* Richard *hic art. 3. quæſt. 1.* Bellarm. *lib. 1 de ſacr Ordinis cap. 1.* Vaſquez *3. p. d. 225. c. 2. & diſp. 240. c. 3.* Nau. *in ſum. cap. 22.*



IRCA Diſtinctionem 24. quærit Magiſter de definitione Ordinum: & eorum collatione, vbi circa primam diſt. quæro: *Vtrùm tantùm ſint ſeptem Ordines ſacramentales, & per conſequens ſeptem ſacramenta?* Quòd non, quia ſi præter ſacramentum Ordinis ſint alia ſex ſacramenta, ſcilicet, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, extrema Vnctio, & Matrimonium, ſequitur quòd ſint 13. ſacramenta.

1. *Arg primum negatiuum.*

Item

Secundum. Item, ſi ſunt multi Ordines, igitur multi characteres, quia quilibet Ordo imprimit characterem: ſed conſequens eſt impoſſibile, ſcilicet quòd ſint plures characteres in anima, quia impoſſibile eſt plura accidentia eiuſdem ſpeciei eſſe in eodem ſubiecto; ergo impoſſibile eſt eſſe plures Ordines, & maximè ſeptem.

Tertium. Item, in primitiua Eccleſia non fuerunt quatuor Ordines minores, ſed tantùm duo maiores, vt Diaconatus, & ſacerdotium; & ſimiliter in antiqua lege non erant niſi Leuitæ, & Sacerdotes, igitur vel nullum aliud inſtituebatur à Chriſto, vel ſaltem ſuperfluunt.

Quartum. Item, quòd ſint plures, patet, quia prima tonſura eſt ſignum ſacræ rei, conſtituens tonſum in primo gradu clericali, quia propter tonſuram talem gaudet homo priuilegio clericali.

Dionyſ. Quintum. Item, Dion. 5. Eccleſiaſt. Hierarchiæ ponit tres Ordines ſummos, Epiſcopatum, Sacerdotium, & Diaconatum; igitur ſunt plures Ordines, quàm ſeptem.

Sextum. Iſidor. Ratio ad oppoſitum. Item, quòd Epiſcopatus ſit Ordo, patet per Iſidorum, lib 7. Etymol. cap. 12. Et ponitur in Canon. *Diſt. 21. cap. Cleros.*

Oppoſitum patet per Magiſtrum in litera.

SCHOLIVM I

Sententia D. Bonauenturæ Ordinem eſſe ſpiritualem poteſtatem &c. refutatur tribus rationibus claris; & ponitur definitio Ordinis in communi, & prout conſtituit vnum ex ſeptem ſacramentis.

2. *Quid ſit Ordo?* IN iſta quæſtione quatuor ſunt videnda. Primò, quid ſit Ordo? Secundò, quot ſunt Ordines in Eccleſia? Tertiò, an Ordo ſit ſacramentum? Quartò, an Ordo ſit ſacramentum vnum, vel plura?

Quantùm ad primum, dicitur quòd *Ordo eſt quædam poteſtas ſpiritualis, per quam poteſt ordinatus exequi aliquem actum nobilem, & ſpiritualem, quem non poteſt exequi non ordinatus;* & ſecundùm diſtinctionem talium poteſtatum ſpiritualium, eſt diſtinctio Ordinum in Eccleſia.

Opinio D. Bon. & aliorum. Reſcitur primo. Sed iſtud non intelligo quòd ſit verum; quia ex hoc ſequeretur quòd ſacerdotium eſſet duo Ordines in Eccleſia, conſequens falſum; igitur & antecedens. Probatio conſequentiæ eſt, quia ſacerdos ex officio habet duplicem poteſtatem ſpiritualem, vnam ad conficiendum corpus Chriſti verum, & aliam ad abſoluendum corpus Chriſti myſticum, quæ eſt poteſtas clauium ſpiritualis. Hanc autem poteſtatem non habet Clericus, nec laicus. Hoc manifeſtum eſt de ſe; igitur hæc poteſtas ſuper corpus Chriſti myſticum videtur quòd ſit alius Ordo, quàm ſacerdotium, vel Epiſcopatus, vel Diaconatus, quia ſacerdotium eſt poteſtas ad conficiendum corpus Chriſti verum, quia ad illum actum principaliter ordinatur, & ità ſacerdotium erit duo Ordines.

3. *Secundò.* Item, ſecundùm hoc ſequeretur Epiſcopatum eſſe Ordinem, & ita eſſent plures, quàm ſeptem Ordines ſacri in Eccleſia; conſequens eſt falſum, & negatur ab eis; ergo. Probatio conſequentiæ eſt patens, quia Epiſcopatus eſt quædam poteſtas ſpiritualis exequendi actum aliquem in Eccleſia, qui non competit alicui alteri quàm Epiſcopo. Patet de multis, ad quæ ordinatur poteſtas Epiſcopalis, imò Epiſcopatus eſſet multi Ordines, quia poteſt in multos actus tales, vt in Confirmationem, & in conſecrationem materiæ eiuſdem ſacramenti, & materiæ ſacræ Vnctionis, & poteſt ordinare, & multa alia huiuſmodi facere.

Tertio. Præterea, poteſtas ſpiritualis non eſt tantùm, qua aliquis poteſt congruè, vel benè agere. Patet in conſecratione Euchariſtiæ, & in abſolutione ſacramentali, in quibus non ſolùm incongruè, & malè facit, quicunque aliis quàm ſacerdos, vt laicus, ſed etiam nihil facit, quia nullus in talibus aliquid facit, niſi qui habet poteſtatem; ſi igitur omnis talis poteſtas ad aliquem actum in Eccleſia exercendum, qui non poteſt, nec de facto, nec de iure alij competere, quàm habenti talem poteſtatem, ſit Ordo, ſequitur quòd tantùm ſunt duo Ordines, Epiſcopatus ſcilicet, & ſacerdotij. Conferre enim Ordines (quod ſemper pertinet ad poteſtatem, & non tantùm de congruo) ita competit Epiſcopo, & nullo modo alij inferiori, nec de facto, nec de iure, ità quòd aliquid faciat, & ſi dicat iſta verba, nec quòd rectè vel iuſtè faciat. Eodem modo omnis alius à ſacerdote dicens verba conſecrationis, & abſolutionis, quæ pertinent ad poteſtatem, & officium ſacerdotale, non ſolùm malè facit, ſed nihil facit, quia non conſecrat, nec abſoluit. In omnibus autem aliis Ordinibus poteſt non ordinatus exercere actum ordinati, etſi non ritè, tamen ſi facit, factum eſt, ſi enim laicus legat Epiſtolam, quod pertinet ad officium Subdiaconatus, lecta eſt: ſimiliter ſi legeretur ſolemniter Euangelium à non Diacono, iam factum eſt, licèt non benè; igitur ſunt tantùm duo Ordines in Eccleſia, quod reputant inconueniens, & falſum.

Soli Epiſcopo de congruo competit dare Ordines.

Solus ſacerdos conſecrare poteſt.

Item, ſequeretur, vt priùs, quòd ſacerdotium verè eſſet duo Ordines, quia eſt poteſtas agendi dupliciter ſuper corpus Chriſti verum, & corpus Chriſti myſticum, & quælibet harum poteſtatum poteſt eſſe ſine alia, quia ſeparatæ ſunt; videlicet quia poteſtas conficiendi corpus Chriſti verum dabatur in Eccleſia à Chriſto in cœna dicente, *hoc facite in meam commemorationem.* Alia verò data eſt poſt reſurrectionem, Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Non igitur capio rationem nominis abiſtis aſſumptam.

4. *Quartò.*

Poteſtas conficiendi eſt ſeparabilis à poteſtate abſoluendi.

Reſpondeo igitur aliter ad quæſtionem diſtinguendo *de Ordine*, quòd poteſt capi dupliciter, vno modo pro habitudine iplorum ordinatorum ad inuicem prout accipit Auguſtinus 9. de ciuitate Dei cap. 13. cùm dicit: *Ordo eſt rerum parium, diſpariumque congrua diſpoſitio & vnio,* quo etiam modo loquitur Philoſophus 12. Metaph. tex. 52. de Ordine, cùm dicit bonum vniuerſum conſiſtere in *habitudine & ordine ad primum*, cui partes vniuerſi magis & minùs appropinquantes, magis & minùs ſunt perfectæ, quia omnes ordine eſſentiali dependent ad eum ſicut exercitus ad ducem, & illo modo in Eccleſia non eſt niſi tantùm vnus ordo omnium, qui ſunt in Eccleſia, vt membra ad Chriſtum, qui eſt caput noſtrum ſecundùm Apoſtolum; & ideò tota communitas fidelium poteſt dici ordinari illo modo ad Chriſtum in Eccleſia.

Sf. Dupliciter ſumitur Ordo.

Aug.

5. Alio modo poteſt *ordo* capi pro gradu quodam eminenti; & excellenti in politia Eccleſiæ, & in ordine primo modo dicto, ſcilicet vniuerſitate fidelium; quia gradus ſuperior in ordine primo modo dicto, & congregatione fidelium, illo modo dicitur ordo. Vnde ibi eſt ordo primo modo dictus, omnium ſcilicet ad vnum, vbi eſt aliquis eminens ſuper omnes illius ordinis, & per conſequens ibi eſt primus ordo; & ſecundus, qui eſt gradus eminens ordinatus ad actum aliquem nobilem, & excellentem, qui non poteſt competere aliis. In nulla enim Politia ſunt omnes actus communes, ita quòd omnes actus conueniant omnibus in communi, quia tunc magis eſſet confuſio, quàm ordo; ſed ſunt aliqui actus excellentes, alij communes, & mediocres.

In nulla politia omnes actus conueniunt omnibus.

Actus autem communes & mediocres in Eccleſia ſunt actus, quibus obſeruantur præcepta Dei in Eccleſia ab omnibus communiter, quia illorum obſeruantia vniuerſaliter reſpectu omnium cadit ſub præcepto.

Actus autem excellentes in Eccleſia ſunt actus ſacramentales miniſtrandi ſacramenta in Eccleſia, per quos inferiores in Eccleſia iunguntur cum ſupremo, nam fideles vniuerſitatis per ſuſceptionem ſacramentorum Eccleſiæ, coniunguntur vt membra vnius corporis Eccleſiæ capiti ſuo Chriſto, & hoc mediante miniſterio ſupremorum in Eccleſia, quia illis regulariter, & non aliis, committitur poteſtas exequendi illos actus excellentes, ita quòd alij inferioris gradus vel nullo modo poſſunt in huiuſmodi actus, vel ſaltem non benè, aut licitè.

6. *Definitio Ordinis.*

Dico igitur quantùm ad rationem nominis definiendo ordinem, quòd *ordo eſt gradus eminens, vel gradus præeminentiæ in Hierarchia Eccleſiaſtica, diſponens ad congruè exequendum aliquem actum excellentem in Eccleſia.* Illa autem eminentia, vel præeminentia in tali gradu Eccleſiæ, non eſt poteſtas ſpiritualis, qua quis poteſt exequi aliquem actum nobilem, & eminentem; ſed eſt diſpoſitio ad talem poteſtatem, & in hoc diſcordo à deſcriptione præcedente; non enim eminentia in corporibus ſupremis vt cœlo, vel bellis, eſt ratio agendi in hæc inferiora, quia tantùm eſt relatio quædam, & relatio non eſt principium agendi; principium enim & poteſtas agendi in hæc inferiora eſt forma ſubſtantialis cæli, & non præeminentia eius ad alia corpora, quæ ſolùm eſt diſpoſitio prima ad agendum circa illa. Eodem modo gradus eminens in Eccleſia non eſt poteſtas exequendi actus excellentes in Eccleſia, ſed eſt diſpoſitio congrua, & neceſſariò præuia ad talem poteſtatem, quia illi gradui excellenti coniungitur auctoritas, & poteſtas exercendi ſitè tales actus excellentes.

Gradus eminentiæ non eſt in Eccleſia poteſtas exequendi actus excellentes ſed diſpoſitio neceſſaria, & congrua ad illam.

SCHOLIVM II.

Explicat optimè ſingulos Ordines, & miniſtrorum officia in ſingulis. Numerus eorum conſideratur in ordine ad Euchariſtiam; & ſic ſunt ſeptem. Inſinuat tamen Epiſcopatum eſſe verum Ordinem: de quo vide ipſum in Oxon. hic num. 1. & ibi ſcholium; & ita eum ſequitur Baſſol. & Bellarm. ſic eum intelligit lib. 2. de Sacramento Ordinis cap. 5. & hæc opinio verior videtur, pro qua in dicto ſcholio adducuntur plures Doctores.

QVantùm ad Secundum principale, quæ ſcilicet ſint Ordines, & quomodo diſtinguãtur? Reſpondeo ſicut dictum eſt, Ordo eſt gradus eminens diſponens ad exequendum actus excellentes, cui cõiungitur auctoritas, & poteſtas ſpiritualis reſpectu talium actuum in Eccleſia. Illa autem præeminentia gradus in ordine ad actus excellentes vel poteſt attendi penes multitudinem talium graduum excellentium in aliquo, vt quia aliquis poteſt in omnes actus tales, quia talem præeminentiam in eo concomitatur auctoritas, & poteſtas exequendi omnem talem actum: vel poteſt attendi penes excellentiam in dignitate, inter omnes actus ordinis in Eccleſia. Primo modo Epiſcopatus eſt ordo, quia Epiſcopus habet gradum eminentiorem in Eccleſia, cui coniungitur omnis alius gradus inferior, & per conſequens auctoritas, & poteſtas exequendi omnem actum pertinentem ad quemcunque gradum in Eccleſia, quia nullus eſt Epiſcopus, qui non ſit ſacerdos, & Diaconus, & ſic de aliis, quia Epiſcopatus præſupponit in aliquo omnes Ordines Sacros, & alios quatuor. Patet *extra de cler. per ſaltum promot. cap. vnico.* Nec propter illam præſuppoſitionem ſacerdotij, & aliorum Ordinum inferiorum, Epiſcopatus eſt non Ordo, ſicut concludit ratio eiuſdem Doctoris: Non enim video quòd Epiſcopatus non ſit Ordo, quia præſupponit ſacerdotium, quia Epiſcopo ſoli competit alicuius actus diſpenſare, in quos non poteſt aliquis ſacerdos ſimplex, nec ſimpliciter, nec benè, vt patet de collatione Ordinum, & in Confirmatione, & ſanctificatione materiæ extremæ Vnctionis; ſicut ſoli ſacerdoti competit conſecrare, & abſoluere, in quod non poteſt nec ſimpliciter, nec benè aliquis non ſacerdos. Igitur accipiendo diſtinctionem Ordinum ſecundùm pluralitatem talium actuum, vel graduum in Eccleſia, ſequitur quòd Epiſcopatus maximè ſit Ordo, nec eſt non Ordo propter præſuppoſitionem ſacerdotij, quia tunc ſimiliter ſacerdotium non eſſet Ordo, quia præſupponit Diaconatum, & alios Ordines.

7. *De numero Ordinum.*

An Epiſcopatus ſit Ordo & quomodo?

Epiſcopatus præſupponit alios omnes Ordines.

D. Thom. hic art. 3. q. 2. & Rich. a. 3. q. 2.

Regulariter ſolꝰ Epiſcopꝰ competit collatio Ordinũ, confirmare & conſecrare oleum.

Ad hoc quòd Epiſcopatus ſit Ordo, eſt ratio talis: omnis poteſtas, vel gradus ſpiritualis præeminentiæ, cui annectitur auctoritas exequendi aliquem actum ſpecialem, vel eſt Ordinis, vel iuriſdictionis: non ſecundum, quia non poteſt ab Epiſcopo auferri huiuſmodi poteſtas, quamdiu manet Epiſcopus, vt patet, quia Epiſcopus ſuſpenſus, & irregularis poteſt confirmare, & conferre Ordines, & de facto ſi facit, factum eſt; nec eſt ſacramentũ Cõfirmationis, vel collationis ab ipſo collatum ab alio iterandũ; ergo illa præeminẽtia gradus Epiſcopalis eſt Ordinis. Pro hoc ſunt Dionyſius & Iſidorus *vbi ſuprà.* Vnde ex hoc argumẽto Iſidorus aſſignat nouem Ordines Angelorũ miniſtrantium Deo in Eccleſia triumphãte.

8. *Probatur Epiſcopatum eſſe Ordinem.*

Si autem attendatur Ordo penes actum nobiliſſimum in dignitate in Hierarchia Eccleſiæ, cùm actus nobiliſſimus in Eccleſia reſpiciat corpus Chriſti verum, & confectionem eius ſacramentalem, tunc quia ſacerdotium reſpicit immediatè illum actum, & mediante illo alium actũ reſpectu corporis Chriſti myſtici, erit Ordo digniſſimus; & vltra iſtũ Ordinẽ nullus eſt tunc alius Ordo, quia nullus actus poteſt eſſe nobilior in Eccleſia actu confectionis corporis Chriſti

Sacerdotium perfectius eſt nobilitate actuum cæteris omnibus Ordinibus.

Chriſti veri. Et vt ſic ſi dignitas & eminẽtia aliorũ Ordinũ & actuũ illorum attẽdatur maior; vel minor, ſecũdùm maiorẽ acceſsũ, vel receſſum ad Ordinẽ ſacerdotij, & cõſecrationẽ corporis Chriſti veri, ſic reſtringẽda eſt ratio Ordinis, vt tãtùm dicatur *gradus eminens in Hierarchia Eccleſia, cui diuerſimodè coniungitur auctoritas exequendi aliquem actum in Eccleſia pertinentem ſecundùm aliquem ordinem ad actum excellentiſſimum conſecrationis corporis Chriſti.* Et illo modo ſunt ſeptem Ordines in Eccleſia. Nam gradus ſimpliciter eminentiſſimus, cui annexa eſt auctoritas conficiendi corpus Chriſti, eſt ordo Sacerdotij. Secundus gradus eminentiſſimus ſibi proximus, cui annexa eſt poteſtas diſpenſandi Euchariſtiam iam conſecratam, eſt ordo Diaconatus. Patet in legenda Sancti Laurentij quòd ad Diaconum etiam pertinet corporis & ſanguinis Domini diſpenſatio. Tertius gradus iſtis propinquior, cui coniuncta eſt poteſtas offerendi Diacono materiam corporis, & ſanguinis Chriſti vt panem, & vinum, & præparandi materiam debitam conſecrationis, & tangendi vaſa ſacra, in quibus non offerat ſacra, ſed ſacranda, eſt ordo Subdiaconatus; & quia materia conſecrata, & diſpenſatio, & præparatio eius immediatiùs pertinet, & coniungitur miniſterio Euchariſtiæ, ideò dicuntur iſti Ordines tres ſacri, non ita quòd immediatè ſunt circa Euchariſtiam conſecrandam, ſed quia circa ipſam iam conſecratam diſpenſandam, vel materiam eius miniſtrandam.

Gradus ordinum.

Tres Ordines ſacri ad quos actus diſponunt & cur tales dicuntur?

2.

Vlteriùs ad hoc vt Euchariſtia iam conſecrata digniùs ab aliis recipiatur, requiruntur quædam diſpoſitiones præuiæ de congruo adhibendæ, & quædam inordinationes, & impedimenta remouenda. Diſpoſitiones de congruo ad ſuſceptionem dignam Euchariſtiæ, eſt inflammatio affectus, quod pertinet ad Ordinem Acolytatus, cuius eſt cereos accendere, & affectus hominum ſpiritualiter inflammare & illuminatio intellectus, quod pertinet ad Lectoratum, vel ad lectorem, cuius eſt lectiones in Eccleſia legere diſtinctè, & apertè, vt ſimplices inſtruantur.

Ad quæ miniſteria diſponunt quatuor minores ordines & cur tales dicantur?

Impedimenta amouenda circa miniſterium Euchariſtiæ ſunt duo. Indiſpoſitio malorum, & infeſtatio dæmonum. Primum illorum impedimentorum circa miniſtrationem Euchariſtiæ remouet poteſtas & gradus Oſtiarij, cuius eſt ab Eccleſia hæreticos, & excommunicatos excludere, & alios innocentes, qui digni ſunt recipere Euchariſtiam, in Eccleſiam introducere. Secundum impedimentum remouetur per officium, & gradum Exorciſtæ, cuius eſt per orationes, & exorciſmos dæmones fugare, & eos arcere, ne impediant cultum diuinum. Sic igitur patet quòd non omnes gradus in Eccleſia ſunt ſimpliciter; vel æquè eminentes, ſed tantùm vnus, vt gradus Sacerdotij, quia actus, qui eſt conſecratio Euchariſtiæ, eſt nobiliſſimus, & alij Ordines ſunt nobiles & eminentes quatenus ordinantur ad iſtum actum, & miniſterium Euchariſtiæ, ſecundùm plus, & minùs. Si igitur non ſunt plures gradus eminentes neceſſarij in Eccleſia ad conſecrationem Euchariſtiæ, vel dignam ſuſceptionem eius, videtur quòd non ſint niſi tantùm ſeptem Ordines. Si autem conficere non ſit ſimpliciter excellentiſſimus actus in Eccleſia, ſed poſſe conſtituere aliquem in illa eminentia, cui competit talis actus, tunc non ſunt tantùm ſeptem Ordines, ſed octo, quia Epiſcopatus tunc eſt ſpecialis gradus & ordo in Eccleſia, cuius eſt Ordines omnes conferre, & per conſequens omnes in iſtis eminentibus conſtituere.

Quomodo Epiſcopatus dicatur excellentior ſacerdotio?

SCHOLIVM III.

Ordinationem eſſe ſacramentum nouæ legis. Ita Dionyſ. 5. Eccl. Hier. Leo ep. 81. Greg. lib. 4. in lib. Reg. cap. 5. Concil. Calced. can. 2. act. 15. Flor. in dec. Eug. Trid. Seſſ. 13. can. 3. Bellar. latè lib. 2. de ſacr. Ord. Caſtro ver. Ordo. *Ponit definitionem huius ſacramenti, qua omnia ad ipſum pertinentia explicantur. Vnitas huius ſacramenti eſt generis, quia ſunt ſeptem ſpecies. Ad ſecundum fatetur in primitiua Eccleſia tempore Apoſtolorum, aut prope, rarum fuiſſe quorundam Ordinum vſum; tamen Cornelius Papa, creatus anno 254. numerat omnes: & idem facit Concilium Roman. ſub Syluestro cap. 3. Vide in Oxon. hic ſcholium num. 12. Ad vlt. Docet primam tonſuram non eſſe ordinem; & benè, quia nec habet actum, nec à Conciliis inter Ordines numeratur. De 4. minoribus non omnes admittunt eſſe ſacramenta. Ita Cai. 1. to. opuſc. tr. 11. Nau. cap. 22. num. 18. Dur. hic queſt. 2. Vid. Vaſq. 3. p. d. 243. cap. 2. & diſp. 237. cap.*

10. *An Ordo ſit ſacramentũ.*

DE Tertio principali, an ſcilicet, Ordo ſit ſacramentum? dico quòd non, quia Ordo vt dictum eſt, non eſt niſi quidam gradus eminens ſpecialis in anima, & relatio, qua quis diſponitur ad exequendum aliquem actum eminentem in Eccleſia, & non ſignum ſenſibile extrà: omne autem ſacramentum eſt ſignum ſenſibile extrà, propriè loquendo, niſi extendas nomen *ſacramenti*, tam ad rem, quæ eſt in anima, quàm ad illam, quæ extra animam eſt, & illo modo character poteſt dici ſacramentum, quia per characterem eſt aliquis formaliter in tali gradu: & ſic concederem, quòd ordo eſſet ſacramentum propriè; ſed ordinatio, qua quis conſtituitur in determinato miniſterio circa Euchariſtiam, & collatio Ordinis per illa ſigna ſenſibilia, eſt ſacramentum, quia eſt aliquod ſignum ſenſibile factum circa ordinatum, in quo ſigno ſenſibili confertur ſibi character, & ordo ſpiritualis, cui annectitur poteſtas, vel auctoritas ſpiritualis, ad exequendum actus excellentes in Eccleſia. Sic ergo patet ratio huius nominis, *Ordo*, vel *ordinatio*, vt eſt ſacramentum, quia *eſt collatio determinati miniſterij per aliquod ſignum ſenſibile, ſiue collatio determinati gradus ad miniſtrandum circa Euchariſtiam facta à miniſtro idoneo certa verba cum intentione debita proferente, ſignans efficaciter ex inſtitutione diuina effectum gratiæ inuiſibilis, quo ordinatus dignè aliquod miniſterium exequatur.*

Definitio Ordinis.

11. Ex illa deſcriptione patet quòd materia huius ſacramenti eſt aliquod ſignum ſenſibile externum, vel oſtenſio gradus eminentis in aliquo ſigno viſibili, ad exequendum aliquem actum excellentem circa corpus Chriſti verum, vt in ordinatione Sacerdotij materia eſt oſtenſio alicuius ſigni viſibilis, vt impoſitio manus Epiſcopi ſuper caput eius; & in ordinatione Diaconatus datio, vel traditio codicis Euangeliorum; & in Subdiaconatu traditio calicis, vel patenæ, & ſic de aliis, quibus omnibus coniungitur poteſtas aliqua determinati ſeruitij circa Euchariſtiam conſecrandam.

In ſacerdotio datur poteſtas duplex.

Et Sacerdoti quidem confertur duplex poteſtas in Ordine ſacerdotij, in aliquo ſigno ſenſibili vno, ſcilicet, ad conficiendũ corpus Chriſti verũ,

& abſoluendum corpus Chriſti myſticum ſecundùm vnam opinionem: ſi verò non ſimul, nec in vno ſigno ſenſibili, ſed in pluribus confertur illi hæc duplex poteſtas, vt dicit alia opinio, tunc debet dici quòd Epiſcopus primò confert ei auctoritatem conficiendi corpus Chriſti verum; deinde auctoritatem abſoluendi corpus Chriſti myſticum, ſicut Chriſtus priùs fecit Apoſtolos ſacerdotes in cœna, vbi dedit eis poteſtatem ſuper corpus Chriſti verum conficiendum, & ſi tunc fuiſſent mortui, fuiſſent veri ſacerdotes Chriſti ſine auctoritate abſoluendi corpus Chriſti myſticum, quam poſteà dedit eis poſt reſurrectionem, Ioan. 20. *Quorum remiſeritis*, &c.

Sic igitur patet in genere quid eſt materia huius ſacramenti, quia oſtenſio alicuius gradus eminentis in aliquo ſigno viſibili, ad exequendum aliquem actum excellentem circa corpus Chriſti verum, eſt materia; & ſecundùm diuerſas ordinationes ſunt diuerſæ oſtenſiones talium graduum in ſignis viſibilibus. Forma verò huius ſacramenti ſecundùm diuerſas ordinationes, & gradus eminentes in Eccleſiia, ſunt certa verba, quæ ſunt ſcripta in libris Epiſcoporum; alia quidem in ordinatione Sacerdotij, alia in Dia conatu, & ſic de aliis, quorum vtrorum aliqua ſunt neceſſaria, aliqua tantùm ad ornamentum.

Quæ ſit materia & quæ forma huius ſacramenti.

12. Miniſter verò idoneus ad conferendum Ordines, & maximè tres Ordines ſacros, eſt ſolus Epiſcopus, quia interdum conferre quatuor Ordines inferiores committitur aliis quam Epiſcopis, vt Abbatibus, & Prioribus, & ideò conuenientiùs ponitur miniſter idoneus, quàm Epiſcopus in illa deſcriptione priori quantùm ad conferentem; licèt ad Epiſcopum pertineat etiam ordinare ſecundùm omnes Ordines ex officio.

Solus Epiſcopus eſt miniſter idoneus in ſacris Ordinibus conferendis.

Effectus Ordinis.

Effectus verò propinquus ſacramenti ordinationis, & res, eſt determinatus gradus eminentiæ in Eccleſia, ad miniſtrandum circa Euchariſtiam, vel character, vel ordo, qui ſunt res, & effectus propinquiſſimus, quem ſignat ſignum viſibile, quod eſt ſacramentum, & iſti effectui ſemper coniungitur, quantùm eſt ex vi ſacramenti effectus vltimus, & principaliter intentus, ſcilicet, gratia inuiſibilis, gratum faciens, ac diſponens ad congruè, & dignè exequendum actum conuenientem tali gradui in Eccleſia circa Euchariſtiam conſecrandam. Sicut enim natura dat gradus, & diſpoſitiones conuenientes effectui principali, vt patet in organizatione corporis reſpectu creationis, & infuſionis animæ: ſic Deus, cuius perfecta ſunt opera, dat diſpoſitiones ad effectus principales ſacramentorum: ſic igitur probatur quòd ordinatio, vel collatio Ordinum, vel inſtitutio in gradibus eminentibus Eccleſiæ, eſt ſacramentum, & quòd tot ſunt Ordines, & ordinationes, quot ſunt collationes, vel inſtitutiones in talibus gradibus præeminentiæ.

13. Quantùm ad quartum principale, an ſcilicet Ordo, vel ordinatio ſit vnum ſacramentum, vel plura? Reſpondeo, quòd quantùm ad maiorem diuiſionem ſacramenti, qua ſcilicet ſacramentum diuiditur in ſeptem ſacramenta, ſacramentum Ordinis, vel ordinationis, eſt vnum, non ſimpliciter, ſed tantùm vnitate generis; ſeu vnum continens ſub ſe ſeptem ordinationes, vel ordines, vt genus: ſicut ſubſtantia diuidens ens eſt vnum diuidẽs, continẽs ſub ſe multas ſubſtantias, ſcilicet, corporalem & incorporalem, corruptibilem & perpetuam, & ſic de aliis. Illo etiam modo diuiditur virtus cardinalis in quattuor ſpecies; Fortitudinem, Temperantiam, Prudentiam, & Iuſtitiam, quarum quælibet vlteriùs diuiditur in multas ſpecies. Probatur per Philoſophum 2. *Ethicorum.* 3. & 4, & 5. quia ſub iuſtitia continetur tam diſtributiua, quàm commutatiua, & ſub iſtis aliæ ſpecies ſpecialiſſimæ. Eodem modo de aliis, prudentia, & fortitudine, & temperantia, & ſic de aliis; & ſic ſacramentum Ordinis eſt vnum genere, habens ſub ſe plures ſpecies, ſeptem ſcilicet ad minus, quæ ſunt diuerſæ rationis, & alterius ſpeciei, non tantùm eiuſdem rationis & ſpeciei, & diuerſæ numero. Probatur, quia numero differunt ſacerdotium in illo, & in illo, igitur multò plus differunt ſacerdotium & diaconatus, ſiue in eodem, ſiue in alio; ergo vnitas ſacramenti Ordinis eſt vnitas generis, & non vnitas ſimpliciter, ſed diuerſitas eſt ſimpliciter tanta diuerſitate, quot ſunt ſpecies eius.

Ariſtot.

Sacramentum Ordinis continet ſub ſe plures ſpecies.

14. Sed qualis eſt iſte ordo, vel ordinis vnitas? Dico quòd vnitas ordinis, quæ eſt vnitas generis, ſiue vnitas, ſecundùm magis perfectum, & minùs perfectum, eſt ſimpliciter neceſſaria quantùm ad finem, ad quem omnes ordines ordinantur, ſcilicet ad conſecrationem Euchariſtiæ, quia per acceſſum, vel receſſum ab illo; ſic dicitur vna ordinatio perfectior alia. Sed quantùm ad ſuſcipientem ſacramẽtum Ordinis, licèt eſſet ordo neceſſarius in recipiendo gradatim Ordines, vt primò inferiores, & poſteà ſuperiores, non tamen eſt alicui ſuſcipienti talis ſuſceptio Ordinis ſimpliciter neceſſaria; quia ſi primò ordinaretur Diaconus, & poſteà Sacerdos, non oporteret iterari alios ordines ſuper eum, incipiendo à prima tonſura vſque ad iſtas, quia neceſſitas obſeruandi ordinatè, & ſuſcipiendi iſtos gradus, nec eſt de Iure poſitiuo Chriſti, nec Eccleſiæ. Non Chriſti, quia ipſe in cœna fecit, & ordinauit Apoſtolos ſacerdotes, nullo Ordine priori ſuſcepto ad hoc. nec de Iure Eccleſiæ, patet *extra de clerico per ſaltum promoto*, vbi habetur quòd *ſi aliquis non Diaconus, vel Subdiaconus, promoueatur ad Sacerdotium, & ita ordinetur per ſaltum, non eſt ſacramentum Ordinis ſacerdotij iterandum, ſed quod incautè eſt prætermiſſum, cautè ſuppleatur.*

Ordo ſuperior non neceſſariò præſupponit inferiorem.

15. Per hoc ad argumenta. Ad primum, cùm arguitur quòd tunc erunt 13. Sacramenta. Dico quòd ſecundùm primam diuiſionem ſacramenti, non ſunt niſi ſeptem ſacramenta: vnum tamen diuidentium continet ſub ſe ſeptem ſpecies diuerſas, quæ poſſunt dici ſeptem ordines & ita poſſunt concedi ſtrictè loquendo, 13. Sacramenta: ſicut ſubſtantia, vel virtus continet ſub ſe ſpecies multas, & ſubalternas, & ſpecialiſſimas, & tamen eſt vnum diuidens entis, vel qualitatis.

Ad Arg. principale primum.

Ad ſecundum, cùm arguitur quòd multi characteres non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto: Dico quòd characteres illi, & gradus eminentes, quibus annexæ ſunt diuerſæ poteſtates, & auctoritates exequendi diuerſos actus pertinentes ad Euchariſtiam, ſunt diuerſæ ſpeciei, poſito etiam quòd eſſent eiuſdem ſpeciei, nullum ſequitur inconueniens, quia tales characteres non ſunt niſi quædam relationes; ſed plures relationes eiuſdem rationis poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, vt plures paternitates in eodem patre, & multò magis plures relationes rationis,

Ad ſecundũ.

tionis, cuiuſmodi ſunt characteres in anima, vt ſuprà patuit.

16. *Ad tertium.* Ad aliud, cùm dicitur quòd in primitiua Eccleſia, & in veteri lege non erant niſi duo Ordines, ſcilicet Diaconatus & Sacerdotium; dico quòd hoc eſt falſum, quia in primitiua Eccleſia erant omnes ſeptem Ordines inſtituti a Chriſto immediatè, & illos Chriſtus in perſona propria exercuit, & omnes actus illorum, ſicut dicit Magiſter in litera, ibi, *Omnis actus*, &c. quia illorum omnium præceſſit figura in veteri Teſtamento, ſicut ibi in cap. 1. *Vtilitatem*, &c. In primitiua autem Eccleſia pauci erant adhuc conuerſi ad Deum, & ideò propter paucitatem illorum credentium ſufficiebat tunc paucitas miniſteriorum in Eccleſia, vt Diaconatus, & Preſbyteratus. Medio autem tempore, quando fides Eccleſiæ erat multiplicata, Eccleſia multiplicauit miniſtros, & officia, non tunc inſtituendo Ordines, quia omnes priùs erant inſtituti à Chriſto; ſed tunc illos quinque Ordines conferendo, quando erat neceſſarium illos conferre. Populus enim de nouo tunc conuerſus nutriebatur lacte, & quaſi quotidie communicabat, & non poterat tunc vnus exequi omnes illos actus pertinentes ad ſuſceptionem, & diſpenſationem Euchariſtiæ. Imò quilibet in gradu ſuo habuit ſatisfacere, vt ille ad arcendum præciſum à communione fidelium, & ille ad effugandum dæmones per exorciſmos, & orationes, & ſic de aliis. Modò verò quando viget fides, etſi habeantur omnes iſti Ordines, ſed non ſunt neceſſariò ita diſtincti, ſicut in medio tempore, quia fidelibus in Eccleſia nutritis ſolido cibo fidei ſufficiunt tres Ordines ad omnia neceſſaria circa Euchariſtiam exequenda.

Omnes hi ſeptem Ordines erant immediatè inſtituti à Chriſto.

Quare duo tantum, Ordines erant in vſu in Eccleſia primitiua.

In primitiua Eccleſia omnes Ordines ſimul conferebantur.

Dico ergo, quòd in primitiua Eccleſia non omnes Ordines erant neceſſarij, ſicut medio tempore, & modò, quia quatuor minores Ordines ſimul in vna ordinatione conferuntur, quia aliter eos conferri modò non eſt neceſſarium. Tunc autem omnes conferebantur in Ordine Diaconatus, & Preſbyteratus.

17. *Ad quartũ.* Ad aliud de Dionyſio, & Iſidoro, dico quòd Dionyſius accipit Ordinẽ propriè primo modo dictum pro dignitate includente plures actus tales, vel plures gradus eminentes, quomodo nos non loquimur in propoſito, licèt aliquo modo poſſet ſuſtineri quòd eſſent nouem Ordines.

Ad quintũ. Prima tonſura non eſt Ordo.

Ad aliud de Tonſura prima, dico vno modo, quòd non eſt ordo, nec res ſacra, quæ formaliter ſignificatur per ſacramentum, quia eſſent octo Ordines. Et cùm probas quòd ſic tonſus gaudet priuilegio Clericali. Reſpondeo quòd ſicut Religioſus profitendo aliquam regulam gaudet priuilegio Religionis, etiamſi ſit laïcus in Religione: ita laïcus ſuſcipiens primam tonſuram gaudet Priuilegio ordinatorum, non quòd ſit ordinatus, vel quòd ſuſceperit rem ſacram, ſed quòd ſuſcepit aliquam diſpoſitionem congruam ad Ordinum ſuſceptionem.

DISTINCTIO XXV.

De collatione Ordinum.

QVÆSTIO I.

Vtrùm pœna Canonica excludat à collatione & receptione Ordinum.

D. Thom. 1. 2. *quæſt* 100. *art.* 6. Richard *hic art.* 3. *quæſt* 3. & 4 D. Bonauent. *art* 2. Suar. *tom* 5 *diſp* 11. *ſect* 1 & *diſp* 22 *ſect* 2 *vbi de excommunicatione, & diſp* 33 *ſect* 3. *de interdicto, & diſp* 31 *de eo qui in cenſura Ordines ſuſcepit.* Lace. *Tractatus de cenſuris.*

CIrca diſtinctionem 25 de collatione Ordinum quæro: *Vtrùm excommunicatio, vel irregularitas, vel quæcunque pœna Canonica excludat ſimpliciter à collatione, vel ſuſceptione Ordinum?* 1.

Arguitur quòd non. Quia Sacerdos irregularis verè conficit corpus Chriſti. Similiter Epiſcopus irregularis verè confert Ordines ſacros, quia aliquis ab eo ordinatus non eſt reordinandus; ergo pœna Canonica non excludit ab actu ſacramentali vel eminenti gradu in Eccleſia. *Arg primum negatiuum.*

Item, irregularis non excluditur à perceptione aliquorum ſacramentorum, quæ ſi percipiat, verè percipit. Nam irregularis intendens communicare, vel confiteri, ſi communicet, vel confiteatur, verè illa ſacramenta percipit: ergo à ſimili ſi aliquis irregularis conferat, vel ſuſcipiat Ordines, verè factum eſt, quod facit. *Secundum.*

Item, hæreſis magis excludit à communione Eccleſiæ, quàm alia pœna Canonica, quia pœna talis non datur niſi iis, qui ſunt in Eccleſia: ſed hæreſis non excludit à ſuſceptione Ordinũ, quia hæretici poſſunt Ordines conferre, ſicut & baptizare, ſicut habetur *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. *Quod quidem*, vbi de hoc habetur longum capitulum, & eſt Auguſt. libr. 2. contra Parmenian, & ponitur in litera diſtinctione iſta, cap. 20. *Tertium.* Auguſt.

Contrà prima, quæſt. prima: *Si quis à Simoniacis*, dicit Canon; *Qui ſcienter ſe conſecrari, imò execrari permiſerint, eorum conſecrationem omnino irritam decernimus*: ergo, &c. 2. *Ratio prima ad oppoſitum.*

Item, quod Eccleſia poteſt dare, hoc poteſt & auferre: ſed Eccleſia poteſt conferre gradus diuerſæ dignitatis in Eccleſia; ergo illos poteſt ad tempus auferre, quantùm ad vſum, & executionem illorum: ergo. *Secunda.*

Item, Eccleſia ſimpliciter excludit aliquas perſonas à matrimonio contrahendo, & facit eas illegitimas ad contrahendum ſimpliciter, & ſine culpa earum. Probatur de ſe, vt in his, qui ſunt citra quartum gradum conſanguinitatis, vel affinitatis; ergo multò fortiùs poteſt Eccleſia propter culpam iuſtè infligere aliquam pœnam coercentem à collatione, & ſuſceptione Ordinum. *Tertia.*

SCHOLIVM.

Definit pœnam canonicam, & mirabili comprehenſione explicat ſex ſpecies eius; depoſitionem ſeu

degradationem, infamiam, irregularitatem, excommunicationem, interdictum, & ſuſpenſionem. Ponit præcipua concernentia has pœnas, & exactiſſimè pro breuitate: & finitque quinque vltimas impedire, ne licitè Ordines conferantur, recipiantur, vel exerceantur; ſed non tollunt ne valide hæc fiant. Dubium eſt, de degradatione Epiſcopi an inualidet, ſi quid fiat à tali? & tenentes non eſſe ordinem, habent dicere, vt videtur, quòd ſic: ſed verius eſt ordinem eſſe, & longè nobiliorem, quàm ſit Lectoratus, vel Oſtiariatus: de quo diſt. præcedenti. Vide Doctorem fuſius in Oxon. hæc quæſt. & ſcholia ibi poſita, & miraberis, quàm multa deçidantur ad Cenſuras ſpectantia in tanta breuitate.

3. *Quid ſit pœna canonica.*

DIco quòd pœna Canonica eſt punitio infligenda, vel inflicta alicui, ſecundùm Canones prohibens, vel arcens ipſum ab aliquo actu, qui aliàs ſibi liceret. Vnde non eſt pœna Canonica inflicta laïco, quòd non poſſet confiçere corpus Chriſti, quia ſibi aliàs non punito non competit ille actus. Hoc quantùm ad pœnam Canonicam in generali.

Quotuplex ſit pœna canonica.

Reſpondeo igitur ad quæſtionem, quòd huiuſmodi pœna generalis diuiditur in plures particulares, quæ ſunt depoſitio, vel degradatio, infamia, irregularitas, excommunicatio, interdictum, & ſuſpenſio. Prima pœna Canonica eſt

Prima & ſecunda pœna.

degradatio, vel *depoſitio*, quæ differunt, ſicut ſuperius & inferius, quia *degradatio* eſt deiectio ab aliquo vno Ordinum, vt gradu Sacerdotij, vel Diaconatus tantùm, & non ab alio. *Depoſitio* autem eſt deiectio, vel degradatio vniuerſalis, vel totalis ab omni Ordine, & executione cuiuſcunque Ordinis, vel ordinationis, & non ſolùm ab executione Ordinum, ſed etiam eſt perpetua & finalis ſegregatio à ſocietate ordinatorum, & ſtatu clericali. Vnde hæc pœna non inflicta eſt à Canone, vel à Iure, ſed eſt infligenda à Iudice, & hoc pro tribus delictis, vel criminibus, ſcilicet, pro hæreſi, pro ſchiſmate, & reuelatione confeſſionis. De primo, quòd

Depoſitio & degradatio, in quo differunt?

Degradatio inſtigenda nõ eſt niſi in tribus delictis.

debet infligi hæc pœna degradationis pro hæreſi probatur in primo titulo *extrà de hæreticis*, *Ad abolendum*. De ſecundo, quòd habeat infligi degradatio pro ſchiſmate, probatur *extrà de ſchiſmaticis cap. vltimo*. De tertio, ſcilicet quòd habet infligi pro reuelatione confeſſionis, patet *de pœn. diſtinct. 6. Sacerdotibus*. Et *extra de pœn. & remiſſ. cap. omnis vtriuſque*: de iſtis omnibus habetur in ſexto libro.

4. *Tertia pœna*

Tertia pœna Canonica, *infamia*, qua aliquis infamis eſt, non eſt infamia, qua aliquis poteſt infamari, vel aliquis eſt diffamatus ſine culpa; ſed qua aliquis eſt infamis in moribus, & in vita, quouſque purgauit ſe canonicè, & vſque tunc ſuſpendendus eſt à ſuſceptione Ordinum.

Quid ſit infamia?

Habetur *Extrà de purgatione canonica. Extrà de teſtibus: Teſtimonium. Et extr. de exceſſibus Prælatorum: inter dilectos*, quia infamia illo modo eſt *ſtatus læſæ dignitatis quantùm ad vitam, vel mores*. Sed hæc infamia, & ſtatus læſæ dignitatis aliquando infligitur ipſo Iure; aliquando infligitur à Iudice, vt quando aliquis primò periurus coram Iudice, & poſtea conuictus vt delator falſi criminis, vel perpetrator alterius criminis, de quo conuincitur, poteſt de Iure pronunciari infamis à Iudice. Et hæc propriè eſt *infamia Iuris*, quæ incurritur ipſo Iure, quando aliquis facit aliquod peccatum, pro quo eſſet aliàs deponendus. Sed iſta infamia Iuris dupliciter incurritur à duplici Iure, quia tam à Iure ciuili, quam à Iure Canonico, & breuiter hæc pœna debet infligi tam à Iure, quàm à Iudice, propter omnia crimina pertinentia ad vitam, & ad mores, quæ ſecundùm leges ciuiles, vel leges Iuſtiniani eſſent punienda, vel quibus criminibus hæc pœna ſecundùm leges infligitur, ſicut patet *prima quæſt. §. Omnes. ff. de his, qui notantur infamia.* Licèt enim ius Canonicum non ſit idem cum Iure ciuili, quia vnum poteſt eſſe ſine alio, tamen quicunque eſt infamis in Iure ciuili, eſt infamis in Iure Canonico, & non è conuerſo. Et ex hoc habetur quòd leges Iuſtiniani non deſtruuntur per Ius Canonicum, ſed quòd magis authenticantur per ipſum, & ideò infamis ex Iure non poteſt eſſe Iudex, nec teſtis, nec accuſator, nec multò magis poteſt recipere Ordines ſacros. *Infamia* verò *facti*, vel de facto, non eſt propriè infamia, quia ſuſpicio talis facti infamis poteſt eſſe falſa, & ideò poteſt eſſe teſtis, & huiuſmodi, ſed non ſuſcipere ſacros Ordines, quouſque reſtituatur ſibi fama.

Infamia Iuris quotuplex, & quibus delictis incurritur.

5. *Quarta pœna.*

Quarta pœna Canonica eſt *irregularitas*, quæ eſt ſuſpenſio perpetua, quantùm eſt ex genere huius pœnæ ab executione Ordinum omnium perpetuò, quia quilibet irregularis eſt ſimpliciter ſuſpenſus, & hæc pœna incurritur ipſo Iure, propter aliqua crimina pertinentia ad Ordines, vel alia ſacramenta, quæ ſunt quatuor, vel quinque:

Quid ſit irregularitas.

In quibus incurritur

Simonia, fictio Ordinum, & miniſtrare in Ordine non ſuſcepto, contumacia contra Eccleſiam, in non ſeruando interdictum, & excommunicationem maiorem latam à Iure; actiua, vel paſſiua iteratio ſacramenti iam ſuſcepti. Incurritur etiam pœna irregularitatis propter non crimina tria, vt habetur *Extr. de pœn. c. ſi quis presbyter.* Scilicet propter ſeruitutem; illegitimationem; mutilationem enormem in corpore, quæ impediũt quemlibet dignè miniſtrare in Eccleſia, quia Eccleſia voluit habere dignos miniſtros, & perfectos in natura. Incurritur etiam irregularitas propter aliqua quæ poſſunt eſſe peccata in aliquo caſu, & non in alio ſicut propter homicidium, mutilationem actiuam, & bigamiam, quia omnia iſta poſſunt eſſe iuſtè, & iniuſtè in diuerſis caſibus. De iſtis per ordinem, & primò de illa irregularitate, quæ contrahitur propter peccata, vt propter Simoniam, &c.

Quòd diſtenſet in ſimoniis Ordinũ, & beneficij.

Primò de *Simonia* dico quòd *Simonia* vniuerſaliter facit hominem irregularẽ, ſi ſcienter aliquis emat Ordinem, vel vẽdat. Et in illa irregularitate ſolus Papa diſpenſat, qui nunquam, vel rarò in ſimonia Ordinis diſpẽſat, vt patet *Extra de ſimonia, Ex tunc*. Licèt quandoque in Simonia beneficij diſpenſet, & hoc facit rationabiliter, quia aſſecutus aliquod beneficium Eccleſiaſticum ſimoniacè, non eſt irregularis, niſi ſecundùm *quid*, & per accidens, inquantùm poſt tale beneficiũ ſic aſſecutũ ſuſcepit aliquos Ordines, & in talibus ſine diſpenſatione miniſtrauit. Hoc patet, quia abſque omni diſpẽſatione noua poteſt in Ordinibus legitimè ſuſceptis licitè miniſtrare, & eo ipſo, quo diſpenſatum eſt cũ eo in Ordine, quem ſecũdùm *quid* ſimoniacè ſuſcepit, poteſt vlteriùs abſque alia diſpẽſatione promoueri ad alios Ordines, vel beneficium Eccleſiæ. Quando verò non ſciẽter, ſed ſimpliciter ignoranter ignorantia inuincibili eſt promotus, vtpote ſicut ignorans patrem, vel alium aliquid dediſſe Epiſcopo pro eius promotione

tione ad Ordines, vel beneficium, denarios, vel aliquod munus temporale, non eſt ſimpliciter irregularis, ſed tantùm ſecundùm *quid*, inquantùm conſecutus eſt Ordinem per illum modum, & tunc quàm citò habuit huius rei notitiam, debuit renunciare beneficio ſic aſſecuto, & deſiſtere à miniſtratione Ordinis ſic ſuſcepti, quouſque cum eo fuerit diſpenſatum, quod ſit leuiter, quia ipſe non peccauit. Argumentum ad hoc, *Extra de clerico excommunicato miniſtrante. Apertè.* Si tamen commiſſa fuerit ſimonia ſcienter ex parte ordinati, vel ordinantis, vel etiam præſentatoris, cum eo, qui ſic ſcienter eſt Simoniacus, nunquam diſpenſat Dominus Papa, etiamſi intret Religionem, quin ſemper ſit irregularis. Sic patet *extra de Simoniacis, Ex tunc.* Ipſe etiam ſolus Dominus Papa cum Simoniacis, qui ſcienter ſpirituale, vel ſpirituali annexum, ſic ſuſcepit, poteſt diſpenſare; ſicut patet per id *i. quæſt. 1. Erga*, vbi tales damnat, ac deponit ab omni gradu Eccleſiæ Apoſtolica auctoritate ſcienter. Et ſimiliter *extra de ſimonia. nobis fuit, in text. & in gloſſ.*

7. *Secundum crimen.*

De ſecundo peccato, & crimine, propter quod incurritur irregularitas, ſcilicet *furatione, ſeu furto Ordinum*, dico quòd vt ſit prohibitio ſub pœna excommunicationis, quòd nullus recipiat huiuſmodi Ordines, ſi non fuerit priùs examinatus ab Epiſcopo illius diœceſis, vel ſaltem ſuper hoc habeat licentiam à ſuo Epiſcopo per literas dimiſſorias, ſicut fit communiter. Et tũc dico quòd ſolus Papa poteſt diſpenſare cum eo. Sicut patet extra *de temporibus ord. de eo, qui furatur Ordines per totum cap. Veniens, & cap. Cum habetur, & cap. cùm innotuit.* Si verò non fuit prohibitum per excommunicationem, vel aliquam pœnam latam à Iure, tunc poteſt Epiſcopus ille, à quo ſic ſuſcepit Ordines diſpenſare cum eo. Si verò miniſtret in Ordine non ſuſcepto, vt laïcus in Officio Sacerdotis, ipſo facto eſt irregularis, nec diſpenſatur cum eo communiter, nec ibi poſſet aliquis diſpenſare, niſi ſolus Papa; ſic patet *extr. de cler. miniſt. in ordine non ſuſcepto per totum.*

Cum furtiuè ſuſcipiente Ordinem quis poteſt diſpenſare?

Quæ pœna miniſtrantis in Ordine nõ ſuſcepto.

Crimen contumaciæ.

Tertium crimen, propter quod incurritur irregularitas, eſt *contumacia contra Eccleſiam*, in non ſeruãdo interdictum, & excommunicationẽ maiorem, vel ſuſpenſionem latã à Iure, vel à Iudice, in qua ſolus Papa diſpenſat, ſicut patet *Extr. de ſententia excommunicationis. Cùm medicinalis, & extr. de pœn. & rem. Iudicis æterni.*

8. *Crimẽ quar tum.*

De quarto crimine, propter quod incurritur irregularitas, eſt *iteratio ſacramentorum non iterabilium*, ſiue ſit actiua, ſiue paſſiua. Et de hac dicitur, quòd eſt irregularitas indiſpenſabilis niſi tantùm à ſolo Papa, quantùm ad vtrumque, ſcilicet dantem, & recipientem, ſicut habetur de *cõſ. d. 4. Qui bis.* Sed illa pœna non eſt inflicta eis à iure, vel à iudice vniuerſali, ſed tãtũ à Theodoro Epiſcopo Cantuarienſi, qui nõ poteſt facere aliquem irregularem, niſi proprium ſubditum, qui eſt de ſua diœceſi, & ideò non poteſt infligi hæc pœna vniuerſaliter omnib⁹, niſi Dominus Papa, qui habet Iuriſdictionem vniuerſalem in omnes, eam infligat. Et vniuerſalis maxima eſt mihi in talibus, quod vbi aliquid nõ ex iure eſt prohibitum, nec infiictum, non eſt infligendum, quia fauores ſunt ampliandi, & odia reſtringenda ſemper in communibus, & vniuerſalibus legibus.

De pœna iterantis ſacramentum non iterabile.

Sequitur ſecũdò de illis, quæ nõ ſunt crimina, propter quæ tamen incurritur irregularitas, quæ ſũt ſeruitus, illegitimatio, enormis mutilatio paſſiua.

Irregularitas ex non crimine.

9. *De ſeruitute*

De *ſeruitute*, quòd faciat aliquem irregularem ſi recipiat Ordines, & quòd prohibeantur ſerui ordinari, patet *in Canon. d. 4. Extra de ſeruis non ordinandis* per totum. Ratio; quia ordinati deputantur ad miniſtrandum circa Euchariſtiam, quod eſt ſacramentum digniſſimum, & liberrimum; ſerui autem non ſunt ſui iuris, & liberi, ſed dominorũ ſuorum. Vnde ſi dominus requirat ſeruum ſuum, ſine licentia ſua Sacerdotem iam factum, ille debet ſibi reddi vt ſeruus ad ſeruiẽdum, ſed in gradu ſuo, qui ſibi competit ex ſuſceptione Ordinis in actibus illius Ordinis, vt ſi ſit Sacerdos ad celebrandum, ſi Diaconus ad legẽdum Euangeliũ, & ſic de aliis, debet manuteneri, & non debet hero ſeruire poſt Ordines ſic ſuſceptos in actib⁹ ſtatui ſuo non competentibus, vt fodiendo, vel arando, & ſimilibus propter rẽuerentiam ſacramenti, & dignitatem eius, ſed in aliis decentibus miniſteriis debet, quia nullus priuatur ſuo iure ſine ſuo delicto: Ergo.

Quare ſerui ſunt irregulares?

Secunda pœna, quæ nõ eſt culpa, propter quã ſit homo irregularis, & ineptus ad ſuſceptionem Ordinum, niſi priùs cum eo diſpenſetur, eſt *illegitimatio*; nec mirũ; quia de illegitimis præſumitur, quòd nõ ſint benè nati, ſed male, & malè nutriti, malè autẽ nutriti nõ debent in ſacris Ordinibus miniſtrare. De hac pœna habetur *Extr. de filiis presbyterorum non ordinandis, & perſonis illegitimis cap. 1. & diſtinct. 56.*

De illegitimatione.

Quare illegitimi ſunt irregulares?

Tertia pœna, non culpa impediẽs ſuſceptionẽ Ordinũ, eſt *enormis mutilatio*, vel grauis infirmitas; nec mirũ, quia tales miniſtri infirmi, & paſſione grauati, ſeu mutilati, eſſent in ſcandalũ puſillis in Eccleſia, ex quo ſacramentum Euchariſtiæ, cui omnes Ordines obſequũtur, eſt ſummũ, & excellentiſſimũ in Eccleſia, & occaſione talium miniſtrorũ poſſet à puſillis contẽni, vel minùs reuereri; de hac pœna habetur *d. 25. & Extr. de mutil. & corpore vitiat. c. Expoſuiſtis.* De duabus vltimis pœnis poteſt faciliter haberi diſpenſatio à Papa, & aliis, quibus hoc ipſe committit.

De mutilatione.

Quare turpiter mutilati, vel infirmi irregulares ſunt?

10. *De homicidio.*

Deinde, tertiò conſequuntur duæ pœnæ, quibus contrahitur irregularitas, quæ poſſunt quãdoque eſſe cum culpa, & crimine, quãdoque ſine culpa, vt *homicidiũ*, cui coniungitur enormis mutilatio actiua; & *bigamia.* De *homicidio* dico quòd homicidiũ, aut eſt voluntariũ; aut inuolũtariũ; aut partim voluntariũ, partim inuoluntarium; aut nec inuoluntarium, nec voluntarium, quia eſt in non habente rationem. Iſte vltimus non eſt irregularis, patet *diſt. 15. q. 1. Aliquos.*

Homicidiũ ſimpliciter inuoluntariũ non indiget diſpẽſatione omnino. Homicidiũ ſimpliciter voluntariũ non recipit diſpenſationẽ. De volũtario, & inuoluntario patet in Canon. *de hom. d. 50. c. Miror.* De volũtario autẽ ſecundũ *quid*, vt ſi Sacerdos defẽdẽs ſe occiderit, dico quòd eſt irregularis, & cũ eo diſpẽſatur, patet de iſtis, *Etra de homicidio voluntario, & inuoluntario, d. 55. c. vlt. & diſt. 50. c. Miror, & ibid. de hom. c. de his cunctis clericis. c. de his cleric. qui in obſidion.* Et ſi in homicidio fiat diſpenſatio, multò magis in mutilatione actiua, quia minus malum eſt, quod aufertur. De hoc *in Canon. d. 50.* quòd verò mutilans aliquem actiuè ſit irregularis, patẽt expreſsè per Dominum Hoſtienſem titulo *de homicidio* in Summa ſua, & allegat ad hoc multas Decretales.

De bigamia dico quòd eſt pœna nõ recipiens diſpenſationem. *Extr. de bigamis non ordinãdis.* vbi aſſignatur ad hoc ratio, quia oportet Epiſcopum

De Bigamia

eſſe

esse vnius sponsæ virũ, bigamus nõ est talis, & in Canon. *de hom. c. de his clericis, & c. de his, quarta pœna clericis, qui in obsidione, & ibid. Si quis.* De bigamia & homicidio quare vnũ recipit dispẽsationẽ, & aliud non, dicetur in materia de matrimonio.

11. *De excommunicatione.*

Quinta pœna inflicta à Canone est *excõmunicatio*, quæ cõsequitur multa crimina, & pro multis criminibus debet infligi sicut patet *extra de sententia excommunicationis, & extra de schismaticis. Ad Abiiciendos. c. vlt.* & hæc pœna excommunicationis est grauior omnibus aliis pœnis Canonicis, quia ipsa inflicta à Iudice vniuersali, vel Iure, excludit simpliciter à Cõmunione fideliũ, quod non faciunt aliæ pœnæ Canonicæ. Excommunicatio autẽ est duplex, maior & minor. Maior, quando Canonicè, & nominatim prohibetur communicatio cũ alio, & hoc peremptoriè multis præcedẽtibus monitionibus, & hoc vel ipsius excommunicati ad alios, vel aliorum ad ipsum, & hæc faciliter non recipit dispẽsationem. Alia est excommunicatio minor, vt quando aliquis communicat cum aliis, vel ipsi eum eo in casibus nõ concessis à Iure, & hæc recipit dispensationẽ, si posteà immisceat se sacris, licèt grauiter peccet, qui ministrat, vel suscipit actus Ordinum sacrorum: de hoc habetur, *Extrà de clerico excommunicato ministrante, si celebrat.*

Excommunicatio vna maior, alia minor.

12. *De interdicto.*

Sexta pœna est *interdictum*, quæ magis infligitur locis, quàm personis, & ideò magis est pœna, & indignitas loci, quàm personæ. Infertur tamen loco propter malitiam maximã personarũ habitantium in loco. Hæc autẽ pœna interdicti sicut excommunicatio, quandoque infligitur à Iudice, quandoque à Iure. A Iudice propter rebellionẽ, vel aliquem consimilem actum. Etiam infertur quandoq; ab eo quoad talẽ, vel talẽ locũ, vel personã, ita quòd interdictũ semper est talis pœna, qualem infert Iudex. Incurritur autem, vel infligitur à Iure in tribus casibus, vt quando Ecclesia polluitur sanguine, vel semine, vel receptione vsurariorum: de hoc habetur, *Extr. de vsuris.* Illius autem pœnæ mitigatio habetur hodie *in 6. tit. de vsuris*, &c.

De suspensione.

Septima pœna inflicta à Canone est *suspensio*; & hæc infertur dupliciter: Vno modo ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ, vel ministratione sacramentorum ad tempus, vel à susceptione eorum, quantùm ad quinque sacramenta non necessaria simpliciter. Et hæc pœna non est grauis, nisi clericis, quibus incũbit ex officio talia exequi, à quibus suspensi minùs dignè habentur. Aliquando autem infertur hæc pœna à beneficio, & hæc est grauior pœna ipsis beneficiatis, qui magis diligũt pingues Ecclesias, & Præbendas, quàm odiant suspendi, & arctari à communione sacramentorũ ad tempus. Infligitur autem hæc pœna à Iure & à Iudice; à Iure contrà malè, & indiscretè iudicãtes, & contra simili modo excõmunicantes. Sicut patet *de sentent. excomm. Cùm medicinalis, & extr. de sent. & re iudicata, cùm æterni, & extr. de offic. Ordin.* Infertur autem quandoque à Iudice in diuersis casibus, vt ab Episcopis respectu subditorum.

Excõmunicatio quid, & quotuplex.

14. Sed arcẽtne omnes prædictæ pœnæ Canonicæ à susceptione & collatione Ordinum? Respõdeo quòd quinque vltimæ pœnæ arcẽt, & excludunt à collatione, & susceptione Ordinum, & etiam ab eorum executione, quia de his est præceptũ negatiuũ ligãs semper, & ad semper; & ideò quicunque contrariũ eis facit, peccat mortaliter. Vnde omnes illæ pœnæ arcent à susceptione, & collatione actuũ sacramẽtalium de Iure, ita quòd illicitè fit quicquid fit; sed nõ de facto, quin si aliquid fiat suscipiendo vel conferẽdo, vel exequẽdo factũ sit, nec debet iterari de hoc habetur. *1. q. 7. Quod quidem.* Et est Augustini contra Parmenian. & ponitur in litera *distinct. ista cap.*..

Quinque vltimæ pœnæ impediunt collationem & susceptionem Ordinis. Vtrùm Papa possit aduersus tot testatum Episcopæ opinio Iurista rum.

De degradatione, vel depositione dicitur quòd potest infligi, ita quòd talis degradatus nõ potest amplius in actum illum, à quo deponitur, nec de iure, nec de facto. Nam opinio Iuristarũ est, quòd Episcopus degradatus non manet Episcopus, ita quòd si pòst aliquid facit pertinẽs ad officium Episcopi, nihil facit, & tunc debent dicere consequenter, quòd Episcopatus posset dari non Sacerdoti. Alij dicunt, quòd Episcopo degradato nõ aufertur potestas, vel auctoritas simpliciter, sicut nec Sacerdoti degradato, quin si posteà aliquid faciant, vel conferant Ordines, vel conficiãt, verè aliquid faciũt, sicut priùs fecerunt non degradati.

Opinio aliorum.

15. De Sacerdote degradato non est dubium, licèt nõ licitè, vel de Iure hoc faciat, & sic degradatio Episcopi non esset nisi quædã suspensio ab executione Ordinum, propterea remanet in eadem, qua priùs erat, potestate, & hoc ideò, quia secundùm istos, Episcopatus est potestas Ordinis indelebilis, nõ potens destrui, quamdiu manet subiectum huius potestatis, sicut altare cõsecratum indelebiliter manet consecratum, quamdiu manet non destructum. Si autem aliquis fuerit ab Episcopo degradato ordinatus, cõtulat legislatorem, seu iuris cõditorem, vt Dominum Papam: an verè Episcopatus tollitur, vel qualitèr fuerit in tali casu procedendum, vt ei pœna irregularitatis remittatur.

Potestas Ordinis indelebilis.

Sed quo modo habẽt aliæ pœnæ remitti? Dico quòd pœna *infamiæ* non tollitur, nec restituitur per pœnitentiam; sed tantùm per Iudicem, qui illum denunciat infamem; qui habet potestatem restituendi ei famam suam. Pœna autem *irregularitatis* potest tolli per Superiorem, qui potest in talibus dispensare. *Excommunicatio* autem potest tolli per illum, qui potest illum vinculo excommunicationis innodare, & aliæ pœnæ. Similiter de *Interdicto* lato à Iudice, patet quòd potest tolli ab ipso Iudice. Si verò inferatur à iure potest tolli per eum, qui potest super ius. Et similiter de *Suspensione* patet quòd potest tolli à superiore. *Depositio* autem, vel *degradatio* potest tolli tantùm per illum, qui potest super integram restitutionem graduum, vel Ordinum Ecclesiæ.

Quid de ordinato à degradato. Quis restituit ad famam.

Quomodo tolluntur, pœna irregularitatis excõmunicationis, interdicti, & suspensionis.

Ad argumenta. Ad primum, cùm dicitur quòd Sacerdos irregularis conficit, & quòd Episcopus talis confert Ordines. Dico quòd Episcopus irregularis non arcetur à collatione, vel executione Ordinum de facto, sed de Iure, quia non potest licitè exequi actus Ordinum; potest tamen absolutè de facto, quia Episcopatus, qui est Ordo, secundùm vnam opinionem, est potestas indelebilis, & non tantùm est potestas iurisdictionis, & licitæ executionis. Et ideò non probat ratio quòd absolutè possit tolli quantùm ad potestatem, sed tantùm quantùm ad iurisdictionem.

16. *Ad primum principale.*

Episcopatus non est potestas iurisdictionis tantùm.

Ad secundum, cùm arguitur quòd irregularis non excluditur à perceptione sacramentorum; igitur nec Episcopus irregularis à collatione Ordinum, negatur: quia non confert licitè, sed illicitè, licèt conferat Ordines, & auctoritatem, vel potestatem ministrandi circa Eucharistiam; non potest tamen conferre executionem Ordinum, quia potestas exequendi actus Ordinum

Ad secundũ.

depender

dependet à poteſtate iuriſdictionis, quam non habet Epiſcopus irregularis, vel degradatus. Benè enim poteſt aliquis punire, vel puniri quantùm ad executionem alicuius actus particularis ad gradum eminentem, licèt non puniatur quantùm ad poteſtatem, vel auctoritatem exequendi talem actum: ſicut priùs latè patet.

Poteſtas executionis Ordinum dependet à poteſtate iuriſdictionis.

Ad tertium.

Ad aliud de hæreticis dico, quòd non eſt ablata ab eis poteſtas, ſed tantùm iuriſdictio, & executio poteſtatis, & ita hæretici, & irregulares poſſunt conferre Ordines, quantùm ad abſolutam poteſtatem Ordinum, ſed non quantùm ad executionem.

17. *Ad primam rationem in oppoſitum.*

Ad primum in oppoſitum, cùm dicitur quòd Eccleſia poteſt conferre, ergo & auferre. Reſpondendo dico, quòd non eſt ſimile ſecundùm primam opinionem. Patet, quia non poteſt auferre quod confert, quia Deus ex miſericordia ſua multa contulit Eccleſiæ ad conferendum, ad quæ non dedit ei poteſtatem ad auferendum: nec mirum, quia ipſe ſemper dat vltra meritum, & punit citra demeritum. Secundùm verò aliam opinionem, argumentum benè concludit, quia illa poſitio dicit quòd degradatio, & irregularitas non tantùm aufert poteſtatem exequendi actus Ordinum, ſed etiam poteſtatem abſolutè.

Eccleſia multa poteſt conferre quæ auferre non poteſt.

Ad ſecundũ.

Ad aliud, cùm dicitur quòd Eccleſia ſimpliciter excludit aliquas perſonas à matrimonio ne contrahant, & ſi poſt contrahant, nihil faciunt quantùm ad actum matrimonij, dico ſecundùm duplicem opinionem conſequenter, ſecundùm vnam, quæ ponit in depoſitione, vel degradatione Epiſcopi ſimpliciter auferri poteſtatem, & quantùm ad gradum illum in ſe, & quantùm ad executionem, dico quòd verum eſt, quòd talis non poteſt conferre Ordines, non ſolùm de iure, ſed nec de facto, quod ſi faciat nihil fit, ſicut perſonæ illegitimè contrahentes matrimonium, nihil faciunt quantùm ad actum matrimonialem, & tunc eſt ſimile de matrimonio impedito ab Eccleſia, & non collatione Ordinum.

18. *Ad tertiam.*

Si verò teneatur ſecunda opinio, quæ dicit quòd per degradationem, vel depoſitionem auferatur ab Epiſcopo poteſtas tantùm iuriſdictionis, vel executionis actuum ſacramentalium, & non poteſtas in ſe, quia ipſa eſt indelebilis; tunc eſſet dicendum quòd non eſt ſimile de matrimonio prohibito aliquibus perſonis ne contrahant, & poteſtate Epiſcoporum, ne Ordines conferant, quia Eccleſia antequam aliquibus perſonis conferat ſacramentum aliquod, poteſt facere illas illegitimas ad ſuſceptionẽ talis ſacramenti. Patet de bigamis, & aliis cópulatis matrimonialiter cum non virginibus, quòd non poſſunt ad Ordines promoueri. Sicut patet, *extrà de bigamia.* Sed poſtquam alij ſuſceperunt ſacramentum, non poteſt ab eis auferre gradum indelebilem, quem impreſſit in collatione. Patet in charactere Bapti ſmali, & Confirmationis, & ita conferens alicui ſacramentum Ordinis, non poteſt ab eopropter quamcunque culpam auferre iſtud ſacramentum, quantùm ad poteſtatem in ſe, quia eſt indelebilis, licèt poſſet illam auferre quantùm ad executionem. Vnde non eſt tantæ poteſtatis in auferendo, ſicut in conferendo, in quo apparet maxima liberalitas, & miſericordia capitis ſui Chriſti. Eligatur via, quæ magis placet.

Aſſignatur diſparitas inter matrimonium prohibitum & poteſtatem Epiſcopi prohibitam.

Doctor problematicus in hac difficultate videtur.

QVÆSTIO II.

Vtrùm ſexus muliebris, vel ætas puerilis impediat ſuſceptionem Ordinum?

D. Thom. *in addit. quæſt. 39. art. 1. & 2. & hîc quæſt 1 art. 2.* D. Bonauent. *art. 2. quæſt. 1. & 2.* Richard. *art. 3. & 4.* Vaſquez *3 part. diſp 245 cap. 1. & diſp 246 c. 1.* bellarm. *lib. 1 de ſacrament. Ordin.*

VÒd non 3 ad Galat. 3. ſcribitur: *In Chriſto Ieſu, non eſt maſculus, nec fœmina; nec ſeruus, nec liber*; igitur nec ſexus, neque conditio videtur impedire ſuſceptionem Ordinum. Et ibidem dicitur quòd Chriſtus principaliter ordinat, ergo, &c. Deinde, alia ſacramenta non excludunt quin vterque ſexus verè recipiat, patet inductiuè in omnibus per id, quia æquè poſſunt miniſtrari mulieribus ſicut viris. 1. *Arg. primum negatiuum. Ad Galat.*

Item in Can. *diſtinct. 32. cap. vltimo, Presbytera, & 1. cap. mulieres Presbyteras, & 27. quæſt. 1.* dicitur quòd Diaconiſſa non debet ordinari ante 40. annos, ergo mulieres poſſunt accipere Ordines principales, vt Diaconatus, & Preſbyteratus. *Secundum.*

Item, quòd ætas puerilis non impediat ſuſceptionem Ordinis, probatur: quia pueri poſſunt recipere alia ſacramenta imprimentia characterem, vt Baptiſmum, & Confirmationem; Ergo & ſacramentum Ordinis, quod etiam imprimit characterem. *Tertium.*

Item, ordinatus minoribus Ordinibus infra annos diſcretionis non eſt poſtea reordinandus, ſicut habetur: *Extrà de Clerico per ſaltum promoto*, quod non eſt verum, niſi tunc verè Ordines illos ſuſcepiſſet. *Quartum.*

Contrà: quòd ſexus muliebris impediat ſuſceptionem Ordinis patet in Decretis, diſtinct. 23. *Sacratas Deo fœminas, vel Moniales, ſacra vaſa, vel ſacratas pallas contingere, vel incenſum circa altare deferre, nullatenus permittimus, &c. quia omnia talia eorum miniſteria reprehenſione, & vituperatione plena eſſe nulli ſapienti dubium eſt.* Sed quod impedit contrectare, vel contingere ſacra, multò magis impedit ſuſceptionem Ordinum: ergo ſi ſexus impediat primum, & ſecundum. 2. *Ratio prima ad oppoſitum.*

Item, Sacerdoti inhibetur nutrire comam, quia debet tonſari, ſiue tonderi in gloriam. *diſt. 13. de cleric. Et Extrà de vita & hon. cler. Si quis*, ſed de mulieribus habetur 1. Corinth. 11. *Turpe eſt mulieri tonderi, nam ſi comam nutrierit, gloria eſt illi.* Igitur cùm non poſſit ordinari, niſi primò tondeatur, talis tonſura eſſet in ignominiam eius, & non in gloriam. *Secundũ.*

Item, quòd ætas impediat, habetur diſtinct. 77. *Subdiaconus non minus quàm viginti annorum ordinetur*, & cap. ſequenti. *Placuit*, dicit Canon quòd *ante annos 25. Diaconi non ordinentur, nec virgines conſecrentur; & Lectores populum non ſalutent.* *Tertia.*

SCHOLIVM

SCHOLIVM.

Primum dictum; Pueri ratione carentes irreuerenter ordinantur, quia non poſſunt cum reuerentia ſuſcipere. *Secundum*; Pueri ratione vtentes licitè minoribus ordinantur, ſed non ſacris vſque ad ætatem certam; quæ in Subdiaconatu eſt 22. annorum; in Diaconatu 23. in Preſbyteratu 25. ſed ſufficit annum inchoatum eſſe. *Tertium*; Vtriſque validè conferuntur etiam ſacri, nec obſtat defectus vſus rationis. *D. Thom. hîc quæſt. 2. art. 2. D. Bonauent. art. 2. quæſt. 2. Richard. art. 9. quæſt. 2. Palud. quæſt. 3. Gabr. quæſt. 1. Sot. quæſt. 1. art. 2. Quartum*; Mulieres iure diuino ſunt incapaces Ordinum, & ſi ordinentur, nihil fit. *Oppoſitum, vt hæreſim referunt Ambroſ. in 1. Timoth. 3. Epiph. hær. 49. Auguſt. hær. 27. Qui verò tenent minores eſſe ab Eccleſia inſtitutos, non negarent poſſe conferri fœminis: de quo vide Vaſquez d. 245. cap. 2. & diſp. 297. cap. 2. 23.*

3. *Reſolutio quæſtionis.*

REſpondeo ad quæſtionem, & dico quòd aliquem excludi à ſuſceptione Ordinũ poteſt intelligi dupliciter; vel quòd excluditur à ſuſceptione Ordinum, quantùm ad honeſtatem, & congruitatem modi ſuſcipiendi, vt quia ordinatè, vel honeſtè, cum debita reuerentia ſuſcipiatur talis Ordo; vel quòd excludatur à ſuſceptione Ordinum propter neceſſitatem, & hoc dupliciter, vel propter neceſſitatem præcepti, vel propter neceſſitatem facti. Primo modo dico quòd ætas puerilis excludit à ſuſceptione Ordinum, quia pueri ſacramentum Ordinis cum debita reuerentia ſuſcipere non poſſunt, & ideò inhoneſtè conferretur & reciperetur. Si autem ſecundo modo, non poteſt puer Ordines recipere, maximè ſacros, quia neceſſitate præcepti Eccleſiæ ab eis ſuſcipiendis excluditur, ſicut patet *ſuprà diſtinct. 77.* Vbi taxatur ætas debentis ſacros Ordines ſuſcipere, & licèt non teneatur illa taxatio quoad illos annos, tenetur tamen quoad annos diſcretionis, quia ſemper oportet ſecundùm omnem Decretalem, ſuſcipientem ſacros Ordines eſſe in annis diſcretionis.

Tripliciter poteſt quis excludi ab Ordinibus.

De aliis autem Ordinibus non ſacris, non eſt præceptum Eccleſiæ, quin infra annos diſcretionis poſſet illos recipere, ſicut patet ſuprà; & *Extra de clerico per ſaltum promoto.* Rationabiliter autem ætas puerilis excluditur à ſuſceptione ſacrorum Ordinum, quia ſuſceptioni illorum coniungitur votum caſtitatis, quod requirit vſum rationis in ſuſcipiente, & deliberationem vouentis, & notitiam literarum. *Extrà de tempor. ordin. cap. vltimo. Nullus Epiſcopus.* Vnde & ibi loquitur de prima tonſura; puer autem infra annos diſcretionis neutrum illorum habet.

Pueri rationabiliter excluduntur à ſacris. Ordinum ſuſceptio includit votum caſtitatis.

4. *Paruuli validè ordinantur.*

Tertio modo, ſcilicet neceſſitate facti, dico quòd ætas puerilis non excludit ſuſceptionem cuiuſcunque Ordinis ſacri, quin ſi talis aliquem Ordinem de facto recipiat, verè ſuſcipit, & non eſt aliàs reordinandus. Et huius ratio eſt, quia reſpectu cuiuſcunque ſacramenti non iterabilis non requiritur ex parte ſuſcipientis neceſſariò aliqua diſpoſitio præcedens diſpoſitionem ſacramenti, ſicut eſt in pœnitentia, ſed tantùm non fictio, vel non poſitio obicis actualis. Cuius probatio eſt, quia aliquis poteſt ſuſcipere gradus, vel characterem, vel poteſtatem Ordinis antequam exequatur actum illius Ordinis; & ſic de chatactere Baptiſmi, vel Confirmationis: ſed Ordo, vel ordinatio eſt huiuſmodi ſacramentum non iterabile; ergo ſolummodo ex parte ſuſcipientis Ordinem requiritur non fictio, contrariè: paruulus recipiens Ordinem non eſt fictus contrariè, quia non habet vſum rationis, nec deliberationem voluntatis; ergo, &c.

5. *Sexus muliebris eſt ſimpliciter incapax Ordinũ iure diuino poſitiuo.*

Sed quantùm ad ſexum dico quòd ſexus muliebris ſimpliciter impedit ſuſceptionem Ordinum, & hoc tam ex honeſtate, quàm ex neceſſitate præcepti, & facti: non enim eſt honeſtum mulieres in tali ſacramento aliquo modo miniſtrare. Excluduntur etiam à ſuſceptione Ordinum neceſſitate præcepti, & neceſſitate facti non tantùm Eccleſiæ, vel præcepto Apoſtolorum, quia non credo quòd ex inſtituto Eccleſiæ, vel præcepto Apoſtolorum fuit ablatus aliquis gradus vtilis ad ſalutem ab aliqua perſona, & multò magis à toto ſexu in vita. Si ergo Apoſtoli, vel Eccleſia non poſſent iuſtè auferre ab aliqua vna perſona aliquem gradum vtilem ſuæ ſaluti, niſi vbi Chriſtus, qui eſt caput eorum inſtituit auferri, multò magis nec a toto ſexu muliebri: ergo Chriſtus tantùm præcepit hoc primò, qui hoc ſacramentum inſtituit.

6. *Prima congruentia.*

Ad hoc poteſt eſſe duplex congruentia: vna talis: Omnis Ordo recipitur in ordine ad Sacerdotium, & doctrinam: Sacerdotibus autem competit principaliter docere, vt habetur *diſt. 16. quæſt. 1. adiicimus.* Et non Diaconis, niſi ex commiſſione, vbi prædicatio, vel doctrina accipitur pro lectione Euangelica, quam legere conuenit eis. Sed mulieribus prohibetur ille actus. 1. Timoth. 2. *Mulieres in ſilentio diſcant: & illas docere, vel loqui non permitto.* vbi gloſſa, *non ego tantùm, ſed & Dominus non permittit*, & hoc propter debilitatem intellectus in eis, & mutabilitatem affectus, quæ communiter magis patiuntur, quàm homines. Debet enim doctor habere viuacem intellectum in cognitione veritatis, & ſtabilitatem affectionis in confirmatione eius. Vnde quicquid additur ex Decretis, vel præceptis Pauli, ad excludendum mulieres ab Ordinibus ſuſcipiendis, non ſunt niſi quædam ſuppletiones, vel potiùs expreſſiones præcepti Chriſti de hoc: Mater enim Chriſti digniſſima erat, & ſanctiſſima, & tamen non conferebatur ei huiuſmodi poteſtas.

Obiectioni occurritur.

Et ſi opponas de Magdalena, quæ fuit Apoſtola, & tanquam prædicatrix, & præfecta ſuper omnes mulieres peccatrices. Reſpondeo quòd ipſa fuit ſingularis mulier, & ſingulariter accepta Chriſto, & ideò priuilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona. *Extra de reg. iuris, in 6. lib.* & alibi: quæ à Iure communi exorbitant nequaquam ad contraria ſunt trahenda, ibidem.

Priuilegium perſonale ſequitur perſonam.

7. *Secunda congruentia.*

Secunda congruentia poteſt eſſe iſta: Ordo, vt ſuprà eſt dictum, eſt aliquis gradus eminentiæ ſuper cæteros populos in Eccleſia, & ad aliquem actum excellentem, quod aliquo modo ſignificari debet ex eminenti conditione, & gradu in natura: mulier verò reſpectu viri naturalem ſubiectionem habet; ergo nullum gradum eminentiæ debet habere ſuper aliquem virum, quia tam natura quàm conditione, & nobilitate ſunt ignobiliores quocunque

quocunque viro. Vnde poſt peccatum ſubiecit eam Dominus dominio, & poteſtati viri. Si autem poſſet aliquem Ordinem in Eccleſia ſuſcipere, poſſet alicui præſidere, & dominari, quod eſt contra eius conditionem: igitur Epiſcopus in conferendo Ordines mulieri, non ſolùm facit malè, quia contra præceptum Chriſti, imò nihil facit, nec ipſa aliquid recipit, quia ipſa non eſt materia capax ad ſuſcipiendum hoc ſacramentum, quia Chriſtus tantùm inſtituit hoc ſacramentum poſſe conferri indiuiduo ſpeciei humanæ & ſexus maſculini. Patet ex auctoritate Apoſtoli, 1. *ad Timoth.* 2.

Mulieres conditione & natura ſunt quocunque viro ignobiliores.

8. Obiectio.

Sed contra hoc obiicitur ſic: vbi eſt agens & paſſum eiuſdem ſpeciei, ibi eſt effectus, cùm effectus non dependeat ex aliis, nec ſit diuerſitas ex diuerſitate alicuius illorum, 12. *Met. text. com.* 28. ſed Epiſcopus conferens mulieri ſacramentum Ordinis, eſt agens eiuſdem ſpeciei cum paſſo, quia ſexus non variat rationem ſpeciei: ergo effectus proximus eſt eiuſdem rationis in ipſa, ſicut in maſculo ordinato.

Solutio.

Dico quòd maior eſt vera de agente naturali, & quando non eſt impedimentum ex parte paſſi; ſed ſi agens principale fuit agens voluntarium, & inſtrumentale agens non agat niſi in virtute illius, quia omnino determinatur ad agendum determinatè à Superiori agente, ſicut eſt in propoſito de Epiſcopo reſpectu Dei, qui poſuit impedimentum ex parte vnius paſſi, & non alterius, etiamſi fuerit eiuſdem rationis propter ſexum diformem, non ſequitur, ſi paſſa ſint eiuſdem rationis, quòd effectus ſit eiuſdem rationis. Nam ſi Epiſcopus confert Ordinem mulieri, nihil faceret quantùm ad illud ſacramentum, quia non eſt principale agens imprimens characterem Ordinis, ſed tantùm ſecundarium, & inſtrumentale, & ideò in illa materia ſuſcipiente Ordines imprimit characterem, quæ determinatur ſibi principaliter à Deo, principaliter characterem imprimente, tanquam conueniens, & non impeditus ex conditione ſexus, cuiuſmodi eſt maſculus ſpeciei humanæ tantùm.

9. Ad arg. primum principale.

Ad primum argumentum in oppoſitum, cùm dicitur, *In Chriſto nec eſt maſculus, neque eſt fœmina, ſeruus, vel liber.* Dico, quòd licèt quantùm ad ſalutem, & vitam æternam habetur quòd non ſit differentia inter maſculum & fœminam; ſeruum, vel liberum; eſt tamen differentia inter eos quātùm ad officium, & gradum eminētem in Eccleſia poſſidendum, quia in hoc præfertur vir mulieri, vt dictum eſt. Quoad ſuſceptionē autem aliorum ſacramentorum ſunt capaces mulieres.

Ad ſecundū.

Ad ſecundum de Preſbytera, dico quòd ibi vocatur *Presbytera* nō mulier ordinata ſacro Ordine, ſed mulier vidua antiqua, de qua præſumitur quòd ſit probata, & ſancta inter mulieres. Poſſunt etiam vxores Preſbyterorum de Græcia dici *presbytera*, vt denominatæ ab officio virorum ſuorum. Vnde in Iure nō intelliguntur per *presbyteras* mulieres ordinatæ, vt ſupponit ratio, quia dicit Canon. diſtinct. 27. cap. 1. *Illas tanquam ordinatas non debere in Eccleſia inſtitui decreuimus*, inter bonas mulieres excellentes in vita, ſicut presbyteri: ſed aliquæ bonæ matronæ viduæ, vel perfectæ debent ſuper alios in moribus & vita præcedere. Per *Diaconiſſam* autem intelligitur Abbatiſſa, ſecundùm gloſſam ibi. Meliùs tamen poteſt dici, quòd per Diaconiſſas intelliguntur mulieres, quibus competit ex ordinatione Abbatiſſæ, vel collegij legere homiliam Euangelij in matutino, quod non eſt actus alicuius Ordinis.

Presbyteriſſa dicitur vidua, & deuota matrona.

Diaconiſſa qua dicitur

Ad aliud, cùm dicitur quòd ætas puerilis impedit ſecundùm Canones, dico quòd antiquitùs erat determinatum tempus ætatis aptum ſuſceptioni Ordinum magis quàm modò, quia modò homines ſunt citiùs doli capaces, quàm tunc erant, & ideò non eſt modò ita limitatum ſicut priùs, & quia modò ſunt homines proni ad malum, ideò bonum eſt, præcauendo hoc malum in iuuentute eōs inſtruere, vt dignè poſſint hoc ſacramentum ſuſcipere.

Ad tertium & quartum.

DISTINCTIO XXVI.

De Matrimonio.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm matrimonium fuerit immediatè inſtitutum à Deo?

D. Thom. *in ſupplem. quæſt.* 1. *art.* 2. & *hic quæſt.* 2. *art.* 2. D. Bonauent. *art.* 1. *quæſt.* 1. Richard. *art.* 1. *quæſt.* 3. Durand. *quæſt.* 3. Palud *quæſt.* 1. Bellarm. *lib* 3. *de Matr. cap.* 2. & 3. Sanch *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 4. & 9. Coccius *tom.* 2. *lib.* 9 *art.* 1. Patres infrà citandi.

1. Arg. primum negatiuum.

CIrca diſtinctionem 26. in qua agit Magiſter de Matrimonio: *Quæro vtrùm matrimonium fuerit immediatè inſtitutum à Deo?* Arguitur quòd non. Gen. 2. dicitur, *Dixit Adam, hoc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, propter hanc autem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*; vbi dicit gloſſa quòd tunc fuit inſtitutum ſacramentū matrimonij, & Matth. 19. dicit Dominus, *non legiſtis, quia qui fecit homines ab initio, maſculum & fœminam fecit eos, & dixit: propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* Igitur matrimonium non inſtituit Deus immediatè, ſed Adam.

Secundum.

Item, circa id quod immediatè à Deo inſtituitur, nulla debet fieri immutatio per hominem; ſed per hominem multa, & varia fit immutatio circa matrimonium: ergo. Maior probatur, quia inferior non poteſt reuocare legem, & inſtitutionem Superioris. Minor probatur, quia Eccleſia aliquas perſonas reddit ſimpliciter ineptas, & illegitimas ad contrahendum; patet de affinibus, & conſanguineis; & hoc variè, quia à principio ordinauit Eccleſia tales, & non poſſe contrahere infra ſeptimum gradum, poſteà, ſi eſſent infra quintum gradum: ſeparat etiam aliquas priùs coniunctas, patet in multis caſibus.

Ratio ad oppoſitum.

Contrà, Chriſtus dixit in Euangelio Matth. 19. vbi priùs: *Quos Deus coniunxit, homo nè ſeparet*, & ibidem Deus dixit: *Propter hāc quidem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ*, igitur matrimonium fuit à Deo immediatè inſtitutum.

DISTINCTIO XXVII.

De essentia Matrimonij.

QVÆSTIO I.

Vtrùm causa præcisa matrimonij, sit consensus per verba exteriora?

D. Thom. *in supplem. quæst. 45. art. 3. & hic quæst. 1. art. 2.* D. Bonauent. *art. 1. quæst. 1.* Richard. *art. 1 quæst. 2.* Argent. *quæst. 1. art. 2.* Sanch. *lib. 2. de Matrim. dist. 24 & dist. 30. & 31.*

2. *Arg. primum negatiuum.* ARguitur quòd non: quia si sic; nullus posset esse certus se verè contraxisse cum aliqua, hoc videtur inconueniens, & contra rationem matrimonij; ergo & illud ex quo sequitur. Consequentia patet de se, quia nō semper exprimitur per verba exteriora verus consensus mentis, sed oppositum illius: ergo.

Secundum. Item. 32. quæst. 1. cap. *Honorantur* in textu & in glossâ, & *extra de sponsalibus. Tuæ*, sufficit expressio parentum pro filiis.

Ratio ad oppositum. Contrà per tacitum consensum nulli acquiritur ius habendi aliquid; sed per matrimonium acquiritur alicui ius aliquid habendi: patet 1. Corinth. 7. *Mulier non habet potestatem sui corporis sed vir*: ergo.

QVÆSTIO II.

Vtrùm definitio matrimonij posita in litera sit benè data?

D. Thom *in supplem. quæst. 44 art 3.* D. Bonauent *dist. 26. art. 2 & 3. & hic melius art. 1 quæst. 1.* Richard: *art. 1. q. 1.* Argent. *art. 1 q. 1.* Sanch. *lib. 1. de matrim. d. 1. 2. 3.*

3. *Definitio matrimonij.* VTrùm definitio matrimonij sit sufficiens, quæ est: *Matrimonium est viri & mulieris coniunctio maritalis inter personas legitimas individuam vitæ consuetudinem retinens.*

Arg. primum negatiuum. Quòd non, quia illa coniunctio maris & fœminæ, vel est quædam passio in altera coniugum, vel quædam relatio: Non passio, quia tunc matrimonium esset in genere Passionis, quod est falsum, quia passio non manet, non manente actione; matrimonium autem manet non manente actione, quia aliter dormientes non haberent matrimonium; tunc enim non est passio. Quòd non sit relatio patet, quia relatio non potest esse terminus, vel principium motus, vel mutationis. 5. *Physic. text.* 10. sed matrimonium potest esse terminus alicuius mutationis, quia illo modo matrimonialiter alicui coniunctus, verè aliter se habet nunc quàm priùs, quando non erat sic coniunctus, nec potest hæc mutatio ad aliquid aliud terminari, quàm ad matrimonium: igitur.

Secundum. Item, licèt eadem sit via ab Athenis ad Thebas, & è conuerso à Thebis ad Athenas, tamen alia est habitudo, vel relatio ab Athenis ad Thebas & è conuerso, quia aliud fundamentum, & alius terminus, quia primæ habitudinis fundamentum est Athenis, & terminus eius est Thebis, & è conuerso de alia habitudine. Ergo matrimonium cùm sit coniunctio maris & fœminæ, licèt sit eadem coniunctio materialiter viri ad vxorem, & è conuerso, est tamen alia & alia formaliter, & ita si matrimonium inter virum & mulierem sit relatio, vnum matrimonium est formaliter duo matrimonia, quia alia erit habitudo viri ad mulierem, & è conuerso.

Contrarium patet per Magistrum in litera. *Ratio ad oppositum.*

DISTINCTIO XXVIII.

De consensu Matrimonij.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm solus consensus per verba de præsenti expressus causet Matrimonium?

D. Thom *in addit. quæst. 45. art. 4.* D. Bonauent. *hic art 1. quæst. 1.* Richard. *art. 1. quæst. 1.* Durand *quæst 1.* Sanch. *lib. 4 de matrim. disp. 15. & 16. & per totum librum.*

4. *Arg. primum negatiuum.* VIdetur quòd non, sed quòd etiā per verba de futuro, quia omne vinculum indissolubile inter coniuges est matrimonium: sed consensus aliquorum per verba de futuro sequente carnali copulâ facit vinculum indissolubile, quia tunc sunt verè coniuges, & nunquam postea contrahunt per verba de præsenti, nec possunt separari. Igitur.

Secundum. Item, fortius est vinculum cum iuramento, quàm sine; sed per verba de præsenti sine iuramento verè ligantur coniuges matrimonialiter; ergo si promittant se fore cōiuges in futuro præstito mutuo iuramento fortiùs ligātur, quā priùs.

Ratio ad oppositum. Oppositum vult Magister in litera.

SCHOLIVM I.

Declarat & probat actum procreandi prolem, etsi non sit de se bonus, honestum esse posse, & debitè circumstantionatum. Prima circumstantia eius est debitus finis, vt, s. intendatur prolem procreare debitè educandam, ad cultum Dei. Secunda, quòd fiat per determinatas personas, & ponit rationes huius. Tertia, quòd illæ personæ indissolubili vinculo coniungantur, quia sine hoc proles non debitè procrearetur. Quarta, quod ista indissolubilis obligatio, fiat mutuo personarum consensu. Quinta quòd præcipiatur à Superiori, quia nō est euidenter nota lumine naturæ, quod obligat, licèt constet quòd sit maximè congrua. Hic tangit an matrimonium sit de iure naturæ, de quo Vide in Oxoniens. scholium dist. 26. num. 9. & 18.

5. *Prima conclusio.* AD illas quæstiones simul respondeo: Ad quarum solutionem meliùs intelligendam ponam & ostendam duodecim, vel tredecim cōclusiones. Quarum prima est ista. Hominem velle procurare prolem est actus circumstantionabilis certis circumstantiis, & non dico quòd sit bonus de se, quia nullus est bonus de se, nisi qui respicit immediatè Deum pro obiecto, sed potest esse bonus, & malus moraliter, ex certis circumstantiis talibus.

Actus procreationis de se non est bonus, neque de se est malus.

Hanc

Hanc concluſionem probo ſic: omnis actus humanus, qui de ſe nec eſt bonus, nec malus, ſed indifferens, poteſt eſſe circumſtantionatus certis circumſtantiis: ſed ille actus velle procurare prolem eſt actus humanus. Patet, quia eſt electiuus, ſed non eſt malus de ſe, quia non magis repugnat ſpeciei humanæ quòd homo conſeruet ſpeciem ſuam generando prolem, quàm quòd alia animalia conſeruent ſuam ſpeciem, ſed magis, vt videtur ſecundùm Philoſophum *primo de Cælo & Mundo text.com.*138. natura nō magis in neceſſariis deficit perfectis quàm imperfectis; nec minùs eſt recta reſpectu perfectorum, quàm reſpectu imperfectorum: ſed recta ratio naturæ vniuerſalis ordinat aliquem actum ad generationem prolis in aliis animalibus: ergo & in homine.

Probatur primò, quod non ſit de ſe malus.

Item, eſto quòd homo eſſet immortalis, non magis eſſet contra bonitatem, & perfectionem naturalem communicare ſuam perfectionem, quàm contra naturalem perfectionem aliorum animalium, quia hoc non repugnat perfectioni alicuius naturæ. Imò nec naturæ diuinæ perfectiſſimæ; quia ipſa communicatur ſine ſui tamen diuiſione; ergo ſi nec ſit contra rationem naturalem, nec contra naturam, videtur quòd non ſit actus de ſe malus.

Secundò.

Item, de actu ſecundùm ſe malo non datur præceptum in Scriptura, quia actus malus non ſit bonus ex hoc quòd præcipiatur: ſed huiuſmodi actus præcipitur *Geneſ.* 2. ante lapſum & poſt lapſum: *Creſcite & multiplicamini* Gen. 29. Ergo non eſt actus de ſe malus.

Tertiò. De matrimonio eſt præceptum ante & poſt lapſū.

Item, actus ſecundùm rectam rationem innitens fidei, non eſt de ſe malus; ſed procreatio prolis, eſt actus innitens fidei ſecundùm rectam rationem: ergo. Minor probatur, quia per procreationem prolis in natura humana reſtauratur ciuitas ciuium ſupernorum, & ad hunc finem per ſe ordinatur natura humana multiplicata, quia ad hūc finem diſponit eam Altiſſimus ſecundùm fidem, vt reparet ruinam Angelorum: ergo non eſt de ſe actus malus; ergo vel de ſe eſt actus bonus moraliter, vel ſaltem circumſtantionabilis bonis, & rectis circumſtantiis.

Quartò.

6. Quòd autem ille actus non ſit de ſe bonus, patet vt priùs, quia nullus actus eſt huiuſmodi, niſi qui tranſit ſuper obiectum, quod eſt de ſe volibile, & ſimpliciter bonum vltimum; ſed tale obiectum non eſt proles, quæ appetitur procreari.

Quòd ille actus non ſit de ſe bonus.

Item, quòd ille actus ſit indifferens, poteſt probari per quoddam exemplum, & quòd nec ſit malus, nec bonus moraliter. Ille actus eſt de ſe malus moraliter, cuius obiecto repugnat omnis bonitas moralis, & è conuerſo, ille actus eſt de ſe bonus moraliter, cuius obiecto per ſe repugnat omnis malitia moralis, cùm conditio actus ſequatur conditionem obiecti, quantùm ad bonitatem, & malitiam; ſed obiecto procreationis prolis non repugnat malitia moralis, vt ſi aliquis procreet de non ſua; nec repugnat ei bonitas moralis; patet procreando honeſtè prolem de ſua; ergo talis actus neque eſt de ſe bonus moraliter, neque malus, nullus tamen actus eſt bonus in genere ex ſolo obiecto, niſi amare Deum, qui amor eſt obiecti per ſe volibilis, & boni infiniti, qui non poteſt eſſe moraliter malus, quia nullus poteſt nimis amare amore amicitiæ, & propter ſe; & ſolus actus eſt ex genere malus, qui eſt oppoſitus iſti actui, reſpectu eiuſdem obiecti, vt odiſſe Deum, qui nullo modo poteſt circumſtantionari, vt ſit bonus; ergo omnis alius actus eſt indifferens, qui eſt reſpectu alterius obiecti, & poteſt eſſe circumſtantionabilis benè, aut malè.

Quòd ſit indifferens.

Quis actus de ſe dicitur bonus & quis malus?

Soli actus odij & amoris Dei ſunt boni & mali ex ſuo genere per ſe.

Secunda concluſio: quòd prima circumſtantia ad faciendum aliquem actum bonum moraliter, eſt circumſtantia finis: ergo actus procreandi prolem ex hoc poteſt eſſe bonus moraliter, quia proles appetitur ad religiosè educandam, propter cultum diuinum, quia quilibet iuſtè hoc debet velle de altero, maximè de prole, quod vult de ſeipſo, vt ſit ad illum finem, ſcilicet cultum Dei, quia ad illum creatus eſt, ſecundùm Anſelmum 2. *Cur Deus homo, cap.* 2. Ergo quilibet debet velle illum finem, & appetere ſuæ proli. Vnde Auguſtinus 9. ſuper Geneſ. cap. 7: *Non omnes qui habent prolem, habent bonum prolis, ſed oportet ad hoc bonum habendum, vt proles religiosè educetur ad cultum Dei ampliandum.*

7. *Secunda concluſio.*

Prima circūſtantia actus boni moralis eſt finis.

Anſelm.

Auguſt.

Tertia concluſio eſt, quòd circumſtantia finis boni non ſufficit ad moralitatem bonam illius actus, licèt ſit circumſtantia principalis; ſed ad hoc quòd ille actus procreationis prolis ſit bonus moraliter, requirit certas perſonas, ſcilicet marem & fœminam, & actum naturalem, quo fiat procreatio prolis, quæ eſt hîc quaſi obiectum. Hæ conditiones, naturalitas actus ſcilicet, & determinatio perſonarum, non ſunt circumſtantiæ propriæ, ſed de neceſſitate includuntur in actu, qui eſt procreare prolem, & abſolutè requiruntur ad talem actum procreationis; & ad iſtius actus obiectum.

8. *Tertia concluſio.*

Secunda circumſtantia.

Vt hic actus ſit bonus, requirit perſonas determinatas.

Quòd autem conditiones præmiſſæ requirantur, vt determinatus mas naturaliter, patet; ratio enim naturalis non tantùm dictat prolis procreationem, ſed etiam ipſius educationem, & inſtructionem, 8. Ethicorum cap. 12. *Filij à parentibus habent eſſe, nutrimentum, & diſciplinam*; filij autem commodè nutriri, & diſciplinari nō poſſunt, niſi habeant certos parentes, & perpetuò inuicem obligatos. Filij enim fornicationis licèt habeant certos parentes, non tamē habent ita diligentem cuſtodiam, ſicut ii qui ſunt ex legitimo thoro: ergo opoſtet quòd habeāt determinatos parentes, & ad determinatam prolis procreationem, & ad eius iterationem, quia ſicut vna proles eſt mortalis, ita & illa multiplicata; & oportet quòd actus ſit naturalis.

9.

Ariſtot.

Primum patet, quia quòd quilibet indifferenter coniungeretur alteri, hoc natura non patitur, nec etiam in beſtiis brutis ſimile inuenitur ad procreationem ſuæ prolis, nam cōmunitèr quæuis beſtia determinata ad huiuſmodi actum naturalem habet ſuam comparē. Præterea, ſi vir vnus determinātus, non haberet vnam determinatam, ſed indifferenter quamlibet, eſſet contra bonum prolis, quia ſic quælibet proles, & quilibet filius haberet vagum patrem, & tolleretur reuerentia, & obedientia filij ad patrem, & diſciplina patris reſpectu filij, quia ſic neſciret ſi proles procreata eſſet ſua. Sed iſti actus filiorum ad parentes, & è conuerſo, ſunt naturales, nam pater habet naturaliter diſciplinare filium per præceptum ſuum, & informationem; Et filius etiam è conuerſo habet præceptis patris naturaliter obedire. Neque hæc tria bona naturalia & actus naturales, dilectio ſcilicet, diſciplina, reuerentia, vel obedientia eſſet bonum matrimonij, ſi quilibet eſſet cuiuſlibet: Vnde non tantùm

Commixtio vaga eſt contra bonum prolis.

debet determinata eſſe alicuius determinati viri, quantùm ad primum actum, vel primam procreationem prolis, ſed etiam quantùm ad iteratam procreationem propter illos tres actus naturales.

10. Item, eſſet contra primam inſtitutionem matrimonij. Patet Geneſ. 2. *Erunt*, inquit Deus, *duo in carne vna*. Si duo tantùm, ergo determinatus determinatæ.

Et contra bonum communitatis.

Item, ſi quilibet eſſet cuiuslibet, & non determinatus determinatæ, eſſet contra bonum commune, & ordinem & amicitiam Reipublicæ, nam per matrimonium, & gradus propinquitatum ſeruatur amicitia in ciuibus; & per conſequens amicitia, & confœderatio ciuium fundatur ſuper certas perſonas: ſed ſi matrimonium non eſſet coniunctio certarum perſonarum, vt hæc eſſet illius, & illa iſtius, eſſent omnes propinquitates quomodocunque, vel per conſanguinitatem, vel per affinitatem confuſæ & indiſtinctæ, quia ſic neſcirent filij parentes, nec parentes ſcirent, quis filius eſſet ſuus, ita nec ſcirentur gradus poſteriores in ſanguine, quod eſſet magnum malum in Republica. Vnde & in hoc benè improbat Ariſtoteles Platonem 2. *Polit.* qui ponit omnes vxores eſſe communes; ipſe verò ponit determinatum debere habere determinatam.

11. *Quarta concluſio.*

Quarta concluſio eſt, quòd vir & mulier ſint inuicem, vel mutuo matrimonio obligati, & coniuncti vinculo indiſſolubili. Et hæc concluſio ſequitur ex prædicta, ex quo determinata, & certa perſona debet habere prolem certam, & determinatam, tam propter actum primum procreandi prolem, quàm etiam propter iterationem illius, propter prolem & ſpeciem conſeruandam; obligatio & vinculum debet eſſe in iſta perſona reſpectu illius, & è conuerſo. Si enim eſſet diſſolubile vinculum, eſſet contra bonum prolis, quia non magis conſtaret quòd fœmina pareret ex illo quàm iſto, niſi certum eſſet, & inuiolabile vinculum.

Ex his quatuor concluſionibus ſequitur quòd matrimonium eſt certa & determinata obligatio, & coniunctio determinati maris ad determinatam fœminam in ſpecie humana, ordinata ad procreandam prolem, & religiosè educandam, & ita patet quòd ille actus eſt bonus moraliter, quia rectis, & bonis circumſtantiis circumſtantionabilis. Eſt enim honeſtus, & determinatus, certus, & indiſſolubilis, & mutuus; honeſtus ex fine, determinatus, indiſſolubilis, & mutuus ex conditione agentium, & etiam ipſius obiecti. Ex his ad propoſitum poteſt deduci

12. *Concluſio quinta.*

Quinta concluſio, quòd illa obligatio indiſſolubilis viri & mulieris determinatæ innaſcitur ex parte coniugum, & non ex virtute alicuius legis poſitiuæ indictæ eis. Nam iſta obligatio certa, & mutua, vel eſt à Superiore, vel legiſlatore, vel ab ipſis coniugibus? non à Superiore, vt Iudice, vel à lege, quia nullus Iudex, vel lex determinat hunc illi primò, vt ille mas habeat hanc fœminam, quia matrimonium debet eſſe cum talibus conditionibus, quæ iuuent, & faciant ad illius vinculi indiſſolubilitatem, cùm ipſum ſit eſſentialiter tale vinculum; & non talibus, quæ impediant ipſius firmitatem & indiſſolubilitatem: Sed ſi aliqua lex, vel aliquis Superior determinaret hunc illi, vt determinatum marem determinatæ fœminæ, tunc poſſet aliquis coniungi alteri inuitæ, ex præcepto legis, vel latoris, & eſſet occaſio diſſolutionis vinculi, & contractus matrimonialis. Ex his vlteriùs ſequitur

Indiſſolubilitas huius obligationis prouenit ex parte coniugum & non legis alicuius poſitiuæ.

13. *Sexta concluſio.*

Sexta concluſio, quòd actus iſte, quo coniuges mutuò ſe obligant, non poteſt eſſe niſi actus voluntatis, quia ex iſta obligatione transfert vterque coniugum poteſtatem, & dominium corporis ſui in alterum illorum, & ſic transferendo ſe, quilibet fit ſeruus alterius ex contractu mutuo inter illos, & nullus niſi volens ſic ſe ſubdit, ſicut experimur in omnibus contractibus communicationis, & venditionis, & ſimilium. Illa autem obligatio, quæ fit per illum actum non eſſet certa vtrique obliganti per actum intrinſecum voluntatis, neque eſſet ſic nota, cùm non poſſint videre ſua interiora mutuò, nec conſenſus; ergo ad hoc quòd ſit certa, & mutuò nota, oportet quòd fiat per actum, vel actus duarum voluntatum mutuò exprimentium ſe in aliquibus verbis, vel ſignis exterioribus, & ad dationem fidei, quia aliter non poteſt innoteſcere alicui voluntas alterius citra Deum. Ex his ſequitur quòd illa mutua obligatio propriè dicitur *contractus*, quia eſt ſimul contractus duarum adinuicem voluntatum; & honeſtus, quia ſecundùm rectam rationem innaſcitur ex actibus voluntatum coniugum mutuò ſe obligantium, ſicut ſuprà * dictum eſt in contractu, in quæſtione de reſtitutione facienda in bonis corporis.

Obligatio ſequitur tàcitum actum promittentis.

Ad matrimonium requiritur ſignum extrinſecum mutui conſenſus.

* diſt. 15. q 3.

14. *Septima concluſio. Contractus iſte eſt donatio mutua, & non tantùm promiſſio.*

Septima concluſio ſequens ex iſtis, quòd illa obligatio, vel contractus debet eſſe donationis mutuæ, & non promiſſionis, vel coniunctionis, quantùm ad tranſlationem poteſtatis corporum: Nam hæc obligatio eſt in mutua, & libera tranſlatione poteſtatum corporum, quantùm ad ius, & vſum mutuum corporum in ſe habendum, & hoc quoad illos actus tantùm, qui aliquo modo reſpiciunt procreationem filij, vel prolis, vel infirmitatem alterius coniugum, quia ſecundùm hoc eſt regula Apoſtolica, 1. Corinth. 7. vniuerſalis: *Vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier*, & è conuerſo. Illa autem tranſlatio poteſtatis corporum eſt donatio ſuæ rei, & non promiſſio, quia promittentes ſe dare, non dant ſe; & non rei alienæ, & non ad alium ſimpliciter, ſed ad ſeipſum aliqualiter, quia vir & coniux ſunt duo in carne vna, & ideò non eſt contractus liberæ commutationis, ſed liberæ donationis, & mutuæ.

Ex quibus ſequitur quòd matrimonium eſt obligatio mutua, quæ innaſcitur ex actibus duarum voluntatum, maris & fœminæ, mutuò ſe donantium, quantùm ad poteſtatem corporum ad procreandum prolem, religioſè educandam, & cultum Dei ampliandum, & ita patet quòd eſt contractus honeſtus. Ex iſtis ſequitur

Vinculum eſt actus voluntatis mutuæ.

15. *Octaua concluſio.*

Octaua concluſio, ſcilicet quòd matrimonium ſit contractus ſecundùm legem naturæ, tanquam ei conueniens, & inſtitutus ab authore naturæ. Nam ex quo illa obligatio eſt contractus honeſtus, tam ſecundùm rectam rationem, quàm etiam naturalem, congruit, vt ſit ordinatus, vel ſaltem approbatus à lege naturæ, ſicut quilibet contractus licitus, & honeſtus, eſt inſtitutus, vel ſaltem approbatus à lege naturæ.

Nam

Nam ex quo iſte contractus non eſt primum principium practicum, oportet quòd eius rectitudo approbetur à legiſlatore, cuius voluntas eſt primum principium rectitudinis practicæ, & quòd talis contractus approbetur principaliter ab eo, tanquam rectus. Nullus autem legiſlator eſt ſupra totam ſpeciem humanam, niſi ſolus Deus; ergo congruit quòd ille contractus ſit rectus, inquantùm principaliter inſtituitur, vel ſaltem approbatur à Deo. Addo autem ſignanter, quòd *oportet inſtitui à Deo*, quia illa, quæ ſunt remota à principiis practicis non apparent eſſe de lege naturæ, ſicut ipſa principia practica, quæ ſunt nota omnibus ex terminis, niſi explicarentur termini, quod non nouit aliquis legiſlator particularis. Ergo congruum eſt hoc explicare per legiſlatorem vniuerſalem, qui eſt auctor humanæ naturæ, & totius entis creati.

Matrimonij debuit approbari à Deo.

Item, quòd ſacramentum ſit inſtitutum à Deo, patet, quia magis timetur quod ab aliquo auctore præcipitur, & ſtatuitur, quàm quod lex naturalis oſtendit eſſe naturaliter faciendum, vel non faciendum; quia lex naturalis non eſt ſufficiens motiuum ad conſecrationem illorum, quæ ſunt de rectitudine naturæ, quia lex naturæ parum mouet multos, patet de ſe. Ergo ad hoc quòd aliquis arctiùs teneatur, & obligetur, expedit vt ſuper hoc fiat præceptum talis ſuperioris, qui habeat poteſtatem, ſuper totam ſpeciem humanam, talis eſt ſolus Deus; ergo. Ex his vltra ſequitur

Expedit præcepto naturali appenſi præceptum poſitiuum.

SCHOLIVM II.

Primum dictum huius literæ: inſtitutum eſt ſacramentum Matrimonij Matth. 19. Quod Deus coniunxit, *&c. Ita communis. Quòd ſit ſacramentum habet Flor. in Decret. Eugen. Tridem. ſeſſione 24. cap. 1. & communis Patrum, quos videre licet in Oxonienſ. diſtinct. 28. ſcholium num. 13. Vide Sanchez lib. 1. de matrim. diſtinct. 18. & Bellarm lib. 1. de matrim. cap. 2. & 3. Secundum; valde congruum fuit ſacramentum inſtitui, quo daretur gratia ad obligationes matrimoniales debitè ſeruandas, quæ ſæpe difficiliores ſunt oneribus Religionis. Tertium: Tria ſunt in matrimonio; Primum, vinculum, quod eſt ipſum matrimonium. Secundum, contractus, id eſt, actus tranſlatiui corporum. Tertium, ſacramentum, quod eſt eidem actus expreſſi ſigno ſenſibili, & inſtituto ad cauſandam gratiam matrimonialem, ſacramentum eſt tantùm hi actus: res tantùm, gratia: res, & ſacramentum, vinculum. Vide in Oxonienſ. ſcholium diſt. 26. num. 16. Quartum, Miniſter eſt contrahentes, quia ſine vllo alio tenet, vbi Trident. non eſt receptum. Vide ſcholium num. 15. Quintum, non habet aliam materiam, quàm contrahentes, neque formam ita determinatam, ſicut alia ſacramenta, quia ſufficit quodcunque ſignum tranſlatiuum dominij corporum. Per hæc patet ad quæſtionem diſtinct. 26. Vide plura in Oxonienſi hîc apud Doctorem.*

16. *Concluſio nona.*

NOna concluſio, quòd matrimonium de facto immediatè inſtitutum eſt à Deo; nam ex quo eſt contractus non poſſibilis ab aliquo auctore particulari inſtitui, conueniens legi naturæ, vt dictum eſt, & congruum vt ab ea ordinetur, vel ſaltem approbetur, factum eſt ita, quòd immediatè ab auctore vniuerſali naturæ immediatè ſtatuitur. Hoc patet eſſe verum ex auctoritate Chriſti, Matth. cap. 9. vbi ait, *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Non dixit, *quos Adam coniunxit*, ſed *quos Deus coniunxit*, id eſt, immediatè coniungi inſtituit. Ex his vltra ſequitur

Matrimonium immediatè à Deo inſtitutum

Decima concluſio, quòd congruum eſt vt contrahentes hoc contractu ſecundùm præceptum diuinum, teneantur ad conſeruandum iſtum contractum, ex quo contractus ille eſt ex ſe difficilis ad conſeruandum fideliter, tum propter multas miſerias contrahentium, & infirmitates tam morales, quàm corporales eorundem, in quibus ſibi inuicem tenentur vſque ad mortem mutuò ſubuenire; quod eſt difficilius, quàm in Religione viuere, vbi centum ſeruiunt vni, & eius infirmitates ſupportant. Propter etiam contractum in ſe ad actum difficillimum, quia eſt obligatio mutua ad tranſferendum ſe in poteſtatem alterius vinculo indiſſolubili. Propter etiam delectationem, quæ conſequitur illum actum, quæ in tantùm abſorbet hominem, quòd diſtrahit mentem eius à Deo vehementer. Conſiderato itaque matrimonio cum omnibus hiſce difficultatibus, & quòd imponitur ex præcepto diuino, tanquam indiſſolubile, ſequitur quòd neceſſaria eſt gratia adiuuans ſuſcipientes illum, ad firmiter, & congruè viuendum, & tantò maior gratia requiritur, quantæ maiores occurrunt difficultates ſpirituales. Vlteriùs

17. *Decima concluſio.*

Indiſſolubilitatem huius contractus iure Dei poſitiuo compleri congruum fuit.

Ad congruè viuendum contrahentes indigent gratia.

Vndecima concluſio eſt, quòd quia neceſſaria eſt gratia ad benè, & rectè conſeruandum hunc contractum matrimonialem, ſequitur quòd congruum eſt illam gratiam coniugibus ſub aliquo ſigno conferri, & ad illam deſignandam aliquod huiuſmodi ſignum ſenſibile inſtitui. Et ratio eſt, quia auidiùs à nobis quæritur, & appetitur, quod manifeſtiùs cognoſcitur. Omnis autem noſtra cognitio pro ſtatu iſto ortum habet à ſenſu: ergo ad hoc, quòd gratia à nobis vehementiùs appetatur, & vehementiùs quæratur, oportet vt ſub aliquo ſigno ſenſibili cognoſcatur. Ex his ſequitur

18. *Vndecima concluſio.*

Datio gratiæ per ſignum ſenſibile congrua erat pro matrimonij contractu.

Concluſio duodecima, quòd ſi eſt rationabile, id eſt, congruum, ſignum ſenſibile ad ſignificandum gratiam collatam coniugibus inſtitui, ſequitur quòd tale inſtitutum eſt, & dicitur ſacramentum matrimonij. Ex omnibus his concludo, quòd matrimonium eſt contractus rectus & honeſtus mutui conſenſus coniugum, mutuò ſe donantium, & vinculo perpetuo ſe obligantium ad mutuum ius, & poteſtatem habendum in ſuis corporibus, quoad procreationem prolis religiosè educandæ expreſſus per aliquod ſignum ſenſibile extrà, inſtitutus immediatè à Deo ſub aliquo ſigno ſenſibili ſignificante efficaciter gratiam conferri contrahentibus.

19. *Duodecima concluſio.*

Sacramenti matrimonij deſcribitur compleri.

Notandum tamen eſt, quòd per hoc vocabulum *Matrimonium*, poteſt æquiuocari, quia quandoque ſumitur pro ipſo contractu, quandoque pro obligatione, quæ innaſcitur ex contractu. Tertio modo præcisè pro ſigno ſenſibili ſignificante gratiam contrahentibus conferri: & ſecundùm hæc tria æquiuoca, ſi quis vellet ea rectè definire, aſſignaretur ei triplex definitio. Primo modo eſſet *mutua datio poteſtatis corporum maris & fœminæ in ſpecie humana, ad procreandum prolem, religiosè educandam, & ad cultum Dei augmentandum*, &c.

20. *Triplex matrimonij acceptio.*

Matrimonij definitio, vt eſt obligatio.

Secundo modo matrimonium esset *quædam obligatio coniugum innascens ex contractu mutuæ donationis potestatis corporum, ex mutuo consensu perseuerans ad habendum ius mutuum in suis corporibus ad procreandum prolem.* Tertio modo est, *aliquod signum sensibile talis obligationis propria inter coniuges ad procreandum prolem, religiosè educandam, &c. ex institutione diuina significans, efficaciter gratiam conferri contrahentibus ad coniunctionem eorum in contractu perpetuo obseruandam.*

Vt est contractus.

Vt est sacramentum.

21. *Matrimonium propriè loquendo est vniuocum.*

Sed ego dico quòd matrimonium, propriè loquendo, non est æquiuocum, quia primum non debet vocari matrimonium, nec contractus matrimonij, ita quòd sit constructio intransitiua, sicut hæc *creatura salis*, id est, creatura, quæ est sal: quia contractus ille consensus mutui cum aliquibus signis exterioribus consistit in *fieri*, & non est permanens, neque perpetuus, quia desinentibus verbis, & mutua volitione tradendi se inuicem quantùm ad corpora, desinit & contractus. Matrimonium autem de se est vinculum permanens inter coniuges indissolubiliter, & ideò non est contractus matrimonij intransitiuè, ita quòd sit matrimonium, sed tantùm est contractus ad matrimonium, & obligationem perpetuam inter coniuges quantùm ad potestatem corporum, quæ essentialiter est matrimonium. Quo modo dicimus, quòd professio alicuius Religionis non est intransitiuè ipsa Religio, sed quædam promissio, & sponsio ad ipsam Religionem.

Matrimonium de se permanens.

Tertio modo etiam non est propriè matrimonium istud signum audibile prolatum sub certis verbis ad significandum coniunctionem animorum, vel gratiam roborantem: sed est sacramentum matrimonij, id est, signum sensibile significans gratiam conferri illis, qui contrahunt, & est constructio transitiua, & non intransitiua, quia id signum statim labitur, quia est in *fieri*, & non perpetuum, nec permanens, sicut sacramentum Pœnitentiæ non est pœnitentia, sed pœnitentiæ transitiuè, & non intransitiuè. Ergo relinquitur quòd matrimonium tertio modo dictum, verè, & propriè est sacramẽtum, vt dictum est, & cui competit definitio supradicta.

22. *Corollarium huius doctrinæ.*

Ex quibus sequitur quoddam corollarium, quod multos decipit, quia non est necessarium simpliciter ad contractum matrimonialem, matrimonium sacramentum. Excluso enim quòd matrimonium non esset inductum ex lege naturæ, vel quacunque alia lege, & quòd non daretur gratia matrimonialiter coniunctis, quæ tanguntur in decima & vndecima conclusionibus, adhuc posset esse contractus matrimonialis inter aliquos cõiuges, & mutua obligatio ad potestatem corporum ad hunc finem, scilicet prolem procreandam, & religiosè educandam ad cultum Dei. Potest enim quicunque dare alteri potestatẽ corporis, vt detur sibi potestas in corpus eius, vel vt detur potestas talis, nisi Deus hoc prohibuisset per præceptum in aliqua lege, quod non reperitur in Scriptura. De natura autem contractus talis est, quòd requirat aliqua signa sẽsibilia exteriora mutuum consensum voluntatum coniugum exprimentia; nõ quòd necessariò fiat cum certis verbis, quia aliqui muti, & ignorantes illa verba, possunt verè contrahere. *Extrà de sponsalibus: Tuæ fraternitati*; & absentes, qui nunquam se viderunt possunt contrahere per Procuratores, & literas, dummodò fama & auditu se nouerint.

An ad contrahendum requirantur necessariò determinata verba.

30. *quæst.* 5. *nec id.* in gloss. *&* 32. *quæst.* 12. *non omnes.* Patet in Saracenis, qui contrahunt per literas sigillatas, vel per aliqua signa sensibilia.

23. *Ad matrimonium sacramentum requiruntur signum sensibile determinatum & certa verba.* Vide circa hæc Sanch. l. 2. de Matrimon. d. 24. 30 & 31. & cõment. Hi quei in hunc locum in Oxon. & Scot. infrà d. 41. n. 14.

Ad sacramentum autem matrimonij requiritur signum sensibile determinatum, vt audibile, & certa verba, quia sine certis verbis non est sacramentum matrimonij, licèt possit esse contractus ad matrimonium sine certis verbis. Patet in mutis, qui verè contrahunt, & verè sunt coniuges sine certis verbis, per aliqua signa, exprimentia consensum mutuum voluntatum eorum. Vnde licèt eis detur gratia ad conseruandum illum contractum difficilem ex multis, vt *supra* dictum est, non tamen confertur eis ex vi sacramenti, sed per modum meriti, & cõtritionis præcedentis. Istud autem signum audibile, quod est necessarium ad matrimonium sacramentum, vel ipsa certa verba, sunt forma ipsius sacramenti, & non habet materiam, quia personæ suscipientes hoc sacramentum, de quibus maximè videtur, non sunt materia huius, nisi indistinctè accipiatur *materia*; pro ministro & suscipiente: sed ministri sunt dispensantes sibi hoc sacramentum. Nisi enim hoc sacramentum haberet pro forma totali signum sensibile determinatum, vt certa verba, non esset vnum sacramentum fortè, & proinde si non habet verba certa & sensibile signum determinatum, vt audibile, muti, & non potentes loqui, vere possent contrahere, & recipere sacramentum matrimonij; & tunc forma ipsius sacramenti esset latissima, quia quæcunque signa sensibilia essent forma, quod non tenet Ecclesia Catholica; sed quòd tantùm fiat determinatè per verba de præsenti.

24. *Forma huius sacramenti sunt signa sensibilia seu verba determinata: ministri verò, ipsi contrahentes.*

Ex his patet, quæ est forma huius sacramenti, quia determinata verba maris ad fœminam, Vt, *Ego accipio te in meam, & ego te in meum:* Ministri autem huius sacramenti sunt ipsimet coniuges contrahentes, quia ipsi sibimet ministrant hic per verba illa mutuò sibi dicta, quæ sunt vna forma integra, & totalis huius sacramenti, licèt sit duplex partialis, sicut in aliis sacramentis. Vnde & ab eisdem suscipitur & ministratur, licèt quantùm ad solemnitatem huius sacramenti coram Ecclesia congruat Sacerdotem ipsum ministrare: hoc tamen non est ex necessitate sacramenti, quia illi iidem, qui faciunt actus sacramentales, ministrant sacramentum; coniuges matrimonialiter coniuncti hoc faciunt: ergo.

Duplex effectus huius sacramenti.

Effectus verò, & res huius Sacramenti, est duplex: scilicet, gratiosa coniunctio contrahentium, & bonum prolis: vna tamen est totalis res huius sacramenti, scilicet vnio coniugum inter se, & in prole, quam procreant. Quia *erunt*, inquit Deus, *duo in carne vna.*

25. *Solutio quæstionis distinctionis 26.*

Ex his patet solutio ad primam quæstionem, ad quam dico, quòd matrimonium, vt est in officium procreandæ prolis, fuit immediatè institutum à Deo. Patet in nona conclusione. De matrimonio, vt est in remedium incontinentiæ nihil adhuc locutus sum. Patet etiam conclusio ex Scriptura Genes. 2. Cùm dixit, *non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*, vbi hoc primò Deus instituit.

Contractus matrimonij ante lapsum fuit immediatè à Deo institutus. Augustinus

Deinde huic sacramento benedixit cùm mulierem, quam fecerat de costa Adam duxit ad eum, vt videret quid vocaret eam, dicens, *crescite, & multiplicamini, & replete terram:* vnde Augustinus 14. de Ciuitate Dei cap 24. *Nos nullo modo*

modo dubitamus benedictionem illam Dei creſcite & multiplicamini, & replete terram, *donum eſſe nuptiarum, quas Deus ab initio hominis ante peccatum conſtituit, creando maſculum & fœminam.* Adam verò Deo auctore, & inſpirante inſtitutionem matrimonij, ſpecificauit, & explicauit, cùm dixit, *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Geneſ. 2. parum poſt: *Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Vbi exprimuntur tria bona matrimonij. Primum bonum inſeparabilitatis, *propter hanc* inquit *relinquet homo patrem, & matrem*, id eſt, cohabitationem patris & matris. Secundum, bonum fidei, *& adhærebit vxori ſuæ.* Tertium, bonum prolis, *& erunt duo in carne vna*, ſcilicet, pueri ab eis procreandi.

Tria bona matrimonij, explicantur.

Ad primum principale.

Per hoc ad argumentum primum dico, quòd hoc ſacramentum fuit immediatè à Deo inſtitutum, & non ab Adam, quia Adam tantùm fuit præco & miniſter Dei, matrimonium iam inſtitutum explicans, & denuncians; non enim habuit auctoritatem condendi illam legem, & iſtud præceptum, quia tunc potuiſſet aliàs idem remouere, quod eſt contra id Matth. 19. *Deus dixit: Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Niſi vbi Deus ſtatuit eos ſeparare.

Adam tantum denunciauit matrimonium iam inſtitutum.

Ad ſecundū argumentum.

Ad ſecundum, dico quòd nullus inferior Deo, qui inſtituit hoc ſacramentum matrimonij, poteſt aliquid immutare circa id poſtquam eſt factum, & contractum, quia tunc eſt firmum, & ratum indiſſolubiliter; quæ firmitas vocatur *bonum matrimonij*, quod eſt triplex, vt dictum eſt. Et cùm probas quòd Eccleſia poteſt aliquas perſonas illegitimare, & facere ineptas ad co: trahendum; dico quòd Eccleſia nunquam facit, nec poteſt iuſtè facere, poſtquam contractum eſt, & matrimonium eſt firmum, & ratum inter coniuges, quia nunquam poteſt aliquis facere contra formam ſacramenti huius nec alicuius alterius in ſe immutando, & deſtruendo aliquid eſſentiale, quia tunc poſſet illa reuocare: ſed non poteſt, licèt aliquid poſſit immutare ex parte materiæ, vel ſuſcipientum hoc ſacramentum, ſicut in ſacramento Pœnitentiæ. Poteſt enim ordinare quæ perſonæ ſunt aptæ ad contrahendum, & quæ non, & illos ineptos illegitimare, & alios ſicut aptos legitimare. Sicut ex parte materiæ, vel ſuſcipientis ſacramentum Pœnitentiæ, poteſt ordinare vt iſte ſit ſubditus illius Sacerdotis, vel ille illius, vel vterque vnius, licèt Eccleſia circa ſacramentum Pœnitentiæ in ſe nihil innouare poſſit.

Eccleſia non immutat, quod eſt eſſentiale matrimonio.

SCHOLIVM III.

Ad quæſtionem primam diſtinctionis 27. ait requiri expreſſa verba ad hoc ſacramentum, vt ſacramentum eſt, vt verò contractus, ſufficere quæcumque æquiualentia. Ita multi citati à Sanch. lib. 2. de matrimonio diſp. 24. 30. & 31. Largè, & doctè de his hîc diſputat Doctor, deinde ſoluit argumenta in contrarium.

26. *Deciſio primæ quæſtionis, diſt. 27. habetur ex dictis & maximè 7. concluſione.*

AD ſecundam quæſtionem, cùm quæritur vtrùm præciſa cauſa matrimonij ſit conſenſus mutuus expreſſus per verba? Apparet ſolutio ex prædictis in ſeptima concluſione, & vltimo corollario præcedente, quòd ſic. Addo tamen quòd loquendo de matrimonio, vt eſt contractus quidam, ſicut poteſt fieri cum conſenſu mutuo, expreſſo per quæcunque ſigna certa: & non ſolùm ſigna audibilia, vt certis verbis, quia aliter muti, vel quicunque alij ignorantes certam formam verborum, non poſſent verè contrahere, quod eſt falſum. Loquendo de matrimonio ſacramento, ſic eſt conſenſus mutuus coniugum expreſſus per ſignum ſenſibile determinatum, vt certa verba, vel alia ſigna certa: & quòd illa ſigna ſiue certa verba, ſint de præſenti, ſcilicet, *accipio te in meam, & ego te in meum*, tunc conſenſus per illa verba verè dicitur matrimonij ſacramentum. Si verò ſint alia ſigna, quàm verba, vt fuit in Abraham, & antiquis patribus veteris Teſtamenti, tunc in illis fit contractus verè ad matrimonium, ſed non matrimonij ſacramentum, quia id tantùm exprimitur per verba de præſenti.

27. *Ad primum principale.*

Ad primum, dico quòd in actibus humanis non requiritur certitudo omnimoda, vel determinata, ſed tantùm apparens foris per ſigna euidentia, qualis poteſt eſſe in actibus humanis, per quæ ita veriſſimè credatur eſſe in corde, ſicut extrà exprimitur in ſermone. Aliam enim certitudinem non poteſt aliquis habere citra Deum de aliquo, cùm ignoret interiora hominis, & ita ſi nullus poſſet eſſe certus per verba foris expreſſa, quæ ſunt ſenſibilia diſciplinabilia, ſequeretur quòd nulla eſſet certitudo, vel veritas in quacunque emptione, vel venditione, vel vniuerſaliter in aliqua actione humana ad alterū, quod eſt falſum, quia non eſt veriſimile aliquem exteriùs mentiri, niſi aliquo modo inuitè.

In actibus humanis ſufficit certitudo externa.

Ad aliud de gloſſa illa, quæ dicit quòd pueri per tacitum conſenſum ſunt coniuges, dico quòd ad hoc quòd pueri ſint verè coniuges, ad contractum eorum ſufficiunt ſigna expreſſa à parentibus, quæcūque ſint illa, ſiue verba, ſiue alia ſigna certa, quia ex contractu illo expreſſo per talia ſigna poteſt poſtea oriri quædam obligatio perpetua inter eos, ad mutuum ius habendum in ſuis propriis corporibus; & tunc contractus eſt verus, ex ſolo conſenſu, & vera obligatio ex aliis certis ſignis, non tamen eſt matrimonij ſacramentum firmatum, & ratum inter eos, niſi ipſimet coniuges mutuò conſentiant. 27. q. 2. *Sufficiat. Si ſolus conſenſus defuerit, cætera vel etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur. Extrà de ſponſal. in public. cap. 5.* dicitur ibidem. *Si conſentiant, & ſibi inuicem profitant verba.* Si enim verba à parentibus prolata, ſatis fuiſſent ad matrimonium ſacramentum, tunc parentes ſine eis poſſent in hoc ſacramento diſpenſare, quod eſt falſum. Si verò verba vaga, & indeterminata ſufficiant ad ſacramentum matrimonij, vt dicunt Iuriſtæ allegantes Auguſtinum in epiſtola 16. ad *Deo gratias*: tunc quæcunque illa eſſent, ſufficerent ad ſacramentum.

Ad ſecundū.

Præter expreſſa ſigna parentum ad valorem matrimonij ſacramenti requiritur mutuus coniugū conſenſus.

Auguſt.

SCHOLIVM IV.

Ad ſecundam quæſtionem diſtinctionis 27. reſpondetur definitionem Magiſtri eſſe bonam; quam etiam Doctor explicat; & ad primum argumentum diffusè tractat an illud vinculum matrimonij ſit relatio intrinſecùs aduenies realis; an verò rationis, vel potiùs ordinatio extrinſeca legiſlatoris?

28. *Deciſio 2. q. diſt. 27.*

AD tertiam quæſtionem; *Vtrùm definitio matrimonij poſita à Magiſtro in litera ſit ſufficiens?* apparet ex ſupradictis quòd ſic, paucis ſuppletis,

& adhibitis aliquibus cõditionibus, quæ deficiũt per quæſtiones ſequentes de matrimonio. Poteſt enim matrimonium ſecundo modo dictum, de quo eſt quæſtio, dici obligatio indiſſolubilis, & perpetua maris & fœminæ, quantùm ad poteſtatem corporum, ordinata ad procreationem prolis religiosè educandæ, & ad cultum Dei ampliandum, &c.

29. *Ad primum argumentum huius quæſt. Matrimoniũ ſemper manet, dum manent coniuges.*

Ad primum argumentum in oppoſitum, cùm dicit quòd coniunctio illa fœminæ & maris, aut eſt paſſio, vel relatio? dico quòd non eſt paſſio, quæ eſt in *fieri*, quia illa tranſit; matrimonium verò ſemper manet, dùm manent coniuges. Eſt igitur relatio nata ex tali paſſione. Et cùm arguis quòd non, quia relatio non eſt terminus motus: dico quòd ſi quis diceret, quòd talis coniunctio eſſet relatio realis duarum voluntatum mutuò ſe obligantium, haberet dicere quòd eſſet reſpectus realis extrinſecus, & contingenter aduenies voluntati contrahentis & obligantis ſe, & non oriens ex natura extremorum, ſiue voluntatum ſe obligantium; quia tunc eſſet ſemper talis coniunctio inter eos. Sicut profeſſio Religionis, vel regulæ Beati Franciſci, quam profiteor, non eſt reſpectus intrinſecùs aduenies voluntati meæ, oriens ex ea naturaliter, poſita regula vt termino, ſed tantùm reſpectus extrinſecùs & contingenter ei aduenies. Et ad talem reſpectum extrinſecùs aduenientem non negat Philoſophus vniuerſaliter eſſe motum, vel mutationem, 5. *Phyſic.* quia ipſemet *ibidem* concedit, & ponit motum eſſe ad *vbi*, vt ad tertium prædicatum, & tamen non eſt niſi quidam reſpectus extrinſecùs aduenies. Similiter non oportet ſemper motum & mutationem eſſe ad *vbi*, ad hoc quòd ſit actio, vel paſſio, quia facta ſumma approximatione paſſi ad agens ſequuntur iſti reſpectus actio & paſſio extrinſecùs aduenientes, nulla præcedente mutatione, vel motu ad illos reſpectus. Philoſophus ergo tantùm negat motum, vel mutationem in relatione, qui eſt reſpectus extrinſecùs aduenies.

Coniunctio illa poſſet dici relatio extrinſeca realis.

Ariſtoteles non negat motum ad relationem extrinſecùs aduenientẽ.

30. Si verò dicatur quòd coniunctio eſt relatio rationis, ſicut & aliæ obligationes ad transferenda dominia, licèt ipſa dominia ſint bona aliqua realia, vel aliqui gradus eminentes, per reſpectum ad aliquem finem talem, quia tantùm huiuſmodi dominia, vel iuriſdictiones propter id diligimus, ad quod ſunt, vt propter diuitias, vel honores, vel bonum prolis, &c. Dico tamẽ quòd non eſt niſi quædam ordinatio diuina ſecundùm iuſtitiam, quæ ordinatio eſt in eo, qui habet omnes leges, & ordinationes in corde ſuo, qui ſic ordinauit illum contractum, vel obligationem debere fieri. Et tunc non eſt aliqua mutatio in coniugibus, quando de non talibus fiunt tales, niſi tantùm ſecundùm rationem; & nulla præcedens iſtam, vt via ad illam, niſi mutuus actus voluntatum coniugum, qui non ſunt relationes, ſed qualitates abſolutæ in voluntatibus eorum, &c.

Vinculum matrimonij eſt relatio rationis.

Ad ſecundũ.

Ad aliud, dico quòd ſunt duæ obligationes, & coniunctiones partiales, quibus coniunguntur coniuges ad inuicem, & ita ſunt duæ relationes partiales, quia aliud & aliud fundamentum, & aliud, & aliud terminus. Et quando dicis: Si ſint duæ coniunctiones, erunt duo matrimonia; dico quòd non ſequitur, quia non quælibet partialis coniunctio eſt matrimonium; ſed tantùm coniunctio mutua, quæ ponitur in definitione matrimonij, tanquam vna totalis coniunctio, à qua dicitur matrimonium ſacramentum. Et ideò licèt ſit duplex coniunctio, & relatio partialis, neutra tamen eſt ſacramentum, ſed vtraque, licèt alia ſit relatio, & habitudo profeſſi ad Religionem, & alia Patris Monaſterij ad profitentem; vna tamen eſt profeſſio, vel religio, & per conſequens cùm in propoſito ſit tantùm vna coniunctio mutua, erit matrimonium ſacramentum vnum.

Vinculum eſt vna relatio totalis conſtans ex duabus partialibus.

SCHOLIVM V.

Ad quæſtionem huius diſtinctionis vigeſimæ octauæ reſolutio eſt; per verba de futuro non fieri matrimonium, ſed requiri verba, vel ſigna de præſenti, quia promiſſio non transfert dominium. Ad primum, tangitur difficultas, an carnalis copula, qua fit matrimonium, præcedentibus ſponſalibus, ſit licita, necne? & videtur quòd non, quia non ex matrimonio: puto ex matrimonio eſſe, quia eo ipſo, quòd ſponſi ad talem actum ſe diſponunt, per ſigna de præſenti ante actum contrahunt matrimonium: vnde ſi caſu aliquo impedirentur ab actu, videtur eſſe matrimonium, etſi Eccleſia pro eo non iudicaret, niſi ſequeretur copula. Dubitat Doctor an tale matrimonium ſit ſacramentum, quia multi putant eſſe neceſſaria verba; verius tamen eſt matrimonium eſſe.

31. *Differentia dationis & promiſſionis.*

AD quartam quæſtionem: *Vtrùm ſolus mutuus conſenſus coniugum expreſſus per verba de præſenti eſſet matrimonium?* quòd ſic. Patet ex ſeptima concluſione; dictum eſt enim ibi, quòd ille contractus matrimonialis eſt contractus liberæ, & mutuæ donationis poteſtatis corporum, & non mutuæ promiſſionis, quæ non ſunt idem, quia nullus promittens inquantùm talis dat aliquid liberaliter, quouſque impleat quod promiſit, & tunc non eſt promittens, ſed dans; datio enim non eſt niſi de præſenti: promiſſio verò eſt de futura datione, & non de præſenti.

Ad propoſitum ergo dico, quòd aliquis contrahens cum aliqua per verba de præſenti, qui cum alia priùs contraxit per verba de futuro, non cognoſcens eam, verè dat iſti poteſtatem in corpus ſuum donatione liberali, & contrahit cum ea verè matrimonialiter, & alienat rẽ ſuam, id eſt, poteſtatem corporis ſui ab illa, cum qua priùs contraxit tantùm ſponſalia, promittens ſibi illam poteſtatem per verba de futuro. Nec in hoc aliquid aufert à prima, cum qua per verba de futuro contraxit, quia ipſam nunquam habuit, quia nunquam ſibi poteſtatem ſui corporis dedit, ſed tantùm promiſit, & illam poſteà alteri dedit priùs, quàm priori ſatisfaceret de promiſſo. Et ideò licèt teneatur dolere, & pœnitere de fractione promiſſi, non tamen tenetur adimplere promiſſum, ex quo alteri ſe dedit, quia impoſſibile eſt promiſſum tenere, & implere poſt contractum expreſsè per verba de præſenti; quia tũc ampliùs non habet poteſtatem, nec ius in corpus ſuum, ſed illa, cui ſe totaliter ſic donauit; nec tenetur priori aliter ſatisfacere, quàm dolendo, quòd modò non eſt ſui iuris, ſed vxoris.

Promiſſio non tranſfert dominium rei, datio verò ſic.

32. *Ad primum principale.*

Ad argumentum in oppoſitum, cùm dicitur, quòd ſi verba de futuro ſequatur carnalis copula, matrimonium ratum eſt, & conſummatum, quia omne vinculum eſt indiſſolubile, ad quod ſequitur carnalis copula.

Dico quòd hæc propoſitiõ eſt falſa, niſi intelligatur benè. Poteſt enim intelligi dupliciter vinculum

vinculum aliquod indiſſolubile; vel quòd ſit indiſſolubile propter carnalem copulam ſequentem, & ſic dico quòd non eſt aliquod vinculum indiſſolubile ex natura talis actus, quia tunc aliqua conſentiente in illum, quantùm ad actum meretricium, & è conuerſo, eſſent coniuges indiſſolubili vinculo, quod eſt falſum, quia in foro conſcientiæ nunquam poſt carnalem copulam eſt vinculum indiſſolubile ex natura talis actus, niſi illam copulam præceſſiſſet in eis mutuus conſenſus expreſſus per verba de præſenti, vel aliqua alia certa ſigna, quæ ad matrimonium requiruntur.

Vinculum dicitur indiſſolubile dupliciter.

An contractus per verba de futuro, ad quem ſequitur carnalis copula, ſit indiſſolubilis?

In foro tamen Eccleſiæ iudicatur vinculum indiſſolubile poſt carnalem copulam, non quòd carnalis copula ſit cauſa matrimonij, vel indiſſolubilitatis vinculi, ſed quòd ſit quædam præſumptio, qua Eccleſia præſumit ſic contrahentes per verba de futuro, & poſteà carnaliter copulantes aliquando priùs ante talem carnalem copulam habuiſſe mutuum conſenſum, & expreſſum per verba de præſenti, vel aliquod aliud ſignum. Si enim nullo modo præceſſit in eis talis conſenſus mutuus expreſſus per verba de præſenti, non video quomodo præſumptio Eccleſiæ faciet in iſtis verum matrimonium poſt carnalem copulam, magis quàm priùs, ſicut patet *Extra de ſponſalibus*. Alio modo poteſt intelligi eſſe vinculum indiſſolubile, ſi præceſſit ille conſenſus, quia de ſe, & ex natura ſua eſt tale vinculum, etiamſi nunquam eſſet conſecuta carnalis copula, & tale vinculum eſt matrimonium in ſe, & conſenſus mutuus expreſſus priùs per verba de futuro.

Ad ſecundũ.

Ad aliud dico quòd impoſſibile eſt promiſſionem, vel donationem eſſe eiuſdem rationis, quia ſibi inuicem repugnant, qualitercunque iuramentum addatur, vel non addatur; & per conſequens ſiue cum iuramento, ſiue ſine iuramento, non poſſunt ſimul concurrere ad contractum matrimonij. Matrimonium autem eſſentialiter eſt mutua, & liberalis donatio pro iſto inſtanti temporis, vel naturæ, in quo eſt. Iuramentum autem de futuro eſt promiſſio tantùm contractus: quare promiſſio non poteſt eſſe donatio, nec è conuerſo.

Donatio & promiſſio ſunt diuerſæ rationis.

DISTINCTIO XXIX.

De coacto conſenſu.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm conſenſus coactus in vtroque, vel in altero contrahentium ſufficiat ad matrimonium contrahendum, & non impediat contractum?

D. Thom. *in addit. quæſt.* 45 *art.* 4. *& hîc quæſt. vnica art.* 3. D. Bonauent. *hic art* 1. *quæſt.* 1. Richard. *art.* 1. *quæſt.* 1. Durand *quæſt* 1. Sanch. *lib.* 4 *de matrim. diſp.* 15. *&* 16. *& per totum librum.*

1. Circa diſtinctionem 29. quæritur: *vtrùm conſenſus coactus in vtroque, vel in altero contrahentium ſufficiat ad matrimonium contrahendum, & non impediat contractum?*

Primum arg. affirmatiuũ.

Et videtur quòd ſufficiat, quia coactus baptizatus ex timore pœnarum, verè eſt baptizatus, ſicut habetur *Extra de Baptiſmo, & eius effectu. Maiores*: ergo coacti ad contrahendum, verè contrahunt.

Secundum.

Item, nullus poteſt cogi ad contrahendum, niſi per metum; vel igitur per talem metum, qui cadit in conſtantem virum, qui non eſt aliquis metus, quia ſecundùm Philoſophum 3. *Ethicorum cap.* 9. fortis eſt impauidus, aut per talem metum, qui non cadit in conſtantem virum, vel leuem metum, & talis metus cadens in aliquem ex coactione, non impedit matrimonium.

Tertium.

Item, iſta coactio conſenſus per metum non eſt niſi vehemens communicatio, vel inductio, vel perſuaſio, & non coactio ſimpliciter, quia voluntas & actio eius interior non poſſunt cogi, cùm pertineant ad liberum arbitrium. Sed ſicut aliquis poteſt vehementer induci, & inclinari ad conſentiendum alicui per metum, ita poteſt induci per blanditias: ergo cùm vehemens inductio conſenſus in aliquid per blanditias non impediat matrimonium ſic contractum, videtur quòd nec etiam iſta inductio, quæ ſequitur metum.

Quartum.

Item, ſicut videtur *Extra de ſponſalibus impuberum*; pater poteſt promittere pro filio matrimonium contrahendum, & filius tenetur promiſſum patris adimplere per contractum ſequentem; quòd ſi noluerit, poterit eum cogere per minas & pœnas, ſi fuerit inuitus ad contrahendum.

Secunda ratio ad oppoſitum. Arg primum negatiuum.

Ad oppoſitum eſt Magiſter in litera in principio huius diſtinctionis, oportet conſenſum coniugalem liberum eſſe à coactione; coactus enim conſenſus, qui nec conſenſus appellari debet, coniugium non facit.

Secundum.

Item, fauorabilior eſt ſtatus Religionis quàm matrimonij; ſed profeſſio in Religione facta vi, vel metu mortis, non tenet quin talis poſſit licitè poſteà reuerti ad ſæculum, vt habetur *Extra de his, quæ vi metuſve cauſa fiunt, cap.* 1. Ergo multò magis contractus matrimonii per conſenſum coactum metu mortis non tenet.

Tertium.

Item, *Extra de ſponſ. impuberum* vbi priùs, dicit Canon, quòd filius coactus per patrem conſentire in aliquam, poteſt non tenere promiſſum patris, & eſt in oppoſitum illius, quod priùs adducebatur de illa auctoritate.

SCHOLIVM I.

Sententia tenens matrimonium metu contractum, ſi interiùs conſentiatur, valere, non aliter, refutatur iuribus & rationibus. Ita Canoniſtæ cap. 2. de his quæ vi. *D. Thom. D. Bonauent. & alij citati in Oxonienſ. ſchol. num.* 3. *Explicat optimè quomodo voluntas non poteſt violentari, quia violentum eſt ab extrinſeco; & quomodo cogitur ad aliquid volendum ſimpliciter liberè, ſed metu impellente. Et quod tunc licitè vult, intus, & extra, id ad quod cogitur: quódque peccaret ſi interiùs diſcordaret à verbis, vel ſignis.*

3. *Prima opinio Gotefr quodlib* 13. *q.* 15.

HIc dicitur, quòd coactio non poteſt fieri ſimpliciter ipſi voluntati ad conſentiendum, quia ipſa ex quo eſt ſimpliciter libera, ſimpliciter non poteſt cogi, ſed tantùm ſecundùm *quid*, vt reſpectu pœnarum, vel minarum exteriorum fugiendarum, quæ intentantur ſibi, niſi velit conſentire. Iſtæ autem pœnæ non cogunt ad conſenſum interiorem, quia ille non poteſt alicui

alicui patere, niſi Deo, niſi per ſigna exteriora, & non niſi tantùm ad aliquem actum exteriorem, puta prolationem verborum; quia non cogunt niſi ad illa, per quæ poteſt homo fugere illas pœnas ſibi intentatas; talia ſunt verba exteriùs prolata, quia illa ſunt illarum pœnarum ſufficientia euaſiua ſine conſenſu interiori. Si igitur ille præter conſenſum exteriorem, qui apparet in prolatione verborum exteriùs, conſentiat interiùs, vel in proferendo verba, vel in fine prolationis, cùm ille conſenſus ſit amodò liber, & non coactus, quia non poteſt quantùm ad illũ actum aliquem cogere, ratum eſt matrimoniũ in foro conſcientiæ, & verum; non tamen eſt matrimonium verum, & ratum in foro Eccleſiæ, quia Eccleſia nõ præſumit aliquem coactum per pœnas, & minas ad exteriorem conſenſum, & prolationem verborum interiùs cõſenſiſſe, niſi ad periculum pœnarum euadendum. Primo modo tantùm, ſcilicet conſentiendo in exteriorem prolationem verborum, non contrahit matrimonium, nec in iudicio Eccleſiæ, nec conſcientiæ, quia ibi non eſt liber conſenſus, ſed coactus.

4. *Impugnatur primò.*

Contrà, hæc opinio videtur omnino irrationabilis quoad vtrumque membrum, primò quoad id, quod dicit, quòd homo poteſt cogi quantùm ad conſenſum exteriorem, vt pœnas fugiat, quæ cogunt quantùm ad conſenſum exteriorem, & non interiorem, quod eſt falſum, quia ſecundùm omnes, coactio ſimpliciter non poteſt eſſe reſpectu ſolius exterioris actus, nam exteriùs proferens verba, voluntariè loquitur, & mouet linguam; quantumcunque enim videnter cum digitis aperiretur os eius, & moueretur lingua, non poſſet verba exprimere niſi voluntariè ex imperio voluntatis à ſe moueretur. Dato etiam quòd ſic, ſequeretur quòd homo poſſet cogi ad peccandum mortaliter, quod eſt etiam falſum. Probo conſequentiam. Coactio non eſt niſi inductio ad aliquid faciendum propter euaſionem maioris mali; ſed nulla pœna eſt formaliter tantum malum quantum eſt conſenſus exterior ſine interiori, quia eſt mendacium pernicioſum: ergo nulla erit talis coactio.

Nullus metus virum conſtantem inducere poteſt ad peccãdum.

5. *Impugnatur ſecundò.*

Præterea arguo ſic: metus iſte pœnarum, propter quem aliquis cogitur, & efficaciter inducitur ad contrahendum matrimonium, non debet eſſe metus leuis, vel trufaticus, ſed metus ille, qui poteſt cadere in conſtantem, & virtuoſum virum: ſed nullus vir conſtans, & virtuoſus, debet propter metum conſentire in peccatum mortale, nec in aliquod, ad quod inſeparabiliter conſequitur peccatum mortale; ſed proferendo verba exteriora & exteriùs aſſentiens illis, quæ ſibi imponuntur, ſi interiùs diſſentiat illis, quæ exteriùs pronunciat, peccat mortaliter mendacio pernicioſo; ergo non cogitur metu pœnarum ad conſenſum tantùm exteriorem ſine interiori. Nec magis poteſt cogi ad actum exteriorem, quàm interiorem, quia nunquam eſt conſenſus in actum exteriorem, niſi priùs fuerit aliquis cõſenſus interior imperans actum exteriorem; & ad hoc poteſt ſic argui.

6. *Quomodo cõſenſus exterior ſine interiori eſt peccatum.*

Quicunque metus inducens aliquem ad conſentiendum in aliquem actum, inducit etiam ad conſentiendum illi actui, ſine quo iſte actus omnino eſſe non poteſt abſque peccato mortali. Hæc eſt manifeſta. Sed conſenſus exterior per prolationem verborum, ſine conſenſu interiori eſt peccatum mortale; ergo metus pœnæ inducens aliquem ad conſenſum exteriorem per prolationem verborum, niſi adſit etiam cõſenſus interior, inducit ad peccatum mortale. Nullus eſt talis metus reſpectus viri conſtantis, & virtuoſi; ergo metus, qui inducit aliquem ad prolationem verborum, & conſenſum exteriorem, inducit & ad conſenſum interiorem.

Nullus conſtans debet conſentire in peccatum propter vllũ metum.

Aſſumptum probo multipliciter, ſcilicet quòd nullus vir conſtãs, vel virtuoſus deberet conſentire in peccatum mortale propter quemcunque metum; nã nullus metus debet inducere aliquẽ ſecundùm rectam rationem ad faciendum maius malum, vt fugiat minus malum; ſed è cõuerſo inducit ad minus malum tolerandum magis, quàm ad magis malum faciendum: ergo. Sed exteriùs conſentire per verba cum diſſenſu interiori, eſt formaliter maius malum, quàm pœna, quæ vitatur, quia eſt peccatum mortale, & mendacium pernicioſum; peccatum autem eſt formaliter malum, quia nullo modo bonum; pœna autem non ſic, quia eſt reformatiuum culpæ, & materiæ iuſtitiæ exercendæ, & inducit bonũ, licèt non huic; igitur ſecundùm rectã rationem libentiùs debet tolerari, quàm mendacium pernicioſũ committi.

7. *Impugnatur tertiò.*

Item, cui per ſe eſt illicitum conſentire, non debet aliquis quocunque metu induci ad id faciendum. Patet manifeſtè in omnibus prohibitis ſecundùm rectam rationem, & in his, ad quæ inducit recta ratio, ſed aliquis profitens aliquam Religionem per verba exteriora, & conſenſum exteriorem ſine conſenſu interiori, peccat mortaliter mendacio pernicioſo: ergo ſimiliter in propoſito.

Quartò. Nullus debet conſentire alicui ad quod inſeparabiliter ſequitur peccatum mortale.

Item, exemplum ad hoc eſt tale; ſi aliquis timore pœnæ iuret ſuper ſacra Dei Euangelia accipere iſtam in vxorem, & non conſentiat illi, quod exteriùs pronunciat per iuramentum, peccat mortaliter, quod nullo modo modo facere deberet: ergo nõ debet propter quemcumque metum conſentire illi, ad quod inſeparabiliter conſequitur peccatum mortale. Si enim metus induceret eum ad actum exteriorem tantùm, ſine conſenſu interiori, vt tu dicis, induceret eum ad peccatum mortale, quod eſt inconueniens, quia impoſſibile eſt conſenſum exteriorem eſſe cum diſſenſu interiori ſine peccato mortali. Iſtud apparet per Philoſophum 3. *Ethicorum* de proiicientibus merces ſuas in mare propter tempeſtatem, & periculum vitæ ſuæ: vbi metus non tantùm inducit ad actum exteriorem proiectionis merciũ in mari, ſed etiam ad actum interiorem, ſcilicet ad velle proiicere; niſi enim actus interior eſſet voluntarius, ſicut & exterior, non moueret organa exteriora, vt manus ad proiiciendum; & per conſequens vterque actus tam exterior, quàm interior, pro quanto ad illos inducitur metu pœnæ, eſt ſimpliciter inuoluntarius ſecundùm *quid*, tamen voluntarius, pro quanto ad fugiendum maius malum, vt ſubmerſionem, eligit minus malum, ideſt, proiectionem mercium in mare. Ergo ita ſequitur quòd eſt coactio reſpectu actus interioris ſicut exterioris, & ita eſt in omnibus mixtis ex voluntario, & inuoluntario.

Poteſt dari coactio ad internum actũ ſicut ad externum.

8. *Impugnatur etiam Gotfr. quoad ſecundum quod dicit.*

Contra id, quod ſecundò dicit, quòd Eccleſia non præſumit talem conſenſiſſe in matrimonium, facit quòd Eccleſia non debet præſumere aliquem peccaſſe mortaliter in aliquo facto, niſi hoc ſibi conſtiterit per probationes legitimas, & per præſumptiones manifeſtas; quia Eccleſia vniuerſaliter præſumit, & interpretatur in partẽ meliorem;

meliorem; ergo cum consentire exteriùs in matrimonium, nisi adsit consensus interior, sit peccatum mortale mendacij pernicioſi, Ecclesia non debet præsumere illum, qui exteriùs consentit non consentire interiùs, quia tunc præsumeret illum peccare mortaliter, quod facere nō debet, nisi constaret sibi per aliquam protestationem, quam coactus faceret in præsentia testium fauorabilium dicendo: protestor coram vobis per verba, quæ modò dicam, quòd ea tantùm dicam ad euadendum periculum mortis, nullo modo interiùs consentiendo.

Ecclesia præsumit pro meliori parte.

Confirmatur.

Confirmatur per simile; quia si aliquis contraxerit cum aliqua per verba de futuro, & postea cognoscat eam carnaliter, Ecclesia semper præsumit quòd tractauerit eam affectu maritali, quia non præsumit quòd voluerit eam aliter cognoscere, vt adulteram, vel meretricem, quia nō præsumit, quòd peccauerit mortaliter, nisi hoc manifestè sciat, quia semper interpretatur in dubiis in meliorē partē. Sic habetur *extra de regulis Iuris.*

9. *Decisio quæstionis.*

Respondeo ergo ad quæstionem, circa quam duo sunt declaranda. Primò, si aliquis consensus sit coactus, & quo modo potest voluntas cogi. Secundò, si consensus coactus sufficiat ad matrimonium contrahendum, & impediat contractū? Quantùm ad primum, dico quòd propriè loquēdo coactio, vel violentia, vel metus non potest cadere in hominem quantùm ad aliquem actum humanum; cuius probatio poterit desumi ex ipsa definitione coactionis, vel violentiæ. Nam 3. Ethicorum, *Violentum est, cuius principiū totaliter est extra, non conferente vim passo*, ac passo non inclinato ad formam illam, quæ ab agente extrinseco inducitur, sed magis quātùm est ex se resistit illi, quia est contra inclinationem eius, & ita passum est non conferens vim violentiæ, non tantùm negatiuè, sed etiam contrariè, quia inclinatur naturaliter ad formam contrariam illi, quam recipit violenter: sed homo non potest cogi quantùm ad aliquem actum humanum, quia omnis actus humanus siue sit imperatus, siue elicitus, est liber, & electiuus, vel voluntarius; coactio autem est respectu simpliciter noliti, quantùm est ex se: sed quòd aliquis homo simul velit actu elicito nolens, contradictio est, sicut quòd idem album sit nigrum, quia velle aliquid nolens, sunt actus cōtrarij formaliter repugnantes in anima, vt albedo & nigredo in colore.

Quid sit violentum.

Voluntas non potest violentari.

Quòd autem in nullo actu possit cogi, patet in proposito, nam quantumcunque per coactionem aliquis moueat cum digitis linguā alterius, nunquam tamen faciet eum loqui, nisi velit. Relinquitur ergo quòd coactio tantùm potest cadere in homine respectu pati, si aliquo modo cadit in eo, vt puta quòd violenter ligetur, vel detineatur, vel si aliquo modo sit actio instrumentaliter, puta si aliquis me nolente occidat, vel percutiat alium manu mea, sicut instrumento non nominato, non tamen est actio humana, quia non voluntaria; sed tunc membris hominis vtitur aliquis in talibus actionibus, ac si essent organa inanimata, & non hominis. Non tamen dicitur coactiō in homine per metum pœnæ fugiendæ, quāuis nō ex leui suspicione, sed ex certa æstimatione præuidet aliquid simpliciter magis fugiēdum sibi imminere, & sibi infligendum, & inferendū, si non consentiat in illud, vt periculum mortis, enormem læsionem corporis, seruitutem, vel stuprum & periculum aliorum graduum malorum expressorum in Iure, quàm sit id fugiendum, cui cogitur consentire; & tunc secundùm rationem rectam minus malum est à quolibet sapiente eligendum: nulla pœna intentata sibi est formaliter maius malum peccato mortali mendacij pernicioſi, quod committitur in prolatione verborum exteriorum cum dissensu interiori: igitur stante illo dissensu interiori, non debet metu alicuius pœnæ exteriùs tantùm consentire: sed est possibile, quòd maius malum, & maior pœna inferatur alicui, si non consentiat ducere istam in vxorem, quàm sit sibi malum vel pœna consentire in eam interiori consensu, quia sic consentire in eam, nō est peccatum mortale, sed licitum; nec tanta pœna sicut mori simpliciter, vel mutilari, vel in perpetuam redigi seruitutem: ergo secūdùm rectam rationem posset quilibet libentiùs velle istam ducere in vxorem, quàm maiora mala pati, & iste metus, qui est respectu maioris mali fugiendi potest cadere in constantem virum, & virtuosum, quia sapiens & virtuosus semper eligit minus malum, & isto modo de omnibus mixtis ex inuoluntario, & voluntario.

Coactio tantum quoad pati.

Ex hoc facilè dignoscitur quis est metus, qui potest cadere in constātem virum, & virtuosum; quia non metus de malo culpæ, sed de malo pœnæ infligendæ, & ratio est, quia semper vir constās, & virtuosus, timore pœnæ debet fugere maius malum, quàm sit id malum, quod eligit, quia recta ratio dictat semper minus malum esse eligendum; quodcunque peccatum est formaliter maius malum quàm sit quæcunque pœna: ergo propter quamcunque pœnam fugiendam nō debet vir constans, & virtuosus, facere peccatum mortale, quia sic statim fieret vitiosus. De peccato autem veniali similiter an magis debet committi secundùm rectam rationem à quolibet, quàm admitti quæcunque pœna, dubium est: de hoc fortè dicetur in secundo libro.

SCHOLIVM II.

Probat ex parte causæ efficientis, formalis, & finalis consensum ad matrimonium debere esse liberum. Vnde non iure Ecclesiastico, sed diuino requiritur illa libertas, vt probat ex Scriptura, & exemplis legis veteris. Et tenet D. Thom. hic q. vn. art. 3. & alij citat. in Oxon. hic in schol. n. 8. Videtur tamen ad Ecclesiam spectare declarationem, quanta libertas hic requiritur, & iuxta hoc oppositæ sententiæ de hac difficultate conciliari possent. Vide dictum scholium, de quo Sanch. latè obiicit, & soluit tres obiectiones.

QVantùm ad secūdum principale, dico quòd consensus sic coactus, vel hæc persuasio cōsensus per pœnas efficaciter inducens ad contrahendum cum aliqua muliere impediat matrimonium, & quantùm ad iudicium Dei, & quantùm ad iudicium Ecclesiæ, nec aliquis sic coactus postea obligatur ad id vinculum matrimonij obseruandum. Et quòd ita sit, habeo per auctoritatem Ecclesiæ: *Extr. de sponsal. Cum locum*, vbi dicit, Canon quòd *locum non habet consensus, vbi aliquo modo est metus.* Similiter *ibidem, cap. Veniens, & c. 3. Consultationem de puella*, &c. Sed prima auctoritas est magis plana contra auctoritates Magistri in litera: ergo habemus ex authoritate Ecclesiæ quòd ita est.

10.

Sed quarè, & qualiter ita est? dico quod triplex ratio, vel causa huius potest congruè reddi, quarū

vna

vna poteſt accipi ex parte cauſæ formalis matrimonij. Alia ex parte cauſæ efficientis eius. Tertia ex parte cauſæ finalis eius. Ex parte cauſæ formalis matrimonij poteſt hoc oſtendi ſic: De ratione formali matrimonialis contractus eſt, ſicut priùs patuit, donatio libera, & mutua poteſtas corporũ. Et licèt non ſit donatio liberalis ſimpliciter, inquantùm liberalis datio rei alicuius etiam nõ expectat aliquam retributionem, ſicut accipit Auicẽna 6. *Metaph.* quia hæc datio eſt, vt dicetur, expetens, & exigens redditionem, vel redationem; eſt tamen maximè liberalis, & liberaliſſima, inquantùm conſenſus mutui, & duarum voluntatum, voluntariè ſe obligantium. Ergo, &c. Forma autem non poteſt probari de re demonſtratiuè, quia nihil eſt in re priùs ipſa forma, ex quo poſſet accipi præmiſſa, vel medium concludendi ipſam de re. Vnde igitur habet contractus matrimonialis iſtam liberalitatem, quòd videlicet ſit formaliter talis donatio mutua? dico quòd à legislatore vniuerſali, vt à cauſa efficiente, qui cuilibet contractui indidit iuſtitiam ſuam, & permutationem debitam, & iſti contractui contulit quòd ex natura contractus fieret liberalis, quia ex libero conſenſu contrahentium voluntariè, & mutuò ſe obligantium.

Ex cauſa efficienti, formali, & finali requiritur conſenſus matrimonij ſine coactione.

Vnde habet, vt ſit liber?

11. *Quo iure conſenſus matrimonij debet eſſe liber?*

Sed quis eſt iſte legislator? Dicunt quidã quòd Eccleſia; quod non intelligo, quia tunc non fuiſſet contractus matrimonialis inter Adam & Euam, & antiquos patres tempore Abraham, & Moyſi, & aliorum, quod videtur inconueniens. Similiter matrimonium coactum per metum nõ fuit tempore legis naturæ matrimonium, quia ſemper erat contractus liber, & conſenſus mutui contrahentium. Patet, quia hoc tunc in antiquis Patribus obſeruabatur, ſicut patet de Abraham, & de Rebecca vxore Iſaac, pro qua miſit Abraham ſeruum, vt quæreret eam ad contrahendum cum filio ſuo dicens: *Si noluerit*, inquit, *puella venire tecum, non eris reus iuramenti*, & paulò pòſt, *dixerunt parentes eius ad illam: quæramus eius voluntatem, ſi velit ire cum homine iſto, quæ reſpondit, volo*, & facta eſt vxor filij Abraham ex conſenſu mutuo vtriuſque, vt patet; igitur talis conſenſus requirebatur. Tunc temporis autem non erat aliqua lex ſcripta nec Moſaica, nec Euangelica; ergo non eſt præcisè iſte contractus mutui conſenſus ex Eccleſia.

Item, ſi eſſet inſtitutum ab Eccleſia, poſſet licitè id deſtruere, quod eſt impoſſibile, quia dixit Chriſtus Matth. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

* diſt. 2. q. 1.

Præterea, omnia ſacramenta fuerunt immediatè inſtituta à Chriſto, vt ſuprà * oſtenſum eſt in generali, licèt Eccleſia de materia ſacramentorum poſſet variè ordinare, declarando iſtam capacem, & legitimam, & aliam non. Ergo & matrimonium, vt eſt ſacramentum, eſt immediatè à Deo: ſed contractus matrimonialis eſt prior matrimonio ſacramento, quod ſit tantùm cum certis verbis. Contractus autem matrimonialis exprimitur ita per alia ſigna, ſicut per illa: ergo Eccleſia, quæ præſupponit matrimonium ſacramẽtum ab alio inſtitutum, multò magis præſupponit contractum matrimonialem.

12. *Iure diuino & Eccleſiaſtico requiritur liber conſenſus ad matrimonium, ſed diuerſimodè.*

Dico igitur quòd Eccleſia non inſtituit primò aliquod ſacramentum, poteſt tamen ſacramenta priùs inſtituta à Deo auctore, promulgare, vt præcepta auctoris principalis, & circa materias illorum, quæ non ſunt determinatæ à Deo, variè diſponere; & ordinare. Patet de contrahentibus, quorum aliquos illegitimat, & aliquos non, ſecundùm diuerſos gradus; & confeſſis, quorum vnum ſubdit iſti Sacerdoti, & illum illi: vbi autem hoc ſacramentum fuerit primò inſtitutum à Deo, dictum eſt alias *; & à quo primò promulgatum, quia ab Adam, *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, propter hoc* inquit, *relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ*, &c. relinquere patrem, aut matrem, debet, non deſpicere, vel proiicere patrem, aut matrem, nec è conuerſo debet deſpici, & proiici ab eis; ſed magis vxori, quàm eis firmiter amore adhærere per mutuum conſenſum, & actus vtriuſque voluntatis.

* diſt. 28. n. 15.

Geneſ. 2.

13. *Legiſlator vult liberum conſenſum ob procreationẽ prolis.*

Tertiò dico quòd iſtam conditionem liberæ donationis tribuit contractui iſti legislator propter hunc finem, qui eſt procreatio prolis religiosè educandæ, & ad cultum Dei applicandæ. Ad hoc enim quòd ad iſtum finem attingant, neceſſe eſt vt liberaliter inuicem coniungantur per tale vinculum indiſſolubile, quod eſt amor mutuus; talis amor multum facit, vt tale vinculum perpetuò conſeruetur, quia coniugium, quod non amore mutuo connectitur, patitur peſſimos exitus, ſicut habetur diſtinctione 20. quæſt. 3. cap. *Præſens*, vbi dicitur, *quod quis non diligit, facilè id contemnit.* Vult ergo matrimonium debitum ſemper eſſe ex libera electione, & non ex graui coactione, vt ſortiatur debitum finem, propter quem inſtituit illud legislator.

14. *Primum dubium contra dicta.*

Sed hîc ſunt tria dubia; primum, quia dixi priùs quòd ille contractus eſt mutua datio corporum, ſi tunc aliquis ex metu poſſet in animo conſentire in aliquam, ſequeretur quòd haberet actum voluntatis ad voluntariè transferendum ius corporis ſui in ipſam, ſicut alius tranſfert ius corporis ſui in aliam, quam ducit ſine quacunque coactione: ſed translata poteſtate corporis ſui in dominium alicuius, non poteſt ipſa inuita transferre illam in dominium alterius, contrahendo cum ea, quia non habet poteſtatem corporis ſui amodò, ex quo ſemel iam tranſtulit in dominium alterius, ſed ſemper remanet corpus ſuum exemptum à dominio, & iure proprio, alterâ primâ non ſibi concedente libertatem priſtinam, & per conſequens contrahens & conſentiens in aliquam ex metu verè contrahit matrimonium.

Secundum.

Secundum, quòd ſi omnis conſenſus ex metu mali, & coactione tali facit matrimonium nullum: ergo maior metus maioris mali magis impediet matrimonium: ſed contrahens ex metu peccati mortalis contrahit ex metu maioris mali, quàm contrahens ex metu cuiuſcunque mali, vel pœnæ corporalis, ſiue mortis, vel mutilationis enormis, &c. Ergo contrahens ex metu peccati mortalis, coactus per obedientiam, non contrahit, quod falſum eſt: quia quilibet tenetur obedire illi, cui ſubẽſt: igitur conſentiendo matrimonio ex obedientia ſibi impoſito, vel contrahit; vel ſi non contrahit, peccaret mortaliter, quia non obediret illi, cui obedire tenetur.

Tertium.

Item, ſi quis diceret ex amore, & paſſione alicui dilectæ: *ego interficiam me niſi contrahas mecum*, hic eſſet maximus metus nè accideret malum perſonæ dilectæ; amicus enim eſt alter ipſe: ergo talis contrahens cum aliqua, quam ſic amaret, non faceret contractum matrimonialem, quod eſt falſum.

Ad

15. *Solutio primi dubij.*

Ad primum, dico quòd iſte verbo conſentiens in aliquam, de neceſſitate ſalutis, tenetur pro tunc habere interius ad conſentiendum animo, ſicut conſentit ore proferendo verba, quia quilibet de neceſſitate ſalutis tenetur vitare peccatum, & mendacium pernicioſum. Iſte ergo ex aliquo metu; verbo, & animo conſentiens in aliquam, habet *velle* dandi corpus ſuum alteri, & quantùm eſt ex ſe tranſfert corpus ſuum in dominium, & contrahit cum ea matrimonialiter, quantùm ex parte ſui; ſed non contrahit ſimpliciter. Et cùm probas, quia nullo modo coactus non aſſentit aliter in aliquam, quàm per talem donationem, & *velle* donationis corporis ſui, dico hîc ſicut priùs in materia de reſtitutionibus, quòd quantumcunque inferior, & ſubditus liberaliter donat alteri poteſtatem corporis ſui, vel aliquid aliud quantùm ex parte ſui, nunquam tamen eſt donatio ſimpliciter, niſi fiat de voluntate domini ſuperioris, vel ſaltem oportet quòd non ſit contra voluntatem Superioris. Exemplum de filio, ſeruo, & Religioſo, quorum nullus, ex quo non eſt iuris ſui, poteſt dare aliquid ſimpliciter coactus, vel non coactus, non conſentiente domino Superiore in talem donationem. Et ideò omnis talis donatio eſt conditionalis, & ſecundùm *quid* donatio, ſcilicet ſi non ſit contra voluntatem domini Superioris; nec tamen oportet illam conditionem exprimere, dicendo: *Dono hoc quantum eſt in me, ſi Deo placeat, vel alteri ſuperiori*, quia hæc conditio ſubintelligitur in omni donatione inferioris, quantumcunque libera; ſed tranſlatio, vel donatio poteſtatis corporis alicui alteri ex coactione, vel metu inducente ad talem donationem, eſt contra voluntatem Superioris, qui ordinauit iſtum contractum eſſe libertimum ex natura contractus abſolutè, & ſimpliciter, ſicut patet *extrà de ſponſ. c. 1. Romana, & c. 10. exigit, & eſt hodie in 6. libro*, quòd contractus aliquo modo coactus, eſt nullus; ergo talis contractus non eſt ſimpliciter contractus.

Conſentiens ex metu vult quantum eſt in ſe, ducere, non tamen tranſfert dominium ſui corporis ſimpliciter.

Omnis donatio inferioris eſt conditionalis & ſecundùm quid.

Ad ſecundum.

Ad ſecundum, dicunt quidam quòd quilibet tenetur ſimpliciter obedire contractui ſpirituali, & reſpectu illius poteſt cogi, quia Epiſcopus coactus per obedientiam accipere aliquam vlteriorem dignitatem in Eccleſia, vel Clericus Epiſcopatum, tenetur abſolutè conſentire in ſponſam ſpiritualem. Sed vtrùm poſſet cogi ad contractum carnalem, nec nego, nec aſſero, licèt deberet dici conſequenter ſecundùm iſtam reſponſionem quòd ſic. Dico tamen aliter ad argumentum, quòd ſi aliquis tantùm ex obedientia illius, cui tenetur obedire, conſentiat in aliquam ad contrahendum cum ea, non hoc facit principaliter ad euitandum iniuſtitiam, & inobedientiam, ſed ad complendam iuſtitiam, & obedientiam obſeruandam. Sed qui propter iuſtitiam obedit ſuo Superiori, vt eam ſeruet, non obedit ex coactione, & metu, ſed ex mera electione, & affectione & amore iuſtitiæ, ad quam ſecundùm electionem inclinatur: ergo ſic obediens ſuo Superiori ex electione, & amore iuſtitiæ ad contrahendum cum aliqua, verè contrahit cum ea, & non timore pœnæ, vel coactione.

Validè contrahitur ex obedientia.

17. *Ad tertium. Matrimonium ex iuſto metu quomodo validè.*

Ad tertium, dico quòd ſi aliquis contraheret cum aliqua ad euitandum in ea malum culpæ naturæ, ſcilicet quia ipſa aliter interficeret ſe, verè contrahit, & ratus eſſet talis contractus indiſſolubilis, & multùm meritorius, quia opus ſupererogationis, donando ſe alteri, vt in eo caueret malum culpæ, & ita non eſſet contractus ex metu, & coactione, ſed ex electione, & fraterna dilectione. Sed ſi aliquis contraheret cum aliqua tantùm metu pœnæ corporalis, in quam timeret illam incidere, niſi contrahat cum ea, & non ex electione, & fraterna dilectione: tunc dico quòd non eſſet contractus matrimonialis ſimpliciter, quia non eſſet donatio libera mutui conſenſus quantùm ad poteſtatem corporum, ſicut nec in ſeipſo eſſet talis contractus liber ſimpliciter, vt dictum eſt *ſuprà*.

18. *Ad primum principale.*

Ad primum argumentum principale de baptizato per coactionem, dico quòd non eſt ſimile de violenter baptizato, & per coactionem, & de violenter ſic contrahente matrimonium cum aliqua, quia intentio, vel conſenſus ſuſcipientis Baptiſmum, non eſt cauſa efficiens Sacramenti Baptiſmi, ſicut conſenſus liber coniugum eſt cauſa efficiens matrimonij, quia ipſi per ſolum conſenſum mutuum dant, & accipiunt hoc Sacramentum, quia ſimul ſunt ſuſcipientes, & miniſtri. Similiter non eſt ſimile propter aliud, quia propter ſuſceptionem Baptiſmi fit conditio ſuſcipientis melior ex vi Sacramenti, ſi non reclamet, vel ponat obicem actualem, & nullo modo peior. Conditio autem contrahentis matrimonialiter cum aliqua fit peior quantùm ad omnia, quia efficaciter magis oneroſa propter difficultates varias, quæ occurrunt in illa obligatione, & quæ nunquam poſſent tolerari, niſi amore libero copularentur coniuges, quæ non tollit coactio, & violentia, & ideò coactus ad illum contractum patitur iniuſtitiam ſibi indebitam pro tunc. Vnde excommunicati ſunt qui faciunt violétiam contrahentibus iſto contractu, quia violentia repugnat naturæ iſtius cõtractus in ſe, quia eſt libera donatio corpũ contrahentiũ ſibi inuicẽ in perpetuũ.

Quare matrimonium ex coactione non tenet ſicut Baptiſmus. Cogentes ad matrimonium ſunt excommunicati.

Aliter reſpondetur.

Aliter poſſet dici ſecundùm prædicta. dixi enim priùs quòd ratio libertatis huius contractus non accipitur ex ratione Sacramenti matrimonij, ſed ex ratione contractus talis præcedentis Sacramentum, & ideò poſſet eſſe coactio, quo ad ſuſceptionem Sacramenti, vt Sacramentum in ſe, non tamen vt eſt contractus matrimonialis, & illius conditio eſt ex inſtitutione legiſlatoris libertas. Et ideò ſi Sacerdos cogeretur dare Sacramentum matrimonij, ſi ipſum poſſet dare, quod verè non poteſt; (quia coniuges ſibi ipſi dant Sacramentum iſtud, ſicut & ipſum recipiunt) illud tunc non daret, non propter hoc quòd eſt Sacramentum, quia tunc nullum Sacramentum daret; ſed propter hoc, quòd eſt contractus liberalis, vt dictum eſt; & eſſet idem de Baptiſmo, ſi ibi requireretur conſenſus liber, quod non oportet, vt dictum eſt, quia per coactionem, & inductionem alicuius efficacem, non fit conditio eius pẽior, ſed melior.

19. *Ad ſecundum.*

Ad aliud, cùm dicis quòd nullus poteſt cogi per metum; nego; duplex enim eſt metus; vnus, qui cadit in conſtantem virum, vt timor mortis, & cætera ſuperiùs dicta: & hic vniuerſaliter impedit matrimonium contractum, & contrahendum, patet ſuprà. Alius eſt metus de aliquo leui, & truffatico, & iſte non impedit, nec contractum, nec contrahendum. Patet *extrà de ſponſalib. veniens, cap.* 2. Quando igitur dicis quòd nullus poteſt cogi per metum; verum eſt de metu non cadente in conſtantem virum, & cùm probat quòd nullus eſt talis metus, quia *fortis eſt impauidus* 3. *Ethicorum*, dico quòd verum eſt vbi non eſt pauendum ſecundùm

rationem rectam, nec metuendum, non tamen est pertinax, vel audax in nullò timens. Propter quod subdit ibidem Philosophus, *pauet autem fortis vbi est pauendum secundùm rectam rationem*, vbi scilicet videt imminere maius periculum, quàm illud quod contemnit, & iste est metus, & pauor cadens in constantem virum.

Fortis rectè timet, audax verò non.

2. *Ad tertium.* Ad aliud, cùm dicitur quòd per nullam delectationem potest voluntas cogi, vel vehementer induci ad illam; ergo nec per minas, vel metus pœnales. Dico quòd non est simile de inductione consensus per blanditias, & inductionem consensus per metum fortem, vel miserias. Nam inductio per miserias, & metus pœnales multùm habet de inuoluntario, & parum de voluntario: parum enim intensè volumus quod ex timore volumus, & ita parum habet de voluntario factum timore pœnæ, quia nisi timor esset, omnino non fieret. Sed in inductione per blanditias multum est de voluntario, & parum de inuoluntario; cùm enim appetitus sensitiuus multùm inclinetur ad huiusmodi blanditias secundùm sensum, etiamsi per se esset, & nullo modo alliceretur ex alio inductus per blanditias, vehementer eis allicitur, vt conuenientibus, & per consequens voluntas tanquam prosperis voluntariè inclinatur, quia voluntas naturaliter ad illa magis inclinatur, quæ magis sunt conuenientia appetitui sensitiuo, licèt non necessariò, quia potest resistere, faciliùs tamen inclinatur. Vnde dicit Philosophus 3. *Ethicorum*, *cap.* 2. quòd operationes, quæ fiunt ex timore mixtæ sunt ex voluntario, & inuoluntario, vt determinat ibi, & post, *cap.* 4. dicit quòd forsitan non benè dicuntur inuoluntaria, quæ propter concupiscentiam, & *eodem libro, cap. vltimo*, magis assimilatur voluntario intemperantia, quàm timor, & magis est voluntarium quod fit per intemperantiam, quàm per timorem; ergo non est simile de consensu coacto per blanditias, & timores, quia primus assensus est secundùm *quid* inuoluntarius, & simpliciter voluntarius, secundus secundùm *quid* voluntarius, & simpliciter inuoluntarius.

Quare in inductio per blanditias non annullat matrimonium sicut inductio ex coactione,

Ad quartum. Filij de congruo non de necessitate tenentur consentire contractui parentum.

Ad aliud de sponsalibus impuberum, verum est hoc secundùm leges ciuiles, quia filij tenentur consentire in contractu, quem pro eis infra ætatem fecerunt parentes eorum de congruo, non tamen de necessitate, quia *extra de sponsal. cap.* 2. dicitur quòd talis contractus est verus, si non fit coactus.

DISTINCTIO XXX.

De errore in matrimonio.

QVÆSTIO I.

Vtrùm ad consensum matrimonialem requiratur quòd sequatur apprehensionem non erroneam?

D Thom. *in addit q.* 51. *a.* 1. *& hic q.* 1. *a.* 1. D Bonau. *art.* 1. *q.* 1. *&* 2 Rich. *a.* 1. *q.* 1. Argent. *q.* 1. *a.* 3. Sanch. *lib. de matr. d.* 18. *&* 19.

1. *Primum arg. negatiuum.* VIDETVR quòd non, quia *Genesis* 20. legitur quòd cùm Iacob seruiuisset pro Rachel septem annis, supposita est ei Lia, ipso ignorante; ergo si ille error impedisset matrimonialem contractum inter eos, sequeretur quòd non fuisset Lia vxor eius, & tunc fuisset adulter cogitando non suam.

Secundum. Genes. Item, *Genes.* 27. legitur quòd Isaac errore, & ignorantia benedixit Iacob, constituendo eum dominium fratrum suorum, credens hoc fecisse Esau fratri seniori, & tamen tenuit benedictio, vt ibidem patet, *quia benedixi*, inquit, *eum, & erit benedictus*; igitur à simili ex errore, vel ignorantia potest contrahi matrimonium.

Tertium. Item, baptizans circa personam baptizandam errans, vel ignorans, si sit seruus, vel liber, verè baptizat, & illa verè baptizatur; ergo contrahens cum aliqua errans, vel ignorans conditionem personæ, vt quòd sit serua, verè contrahit.

Quartum. Item, plus nocet coniugi malitia moralis alterius coniugis, quàm seruitus, vel error conditionis, quia aufert conditionaliter communem conuictum, & cohabitationem, & bonum prolis; sed malitia moris non impedit matrimonium, quia contrahens cum mala, qui credidit contraxisse cum bona, verè contrahit: ergo.

Ratio ad oppositum. Contrà 29. *q.* 1. ante medium, & est Magistri in litera, promittens mihi aurum venditurum, & pro auro vendens aurichalcum, non facit contractum meum, quia non consensi nisi in aurum: sed error auri in aurichalco impedit circa materiam verum consensum; ergo & error personæ impedit matrimonium, quia personæ contrahentes sunt vt materia in hoc contractu.

SCHOLIVM.

Triplex error personæ, conditionis peioris, & consensus alterius coniugis irritat Matrimonium. Ad secundam instantiam tenet vxorem credentem virum non consensisse, non posse petere, nec reddere debitum, nec transire ad alias nuptias; non negat tamen si tantùm dubitaret speculatiuè, quin posset vtrumque facere: & de redditione habetur c. Dominus, de secundis nuptiis. *Et de vtroque tenent multi apud Sanch. lib.* 2. *d.* 41. *&* 46. *Pars autem quæ fictè contraxit, tenetur verè contrahere, vt habet Doctor in Oxon. hîc num.* 6. *de quo vide notanda ibi in Scholio.*

2. *Error dupliciter accidit in contractu.* RESpondeo ad istam quæstionem, quòd error potest accidere circa contractum matrimonialem, vel in his, quæ per se requiruntur ad matrimonium, vel in his, quæ per accidens requiruntur ad id, nam secundùm Magistrum in litera, *c.* 1. *huius dist. & est* 29. *q.* 1. *cap.* 1. alius error personæ, alius fortunæ, alius conditionis, siue qualitatis. Error autem circa illa, quæ per se requiruntur ad rationem huius contractus, est duplex, quia vel de his, quæ præcedunt illum contractum matrimonialem, tanquam materiale in matrimonio, cuiusmodi sunt persona contrahens, & conditio eius: vel de his, quæ concomitantur per se huiusmodi contractum, vt formale in matrimonio; vel est ipse contractus formaliter, sicut est mutuus consensus contrahentium. Error autem circa illa, quæ per accidens requiruntur ad matrimonium, est duplex, quia vel est de bonis fortunæ, vt putans illum, cum quo contrahit, esse diuitem, & est pauper; vel de bonis moris, vt putant ipsum esse morigeratum, & pium, & est vitiosus, & impius.

Error matrimonij duplex.

De istis per ordinem dico, quòd error personæ impedit matrimonium vniuersaliter ex parte errantis, respectu personæ, cum qua contrahit. Cùm

Error perſonæ impedit matrimonium. Probatur primò. Auguſtinus.

Cùm enim contractus matrimonialis ſit formaliter in mutuo conſenſu contrahentium in actu mutuo voluntatis eorum, & iſte non conſenſit in perſonam ignotam, ſequitur quòd non contraxit cum ea, ſicut patet ex Auguſtino 10. de Trin. cap. 1. & 8. de Trinit. cap. 4. *nihil poteſt amari, niſi cognitum*, ſicut nec poteſt eſſe conſenſus mutuus coningum, niſi inuicem ſe cognoſcant; ergo apparet quòd Socrates conſentiens in Iohannam non putans illam eſſe Iohannam, ſed Margaritam, non contrahit cum Iohanna, ſed cum Margarita; ergo error, & ignorantia perſonæ impedit matrimonium.

Confirmatur.

Confirmatur iſta ratio, quia ſecundùm prædicta, contractus iſte ex natura ſua eſt donatio liberalis mutua determinatarum perſonarum poteſtatis corporum contrahentium ad finem debitum: ſed ignorantia, vel error perſonæ tollit rationem donationis liberæ, quia ſecundùm Philoſophum 3. & 5. *Ethicorum* ignorantia eſt cauſa inuoluntarij.

Probatur ſecundò.

Item, in ſpeciali hoc oſtendo ex hoc, quòd eſt talis donatio, nam nullus contrahens cum aliqua intendit ſibi dare poteſtatem corporis ſui, niſi habeat poteſtatem, & ius in corpus illius, quia non conſentit in aliquam, niſi ipſa in eum conſentiat, quia dat vt accipiat; nullus autem conſentit in aliquam indeterminatam, ſed in determinatam tantùm, quia electio non eſt niſi determinatæ perſonæ; ſed ignorantia impedit ex parte contractus electionem; igitur & donationem matrimonialem.

4. *Tertiò. Quòd error conditionis impedit matrimonium.*

Item, tertiò probo, ſcilicet quòd error conditionis, & ſeruitutis, impediat contractum huiuſmodi; & ex parte contractus in ſe, & ex parte contrahentium. Ex parte contractus ſic: iſte contractus eſſentialiter conſiſtit in mutua obligatione contrahentium quantùm ad poteſtatem corporum ſuorum mutuò ſe donantium per totam vitam ſuam, cùm ab altero coniugum talis obligatio exigatur: ſed huic obligationi, & donationi liberæ repugnat conditio ſeruitutis; nam cùm ſeruus ſit poſſeſſio domini ſui; ita frequenter poteſt occupari in operibus ſeruitutis, quòd non permittant ipſum reddere, quod ab eo exigitur, vt debitum coniugale, &c. Igitur.

Quartò. Error ſeruituris ladit contrahentem in bonis matrimonij.

Item, errore conditionis contrahens læditur vnus contrahens enormiter in bonis matrimonij. Læditur enim in bono prolis, eo quòd non habebit eam in ſua poteſtate, cùm ſit in poteſtate domini, vt poſſeſſio eius. In bono fidei, quia non poteſt ſerua reddere ei debitum, cùm exigitur, quod tamen promiſit in contrahendo cum eo; nam tunc poſſet iuſſu domini in operibus ſeruitutis occupari. Læditur etiam in bono Sacramenti, ſcilicet inſeparatæ cohabitationis, quia dominus poſſet eam vendere in aliam regionem.

5. *Quintò. Donatio mutua eſt relatio æquiparantiæ.*

Item, iſte contractus ex ſua natura eſt donatio mutua: ſed donatio mutua cùm ſit relatio æquiparantiæ inter coniuges mutuò ſe donantes, ſicut ſimilitudo inter ſimilia, vbi vnus non eſt alteri, niſi alter ſit ſimilis illi, non oportet claudicare in aliquo extremorum, maris ſcilicet, nec fœminæ; vnde ſi vnus conſentit in alium, & non è conuerſo, iam non eſt relatio æquiparantiæ, nec mutua donatio, propter diſſenſum alterius perſonæ, ſiue diſſentiat negatiuè, ſiue contrariè: ſed ille, qui eſt ſeruilis conditionis, non poteſt conſentire, cùm ſit alterius iuris, & non ſui. Ergo nec poteſt mutuò ſe donare, nec per conſequens contrahere cum libero, qui poteſt ſe donare.

Sextò.

Ex parte contrahentium poteſt probari, quia nullus dat, nec transfert dominium corporis ſui in alium, niſi credens rehabere dominium corporis alterius, in quem ſic transfert, quia dat, vt detur: ſed ſerua non poteſt ſic dare corpus, cùm ſit domini ſui, ſine licentia eius; ergo non debet ſic accipere corpus alienum, fraudulenter ſimulans ſe liberam, cùm ſit ſerua.

6. *Obiectio prima.*

Contrà dans aliquid ſub ſpe aliquid recipiendi æquiualens, & tamen non recipiens, non minùs dat, nec minùs debet tenere illa datio: ergo à ſimili in propoſito, dans poteſtatem corporis ſui matrimonialiter alteri, intendens recipere poteſtatem corporis, cui ſe dedit, & non recipiat, quia alter non poteſt ſic ſe dare, non minùs tenet donatio, vt videtur.

Secunda.

Item, eſto quòd aliquis contrahat cum aliqua per verba de præſenti, & conſentiat in eam vinculo matrimoniali quantùm in ſe eſt in perpetuum, non licet contrahere cum alia, quia tranſtulit ſe in dominium; ego licèt ipſa ſit conditionis ſeruilis, nihil prohibet quin matrimonium inter eos ſit ratum. Nec eſt veriſimile quòd per errorem aliquem ſit inhabilis ad contrahendum cum aliqua, quia error conditionis melioris, cùm ſit in fauorem, non impedit contrahentem.

7. *Ad primum.*

Reſpondendo ad primum, dico quòd aliquis eſt dans ita liberaliter, quòd nihil reſpicit, niſi ipſam dationem, non exſpectans aliquam redditionem ex pacto poſt donationem, quia redditio non cadit ſub pacto pro tunc, nec futuro, & taliter dans verè dat, & ſi nihil recipiat ab illo, cui dat, & tenet datio talis, quæ eſt mera datio.

Duplex datio. Datio & permutatio in quo differunt.

Alia eſt datio, quæ ex natura donationis eſſentialiter includit redditionem, non ſolùm pro futuro, ſed etiam pro tunc, pro quando dans facit talem dationem; & hæc non eſt merè datio, ſed rerum permutatio, quæ nulla eſt, niſi fiat redditio. Matrimonium autem, vt priùs dictum fuit, eſt mutua donatio, quo ad rationem contractus talis habet rationem cuiuſdam commutationis, quia eſt quædam rerum permutatio mutua, *do ſi des, & non do niſi des.* & hæc conditio intelligitur in iſta donatione ex natura ſua, & in contractu ex natura contractus, nec tamen donatio mutua eſt duplex donatio, ſed vna, habens, & includens ex natura ſua redditionem, & hæc redditio, quæ includitur in hoc contractu, non excludit ab eo liberalem donationem, quin ſit talis donatio, quæ innaſcitur liberaliter ex mutuo conſenſu contrahentium, & non coactione in eis, non tamen eſt ſimpliciter, & merè liberalis donatio, vt dictum eſt.

Inſtantia.

Et ſi dicas quòd in iſto contractu non exprimitur conditio mutuæ redditionis cùm contrahitur; igitur non includitur in natura eius, vt videtur.

Soluitur.

Dico, etſi non ſit expreſſa hæc conditio in contractu, intelligitur tamen in illo ex natura talis contractus. Exemplum ad hoc eſt de profitente aliquam Religionem, qui non vouet Religionem obſeruare expreſſa iſta conditione, ſi Religio, vel pater Religionis velit me recipere, quia iſta conditio ſubintelligitur, & ideò non oporret illam exprimere. Ita in propoſito, cùm dico: *Do vel accipio te in meam*, intelligitur *ſi des, vel accipias me in tuum.*

8. Ad ſecundum, dico quòd ſi conſentiens in aliquam

Ad ſecundam obiectionem.

aliquam ſeruam, ſciens ipſam ſeruam, verè contrahit cum ea, quia tunc non eſt error perſonæ, vel conditionis eius. Si verò alter illorum non conſentiat in alium, niſi affectu meretricio, cauſa libidinis explendæ, nullum eſt matrimonium inter eos, & ſtante iſta conſequentia inter eos, non poſſet peti, nec reddi debitum inter eos.

Quid faciendum quando alter coniux non conſenſit affectu maritali.

Sed neuter coniugum debet facere ſibi iſtam conſcientiam, quòd alter conſentit affectu meretricio in eam, ſed præſumere debet quòd verè conſentit affectu coniugali; quia ſtante tali conſcientia non poteſt exigere, vel reddere debitum ſine peccato mortali, vel debet ſaltem inducere quòd de nouo conſentiat, & tunc eſt matrimonium ratum & firmum. Si verò nullo modo conſentiat, nihil fit, & per conſequens iſte conſentiens cum alia poteſt contrahere cum ea.

9. *Error in concomitantibus contractum impediunt ipſum.*

Tertiò, dico quòd error in his quæ concomitantur contractum in ſe, cuiuſmodi eſt conſenſus exterior in prolatione cum diſſenſu interiori, impedit matrimonium, quia matrimonium vt contractus, eſt ex conſenſu mutuo duorum contrahentium mutuò ſe obligantium.

Error qualitatis, ſeu fortunæ non impediuit matrimonium.

Quartò, dico quòd error fortunæ, & qualitatis, quæ accidunt matrimonio, cuiuſmodi ſunt diuitiæ, & paupertas; pulchritudo, & turpitudo; ægritudo & ſanitas; bonitas moralis, & malitia; & huiuſmodi, non impediunt matrimonium contractum, vel contrahendum, quia non ſunt eſſentialia huic contractui.

Ad primum principale.

Ad primum argumentum principale de Iacob & Lia, dico quòd licèt concubitum illum cum Lia non præceſſerit conſenſus Iacob, ſequebatur tamen conſenſus, & ex illo conſenſu facti ſunt coniuges, & ille conſenſus excuſabat illum concubitum priorem. & hoc eſt quod dicit Magiſter in litera cap. 1. & habetur 29. quæſt. 1. poſt medium, *Iacob & Liam non fecit coniuges præcedens conſenſus, ſed ſubſequens.*

Ad ſecundum. Dupliciter reſpondetur.

Ad ſecundum de benedictione Iſaac, dico quòd creditur Iſaac fuiſſe raptum per ſtuporem illum, quem habuit, & in illo raptu vidiſſe voluntatem, & ordinationem, quòd illum benediceret, qui tunc coram eo erat, & non alium, nec erat error, vel ignorantia eius, quem benediceret, quia iam didicerat voluntatem Dei per reuelationem, Iacob eſſe benedicendum, licèt eum ſenſibiliter non cognoſceret, quia pelliculæ circundatæ manibus, & collo eius *ſimilitudinem maioris expreſſerant*, & ideò poſtquam perſonam illam ſenſibiliter cognouerat, benedictionem illam priùs datam per reuelationem confirmauit, dicens, *Benedixi eum, & erit benedictus.* Aliter poſſet dici quòd non eſt ſimile de conſenſu mutuo coniugum, & prima benedictione Iacob, quia illa benedictio erat opus Dei, circa quod non poteſt cadere error; conſenſus verò eſt actus humanus, circa quem poſſet eſſe error.

Benedictio Iacob opus Dei conſenſus actus humanus.

Ad tertium.

Ad aliud de Baptiſmo, dico quòd non requiruntur plura ibi, niſi quòd ſuſcipiens non ſit fictus, & quòd miniſter intendit facere quod facit Eccleſia circa perſonam determinatam, ſiue ſit libera, ſiue ſerua, quia ſicut intendit baptizare determinatam perſonam, ita requiritur quòd habeat determinatam notitiam perſonæ, aliter enim non baptizaret illum, quem intendit, ſed alium, & tunc nihil faceret circa iſtum. Sed de conditione perſonæ baptizatæ non eſt cura hîc, ſicut in matrimonio, quia in ſuſceptione Baptiſmi ſit conditio Baptiſmi ſimpliciter melior, non ſic in contrahente matrimonium, vt dictum eſt, & ideò requiritur conſenſus liberior hîc, quàm ibi, qui excuſet, & reformet pactum de multis paſſionibus, quæ occurrunt ibi. Ad aliud de malitia moris, dico quòd malitia moris non eſt conditio per ſe requiſita ad contractum matrimonij, nec ad perſonas contrahentes, ſed tantùm accidentalis, & ideò error illius non impedit.

Ad vltimum. Malitia moris eſt accidentalis reſpectu matrimonij.

QVÆSTIO II.

Vtrùm inter beatam Virginem Mariam & Ioſeph fuerit verum matrimonium?

D. Thom. 3. *p. q.* 29. *a.* 2. *& hîc q.* 1. *a.* 4. D. Bonau. *art.* 1. *q.* 2. Rich. *a.* 2. *q.* 2. Durand. *q.* 2. Sanch. *l.* 2. *de Matr. d.* 28. Suar. 3. *part. tom.* 2. *d.* 7. *ſect.* 1.

I. *Argument. primum negatiuum.*

VIDETVR quòd non, quia ſecundùm beatum Hieronymum, & eſt in *can.* 27. *quæſt.* 1. *Sunt quædam. Vouentibus caſtitatem non ſolùm nubere, ſed & velle nubere damnoſum eſt.* Sed beata Virgo vouerat priùs caſtitatem, quàm contraxerit cum Ioſeph, ſicut dicit quædam gloſſa ſuper illud Lucæ, *Miſſus eſt*, & iſta diſt. *cap.* 2. & 27. *quæſt.* 2. *Beata Maria*, igitur vel inter Ioſeph beatam Mariam non fuit verum matrimonium, vel ſi ſic, fuit damnoſum.

Secundum.

Item, *Num.* 36. *cap. vltimo* de filiabus Aſa habetur quòd non deberent ſecundùm legem nubere, niſi viris de tribu ſua, & aliter faciendo peccarent contra legem: igitur cùm eadem lege obligabatur beata Virgo, quæ lex vſque ad illud tempus permanſit, & obligauit, non debuit nubere niſi viro de tribu ſua: Ioſeph non erat de tribu ſua, ſcilicet Leuitica, & ſacerdotali, ſed de tribu Iuda: ergo.

Tertium.

Item, conſenſus mutuus, per quem aliqui ſunt coniuges, & contrahitur matrimonium, eſt aliquid, in quod conſentiunt. Quæro igitur quid ſit illud, in quo mutuò conſenſerunt? Aut eſt pacifica cohabitatio, & dilectio mutua; & ſic contraheret matrimonium frater & ſoror pacificè cohabitantes, & mutuò ſe diligentes, quod eſt falſum: aut eſt carnalis copula, quia nihil aliud ſpeciale videtur ibi eſſe. Sed beata Virgo nunquam conſenſit in carnalem copulam, quia ipſa vouerat caſtitatem, vt patet vbi ſuprà, & votum nunquam violauit, quia nunquam peccauit, & peccaſſet, ſi violaſſet: ergo inter ipſam & Ioſeph perfectum matrimonium non fuit.

Argument. affirmatiuum.

Oppoſitum vult Magiſter in litera, cap. 2. & habetur 27. *quæſt.* 2. *Inſtitutum.*

SCHOLIVM.

Inter Mariam & Ioſeph fuit verum matrimonium, licèt ipſa abſolutè voluerit caſtitatem, non tamen obligauit ſe abſolutè ad actum carnalem, ſed ſub conditione, ſi peteretur, certificata quòd nunquam peteretur. De matrimonio, tenet D. Thom. hîc Aug. 25. *cõtra Fauſt.* 8. *Ambr. de inſtit. Virg. c.* 6. *Baſil. homil.* 25. *de humana Chriſti gener. Bernard. hom.* 2. *in* Miſſus eſt. *Suar.* 3. *p. t.* 2. *d.* 7. *ait ſecundùm omnes hoc eſſe de fide: ſed alij putant oppoſitum poſſe defendi, de quo Sanch. l.* 2. *de*

de Matr. diſp. 28. Ad ſecundum tenet Mariam fuiſſe de tribu Iuda ex parte patris, & de tribu Leui ex parte matris, & colligitur ex Luc. 3. quòd deſcendit ex Dauid per Nathan, ita expoſitores communiter, Caiet. Ianſen. Gaguin. Carthuſ. ibi. Quòd deſcendit ex tribu Leui tenet D. Thom. 3. part. q. 31. art. 3. D. Bonau. hîc art. 1. quæſt. 2. Nazian. carmine de genealogia Saluatoris. Epiph. hær. 78. Anguſt. lib. 83. quæſt. 61. Hil. can. 1. in Matth. Ambroſ. lib. de Benedict. Patriarch. cap. 3. & 4.

2. *Inter Mariam & Ioſeph verum fuit matrimonium.*

AD quæſtionem iſtam dico, quòd inter Beatiſſimam Virginem Mariam & Ioſeph fuit verum matrimonium. Patet per auctoritates Auguſtini, & Ambroſij, quas allegat Magiſter in litera fundatas ſuper auctoritatem iſtam Euangelij Lucæ 1. *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum eſt*, &c.

Prima ratio quare Virgo fuit deſponſata.

Ratio quare contraxit matrimonium, & quare ita eſt quòd matrimonialiter fuit coniuncta viro Ioſeph, vel erat præceptum illud diuinum, *creſcite & multiplicamini*, quod vel erat generale obligans omnes ſub lege Moſaica ad obſeruationem eius, & tunc tenebatur Maria ad obſeruationem eius, & adimplere illud præceptum, ſicut alij, quia tempore ſuo non reuocabatur, vel ſi non erat generale præceptum, ſed tantùm ſpeciale, quod magis credo, quia Ieremias, Elias, Ioannes Baptiſta, & Ioannes Euangeliſta fuerunt virgines, & tamen ſub lege, de quibus non legitur quòd fuerit cum eis ſpecialiter diſpenſatum: ſi, inquam, ita eſt, & tunc fuit ſpeciale præceptum Virgini factum de contrahendo.

Sed huius ratio aſſignatur duplex à beato Ambroſio, ſuper illud Lucæ *miſſus eſt*. Vna, vt maritus eius eſſet teſtis ſuæ virginitatis, ſic enim non fuiſſet creditum quòd concepiſſet virgo, niſi per matrimonium fuiſſet copulata viro.

3. *Secunda.*

Secunda ratio eſt, ne virginibus ſiniſtra opinione viuentibus relinqueretur velamen excuſationis, ſi mater Domini viſa fuiſſet infamata, tenera enim, & lubrica eſt fama pudoris.

Tertia.

Tertia ratio aſſignatur à Magiſtro, & eſt Auguſtini, & Ambroſij, vt partus Virginis Diabolo celaretur, & lateret myſterium Incarnationis Principem mundi, potuiſſet enim vindicaſſe opprobrium ſuum aliqualiter ſi cognouiſſet Sacramentum.

4. *Inſtantia.*

Sed per quam viam latuit eum quòd ipſa concepit virgo, cùm ipſe naturaliter cognoſcere poſſet integritatem eius tam mentis, quàm corporis, ſi naturæ ſuæ dimiſſus fuiſſet.

Solutio.

Dico quòd à Deo prohibebatur ne appropinquaret intellectualiter, vel localiter propter maliciam ſuam, & dignitatem illius, quem geſtauit, & ideò non permittebatur aliquo modo ad eam appropinquare, vel accedere, ſicut dicit beatus Bernardus. Licèt totum potuit cognoſcere, ſi ſuæ naturæ fuiſſet dimiſſus, & ideò videns eam habere virum, non curauit, credens deceptus de ea, quòd non eſſet virgo, ſicut & communiter de aliis deſponſatis.

Bernardus homil. 2. in *Miſſus eſt.*

Quarta congruentia.

Alia eſt etiam ratio congruentiæ, quare fuit deſponſata viro, vt ſuus videlicet maritus eſſet ſibi in obſequium, & puero in Ægyptum euntibus, & redeuntibus.

5. Sed in hoc non ſtat difficultas quæſtionis, ſed in iſto, quomodo verum matrimonium ſtat cum voto virginitatis; vbi dicunt quidam quòd non vouit virginitatem, niſi ſub conditione iſta, ſcilicet, ſi Deo placeret. Nunc autem licèt non eſſent ſimul, vouere virginitatem abſolutè, & contrahere matrimonium, quia in contrahendo transfert dominium corporis ſui à ſe, tamen vouere virginitatem ſub conditione, & contrahere abſolutè, benè compatiuntur ſe, ſicut fuit de beato Ioanne Euangeliſta, quem Ieſus Chriſtus reuocauit à nuptiis contractus matrimonialis.

Vide Mag. in litera & D. Thom. hîc Rich. art. 2. q. 1.

Sed iſtud non capio benè dici, quia nullus obligat, vel determinat ſe ad cultum diuinum, niſi quantùm eſt in ſe ſemper ſit tam paratus ad aliud, quàm ad illud, ſi placeat Deo aliud, & non illud; quia aliter non obligaret ſe ad voluntatem Dei, & cultum eius, ſed ad proprium cultum, & propriam voluntatem, quia non eſt cultus Deo debitus, qui non placet Deo; ergo conditio expreſſa, *ſi Deo placeat*, nec diminuit de ratione voti ſimpliciter, quia illa in omni voto intelligitur, quia quantuncumque aliquis ſimpliciter, & abſolutè voueat, ſemper tamen intelligitur, *ſi placeat Deo*, ſed ſi vouere virginitatem cum conditione expreſſa, quæ aliàs neceſſariò intelligeretur in voto, ſtat cum matrimonio, ſimiliter votum ſine tali conditione ſtabit cum matrimonio, quia ſemper conditio intelligitur in omni voto.

Iſta conditio ſi Deo placeat reperitur ſaltem implicitè in omni voto.

Dico igitur quòd B. Virgo ſimpliciter, & abſolutè vouit virginitatem, ſicut dicit Magiſter in litera *cap.* 2. & 27. *quæſt.* 2. *Beata Maria*, & gloſ. ſuper illud Lucæ, *Virum non cognoſco*, & Sancti communiter, & habetur in Euangelio expreſsè, per quæſtionem, quam fecit Angelo nuncianti ſibi matrem Domini mox fiendam, *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*, vbi quæſiuit modum inſolitum, per quem fieret, & virginitatem ſuam non violaret, & ipſe inſinuauit modum, non repugnantem voto, dicens: *Spiritus ſanctus*, &c. ex quo patet quòd votum virginitatis ſimpliciter vouerat, & tamen per matrimonium, quod contraxit, votum ſuum non violauit.

Maria abſolutè vouit virginitatem.

Quòd autem nihil fecit contra votum ſuum contrahendo, probo, quia nullus facit contra votum ſuum, niſi qui obligat ſe ad aliquid repugnans ſuo voto, quia ſi aliquid tale fuiſſet in matrimonio, hoc fuiſſet carnalis copula; ſed ad hanc non ſe obligauit, niſi ſub conditione; ſi videlicet Ioſeph hoc peteret, de qua conditione certa fuit per reuelationem quòd nunquam foret, imò fuit certa de conditione appoſita per inſpirationem, quòd Ioſeph voluerit manere cum ea in virginitate perpetua, ſicut legitur in vita ſua. Dato etiam quòd Ioſeph peteret per inſpirationem, ſciuit quòd Deus eam à talis debiti redditione abſoluit, & id ſibi diſpenſatiuè relaxauit.

Maria edocta fuit quod Ioſeph nunquam peteret debitum.

Conſentire enim in carnalem copulam non obligat contrahentem matrimonialiter, niſi petatur debitum ab alio coniuge, quia iam poſt talem contractum non habet coniux poteſtatem corporis ſui, ſed vir, & ideò ipſa non debet reddere, niſi petatur. Beatiſſima autem Maria fuit virgo, & fuit certa, vt dictum eſt, quòd nunquam debitum peteretur: ergo contrahendo cum Ioſeph non expoſuit ſe periculo repugnanti voto ſuo; igitur in dando, & transferendo dominium, & poteſtatem corporis ſui in Ioſeph, non

dedit vſum, vel obligauit ſe ad reddendum vſum aliquando, quia ſciuit ipſum nunquam habere vſum.

7. *Dominium & perpetuus vſus poſſunt ſeparari.*

Quòd autem dominium poſſit ſeparari ab vſu perpetuo, probatur *extra de verborum ſignificatione. Exijt qui ſeminat ſemen ſuum*, vbi vult dominus Papa quòd retento dominio alicuius rei, poteſt vſus illius ab illo perpetuò ſeparari. Et ideò licèt ſecundùm leges ciuiles, quæ pertinent ad regimen temporale, tranſlatio vſus, retento dominio, ſit omnino inutilis dominanti, & infructuoſa, tamen ſecundùm leges Eccleſiæ, & ſacros Canones, quæ per ſe reſpiciunt regnum æternum, & Eccleſiam triumphantem, eſt talis retentio dominij ſine vſu, & fructu multùm meritoria, & vtilis atque ſancta. Ita fuit in propoſito, quòd Ioſeph ex contractu matrimoniali habuit dominium in corpus Virginis perpetuum, quamdiu viueret, & tamen ſemper ſine vſu, de hoc ipſa fuit certificata, quòd ſemper haberet tale dominium, & ſine vſu.

Ioſeph habuit dominium in corpus virginis, nō vſum.

Vouens nubere & religionem ingredi, poteſt vtrumque facere.

Iſtud aliter confirmari poſſet ſic: iurans primò contrahere cum vna, & vouens ducere eam in vxorem, & poſtea vouens virginitatem, ex quo non eſt malum, nec impedit ſecundum, quod eſt maius bonum, impletio voti, & iuramenti prioris, debet implere quod promiſit priùs; licèt enim poſſet intrare Religionem non implendo votum de contrahendo, ſecuriùs tamen faceret, ſi priùs contraheret matrimonium ratum, & ante conſummationem Religionem intraret; ſed ſic faciens ex natura contractus habet perpetuum dominium in corpus illius abſque vſu: ergo.

Adultera habet dominium in corpus viri abſque vſu.

Item, hoc idem patet in adultera, quæ poſt celebratum diuortium habet dominium in corpus viri, ſicut priùs, licèt priuetur iure ſuo quantùm ad vſum perpetuum ex ſtatuto Dei, & domini ſuperioris: vir autem habet in eam ius quantùm ad dominium, & quantùm ad vſum, quia ipſe poteſt cedere iuri ſuo de diuortio, vel ſeparatione facienda pro adulterio, & illo non obſtante recolligere eam ſicut priùs.

8. *Ad primum principale.*

Ad primum argumentum de Canone 127. dico quòd non ſolùm nubere, ſed & velle nubere eſt damnabile vouentibus caſtitatem, niſi ſint ſufficienter certificati quòd per contractum nuptiarum nihil accidet repugnans ſuo voto, quomodo fuit certiſſima Beatiſſima Virgo; quare non expoſuit ſe periculo, vel alicui tali, quod non ſtat ſimul cum voto, niſi modo prædicto, quo quis contraheret matrimonium ratum, & ante conſummatum haberet propoſitum intrandi Religionem, atque ita voueret. Damnabile autem eſſet ſi nuptias, quas contraxit, conſummaret, quia tunc peccaret mortaliter.

9. *Ad ſecundum. Prima ſolutio.*

Ad ſecundum, cùm dicitur quòd mulieres deberent ſecundùm legem nubere viris de tribu ſua; dico quòd illa lex fuit data tantùm propter filias Saphat, quarum viri, & mariti interfecti fuerunt in ſeditione Core, ſicut legitur in libro Numerorum, cap. 16. & ad illas deuoluebatur hæreditas, & ne confunderentur earum hæreditates, & tranſirent ad alienigenas, ſi acciperent eos viros, præcipiebatur à lege quòd non nuberent, niſi viris de tribu ſua. Beatiſſima autem Virgo non erat de filiabus Saphat, quarum pater erat mortuus ſine filiis, & ideò non obligabatur ad illam legem tantùm datam filiabus Saphat, & vbi deeſt eadem cauſa, deeſt & idem effectus.

Secunda.

Vel poteſt dici, quòd illa lex de nubendo viris de propria tribu, non tantùm obligauit eas, ſed etiam omnes ſub lege Moyſi; & tunc dico ad minorem illam, quòd eſt falſa, quòd B. Virgo non fuit de tribu Iuda, quia ipſa fuit de vtraque tribu; ex parte enim matris erat de tribu Leui, & genere ſacerdotali hæres in domo ſua; & ex parte patris de tribu Iuda, quæ in genealogia Saluatoris deducitur ab Abraham vſque ad Ioſeph, quod non eſſet, niſi Chriſtus eſſet de tribu Iuda, quia Apocalypſ. 5. dicitur: *vicit leo de tribu Iuda.* hoc autem non fuit ex parte Ioſeph, niſi inquantùm mater eius aliquid ei attinebat, ſecundùm propagationem naturalem, quia aliter non magis attinebat ipſe Chriſto, nec Chriſtus ſibi ſecundùm carnem, quàm alij de tribu Iuda.

Maria fuit ex tribu Iuda & Leui.

Ad vltimum, dico quòd ille conſenſus non tantùm fuit in dilectione, vel mutua cohabitatione, quia tunc, ſicut arguitur, verè contraherent ſimul cohibitantes frater & ſoror, & mutuò ſe diligentes: ſed iſte conſenſus Mariæ & Ioſeph fuit in tranſlatione poteſtatis corporum, & in mutuum dominium habendum in ſuis corporibus, ſine vſu tamen, quia certa fuit Beatiſſima Virgo quòd nunquam peteretur: & dato quòd peteretur, noluit Deus illam teneri ad reddendum vſum illum, & ita falſum eſt aſſumptum, quòd nihil aliud eſt, in quod poſſit cadere conſenſus iſtorum, niſi carnalis copula, & vſus poteſtatis coniugalis.

Ad vltimum.

DISTINCTIO XXXI.

De bonis Matrimonij.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm Matrimonij ſint iſta tria bona, fides, proles & Sacramentum?

D. Thom. *in addit q. 49 a 2. & hic q 1. a. 2.* D Bonau. *art. 1. q. 2.* Rich. *art. 1. q. 1 & 2.* Durand *quæſt. 2.* Sanch. *l. 2. d. 29.* Aug. *9. de Gen ad lit 7. & de bon. coniug. c. 6. & 7.*

VÒ D non: quia quod eſt ex ſe bonum formaliter, non indiget aliis bonis excuſantibus ipſum, quia ſi alio eſſet bonum, non eſſet ex ſe formaliter bonum: ſed matrimonium eſt quædam res ex ſe bona, & formaliter, & inquantùm eſt in officium, & inquantùm eſt in remedium, quia à Deo inſtitutum; ergo non indiget illis bonis excuſantibus ipſum. 1. *Primum arg. negatiuum.*

Item, quòd proles non ſit bonum matrimonij videtur, quia verum matrimonium contrahitur cum ſterili, vbi non eſt proles, nec bonum prolis: ergo. *Secundum.*

Item, quòd fides non ſit bonum matrimonij videtur, quia inter adulterum & adulteram eſt verum matrimonium, non tamen fides, ſeu fidelitas, quia nullus fuit fidelis alteri quantùm ad thorum. *Tertium.*

Item, quòd Sacramentum non eſt bonum matrimonij patet, quia idem totum non eſt bonum partiale ſui, ſed magis totale, vel nullo modo bonum extrinſecum; ſed matrimonium eſt Sacramentum; ergo Sacramentum non eſt eius partiale bonum. *Quartum.*

Contrarium vult Magiſter in litera in principio huius diſtinctionis: *Tria ſunt bona coniugij*, &c. *Ratio ad oppoſitum.*

&

& habetur *prima diſtinct. cap.* 4. Cùm hæc tria bona in aliquo coniugio concurrunt, valent ad excuſationem carnalis coïtus.

SCHOLIVM I.

Refutat aſſerentes, nullum ſe poſſe obligare ad actus matrimoniales, niſi habeat triplex bonum, prolis, fidei, & Sacramenti, quo recompenſetur priuatio vſus rationis, & alia damna reſpectu actuum. Primò, quia in innocentia non requirerentur bona excuſantia. Secundò, non fuerunt illa excuſantia in matrimonio Mariæ cum Ioſeph.

2. Richard. hic art. 1. q. 1.

HIc dicitur quòd ad hoc quòd matrimonium ſit contractus licitus, & bonus, oportet quòd per aliqua bona excuſetur. Ratio ad hoc probandum ponitur. Nullus ſecundùm rectam rationem debet ad aliquid ſe adſtringere, per quod priuatur maximo bono, niſi ad damnum ſuum per æquale, vel per maius bonum recompenſaret; matrimonium obligat contrahentem ſaltem implicitè, ad carnalem copulam, niſi alter coniugum infra tempus determinatum Religionum intrauerit. In carnali autem copula priuatur homo maximo bono, quia vſu rationis, quia ſecundùm Philoſophum 7. Ethicor. cap. 8. loquente de Venere. *Venus furatur intellectum ſapientis*, & ita obligans ſe ad contrahendum, obligat ſe ex conſequenti ad maximum malum, quia ad perdendum vſum rationis, quod nullo modo ſecundùm rectam rationem debet eligere, niſi recompenſaretur tantùm per æquale, vel maius bonum: ergo neceſſe eſt ponere aliqua bona reformantia pactum contra tantum malum.

3. *Obijcitur cõtra prædictos authores.*

Sed obiicitur contra iſtos, quòd non minus damnum patitur homo quantùm ad vſum rationis in dormiendo, quàm in actu carnalis copulæ, quia ita benè priuatur actu, & vſu rationis in dormiendo, ſicut in carnali copula; ergo dormitio requireret neceſſariò aliqua bona excuſantia ipſam priuationem vſus rationis in actu quod eſt falſum.

Reſpondent primò.

Reſpondent, quòd non eſt ſimile, quia per dormitionem tantùm patitur homo impedimentum in vſu rationis, ſi dormiat moderatè, & nullum damnum, quia ſi moderatè dormiat, factus eſt magis potens ad intelligendum: ſed in carnali copula non tantùm impeditur homo ab vſu rationis, ſed etiam patitur damnum quantum ad vim rationis, ſcilicet ad intelligendum, quia per frequentes tales actus efficitur homo hebes, & debilis ad clarè videndum ea, quæ conſona ſunt rationi: & meritò, quia durante illo actu permittit homo ſenſualitatem dominari ſuper rationem, quod eſt optimum in eo ſecundùm id Pſalm. 48. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

Reſpondent ſecundò.

Aliter reſpondent, quòd etiam ſunt quædam bona excuſantia impedimentum vſus rationis in ſomno, quæ ſunt vigoratio vſus rationis poſt moderatum ſomnum, ſenſationis fortificatio, naturæ ſuſtentatio, quia ſine ſomno natura humana pro ſtatu iſto permanere non poſſet.

Refutantur hæ rationes.

Sed licèt iſta ratio ſit bona, non tamen videtur aſſignare præciſam cauſam, quomodo hæc tria ſint bona matrimonij. Nam in ſtatu innocentiæ fuiſſent iſta bona matrimonij, ſicut & matrimonium. Patet inductiuè ita, quòd propter bonitatem matrimonij fuiſſent iſta tria bona, non è conuerſo, nec tamen tunc aſſignarentur iſta bona, vt excuſarent, vel recompenſarent illud damnum, quia tunc cognouiſſet Adam vxorem ſuam, & ſine iactura, vel damno in vſu rationis.

Item, inter Mariam & Ioſeph fuit matrimonium. Patet ex quæſt. præcedente, & omnia iſta bona matrimonij, quia fides, proles, & Sacramentum, & tamen nulla fuit iactura, vel damnum quantùm ad vſum rationis.

SCHOLIVM II.

Explicat exactiſſimè tria bona matrimonij, ſcilicet bonum fidei, prolis, & Sacramenti. In dubio moto tenet matrimonium ratum diſſolui ingreſſu Religionis: quod docet Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. & cap. ex publico, de conuerſ. coniug. *A multis putatur ſic vocatum à nuptiis Ioannem Euangeliſtam: ſed alij plurimi hoc negant. De quo vide in Oxon. Schol. hìc num. 4.*

4. *Duplex perfectio intrinſeca, & extrinſeca.*

DIco igitur aliter ad quæſtionem, quòd ſecundùm Philoſophum 5. *Metaphyſ. cap. de perfect. text.* 25. bonum & perfectum idem ſunt, perfectio enim alicuius rei, ſicut & bonitas eius, eſt duplex, intrinſeca, & extrinſeca. Perfectio autem rei ſibi intrinſeca eſt forma eius.

Extrinſeca verò perfectio rei eſt eius finis, ad quem principaliter ordinatur. Ad propoſitum igitur dico, loquendo de matrimonio propriè dicto, vt eſt quædam obligatio mutua inter virum, & mulierem, habendi poteſtatem mutuam in ſuis corporibus, quæ obligatio nata eſt ex mutuo conſenſu eorum, oportet dare ſibi aliquod bonum, vel perfectionem intrinſecam, quæ ſit forma talis obligationis mutuæ, quantùm ad poteſtatem corporum, & aliquam bonitatem, vel perfectionem extrinſecam, quæ ſit finis talis obligationis.

Quæ ſit forma perfecta matrimonij.

Forma autem & perfectio intrinſeca talis obligationis eſt indiſſolubilitas illius, quia oportet coniuges perpetuò obligari, ſed hæc indiſſolubilitas eſt propter aliquam perfectionem extrinſecam, vt propter finem, quia ad hoc finaliter ordinatur, vt perſonæ perpetuò vinculo obligatæ procrearent prolem, religiosè educandam, ad cultum Dei applicandam; & iſte eſt finis matrimonij boni & perfecti: ſed procreatio prolis, quæ eſt finis principalis matrimonij, non ſequitur, nec haberi poteſt niſi mediante quodam alio præuio ad hunc finem, ſcilicet carnali copula maris & fœminæ, per quorum ſeminum commixtionem gignitur proles.

5. *Quis & quale ſit finis matrimonij.*

Iſta igitur obligatio indiſſolubilis habet duos ſubordinatos fines, ad quos quodam ordine ordinatur, quia ad procreationem prolis, vt ad principalem finem, & remotum, & ad carnalem copulam, vt finem minùs principalem, & propinquum. Vna igitur forma, & perfectio intrinſeca matrimonij, & duo fines ſubordinati, & perfectiones extrinſecæ, & ita ſunt tria bona matrimonij, indiſſolubilitas vinculi pro forma, & bono Sacramenti; vſus illius vinculi, qui conſiſtit in bono fidei; & fructus talis vſus, qui eſt bonum prolis.

Proles bonum principale extrinſecum matrimonij.

Quòd autem proles ſit bonum principale matrimonij extrinſecum, patet, quia finis eſt bonitas, & perfectio rei extrinſeca; & ideò à fine ſit denominatio 2. *de Anima.* Sed proles eſt finis principalis, & proprius matrimonij. Patet per

Auguſtinum 9. *ſuper Geneſ. ad literam circa medium*, & Magiſtrum 5. *diſtinct.* vbi dicit quòd matrimonium ordinatur ad procreandam prolem religiosè educandam, & ad cultum Dei ampliandam.

Fides eſt bonum extrinſecum matrimonij.

Quòd autem finis ſecundus, & minùs principalis, ſcilicet fides ſit quoddam bonum, patet: quia iuſtitia, & actus eius, eſt quoddam bonum conforme rectæ rationi: ſed fides, vel fidelitas coniugum, eſt quædam iuſtitia, quæ conſiſtit in duobus in quodam poſitiuo, & quodam priuatiuo. Poſitiuum quidem ad reddendum alteri coniugum quod ſuum eſt; priuatio autem ad non dandum alicui quod non ſuum eſt, ſed alienum, domino inuito, quia quilibet ex bono fidei debet ſeruare iuſtitiam, & ius alienum, ne ipſum transferat ipſo inuito.

Fides cõſiſtit in dando debitum coniugi, & in negando alteri.

6. Tertium bonum matrimonij, eſt bonum Sacramenti, quod non eſt Sacramentum matrimonij exiſtens in aliquo ſigno ſenſibili, & prolatione verborum determinatorum inter coniuges, ſicut Sacramentum Baptiſmi conſiſtit in ablutione facta in aqua cum certis verbis tunc prolatis, quia Sacramentum matrimonij iſto modo vt eſt ſignum ſenſibile, eſt tantùm in *fieri*, & dum verba illa, *accipio te*, &c. proferuntur; ſed forma huiuſmodi Sacramenti, quæ eſt eius perfectio intrinſeca, quæ eſt indiſſolubilitas, & perpetuitas obligationis mutuæ coniugum, quæ eſt bonum Sacramenti, eſt in permanentia quieta, quamdiu permanent coniuges.

Sacramẽtum, ſeu indiſſolubilitas eſt bonum intrinſecum matrimonij.

Quòd autem hæc indiſſolubilitas, quæ eſt bonum matrimonij, ſit quoddam bonum, patet; tum, quia à Deo inſtitutum Matth. 20. *non licet dimittere vxorem, niſi cauſa fornicationis*, &c. quia ſi matrimonium contrahentium ſit aliquod bonum, quia à Deo inſtitutum. *Geneſ.* 20. Similiter & indiſſolubilitas, & perpetuitas talis matrimonij non erit malum, ſed aliquod bonum.

7. *Deciſio quæſtionis.*

Sed quomodo ſunt hæc tria in omni matrimonio? Reſpondeo, quòd in omni matrimonio tantùm eſt vltimum bonum abſolutè, & ſimpliciter neceſſarium, & non alia, niſi ſub conditione, quia nullus abſolutè obligatur ad bonum prolis procreandæ de neceſſitate, ſed ſub conditione quantùm eſt ex ſe, ſi non impediatur; multa autem ſunt impedientia procreationem prolis, vt negatio carnalis copulæ, ad quam etiam carnalem copulam non obligant ſe coniuges, niſi ſub conditione, ſi ſcilicet debitum petatur.

Bonum prolis & fidei, tantùm virtualiter, & ſecundùm quid ſunt in matrimonio.

Bonum igitur prolis non eſt in matrimonio, niſi præſuppoſito bono fidei, quia ſunt fines eſſentialiter, & naturaliter ordinati, & non poteſt attingi finis naturaliter poſterior, niſi prior habeatur. Sed bonum fidei, vt dictum eſt, non ſemper de neceſſitate obligat ad carnalem copulam, niſi petatur; ſed non eſt neceſſe ſemper peti, nec ſemper petitur: ergo non eſt neceſſe quòd ſemper ſit in matrimonio bonum prolis, quia non ſequitur, niſi ex carnali copula, & bono fidei, quod non ſemper eſt ibi quantùm ad actum extrinſecum, niſi ſub conditione, ſi petatur; nec ſemper ſequitur de neceſſitate copulam carnalem bonum prolis in effectu, quia poteſt eſſe copula carnalis inter coniuges ſine prole generata, vel illo bono formaliter. Et ideò licèt, nec bonum fidei, nec bonum prolis ſemper de neceſſitate ſint in effectu formaliter in omni matrimonio, ſunt tamen in omni matrimonio iſta bona virtualiter in ſuis antecedentibus, & naturaliter præcedentibus, vt bonum prolis in fide, & fidelitate coniugum, vt ſi ex ea poſſit prouenire proles, quod non impediatur, & fides in obligatione illa indiſſolubili poteſtatis corporum, ita quòd illi, ſi petatur, reddatur, & non reddatur alieno.

8. *Bonum Sacramenti, ſeu indiſſolubilitas eſt eſſentialiter, & ſimpliciter in matrimonio.*

Bonum autem tertium, quod eſt indiſſolubilitas, vel perpetuitas obligationis poteſtatis corporum, ſemper eſt formaliter in matrimonio, & eſt eſſentiale & intrinſecum bonum matrimonij, ſine quo non poteſt ipſum eſſe, ſicut poteſt eſſe ſine aliis bonis formaliter, & actu exiſtentibus. Poſtquam enim matrimonium contractum eſt, poſſunt ab eo ſeparati bonum fidei, & bonum prolis vinculo matrimoniali inſeparabili remanente. Nam ſi coniuges ex pacto inter ſe venena ſterilitatis procurent, non minùs eſt matrimonium inter eos, deficiente fide & prole. Si tamen tale pactum interueniſſet in contrahendo, nullum eſſet Sacramentum, ſed magis adulterium, ſecundùm Auguſtinum.

Similiter ſi cauſa fornicationis ſepararentur coniuges, adhuc etſi non manet in eis mutua obligatio ad reddendum debitum, ſi ab altero eorum petereturr, remanet tamen in eis vinculum matrimonij inſeparabile, ita quòd neuter eorum poſſit cum alio contrahere altero viuente.

9. *An indiſſolubilitas matrimonij ſit ratione Sacramenti. opinio aliorum.*

Sed hoc bonum formale, & intrinſecum matrimonij, ſcilicet indiſſolubilitas obligationis mutuæ viri & mulieris, quantùm ad poteſtatem corporum, éſtne Sacramentum nouæ legis, vel res Sacramenti? Dicunt aliqui quòd iſta inſeparabilitas, & indiſſolubilitas, eſt in matrimonio, vt eſt Sacramentum nouæ legis, cuius probatio eſt, quia matrimonium eſt ſignum coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ, ſi Chriſtus & Eccleſia indiſſolubiliter, & inſeparabiliter coniunguntur ſecundùm Apoſtolum, *hoc Sacramentum eſt magnum, dico autem in Chriſto, & Eccleſia.* Igitur hæc inſeparabilitas eſt matrimonium Sacramentum nouum Eccleſiæ.

Reiicitur.

Contrà Sacramentum matrimonij, vt eſt Sacramentum nouæ legis, eſt in *fieri*, & in fluxu ſucceſſiuo verborum ſic prolatorum, quia nihil aliud eſt hîc ſignum ſenſibile, in quo poſſit ſignari effectus iſtius Sacramenti. Indiſſolubilitas autem, vel inſeparabilitas, eſt quid permanens, & non ſignum ſenſibile, ſed magis intelligibile alicuius extrinſeci; ergo non eſt Sacramentum nouæ legis.

Confirmatur, quia Sacramenta nouæ legis ſunt tantùm ſigna ſenſibilia alicuius ſignati interius animæ collati, & ideò Sacramentum matrimonij eſt ſignum gratioſæ coniunctionis animorum contrahentium, & hoc eſt ſignatum proximum Sacramenti matrimonij, vt eſt Sacramentum nouæ legis, & iſtud ſignatum eſt proximus effectus, & res Sacramenti matrimonij.

10. Aliud verò poteſt eſſe ſignatum remotum, & extrinſecum huius Sacramenti, ſignatum per effectum proximum, & rem Sacramenti matrimonij, vt coniunctio Chriſti, & Eccleſiæ, quæ ſignificatur per coniunctionem gratioſam contrahentium, & non per ipſum Sacramentum, vt eſt quoddam ſignum ſenſibile, quia id nihil ſignificat, niſi gratiam interiorem, & effectum proximum, & rem Sacramenti. Et iſto modo poſſet concedi quòd obligatio illa indiſſolubilis, vel indiſſolubilitas obligationis illius, eſt ſignum intelligibile alicuius extrinſeci, vt coniunctionis effectus per ipſum, ſicut eſt per Sacramentum

nouæ

nouæ legis, quod tantùm est signum verax, & infallibile gratiæ collatæ per ipsum cõtrahentibus.

Exemplum ad hoc est in Eucharistia, vbi species panis & vini, quæ sunt ibi Sacramentum, sunt tantùm signum corporis Christi veri, sed corpus Christi verum, quod est res Sacramenti Eucharistiæ, & signatum eius proximum, & intrinsecum, est vlterius signum alicuius extrinseci, vt corporis Christi mystici.

Vnde non video quòd ista inseparabilitas, vel indissolubilitas obligationis contrahentium sit res Sacramenti matrimonij propinqua, & propria, sicut nec corpus Christi mysticum est propinquus effectus, vel res Sacramenti Eucharistiæ.

11. *Solutio dubij. Hac indissolubilitas cõpetit matrimonio effectiuè ex institutione diuina.*

Dico ergo quòd hæc indissolubilitas conuenit matrimonio ex se formaliter, ex natura talis contractus matrimonialis, & oritur ex mutuo contractu contrahentium; sed effectiuè competit hæc sibi ex institutione Legislatoris Dei, qui cuilibet contractui indidit suam propriam iustitiam. & naturam, & isti inseparabilitatem, licèt iste contractus, quantùm est in se, posset esse datio mutua ad vnum actum tantùm, & ad tempus vnius horæ, vel alterius horæ satis breuis; tamen à Legislatore principali habet talem perpetuitatem, & permanentiam; quòd quicunque illo se obligauerit alteri se donando matrimonialiter pro perpetuo suo, fit illius quantùm ad corporis potestatem. Dictum est autem priùs quòd à dominio, & ordinatione supremi domini nullus potest se subtrahere, nec alicui se donare contra voluntatem eius, sed tantùm illi, & illo modo, quo ille dominus approbat, vel non duxerat improbandum. Ille dominus non ordinauit quòd regulariter isto contractu aliquis se alteri obligauerit, nisi pro perpetuo. Vnde dicit Matth. 19. *Quos Deus coniunxit*; & non ordinauit dissolui, nisi causa fornicationis, *homo non separet.*

12. *In lege veteri cum aliquibus dispẽsatum est à Deo in perpetuitate huius indissolubilitatis.*

Dico autem *regulariter*, quia Deus in lege veteri aliquando dispensauit cum aliquibus, quòd possent propter certas causas deserere suas vxores, dando eis libellum repudij. Ista ergo indissolubilitas contractus est formaliter ex natura illius obligationis mutuæ contrahentium, & effectiuè à Deo, qui est Legislator, & in isto contractu sicut in causa, sunt tria bona; nam iste contractus est propter obligationem contrahentium indissolubilem, quia causa eius contrahunt, & ita propter bonum Sacramenti, quod appropriatè dicitur *bonum*, quia essentialiter, & intrinsecè est de ratione Sacramenti matrimonij, quia nisi esset indissolubilitas, & inseparabilitas illius contractus, iam non esset matrimonium contractus aliquis, nec signum rei sacræ, quam designat. Ista autem inseparabilitas, & indissolubilitas istius vinculi est causa bonæ fidei inter coniuges; quia ex quo vnus inseparabiliter obligatur alteri, tenetur ex iustitia reddere sibi quod suum est; & nulli alteri, quod non est suum; fides autem ordinatur ad prolem procreandam, & religiosè ad cultum Dei educandum, & ampliandum, & ita est causa boni prolis producendi, quia si non esset copula carnalis obligatorum, non generaretur proles nec esset bonum prolis, nisi in suo antecedente, vt dictum est.

Indissolubilitas formaliter est ex natura contractus, & causat fidem coniugum.

13. *An indissolubilitas matrimonij in Religioso, qui ante consummationẽ ingressus est, manet.*

Sed hîc est alterum dubium. Si enim indissolubilitas sit essentialiter in quolibet matrimonio, igitur aliquis contrahens cum aliqua matrimonium ratum, & non consummatum, habet potestatem indissolubilem in corpus illius, quia sic ei obligatur indissolubiliter ex natura contractus; igitur intrans Religionem ante consummationem matrimonij, adhuc haberet perpetuam potestatem, & dominium indissolubile in corpus illius: sed hoc est falsum, quia ipsa potest postea alteri contrahere, & cum illo matrimonium consummare, & certum est quòd illi secundo indissolubiliter obligatur, sicut priori: ergo vna verè erit vxor duorum, vel si non possit cum alio contrahere, hoc erit in detrimentum eius absque causa, quorum vtrumque videtur inconueniens.

Richard. d. 27. art. 2. q. 2. *Mors ciuilis, & naturalis.*

Hîc dicitur vno modo sic, quòd matrimonium est ex se vinculum indissolubile, nisi soluatur per mortem. Mors autem est duplex, ciuilis, vel naturalis; ingrediens autem Religionem moritur ciuiliter, quia moritur mundo, & viuit Christo, & perinde est quantùm ad naturam istius contractus matrimonialis, ac si simpliciter moreretur vita naturali, quia est inutilis mundo, quia non facit bonum prolis, & ita non ampliùs ei obligatur, qui contraxit cum ea matrimonium ratum, non consummatum.

14. *Instantia cõtra datam solutionem.*

Sed ex ista responsione sequitur quòd indissolubilitas, vel perpetuitas mutuæ obligationis non sequitur contractum matrimonialem ex natura talis contractus essentialiter, & primò, sed ex aliquo posteriori secundario continente contractum illum, scilicet, carnali copula. Quòd si ingrediens Religionem consummasset matrimonium per copulam carnalem, consequenter nullum foret dubium quin esset vinculum indissolubile, non nisi per mortem naturalem tantùm, & non ciuilem.

Matrimonium ratum quomodo indissolubile.

Si autem consummasset matrimonium per carnalem copulam, sed intrasset Religionem post matrimonium ratum, est vinculum solubile per mortem ciuilem: ergo indissolubilitas est in matrimonio, non ex natura contractus talis, sed ex aliquo alio, vt carnali copula, quod est contra prædicta.

15. Henr. quodl. 5. q. 39.

Alius Doctor non habet pro inconuenienti quòd vna posset esse vxor duorum vinculo indissolubili, non eodem modo, sed alio, & alio, vt mente & carne, vel spiritualiter, & carnaliter sit vxor vnius matrimonio consummato, & alterius tantùm matrimonio rato & spiritualiter, & non carnaliter, quia vtriusque eodem modo carne, & matrimonio consummato; inconueniens est vnam esse vxorem duorum, & tunc nunquam soluitur simpliciter vinculum indissolubile, quantùm ad illum, qui intrat Religionem, & moritur mundo ciuiliter, sed tantùm quantùm ad hoc quòd non obligatur ad reddendum ei debitum copulæ carnalis, si petatur ab eo, quia petens professus aliquam Religionem, non posset sibi reddere similem seruitutem, cùm iam ad vsus sacros se totaliter dedicauerit. eligatur via quæ magis placeat.

Quomodo vna simul potest dici vxor duorum.

16. *Ad primum argumentum principale.*

Ad primum argumentum principale in oppositum, dico quòd matrimonium inquantùm Sacramentum, & consistit in prolatione verborum determinatorum, & in *fieri*, est bonum formaliter, sicut signum est bonum, quod designat bonum; sed matrimonium, vt quidam contractus mutui consensus inter coniuges, non est bonum formaliter sine istis tribus bonis, quia sine bono Sacramenti, quod essentialiter concomitatur ipsum, nullo modo est, & ideò non est mirum si non est bonum formaliter sine eo. Sacramentum autem matrimonij, quod tantùm est dum

verba

verba proferuntur, & eſt in *fieri*, non habet tria illa bona, & ideò poſſet forte bonum formaliter eſſe ſine eis.

Ad ſecundum. Ad ſecundum, quando arguitur de ſterili, & quòd proles non eſt bonum matrimonij, dico *Bonum prolis non ſemper eſt in effectu.* quòd proles eſt bonum matrimonij, & ſemper ſequitur matrimonium, ſaltem tanquam in ſua cauſa, ſub conditione: ita quòd non debet impediri per venena ſterilitatis, vel alia extrinſeca facinora, ſi poſſet prouenire ex fide, & carnali copula coniugum. Non tamen oportet bonum prolis ſemper eſſe in effectu in omni matrimonio, quia ſuum antecedens neceſſarium, quod eſt copula carnalis, non eſt neceſſaria in omni matrimonio, ſed tantùm conſummato, & nec in illo, niſi ſub conditione, vt ſi petatur, & dato quòd illa eſſet in omni matrimonio, non tamen bonum prolis, quia id poteſt multis modis impediri. Neceſſarium eſt tamen ad omne matrimonium, ad hoc quòd ſit verum, quòd non impediatur per venena, vel alias cauſas illegitimas, ſi ex carnali commixtione ſeminum poſſet naturaliter prouenire; aliter enim magis eſſet adulterium, cùm ad illud bonum naturaliter ordinetur.

17. *Ad tertium.* Ad aliud, cùm dicitur quòd inter adulterum, & adulteram eſt verum matrimonium; dico quòd verum eſt, & ideò obligantur mente, & ſpiritu, & propoſito, ad illius indiſſolubilitatem mutuæ obligationis, ſicut fideles coniuges, licèt abſoluantur à debito carnaliter reddendo.

Ad quartum. Ad vltimum, cùm dicitur quòd nihil eſt bonum partiale ſui; dico quòd ibi æquiuocatur *Sacramentum*. Nam Sacramentum vno modo poteſt accipi pro integritate iſtorum trium bonorum, quæ ſunt in matrimonio; alio modo pro vno illorum bonorum, ſcilicet indiſſolubilitate contractus matrimonialis; alio modo pro ſigno ſenſibili coniunctionis gratioſæ animorum coniugum. Minor autem eſt vera, cùm dicitur quòd matrimonium eſt Sacramentum primo modo, ſumendo *Sacramentum* pro integritate illorum trium bonorum, & iſto modo Sacramentum non *Matrimonium dupliciter poteſt accipi.* eſt partiale bonum matrimonij, ſed totale, & ſubtractis illis tribus bonis partialibus, ſubtrahitur & bonum totale: & ideò eſt contractus matrimonialis de ſe bonus formaliter. Sed bonum Sacramenti, quod eſt bonum indiſſolubilitatis iſtius obligationis, & Sacramentum ſecundo modo dictum, benè poteſt eſſe partiale bonum Sacramenti primo modo ſumpti.

DISTINCTIO XXXII.

De reddendo debito.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm neceſſe ſit in matrimonio reddere debitum petenti?

D. Thom. *in addit. quæſt. 53. art. 1. & hic quæſt. 1. art. 1.* D. Bonauent. *art. 2. & 3. per totum.* Richard. *art. 1. quæſt. 1. & 2.* Durand. *quæſt. 1.* Sanch. *lib. 9. d. 1. & 2. & per totum.*

1. *Argumentum primum negatiuum.* VOD non. Quia nullus obligatur ad peccatum mortale; ſed reddere debitum eſt peccatum mortale, cuius probatio eſt, quia priuare ſe bono virtutis eſt peccatum mortale; ergo priuare ſe maiori bono, quàm ſit bonum virtutis, eſt magis peccatum mortale: ſed vſus rationis, quo quis ſe priuat in reddendo debitum coniugale ſecundùm Philoſoph. cap. 8. 7. Ethicorum. *Venus furatur intellectum per abuſionem illius*, eſt maius bonum: ergo.

Item, matrimonium non conſummatum non impedit Religionis ingreſſum, patet *extra de conuerſione coniugatorum, verum, & 27. quæſt. 2. Deſponſata.* Sed contrahens cum aliqua matrimonium ratum, & deinde intrans Religionem, non tenetur ei tunc reddere debitum, etiamſi petatur; igitur nec aliàs, vt videtur. *Secundum.*

Item, nullus excluditur à perceptione corporis Chriſti per aliquid, quod neceſſe eſt eum facere, quia tunc neceſſe eſſet peccare mortaliter, cùm nihil impediat eſum agni, & perceptionem corporis Chriſti, niſi peccatum mortale: ſed reddens debitum tempore orationis, & ſacri ieiunij eſt indiſpoſitus ad eſum agni, & ad vacandum orationi ſecundùm Magiſtrum in hac diſtinct. & ponitur in Decretis *33. quæſt. 4. Sciatis igitur*, &c. *Tertium.*

Item, non tenetur reddere debitum in loco ſacro, quia ex hoc pollueretur locus ille, & interdiceretur vt non ſacer, quod eſſet contra cultum, & honorem Dei. Igitur. *Quartum.*

Præterea, quòd non omni tempore, patet, quia non tempore menſtruorum, & aliquarum infirmitatum mulierum, quia hoc eſſet contra bonum prolis, ad quod finaliter ordinatur, ſicut dicitur *34. quæſt. 4. Quodcunque*: igitur vniuerſaliter quando contra bonum prolis, non tenetur reddere. *Quintum.*

Contrà 1. Corinth. 7. *Vxori vir debitum reddat, ſimiliter autem vxor viro, & nolite defraudare inuicem, niſi fortè ad tempus, vt vacetis orationi.* Obſeruatio autem præcepti Apoſtolici neceſſitatis eſt. Item, ibidem, *mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, & vir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed mulier.* *Ratio ad opp.*

SCHOLIVM II.

Primum dictum; Matrimonium inſtitutum eſt in officium ad procreationem, & in remedium, & hoc vltimum poſt lapſum. *Secundum*, Redditio debiti eſt præcepti affirmatiui, obligans ſemper non pro ſemper; ſed quando recta ratio ſuader. *Tertium.* In duobus caſibus in genere, non tenetur coniux reddere. Primus eſt, quando petens non habet ius; vt ante matrimonium conſummatum, ad duos menſes cap. *ex publico, de conuerſ. coniug.* Item, ſi vnus ſit adulter, alter innocens. *Probabilius tamen eſt, poſſe adulterum petere, licèt alter poſſit negare, quia non eſt priuatus, ſed priuandus iure petendi; ita Scot. diſt. 36. quæſt. vnic. art. 4. Palacius diſt. 35. diſp. 5. Enriq. lib. 2. de matrim. cap. 15. num. 6. Quartum*, Coniux profeſſus non eſt extrahendus petente altero, ſi is dedit licentiam voto continentiæ emiſſo, ſi eſt ſenex; ſi tamen iuuenis, extrahendus venit: quia profeſſio nulla. *cap. 1. cap. cum ſis*, cap. *coniugatus, de conuerſ. coniugatorum. Quintum*, ſecundus caſus in genere, quo negari poſſit debitum, eſt quando vergit in periculum ſalutis propriæ, vel fœtus. *Ita D. Thom. Richard. Sanch. lib. 9. d. 24. Vide in Oxon. hìc Schol. num. 5. vbi de debito reddendo leproſo, & de acceſſu ad menſtruatam.*

RESpondeo igitur ad quæſtionem, & dico quòd matrimonium inter marem & fœminam duplici de cauſa diuerſis temporibus inſtitutum 2. *Matrimonium ob duo inſtitutum.*

tum eſt, quia ante lapſum, & tempore innocentiæ inſtitutum fuit tantùm in officium ad procreationem prolis religioſæ educandæ, & cultui Dei applicandæ. Geneſ. 2. *Creſcite & multiplicamini*, & inſtitutio fuit renouata propter hunc finem, & hanc cauſam in officium, poſtquam Deus per aquas diluuij perdidit omnem carnem præter ſeptem perſonas, Noë & alios cum eo exiſtentes in arca, & eis erat in præceptum tunc propter paucitatem perſonarum in ſpecie humana. Geneſ. 7. *Creſcite & multiplicamini*. Poſt lapſum verò primi hominis, *cùm vidiſſent filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, & intenta eſſet cogitatio eorum ad malum omni tempore, & accepiſſent ſibi vxores de omnibus, quas elegerant*, & totaliter factus eſſet homo caro propter nimiam effrenationem, & pronitatem, quam habebant ad peccatum (patet ex pœna diluuij, quæ propter hoc fuit eis inflicta) inſtitutum eſt eis in remedium, & non tantùm in officium, vt eſſet tantùm cauſa procreationis prolis multiplicandæ, ſed etiam cauſa fornicationis inter coniuges fugiendæ, vt excuſaretur pronitas, & concupiſcentia carnalis, nè tranſiret in peccatum mortale quotieſcunque contingeret actus carnis, vbi inſtituit Deus, vt quilibet haberet ſuam tantùm, & non aliam, nec incideret in peccatum mortale, ſi ſuam concupiſcentiam compleret cum non ſua, & raperet iniuſtè alienam. Omnis alia à ſua, non eſt ſua, quia hæc ſola ſit ſua ex voluntate ſupremi Domini, qui ſtatuit vnum vni tantùm matrimonialiter copulari, quia *duo*, inquit, *erunt in carne vna: propter hanc quidem relinquet homo patrem, & matrem*, &c. Nulla alia poteſt effici ſua, niſi cum eo per illum Dominum ſupremum diſpenſetur, quod non contingit regulariter, ſicut inferiùs patebit. Per matrimonium igitur, vt eſt in remedium, excuſatur aliquis actus, vt ſit licitus, qui aliàs eſſet peccatum mortale, & omnino illicitus.

Vna tantùm vni deſignatur à Deo, niſi aliter Deus diſpenſet.

3. *De loco & tempore inſtitutionis matrimonij in remedium.*

Sed vbi, & quando fuit hoc Sacramentum primò inſtitutum in remedium? Dico quòd quantùm ad *vbi*, neſcio melius *vbi*, quàm Geneſ. 3. vbi poſt primum peccatum primorum parentum dixit Dominus mulieri, *multiplicabo conceptus tuos, & ærumnas, & in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris*. Et parum antè. Geneſ. 2. Inſtitutum erat tantùm in officium. *Creſcite & multiplicamini*. Non legitur autem in noua lege vbi Chriſtus illud ſic inſtituerit; nec conſtat quòd Paulus inſtituerit hoc Sacramentum, vel aliquis alius Apoſtolus, cùm priùs dictum eſt quòd omnia Sacramenta fuerunt à Deo immediatè inſtituta.

Quantum verò ad *quando*, dico quòd ſtatim poſt lapſum, vel citò, inſtituit Deus hoc Sacramentum in remedium, ita quòd ante lapſum inſtitutum ſit in officium tantùm. *Geneſ.* 2. Poſt lapſum verò in remedium, & in officium, ſemper enim eſt, & fuit in officium, non tamen in remedium.

4. *Deciſio quæſtionis.*

Applicando igitur ad propoſitum, dico ad quæſtionem quòd reddere debitum eſt actus matrimonialis matrimonio accepto vtroque modo, quia matrimonium vtroque modo, ſiue ſit in officium, ſiue in remedium reddit debitum coniugale: quia aliter nunquam proueniret procreatio prolis, quæ eſt per ſe finis eius, ſed vt eſt in officium tantùm, ordinatur ad bonum prolis tantùm, vt per ſe finem; quia in ſtatu innocentiæ ſemper talem actum fuiſſet procreatio prolis conſecuta. Et ideò tunc temporis non fuiſſet neceſſarium reddere debitum, ſi non ſequeretur talis finis. Vt autem eſt in remedium, licèt ordinetur principaliter ad illum finem ſub conditione quantùm eſt ex ſe, ita quòd tenetur non impedire, ſi proueniat; ordinatur tamen neceſſariò ad finem alium minùs principalem, ſcilicet ad cuſtodiam caſtitatis coniugalis. Igitur quando non poſſet ſaluari caſtitatis coniugalis congruentia ſine hoc, quòd redderetur debitum coniugale, neceſſariò eſt tunc reddendum, quia iuſtitia hoc requirit, vt reddit alteri, quod ſuum eſt, & non tantùm tenetur illud reddere propter finem principalem, vt bonum prolis, ſed propter finem minùs principalem ad ſaluandam caſtitatem coniugalem, nè fornicetur, & faciat contra bonum fidei.

Reddere debitum eſt actus iuſtitiæ.

Si igitur timeatur de infirmitate alterius coniugum, quòd velit fornicari, vel adulterari, reddendum eſt ſibi quod petit, timetur autem hoc, quando petit ius ſuum; igitur quando petit, reddendum eſt ſibi.

Sed eſtne neceſſarius vniuerſaliter, ita quòd quandocunque petit, neceſſariò ſit ei reddendum? Dico quòd non, quia reddere debitum eſt actus præcepti affirmatiui, videlicet, *Creſcite & multiplicamini*, præceptum autem affirmatiuum non obligat ad ſemper, ſed cum debita determinatione, & debitis circumſtantiis, pro loco ſcilicet, & tempore, & aliis, & non vniuerſaliter quandocunque petitur; quia circumſtantiæ multæ impediunt ipſum reddi, & poſſunt reduci ad duas circumſtantias impedientes. Prima eſt, ſi alter coniugum perdiderit ius petendi.

5. *Redditio debiti ſemper obligat, non pro ſemper.*

Alia, ſi obligentur fortiori vinculo ad oppoſitum illius, quod petitur. Prima enim circumſtantia impediens redditionem debiti, vt amiſſio ſui iuris in corpus alterius, à quo quærit debitum, habet multas conditiones, & circumſtantias ſpeciales, quia aliquis poteſt perdere ius ſuum ad petendum debitum à ſua coniuge, & ſine culpa ſua, & cum culpa.

Ex duplici cauſa iuſtè negatur debitum.

Sine culpa dupliciter, vno modo ſi alter coniugum ante matrimonium conſummatum, & poſt matrimonium ratum, alio nolente, & inuito intraret Religionem. Vel ante tempus determinatum, in quo primò poteſt huiuſmodi debitum coniugale peti, vouerit caſtitatem, tunc non habet ius petendi debitum illud coniugale, quia licèt poſt contractum matrimonij ſtatim habeat dominium ſuper corpus coniugis, ex natura talis contractus, non tamen habet ſtatim ius petendi vſum talis poteſtatis, videlicet dominij, niſi poſt certum tempus, & determinatum à iure poſt duos menſes *Extra de conuerſ. coniugatorum.*

Quot modis vnus coniugum amittit ius in corpus alterius?

Si tamen tradatur ſibi vſus de facto ante illud tempus determinatum, vtatur poteſtate ſua alio tradente ſe ad vſum, non peccat, ſed benè vtitur, quia in poteſtate alterius eſt, quòd poſſit, ſi velit id tempus præuenire in dando vſum ſui corporis, quia ſuſpenſio vſus ad tempus eſt in fauorem illius, qui tenetur poſteà neceſſariò dare vſum.

Duo menſes ad deliberandum coniugibus tribuuntur.

Sed vnde eſt hæc ſuſpenſio vſus, & iuris petitio vſque ad certum tempus, quòd coniuges non poſſint ſtatim vti ſua poteſtate? Dico primò, à quo non eſt: quia non ab auctoritate Eccleſiæ, ſicut credo; quia non credo quòd Eccleſia hoc ſtatuiſſet, nam ſecundùm ſtrictam iuſtitiam inſtitutionis Eccleſiæ, donationem corporum ſtatim fuiſſet conſecutus vſus, & ius petendi vſum. Patet in omnibus contractibus ſtatutis per Eccleſiam.

6. *Vnde prouenit hæc ſuſpenſio vſus.*

siam. Constat autem quòd hîc non statim sequitur vsus potestatem. Igitur hæc suspensio vsus à potestate, non est ex institutione Ecclesiæ.

Solutio dubij.

A quo ergo? Dico quòd à Christo, qui immediatè instituit hunc contractum, & cuius est instituere aliquem contractum, quem consequuntur aliqua plura ordinatè; eius est instituere ordinem & modum, quo illum contractum consequentur.

Quãdo Christus instituit suspensionem vsus, seu petitionem iuris matrimonialis.

Sed vbi instituit vsum, & ius petendi & vsum sustinendi ad tempus à potestate, & dominio? Dico quòd in Ioanne, *cap.* 2. quando vocauit Euangelistam à nuptiis secundùm Hieronymũ *, quando ipse duxerat vxorem: & tunc habuit potestatem & dominium corporis sui coniugale, non tamen ius vtendi, quia Christus per illam vocationẽ priuauit coniuge, iure vtendi mutua potestate,

* Vide de his Maldonat. in c. 1. Ioan.

Perditio iuris sine culpa.

Alio modo potest aliquis perdere ius petendi vsum corporis, cuius iam habet potestatem sine culpa sua, si altero coniugum consentiente, & dante licentiam, vnus vouerit castitatem virginalem, vel intrauerit Religionem, voto continentiæ iam emisso, de licentia alterius, si matrimonium inter eos priùs fuerit consummatum; aliter enim posset ipso inuito intrare Religionem; tunc, inquam, perdidit ius petendi vsum in illo corpore, cùm ille voluntariè renunciauerit iuri suo, quantùm ad vsum illum.

7.

An coniux sit à Religione extrahendus si alter reuocat licẽtiam.

Sed tunc est vnum dubium, si licentiatus à coniuge ad vouendum castitatem, postea dolente de illa licentia, reuocauerit eùm, quia non vult continere, vtrùm teneatur sic ad actum matrimonialem, & debitum reddendum?

Dico: hîc sunt duo capitula, quæ videntur sibi inuicem contraria. Primum est *distinctione* 3. *quæst.* 5. *Qui vxorem*, & similiter *dist.* 33. *quæst.* 5. *manifestum*, vbi decretum est quòd non possit redire, nec per consequens tenetur reddere debitum coniugale. Oppositum autem huius apparet. *Extrà de conuers. coniugatorum cap.* 2. *Si laicus, & in gloss. super illud cap.* vbi dicitur, quòd si vxor non vult continere, nec vouere castitatem, extrahendus est vir eius de Religione, & ei reddendus est, quod magis credo. Quicquid autem dicatur circa hoc, securius fiat, si fiat secundùm regulam Fratrum Minorum, in qua scribitur, quòd *volens intrare Religionem nostram, si vxorem habuerit, & illius fuerit ætatis, de qua oriri non possit suspicio, non recipiatur ad obedientiam, nisi illa aliquod Monasterium intrauerit, vel auctoritate Episcopi diœcesis ei licentiam dederit, voto continentiæ iam emisso.* Et si illæ conditiones sint necessariæ, tunc Decretalis manet in robore suo, mulier tamen priùs licentians virum ad vouendum castitatem, & postea reuocans à voto, peccat mortaliter, & cogenda esset ad similem continentiam, quia non est verisimile quòd alium licentiauerit ad vouendum castitatem, nisi vellet fuisse casta: & similem continentiam promiserit; tamen credo quòd Ecclesia sustineret quòd talis extraheretur, & sic ad debitum reddendum daretur secundùm illam Decretalem.

Reuocans licentiam vocandi castitatem peccat mortaliter.

8.

Adulterio manifesto perditur ius petendi debitum.

Tertiò dico, quòd ius perendi vsum in corpore coniugis potest perdi propter culpam, vt si alter eorum peccauerit secundùm adulterium manifestum, tunc manifestè perdidit ius suum ad petendum debitum, quia adulterando cum alia, vel alio, & illicitè dando illi quod non erat suum, priuauit se iure suo. Innocens tamen, qui non amisit ius suum, potest petere debitum ab adultera, & ipsa tenetur reddere, licèt ò conuerso ipsa non potest petere iustè, nec ille tenetur reddere. Si autem vtrique coniuges sunt adulterio culpabiles, tunc æqualiter perdiderunt ius petendi, & æqualiter tenentur reddere, quia non plus amisit vnus de iure suo, quàm alter.

9.

Debitum non est reddendũ cum dispẽdio salutis pro pria, vel fœtus.

Quantùm ad istam circumstantiam impedientem reddi debitum, si videlicet ille, à quo petitur, fuerit maiori, vel fortiori vinculo obligatus, quàm sit illud, quo tenetur ad bonum prolis procreandum, dico quòd hæc circumstantia multos casus, & multas circumstantias habet, sicut prior. Obligatur enim ad non reddendum debitum adstrictus fortiori, & maiori vinculo in multis casibus, vt quando redditio debiti esset contra bonum prolis, sicut si esset tempore menstrui, & quando mulieres sunt vicinæ partui, quia tunc esset contra finem principalem. Nullus autem debet aliquid facère, nisi quod congruit fini suo proprio. Igitur similiter quando esset contra incolumitatem corporis proprij, non tenetur reddere debitum petenti, quia nullus debet reddere se ineptum ad actus humanos contra rectam inclinationem naturæ. Sed inclinatio naturæ priùs est ad actum nutritiuæ, quo conseruatur ad conseruationem speciei, nam natura priùs accipit quod necessarium est indiuiduo proprio, quàm reseruet ad generandum superfluum alimenti; igitur non tenetur aliquis ad reddendum debitum in notabile præiudicium corporis sui proprij.

Item, secundùm legem naturæ non debet aliquis ab aliquo petere ius, nisi quod vellet à se reddi: sed nullus vellet aliquid reddere alij quantumcunque debitum, si esset in maius damnum, quàm non redditio in alienum. ergo. Patet igitur quòd quilibet tenetur ad reddendum debitum, cùm petitur, sicut ad præceptum affirmatiuum, quod non obligat ad semper, sicut patet, quia multi alij sunt casus à prædictis.

10.

Ad argum. primum principale.

Priuare se vsu rationis pro paruo bono ob maius bonum est licitum.

Ad primum argumentum principale, cùm arguitur quòd nullus tenetur ad peccatum mortale, dico quòd verum est, nec etiam ad veniale. Et cùm dicis in minori, quòd reddere debitum est peccatum mortale, nego. Ad probationem, cùm arguis, quod priuat se vsu rationis in reddendo, quod est peccatum mortale; dico quòd non omnis priuatio vsus rationis est peccatum mortale; sed priuatio vsus rationis perpetuò, est peccatum mortale, sic autem non priuat se vsu rationis reddens debitum coniugale, nec actu virtutis, quare sequitur quòd talis non peccat mortaliter.

Aliter potest dici, quòd aliquis potest facere aliquem actum bonum, & meritorium, ad quem sequitur priuatio alicuius boni, & tamen non peccat venialiter, nec mortaliter, quia actus ille bonus, & iustus per se ab illo intenditur, sicut finis proximus: malum autem, vel priuatio alterius boni, nullo modo per se, sed per accidens consequitur illum actum. Patet in Martyribus, qui propter amorem Dei exposuerunt se fortiter maximo motu bonæ voluntatis pœnis acerbissimis, & tormentis, in quibus de lege communi propter eorum excessum corruptiuum, non habuerunt vsum rationis. Nam sicut in excessu voluptatis priuatur homo vsu rationis, ita in excessu doloris, & pœnæ grauis nimis, & tamen maximè meruerunt. Quilibet etiam tenetur sustinere mortem pro Christo, ex quo exponit se pro Christo ex iustitia, quia hoc vult Deus, qui est iustus iudex, quòd miles suus non desinat vsque

Priuare se vsu rationis aliquando meritorium.

in

in finem, quia, vt habetur Matth. 24. *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*

Ita dico in proposito, quòd reddens debitum coniugale intendens bona matrimonij, facit actum iustitiæ, quia reddit alteri quod suum est, & tamen ad illum actum sequitur tanta delectatio, quòd totaliter pro illo tempore tollitur vsus rationis, nisi Deus temperet eam.

II. *Ad secundum.* Ad aliud, cùm arguis, quòd coniux potest ante matrimonium consummatum intrare Religionem, &c. verum est, quia tunc non habet ius petendi, de isto dictum est suprà.

Ad tertium. Tempore cõmunionis abstinendum est solitũ de congruo, non ex præcepto. Ad aliud Apostoli, & Decreti 33. *quæst.* 4. *Sciatis.* De comestione agni, dico quòd est consilium, & non præceptum, non enim esset peccatum, saltem mortale, nec fortè aliquod, non continere tempore orationis, & esus agni, quando petitur debitum, & timetur de castitate coniugali, quia non excludit à perceptione digna corporis Christi, cùm semper in tali casu sit licitum. Abstinendum est tamen de congruo, tempore tali, propter reuerentiam Sacramenti, & vt mens magis vacet Deo, quia ille actus multùm distrahit à Deo.

Ad aliud, dico quòd non debet reddi in loco sacro, nec est simile de loco, & de tempore, quia potest locus faciliter mutari, & in eodem tempore, & ideò non oportet timere impedimentum prolis, si fiat in alio loco, quàm sacro. Impedimentũ tamen posset accidere circa prolem procurandam, si expectaretur aliquod tempus magnum, vt per integrum diem, & posset esse occasio fornicationis pro illo, qui tunc peteret debitum coniugale. Si tamen non posset haberi alius locus, nisi sacer, quod non est verisimile, aut in illo loco sacro diu commanerent coniuges, reddendum esset debitum petenti, si possit fieri absque scandalo, & irreuerentia: quia reddere debitum est actus iustitiæ, & præcepti Dei instituentis hunc contractum; prohibitio verò loci sacri est Ecclesiæ statuentis. Nunc autem si non possent simul obseruari præceptum Superioris & inferioris, cùm nullus sit perplexus ex diuina lege, semper est tenendum præceptum Superioris, alio neglecto, si non possit stare cum eo.

An licet reddere debitum in loco sacro?

Præceptum inferioris negligendum est propter superioris præceptum.

12. *Ad vltim.* Ad aliud de tempore menstruorum, dico quòd verum est quòd non tenetur quis reddere debitum, etiam instanter exactum, quando accidunt menstrua naturaliter, & in tempore determinato, vt semel in mense, quia propter earum maximam infectionem, & corruptionem, tunc temporis ex solo menstruatarum aspectu inficitur speculum, vt dicit Philosophus *in lib. de Somno & vigilia*, & per consequens semen in ea receptum incurrit infectionem permaximam, & producit prolem leprosam, & immundam. Vnde glossa super illud Isaiæ 65. *quasi pannus menstruatæ*, &c. dicit quòd abstinendum est à propriis vxoribus tempore menstruorum, quia tunc concipiuntur filij membris læsi, cæci, claudi, & leprosi; vt quia parentes non erubuerunt sic misceri, eorum peccata pateant cunctis, & apertè redarguantur in paruulis. Igitur non potest reddi debitum tempore menstruorum naturaliter euenientium, vt semel in mense, nisi fortè sit periculum de aborsu, vel alio notabili damno in prole, quia tunc est reddendum aliquo modo: nam matrimonium principaliùs ordinatur in officium, & bonum prolis procreandæ, quàm in remedium, & bonum fidei. Si autem accidat innaturaliter, sicut contingit in aliquibus, quæ continuò patiuntur fluxum sanguinis menstrui, tunc licet, & tenetur reddere debitum, etiamsi proles generabitur leprosa. Sic habetur *extra de coniugio leprosorum, cap.* 1. quia reddere debitum cadit sub præcepto generali, vt ibidem dicitur 8. *cap.* Si virum, vel vxorem leprosum fieri contingat, & infirmus à sano debitum exigat generali præcepto, nulla in hoc casu exceptio inuenitur, licèt non tenetur ex præcepto coniux sanus cum leproso continuè habitare propter periculum infectionis, tamen tenetur ei debitum reddere ex præcepto generali, cùm exigitur, nec in hoc ita inficitur, sicut si continuè, & assiduè moraretur cum ea, quia actus ille citò transit, non sic continua mora cum ea.

Quid de debito, tempore menstrui?

Leproso an debitum reddendum sit à sano coniuge.

Et si dicis quòd reddere debitum est contra bonum prolis, quia proles genita regulariter est leprosa; dico quòd magis est timendum continuum fornicationis periculum, quàm prolis leprosæ defectus, cùm melius sit prolem esse leprosam, quàm nunquam exire in *esse*, & magis contra bonum prolis quòd nunquam procreetur, quàm quòd leprosa procreetur. Si autem ex ista non procreetur proles leprosa, à nulla procrearetur, & si non redderetur ei debitum, nullo modo procrearetur: igitur à primo ad vltimum, non reddere debitum, cùm petitur à continuè vitiata, vel leprosa, est magis contra bonum prolis, quàm si non redderetur. Si autem mulier non sit continuè infecta, sed in tempore determinato, vt semel in mense tempore menstruorum naturaliter contingentium, & tunc non esset debitum reddendum tempore talis defectus, quia tunc est contra bonum prolis, & ad bonum prolis esset exspectatio modici temporis, quia alio tempore potest proles procreari, & concipi sana, quæ aliàs tempore defectus concepta procrearetur non sana. Furiosa etiam habenti lucida interualla, reddendum est debitum in illo interuallo, non in furia actuali, quia tunc posset esse in periculum propriæ personæ, & etiam, quia tunc non est sibi debitum, cùm non habeat aliquem contractum humanum: idiotæ autem non habenti discretionem debet reddi, si indiscretè petat omninò, quia hoc potest fieri sine periculo propriæ personæ.

13. *Remouetur instantia.*

Periculum incontinentiæ præferendum est prolis leprositati.

An indiscretè petenti debitum sit reddendum.

DISTINCTIO XXXIII.

De Bigamia.

QVÆSTIO I.

Vtrùm licitum fuit antiquis Patribus habere plures vxores?

D. Thom. *hic quæst.* 1. *art.* 1. D. Bonauent. *art.* 1 Richard. *art.* 1. *quæst.* 1. Sot. *quæst.* 1. *art.* 3. Gabr. *quæst.* 1. *art.* 2. Sanchez *lib* 7. *de matr. disp.* 80. Bell. *lib.* 1. *de matr. cap.* 11.

I. *Argumẽtum primum negatiuum.*

IRCA distinctionem 33. de fide antiquorum Patrum. Quæro primò: *Vtrùm licitum fuit eis simul habere plures vxores, matrimonialiter sibi coniunctas?*

Quòd non, quia non licet habere coniugem contra primam institutionem coniugij, & matrimonij, quia nullum est coniugium, vel matrimonium, quod est contra primum matrimonium, & primam institutionẽ matrimonij: sed habere plures vxores est contra naturam coniugij, & primam

y institu

inſtitutionem eius. Patet ex Gen.2. vbi dicitur quòd *erunt duo in carne vna*; igitur cùm matrimonio ex ſua primaria inſtitutione conueniat vt vna ſit vnius, non erit alicui licitum habere plures.

Secundum. Item, nullus poteſt diſpenſare in aliquo per illud, quod eſt contra naturam illius, & contra legem naturæ, cùm lex naturæ ſit ſemper recta: ſed aliquem habere plùres vxores, eſt contra legem naturæ. Patet Geneſ.4. de Lamech, qui accepit duas vxores, primò, ſecundùm gloſſam ibidem, peccans contra naturam, & notabiliter adulterium committens.

Tertium. Item, illa, quæ ſunt de per ſe ratione coniugij, vel matrimonij, ſunt æqualis conditionis in vtroque coniuge; ſed mulieri nunquam licuit habere duos viros, ſed vnum tantùm: igitur nec vni viro habere duas vxores.

Ratio ad opp. Contra, Magiſter in hac diſtinct. cap. 1. Sancti Patres Abraham, Iſaac, & Iacob ante legem ſine peccato multas vxores habuerunt, & Dauid poſt legem: non eſt probabile autem quòd ipſi hoc habuerunt illicitè: igitur.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Bigamus ante Baptiſmum, ſit irregularis poſt Baptiſmum?

D. Thom 4 *diſt* 27 *quæſt.* 3 *art.* 2 *cap.* Acutius. *diſt.* 26. Enriq. *lib.* 14 *cap.* 17. Sanch. *lib.* 7 *d.* 83. Suar. *tom.* 5. *d.* 41. *ſect.* 1. & alij hîc citati.

2. Argumẽtum primum negatiuum. VIDETVR quòd non, per Hieronymum *Epiſt. ad Oceanum*, & habetur ſuper illud 1. Timot. 3. *vnius vxoris virum*, vbi dicit quòd *qui ante Baptiſmum habuit plures vxores, poſt Baptiſmum ſequentem ab irregularitate purgatur.* Similiter diſtinct. 26. cap. 1. dicitur ibidem ſuper illud *vnius vxoris*, &c. Et ratio iſtorum eſt iſta, quia cùm Baptiſmus tollat omnem culpam, & omnem pœnam, non videtur quare non tollat etiam irregularitatem, quæ eſt quædam pœna.

Secundum. Item, diſtinct. 50. *Si quis viduam*, dicitur quòd *ſi quis eſt conſcius homicidij ante Baptiſmum, poſt Baptiſmum homicidij commiſſi irregularitas deletur*, vbi argumentum fit in gloſſa ex contrario ſenſu; igitur ſi conſcius homicidij ante Baptiſmum commiſſi non deiicitur poſt Baptiſmum; igitur à ſimili de bigamo, qui conſcius eſt bigamiæ contractæ poſt Baptiſmum, deiiciendus eſt ab Eccleſia, vt irregularis: ſi autem ſit conſcius bigamiæ tantùm contractæ ante Baptiſmum, non eſt eiiciendus ab Eccleſia vt irregularis.

Ratio ad opp. In oppoſitum eſt communis opinio Doctorum, & Auguſtini, ſicut patet in Decretis *diſtinct. 26. cap. 2. Acutiùs*, vbi dicitur quòd *acutius intelligunt, qui nec Catechumenum, nec Paganum, qui alteram ante Baptiſmum, alteram poſt Baptiſmum habuit, non ordinandum cenſuerunt*, quia de Sacramento agitur non de peccato omnino, licèt Baptiſmus tollat omnem culpam, & omnem pœnam prouenientem ex culpa, non tamen bigamiam, quæ eſt pœna contracta ſine culpa.

SCHOLIVM I.

Explicat optimè, primò. quomodo eſt inæqualitas inter corpus mulieris & viri, quoad procreationem. Secundò, quomodo eſt æqualitas quoad remedium concupiſcentiæ: poteſt tamen altera pars aliquid de iure ſuo remittere. Tertiò, quòd potuit Deus diſpenſare, non obſtante iſta æqualitate, quòd ob maius bonum vnus vir habeat plures vxores ad multiplicãdum fideles. Quartò, quòd de facto ita diſpenſauit, vt habetur locis citatis ex Scriptura, & c. Gaudemus, de diuort. latè Bellar. cit.

3. Quatuor examinanda. CIrca ſolutionem primæ quæſtionis ſunt quatuor primò declaranda. Primò quid requiritur ad ſtrictam iuſtitiam in contractu matrimonij? Secundò, quid requiritur ad completam iuſtitiam eiuſdem? Tertiò, qualiter diſpenſatio poteſt cadere in iſto contractu contra ſtrictam iuſtitiam illius? Quartò, quòd talis diſpenſatio ſancta eſt, & non contra ius alterius coniugum, ſed in fauorem illorum.

1. Concluſio. De primo, dico quòd ſecundùm ſtrictam iuſtitiam in omni commutatione, & maximè in rerum permutatione ſeruanda eſt æqualitas valoris, & æquiualentia rei pro re, quantùm ad illum finem, ad quem talis res naturaliter ordinatur, vt ſi cibus detur pro panno ſecundùm iuſtitiam, debet obſeruari quòd cibus poſſit nutrire, ſicut pannus veſtire, vt quælibet res ſit vtilis fini, propter quem amatur, & optatur. Nunc autem in matrimonio, vt eſt inſtitutum ad officium, & procreationem prolis, qui eſt finis vtriuſque coniugum, non eſt æqualis valor corporis mulieris ad corpus viri, quantùm ad hunc finem, ſed multò maior eſt in corpore viri, quàm mulieris, quia eodem tempore, quo mulier non poteſt niſi vnum concipere, poteſt vir de diuerſis multos generare, & procreare; igitur ſecundùm ſtrictam iuſtitiam propter improportionem, & exceſſum valoris corporis viri ad corpus mulieris, quo ad iſtum finem, poteſt vir commutare corpus ſuum vnicum pro pluribus corporibus mulierum, & non eſt contra iuſtitiam, & ius naturale, etiam in ſtatu innocentiæ, quin ſecundùm iſtam iuſtitiam poſſit vnus habuiſſe plures vxores, licèt tunc non fuiſſet neceſſarium vnum habuiſſe plures quoad hunc finem, quia æqualis tunc fuiſſet numerus virorum, & mulierum, & ſic quilibet fœcundaſſet ſuam determinatam. Et hoc quantùm ad primum, & principalem, & per ſe finem matrimonij, qui eſt bonum prolis.

Corpus mulieris non eſt æqualè viro in matrimonio, & inſtituto ad officium.

Eſt tamen quoad remedium. Sed matrimonium, vt eſt inſtitutum ad remedium, vt ſcilicet ſeruetur per id caſtitas coniugalis inter coniuges, quæ eſt finis iſtius contractus ſecundariò intentus, ſic dico quòd includit æqualem valorem vtriuſque coniugum ad alterum, quia quod ad hunc finem valet corpus mulieris ad ſeruandum caſtitatem viri, ſicut corpus viri ad ſaluandam caſtitatem mulieris. & iſto modo, quo ad hunc finem ſecundùm ſtrictam iuſtitiam commutatur corpus vnius mulieris quo corpore vnius viri, & è conuerſo. Et ideò habere duas hoc modo eſt contra ius naturale, & ſtrictam iuſtitiam, & fit aliquis bigamus.

4. 2. Concluſio. De ſecundo principali, dico quòd ad completam iuſtitiam matrimonij requiritur aſſenſus, & approbatio Dei tanquam domini ſuperioris. Cùm enim in omni contractu requiratur aſſenſus domini ſuperioris, vel ſaltem non diſſenſus, & Deus ſit dominus omnium corporum, ex hoc eſt commutatio mutua iuſta, ſi ea fuerit ab eo approbata, vel ſaltem non prohibita. Deus autem ſtatuit qualiter deberent iuſtè corpora coniugum commutari quantùm ad vtrumque finem, vt dictum eſt priùs: igitur completa iuſtitia contractus huiuſmodi eſt à Deo.

Iuſtitia quæ requirit commutationem vnius corporis pro vno completur per Deum.

De

5.
3. *Concluſio. In bigamia ſolus Deus diſpenſare potuit.*

De tertio principali, qualiter ſcilicet poteſt diſpenſari contra ſtrictam iuſtitiam matrimonij, dico quòd nullus inferior primo Legiſlatore, qui ſtatuit hunc contractum eſſe iuſtum ex ordine ad ſuos fines iuſtos, poteſt iuſtè in eo diſpenſare. Hoc patet ſtatim ex ſecundo articulo, nam cùm non ſit in iſto contractu, ſicut nec in aliquo alio, iuſtitia completa, niſi ex conſenſu domini ſupremi, vel ſaltem non diſſenſu, non poteſt aliquis inferior aliquid aliter circa ipſum ordinare, quin eo ipſo ſtatim ſit iniuſtum.

Sed potéſtne ipſe dominus ſupremus iuſtè ordinare quòd aliquis vnus habeat ſimul duas vxores, & ita diſpenſare cum aliquo, quòd ſimul habeat poteſtatem in corpora duarum mulierum, & è conuerſo?

Dico quòd Deus poteſt iuſtè hoc facere, & quòd ipſe ſolus hoc poteſt, & nullus alius. Primum patet ex ſecundo articulo. Secundum oſtendo per rationem ſic: quia quando aliquid natum eſt ordinari eſſentialiter ad duos naturaliter ordinatos, quorum vnus eſt ſimpliciter melior, poteſt ſecundùm rectam rationem magis ordinari ad aliquid, quod per ſe plus facit, & pertinet ad meliorem finem, quàm ad aliud, quod pertinet ad finem minùs bonum, etiamſi ſit cum aliquali impedimento finis minùs boni: ſed matrimonium poſt lapſum ordinabatur ad procreationem prolis, & cuſtodiam coniugalis caſtitatis, ne alter coniugum fornicaretur, tanquam ad duos fines ordinatos meliorem & minùs bonum, ita quòd procreatio prolis eſt finis ſimpliciter melior, & magis bonum, quàm ſit caſtitas coniugalis in remedium, quia primus finis ſemper ſequebatur matrimonium per ſe, & huiuſmodi contractum, vel in ſe, vel in ſuo antecedente; non ſic ſecundus finis, quia non fuiſſet tempore innocentiæ.

Sed poſito quòd vnus haberet diſpenſatiuè plures vxores, plus proueniret de fine magis bono, & procreatione prolis, quàm ſi vna haberet plures viros, licèt enim plures habentes eandem vxorem, magis facerent ad finem minùs bonum, quia meliùs cuſtodirent caſtitatem eius, quàm vnus, magis ſufficerent, tamen impedirent finem magis bonum, ſcilicet procreationem prolis, quod non contingeret è conuerſo ſi vnus haberet plures vxores, quia quælibet poſſet de eo concipere, & prolem procreare.

6.

Confirmatur, nam diſpenſatio non eſt niſi iuris communis deletio, vel ipſius reuocatio in aliquo certo caſu. Sed ſecundùm rectam rationem non debet aliquod ius reuocari niſi propter maius bonum, & quando eſt neceſſarium, quia fauores iuris communis ſemper ſunt ampliandi, & odia reſtringenda eis oppoſita. Tempore autem antiquorum patrum, & maximè tempore Patriarcharum, ad quos facta eſt repromiſſio de Chriſto, quòd ex ſemine eorum naſceretur propter paucitatem fidelium, & multitudinē infidelium, magis expediebat vt viri plures haberent vxores, vt ex hoc contractu proueniret multitudo filiorū procreatorum, educandorum ex præcepto Dei, quàm quòd vnus ſeruaret caſtitatem coniugalem ex permiſſione Dei, quia coniugium matrimoniale, vt tantùm eſt in remedium, frequenter eſt ſine bono prolis. Non eſt autem modò ita neceſſarium vacare generationi, quando fideles multiplicantur, & eorum filij à principio ad cultum Dei ordinantur; igitur neceſſarium tunc fuit cum eis diſpenſare propter prolem procreandam, & religiosè edūcandam, & ad cultum Dei ampliandum. Modò autem eſt cultus Dei ampliatus per multitudinem fidelium populorum, & ideò non eſſet modò neceſſaria tanta diſpenſatio, quia ceſſante cauſa ceſſare debet effectus.

Quare diſpē ſatum fuit cum patribus in polygamia.

Quantùm ad quartum principale, oſtendo quòd hoc factum eſt, ſicut habetur ab Auguſtino, & patet per Magiſtrum in litera. & addo quòd hoc fieri poteſt ſine iniuria, & iniuſtitia quantùm ad mulierem, quia mulier videns paucitatem fidelium, & neceſſitatem præcepti de prole procreanda ad cultum Dei, quia tunc ſucceſſio Religionis ſequebatur ſucceſſionem; & multiplicationem prolis, & ex cognitione alterius mulieris prouenire magnum bonum, poteſt in hoc renunciare iuri ſuo, vt ſibi ſufficiat pars poteſtatis corporis viri ſui pro tota poteſtate corporis proprij; imò tenetur ſic renunciare ſecundùm rectam rationem iuri ſuo, quantùm ad totum corpus viri ſui, nec ſibi fit iniuria: ſi recipiat partem corporis pro totò corpore ſuo, quia nouit corpus viri ſui ſufficere ad copioſiorē prolem procreandā, quàm ipſa poſſet concipere, & per conſequens corpus viri eſſe maioris, quàm ſuum. Et ideò ſecundùm rectam rationem tenetur totum corpus ſuum viro ſuo communicare pro parte corporis ſui, vel partiali poteſtate habenda in corpus viri ſui in tali caſu. Solus igitur Deus poteſt diſpenſare, vt vnus habeat plures vxores, propter bonum prolis procreandæ ex eis, & illarum coniugalem caſtitatem conſeruandam, & nullus inferior hoc poteſt, ſicut patet ſuprà.

7.
4. *Concluſio.* Auguſt. lib. 5 in Deuter. c. 27. *In bigamia diſpenſatione quomodo eſſet ſeruata iuſtitia.*

Ad primum principale prima quæſt.

Ad primum, cùm dicitur quòd habere plures vxores eſt contra primam inſtitutionem matrimonij, quia dixit Dominus in Geneſi, *Et erunt duo in carne vna.* Dico quòd verum eſt, quòd coniuges ſunt duo in carne vna, ſcilicet in prole, quæ eſt ab vtroque eorum: ſed hoc non obſtante, vnus poteſt habere plures vxores, quia ſicut ex alia poteſt generare aliam prolem, ita cùm qualibet illarum eſt vna caro genita ab vtroque, & ita illa eſt vera cauſaliter, non formaliter.

Erant duo in carne vna exponitur.

Aliter poteſt dici, quòd ſic inſtitutum eſt matrimonium, vt regulariter vna ſit vnius, tamen aliter poſſet inſtitui propter maius bonum, quàm ſit bonum illius, vt inſtituitur primo modo, & ſic aliquando inſtituebatur, & diſpenſabatur contra primam inſtitutionem ex ordinatione diuina, propter cauſam aliquam notam ſuæ ſapientiæ, & ideò reducta eſt illa irregularis ad primam inſtitutionem regularem.

Ad ſecūdum.

Ad aliud de Lamech, qui primò commiſit bigamiam; dico quòd aliqua ſunt de lege naturæ ſtrictè, cuiuſmodi ſunt prima principia practica, & illa quæ neceſſaria illatione, & manifeſta deductione ſequuntur ex eis immediatè. Et contra iſta non cadit aliqua diſpenſatio, quia iſta nō poſſunt aliquo modo meliùs fieri. Alia ſunt de lege naturæ magis largè, non quòd ſint prima principia practica, ac etiam neceſſariò ex eis ſequentia, ſed tantùm dicuntur de lege naturæ, quia ſunt legi naturæ multùm conſona, & ſic eſt de lege naturæ, & vna ſit tantùm vnius, & è conuerſo propter fornicationem vitandam in vtroque, non tamen eſt contrarium legi naturæ primo modo, ſi fiat propter maius bonum, quàm ſit illud bonum, quod eſt conſonum legi naturæ, & ideò contra id quod ſic eſt de lege naturæ poteſt diſpenſari ab auctore naturæ.

Monogamia non eſt de lege naturæ ſtrictè, nec polygamia contra ipſam.

9. *Ad tertium. Quare bimitio eſt magis contra legem naturæ quàm polygamia.*

Ad tertium, dico quòd verum eſt quòd nunquam licuit mulieri habere ſimul plures viros, & hoc ideò, quia ſemper ſic ſequeretur, & proueniret finis minùs bonus matrimonij: quia nihil proueniret ex tali contractu eius ad multos, niſi ſatiatio libidinis ſuæ, & vitatio fornicationis eius erga alios. Nunquam autem, vel rarò proueniret, vel conſequeretur ſic finis magis bonus, & principaliter intentus, ſcilicet bonum prolis, quia propter diuerſitatem ſeminum non poſſet concipere ab aliquo eorum.

Ad rationem oppoſitam. Nulli vnquàm Patrũ licuit habere plures vxores, niſi Deo diſpenſante.

Ad argumentum in oppoſitum de Abraham, & aliis antiquis Patribus, dico quòd non fecerunt contra naturam, licèt è conuerſo ſit contra naturam, quòd vna habeat plures viros, quia hoc deſtrueret generationem, & bonum prolis, nec infideles hoc faciunt, nulli tamen vnquam licuit habere ſimul plures vxores, niſi ex ſpeciali diſpenſatione diuina. Et ideò Lamech, qui auctoritate propria aſſumpſit ſibi duas vxores, peccauit mortaliter, & factus eſt primus bigamus.

SCHOLIVM II.

Primum dictum: Irregularitas bigamiæ per Baptiſmum non tollitur, *diſt. cap. Acutiũ diſt. 26. quod eſt Auguſt. de bono coniug. cap. 18. D. Thom. cit. Amb. lib. 1. de offic. cap. vlt. Canoniſta cap.* Gaudemus. de diuort. *eſt contra Hieron. cap. 1. d. 26. Secundum,* Irregularitas homicidij tollitur per Baptiſmum, *gl. 50. diſt. cap.* ſi quis viduam, *rationem diuerſitatis aſſignatam à Canoniſtis, reijcit; oſtendens hìc nullam eſſe, niſi quia Eccleſia voluit auferri irregularitatem homicidij, non bigamiæ.*

10. *Solutio ſecundæ quæſt.*

Circa ſolutionem ſecundæ quæſtionis, cùm quæritur an bigamus ante Baptiſmum ſit irregularis, & bigamus poſt Baptiſmum? Duo ſunt videnda, primò quid tenendum ſit de facto tanquam certum, & in quibus eſt irregularitas, etiam poſt Baptiſmum. Secundò, quærenda eſt ratio quare ita eſt, quòd in iſtis eſt ſemper irregularitas? De primo, dico quòd certum eſt duo in Iure eſſe expreſſa, quæ de facto inducunt irregularitatem poſt Baptiſmum, homicidium in aliquo caſu, & bigamia, de quibus patet *Extrà de homicidio, lator,* & in Can. *diſtinct. 5. Miror. & extrà de tempor. ordin. Item in crimine, & extrà de bigamis, cap. 1. bigami pœnitentes, vel repudiantes mariti ad Sacerdotium non accedant.* Et in Decretis 34. *Præcipimus.* prohibentur bigami ordinari. Ita autem videtur inducere irregularitatem ante Baptiſmum, ſicut poſt. De bigamia eſt hoc rationabile, quia bigamia eſt pœna inflicta à iure. Patet ſuprà, & talis pœna ita eſt infligenda ante Baptiſmum, ſicut poſt Baptiſmum. Homicidium autem ex quo eſt eiuſdem rationis ante Baptiſmum, & poſt, quo ad genus actus, ita impedit ſuſceptionem Sacramentorum ante, ſicut poſt.

Poſt Baptiſmum bigamia & homicidium, inducunt irregularitatẽ de iure.

11. *Henr. quodl. 3. q. 20.*

Ex iſtis apparet improbatio illius opinionis, quæ dicit quòd ante Baptiſmum nulla eſt irregularitas, quia ante Baptiſmum, cùm ſit ianua Sacramentorum, & vitæ ſpiritualis, nullum ordinem poteſt accipere. Irregularitas autem eſt priuatio Ordinis, & auctoritatis miniſtrandi in Eccleſia: igitur pro alio tempore dicitur aliquis priuatus, & irregularis, pro quo habitus natus eſt ſibi ineſſe, & non ineſt, & non antè, quia catulus ante nouem dies non dicitur cæcus, neque videns: ſed ante Baptiſmum non ineſt ordo, nec natus eſt ineſſe. Patet, quia eſt primum Sacramentum; igitur ante Baptiſmum non dicitur quis priuatus Ordine, vel irregularis.

12. *Reijcitur ratio Henr.*

Sed iſtud nihil valet, quia non eſt idem priuationem ineſſe alicui, eſt impedimentum ineſſe eidem reſpectu alicuius: licèt enim non poſſit aliquis recipere Ordines ante Baptiſmum, & per conſequens non poſſet ei ineſſe priuatio Ordinis ante ſuſceptionem Baptiſmi; poteſt tamen in eo poni impedimentum habitus, antequam habitus natus ſit ei ineſſe. Exemplum de catulo ante nonum diem, in quo primò natus eſt videre, qui poteſt ante illud tempus impediri, ne vnquam videat. Similiter fœtus in corpore mulieris natus formari actu vitæ pro certo tempore, in quo ſi non habeat, dicitur priuari vita propriè, poteſt priùs impediri ne viuat, antequam ſit aptus natus viuere: priuatio tamen non priùs ineſſe poteſt, quàm ſuus oppoſitus habitus natus ſit ineſſe. Irregularitas autem conſequens homicidium, & bigamiam ita ante Baptiſmum ſicut poſt, non eſt priuatio Ordinis, quia tunc non poſſet ineſſe, nec denominare aliquem antequam oppoſitus habitus natus eſſet ineſſe, vt concludit illa ratio. Impedimenta tamen multa, tam naturalia, quàm voluntariè inflicta à legiſlatore, poſſunt alicui ineſſe antequam actus natus ſit recipere illud, à quo impeditur.

Poteſt poni impedimentum habitus quando non eſt priuatio eius.

13. *1. Concluſio. Irregularitas homicidij tollitur per Baptiſmum, Bigamia verò minimè.*

Dico igitur quòd irregularitas, & aliæ huiuſmodi pœnæ poſſunt ita ligare aliquem ante Baptiſmum, ſicut poſt Baptiſmum. Sed differentia eſt in irregularitate conſequente homicidium, & bigamiam, quia irregularitas contracta per homicidium ante Baptiſmum tollitur per Baptiſmum conſequentem, non ſic de irregularitate contracta per bigamiam, quia illa nunquam tollitur. Hoc patet per Auguſtinum, & Ambroſium: & communiter omnes Doctores, ſicut recitatur *diſt. 26. quæſt. 2. omnis.*

14. *Cur irregularitas ex bigamia non ſoluitur in Baptiſmo?*

Sed quantùm ad ſecundum principale, cur ita eſt quòd omnis irregularitas contracta per homicidium tollitur per Baptiſmum, & non ſic de irregularitate bigamiæ? Dicunt aliqui, vt Iuriſtæ, quòd Baptiſmus delet omne peccatum proprium, & omnem ſequelam peccati proprij. Et dicitur proprium peccatum, quod contrahitur per actum proprium, qui ex genere eſt formaliter malus, & peruerſus, niſi per aliud excuſetur, vel ſaltem poteſt eſſe malus, niſi excuſetur, & per hæc duo excludunt duas obiectiones, quæ poſſent fieri contra eos. Si enim obiiciatur illis, quòd ex illa ſequeretur mortem tolli per Baptiſmum, quia mors eſt ſequela peccati proprij, ſicut homicidium, quod ſequitur actum proprium. Dicunt quòd mors eſt ſequela peccati alieni, ſed homicidium eſt peccatum proprium, vel ſequela talis, vel ſaltem poteſt eſſe, niſi excuſetur per iuſtitiam: & ita vno modo poteſt eſſe peccatum proprium, vel ſequela eius. Bigamia autem nullo modo eſt peccatum proprium, nec ſequela talis peccati; igitur irregularitas conſequens homicidium tollitur per Baptiſmum ſequentem, & non conſequens bigamiam.

Opin. Baëth. Bri. in Decr. d. 26. ſuper c. denique.

15. *Reijcitur 1. præcedens opinio.*

Contrà. Iſtud non eſt bene dictum, vt videtur, quia aliquis poteſt eſſe bigamus, & incurrere pœnam eius ex peccato proprio, ſicut pœnam pro homicidio proprio; igitur in caſutali, quando bigamia ſequitur ex peccato proprio, poteſt deleri poſt Baptiſmum, quod eſt falſum, & contra. *Extra de*

de bigamis non ordinandis, cap. 1. bigami pœnitentes, & contra Auguſtinum in illo cap. *Acutius*, vbi dicitur quòd nullo modo debet bigamus ordinari poſt Baptiſmum, ſicut nec *corrupta ante Baptiſmum debet poſt Baptiſmum inter virgines computari*. Conſequentia eſt manifeſtè concedenda per eos, qui ideò dicunt irregularitatem contractam ex homicidio deleri per Baptiſmum ſequentem, quia poteſt eſſe ſequela peccati proprij. Sic autem poteſt contrahi in bigamia. Patet, nam ſi aliquis contrahat ſecundò cum ſorore ſua, vel conſanguinea, peccat mortaliter, & verè contrahit irregularitatem de facto. *Extrà de bigamis non ordinandis cap. Nuper*, & in gloſſa; aut ſi aliquis contraheret de facto cum alterius vxore ipſo viuente, quia tunc peccatum committeret, & contra iura Eccleſiæ, quæ ordinauit gradus conſanguinitatis, & affinitatis; igitur talis bigamia, quæ eſt ſequela peccati mortalis, poſſet tolli per Baptiſmum ſequentem.

16. *Secundò.* Præterea, corrupta ante Baptiſmum, vel poſt, non poteſt velari inter ſacras virgines, vt patet *extra de bigamis*; igitur nec ille, qui conſummauit matrimonium cum duabus, poteſt vni ſponſæ Chriſti, quæ eſt Eccleſia vna per ſuſceptionem Ordinum coniungi, illud habetur *Extrà de bigamis non ordinandis decretum in text. & in gloſſ.*

Tertiò. Præterea, ſi Baptiſmus ex vi Sacramenti tolleret omne peccatum proprium, & ſequelam eius, cùm Eccleſia non poſſit ſuper virtute Sacramentorum immediatè deſcendentium à Deo, ſequeretur quòd homicida poſſet ordinari, etiam prohibente Eccleſia ſibi Ordines.

Quartò. Item, peccatum & dolus non facit conditionem alicuius meliorem, quia fraus, & dolus nemini debet patrocinari; *Extrà de immunitate Eccleſiæ, Aduerſus*. Si aliquis interficeret aliquem iuſtè, & ſine peccato, vt puta ex præcepto iuſti iudicis Dei, & hominis, non poſſet ordinari, quia homicidium illo modo non eſt peccatum proprium, nec ſequela eius. Poſſet autem ſi interficeret aliquem iniuſtè ex inuidia, vel propria nequitia. Igitur conditio iniuſti eſſet melior, quàm conditio iuſti, & ita cuilibet iuſto daretur magis occaſio ad iniuſtè interficiendum, quàm iuſtè, quantùm ad hunc finem, quod eſt inopinabile.

17. *Secunda concluſio.* Dico igitur quòd Baptiſmus non tollit pœnam homicidij cuilibet, nec pœnam bigamiæ aliquo modo, quia iſta ſunt peccata propria, vel ſequelæ peccatorum propriorum, quia ſecundùm beatum Ambroſium, relatum *d. 26. cap. vna*, Baptiſmus non ſoluit leges, ſed tantùm peccata. Lex Dei non permiſit in antiqua lege, & imperfecta homicidas colere eum in actibus excellentibus Synagogæ, etiam illos, qui iuſtè occiderant aliquos, & ex præcepto ſuo. Patet de Dauid, quem non permiſit ædificare ſibi domum, quia vir bellator, & ſanguinum erat. Patet ſecundo Regum, cap. 7. Nec multò fortiùs in Eccleſia debet hoc permitti.

Baptiſmus ſoluit peccata, non leges.

* *Nicolaus, vt notatur in Decret. d. 50. ſuper caput* quicumque, *& Canoniſte.* Ideò dicitur * aliter, quòd actum aliquem ex genere actus ſequitur infamia, aliquem autem non ex genere, ſed tantùm ex ſtatuto Eccleſiæ. Irregularitas autem eſt infamia quædam, & non ſequitur homicidium ex natura actus talis. Patet, quia Paulus fuit homicida, non occidendo, ſed occidentibus efficaciter conſentiendo, quod idem eſt; *in cauſa 2. quæſt. 1. cap. notum ſit*, vbi dicitur quòd *facientem, & conſentientem, par pœna conſtringit*: & tamen promotus fuit ad Sacerdotium poſtea: igitur ſequitur tantùm pœna, & infamia ex ſtatuto Eccleſiæ, & poteſt per Eccleſiam talis irregularitas reuocari.

Irregularitas non ſequitur homicidium ex ſe, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ.

Sequitur bigamiam ex natura actus. Bigamiam verò conſequitur hæc infamia irregularitatis ex natura actus bigamiæ. Cuius probatio eſt: quia per Ordinum ſuſceptionem perficitur aliquis in magno gradu, & excellenti in Eccleſia reſpectu aliorum: igitur ordinatus in Sacerdotem, perficitur ſumma dignitate in Eccleſia ſuper alios, quia ille eſt vltimus, & eminentiſſimus ordo, & ſignificat Sacerdos Chriſtum, qui eſt caput, & ſponſus Eccleſiæ. Chriſtus autem eſt vnus vnius tantùm, & perpetuò, quia ipſe dixit in Ioan. cap. 10. *Fiet vnum ouile, & vnus Paſtor*; loquens de ſeipſo, dicens: *Ego ſum Paſtor bonus*, & inſinuans etiam quales debent eſſe tenentes vicem eius in Eccleſia; igitur qui debent tenere vicem Chriſti per Sacerdotium in Eccleſia, oportet quòd habeant conſimilem ſignificationem, vel ſaltem non contrariam: ſed bigamus non poteſt habere in ſe iſtam ſignificationem vnionis Chriſti, & Eccleſiæ, ſed contrariam, quia conſummauit matrimonium cum multis, & non fuit vnius perpetuò: igitur bigamus non eſt ad ſacros Ordines admittendus, & hæc eſt ratio communis, quare Canoniſtæ negant illos poſſe ordinare.

18. *Reijcitur ratio Canoniſtarũ primò.* Sed hæc ratio non videtur ſufficiens, quia ſi irregularitas conſequatur bigamiam ex natura talis actus, ſequeretur quòd tota Eccleſia non poſſet cum aliquo in aliquo caſu bigamiæ diſpenſare contra irregularitatem, & infamiam conſequentem illum actum. Conſequens non eſt certum, ſed dubium, & credo quòd falſum. Licèt alij dicant quòd Papa non poſſet in hoc caſu diſpenſare, qualitercunque poſſet de homicidio, etiam notorio, quod eſt maioris, vel æqualis infamiæ; quia ſecundùm Apoſtolum 1. Timoth. 3. *oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum*, & 2. *Corinth.* 11. *Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*: melius tamen credo oppoſitum, quòd ſcilicet poſſit diſpenſare cum bigamis: quod poteſt probari, quia hoc factum fuit tempore Martini Papæ, qui diſpenſauit vt Lector bigamus fieret Subdiaconus. & tempore Lucij, qui diſpenſauit cum Archiepiſcopo Panormitano, & bigamus fuit, ſicut apparet diſtinct. 34. *Lector*: & in gloſſa.

Secundò. Item ibidem, cap. *ſi Subdiaconus*, dicitur quòd bigamus neceſſitate exigente compulſus ad Subdiaconatum poſſit promoueri.

Tertio. Item ibidem, cap. *lector* ſi viduam alterius acceperit in Lectoratu permaneat, aut ſi neceſſitas hoc requirit, Subdiaconus fiat.

Reſponſio illorum ad hæc refellitur. Si reſpondetur ſicut ipſi, quòd Subdiaconatus tunc non fuit ſacer Ordo, & ideò non contingit bigamos poſſe ordinari.

Contra hoc eſt auctoritas de Archiepiſcopo prædicto, cum quo exiſtente bigamo diſpenſauit Dominus Papa.

19. Dicitur quòd ille Papa errauit, quia fecit contra præceptum Apoſtoli, vbi priùs. *Oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum.*

Et alia eorundem ſolutio. Dico, quòd non errauit, quia licèt Papa non poſſit diſpenſare contra ius naturæ, vel diuinum, quia ſua poteſtas eſt vtroque illo iure inferior, tamen cùm ſit ſucceſſor Petri Principis Apoſtolorum, habens eandem poteſtatem, quam & Petrus, & nullus inferior, vel par poſſit obligare ſuperiorem, aut parem, cùm non habeat imperium par in parem. *Extra de verbor. ſignificatione. Exijt qui ſeminat*, nec multò magis inferior in ſuperio-

Papa non poteſt diſpenſare in iure naturæ diuino.

ſem, poteſt Dominus Papa ex plenitudine poteſtatis ſuæ diſpenſare contra ſtatuta Apoſtolorum quorumcunque, dum tamen efficaciam inde tantùm habeant, quia ab eis ſtatuta ſunt, & non à iure naturæ, vel diuino; ſicut patet *diſt. 81. cap. Presbyter.* Cùm igitur bigamum non ordinari ſit tantùm præceptum Apoſtolicum, poteſt Dominus Papa cum eis diſpenſare, non tamen diſpenſat cum eis propter reuerentiam Apoſtolorum diſſuadentium diſpenſationem, niſi magna neceſſitas hoc requirat, & non eſt modò tanta neceſſitas in Eccleſia, propter quam diſpenſet cum eis, licèt poſſit diſpenſare.

Bigamum nõ ordinari eſt præceptũ tantùm Apoſtolicum.

20. *Tertia concl. Omnis irregularitas ſolùm eſt ex ſtatuto Eccleſiæ.*

Dico igitur, quòd nec bigamiam, nec homicidium conſequitur irregularitas ex natura, vel genere iſtorum actuum, nec ex iure naturæ, nec diuino, ſed verè conſequitur vtrumque hæc pœna, ſcilicet, irregularitas, & ex ſtatuto Eccleſiæ poſitiuo. Et accipio hîc *Eccleſiam* pro ſtatutis Apoſtolorum & epiſtolis, quæ ſunt ad inſtructionem Eccleſiæ. Nullus autem intra Eccleſiam eſt ita ineptus ex quocunque actu ſuo, quin quantùm eſt ex ſe, per pœnitentiam poſſet ſimpliciter, & licitè reſtaurari ad omnem gradum eminentiæ, & dignitatis in Eccleſia, niſi talis gradus eſſet ſibi ab Eccleſia prohibitus, quia abſolutè quilibet homo eſt capax iſtius Sacramenti, & eminentiæ eius, & characteris impreſſionis & ſuſceptionis eius. Rationabiliter autem prohibitus eſt talis gradus bigamis & homicidis, & ſtatuitur eis pœna perpetuæ irregularitatis ab Eccleſia, vt & homines magis caueant ab huiuſmodi. Sed in caſu iſto ſtatuit Eccleſia quòd pœna irregularitatis conſequens ex homicidio, deleretur per Baptiſmum ſequentem, nunquam tamen irregularitas conſequens bigamiam, & ita diſpentatur ab Eccleſia cum homicida de irregularitate, & non cum bigamo, & poſſet abſolutè Eccleſia è conuerſo feciſſe, ſi vellet, vel poſſet cum vtroque abſolutè diſpenſare. Sicut enim tantùm Eccleſia voluntariè vtramque inflixit, ita poſſet vtramque reuocare, vel alteram ſine altera, loquendo de abſoluta poteſtate eius.

21. *Congruentia huius pœnæ.*

Congruè tamen voluit vnam pœnam reuocare, vt irregularitatem conſequentem homicidium, & aliam non, quæ conſequitur bigamiam, quia tota cauſa, quare homicida eſt irregularis, & ineptus ad conſequendum actus ordinum, qui ordinantur ad conficiendum corpus Chriſti, agni, filij Dei, eſt, propter horrorem effuſionis ſanguinis humani. Vnde Dauid propter horrorem multi ſanguinis, quem effuderat, qui etiam iuſtè multos occiderat, & ex præcepto Dei, prohibitus eſt ædificare templum Dei. Sed iſte horror tollitur propter Baptiſmum, quia in ſuſceptione Baptiſmi ex lupo fit agnus, ex nocente fit innocens, & nunc non timetur ampliùs vt crudelis, quia ſupponitur mitis, innocens, ſicut alij. Et quòd hæc ſit cauſa, patet, quia poſt Baptiſmum homicidium perpetratum à caſu, & inuoluntarium, vel factum tantùm propter defenſionem ſui cum moderamine inculpatæ tutelæ non reddit aliquem indignum ad ſuſceptionem Sacramentorum, quia in talibus homicidis non eſt præſumptio de crudelitate. Bigamia autem non tollitur per Baptiſmum ſequentem, & hoc eſt ex ſtatuto Eccleſiæ motæ ex iſta ratione. Bigamia habet conditionem, & ſignificationem ſimpliciter oppoſitam, & contrariam ſignificationi coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ, vt priùs patuit. Ordo autem Sacerdotis debet eſſe ſignum verè repræſentans talem vnionem; igitur nullo modo debet recipi à bigamo, nec poteſt ſine perpetua irregularitate, & ſuſceptione actuum ordinis, & ideò talem ordinatum reuocat Eccleſia ab executione ordinum, non quia hoc ſit crimen aliquod, ſicut in homicidio, ſed quia hîc eſt contraria ſignificatio ſignificationi Ordinis vnitatis ſignificans Chriſtum & Eccleſiam.

Cur Eccleſia voluit irregularitatem ex homicidio tolli per Baptiſmum.

Congruentia & rat. quare Eccleſia ſtatuit irregularitatem ex bigamia non tolli per Baptiſmum.

Ad argumentum primum in oppoſitum de Hieronymo, dicitur communiter à Canoniſtis, quòd oportet eum negare, ſi dicat contra Auguſtinum; licèt enim Hieronymus comparetur boui, tanquam ſenior, & Auguſtinus vitulo, vt iunior, Auguſtinus vt vitulus iunior fortiùs & ſtabilius fixit pedem, in materiis præſertim Theologicis: & ideò in his ab Eccleſia Auguſtinus tenetur communiter. Vel poteſt dictum Hieronymi ſic exponi. Si duas habuit vxores, non imputabitur ſibi ad crimen, maximè tamen ad pœnam irregularitatis, & dignitatis in Eccleſia conſequendæ propter contrariam ſignificationem, quam habet ad ſignificationem talis dignitatis, etiamſi regeneratus fuerat per Baptiſmum, vel non imputabitur ſibi inquantùm ad talem pœnam, ſi fuerit tanta neceſſitas in Eccleſia, quòd oporteat eum neceſſariò ordinari, vt Deus colatur actibus talis Sacramenti, qualis non eſt iſtis temporibus.

22. *Ad primum principale.*

Exponitur Hieronym.

Ad ſecundum, patet ex dictis quòd conſcius homicidij non eiicitur ab Eccleſia poſt Baptiſmum, etiam quantùm ad poſſibilitatem ſuſcipiendi ſacros Ordines; igitur nec conſcius bigamiæ deiicitur; verum eſt quòd vt hæreticus, vel malus Chriſtianus non ſeparatus ab Eccleſia, deiicitur tamen quantùm ad poteſtatem ſuſcipiendi Ordines ſacros propter rationem illam dictam. Nec eſt ſimile de illo, & homicida.

Ad ſecũdum.

QVÆSTIO III.

Vtrùm in lege Moſaïca fuerit licitum repudiare vxorem?

Alenſ. 3. *part. quæſt. 46. mem. 1 ro 2. art. 1.* D. Thom. *in addit. & hic quæſt. 2. art. 1.* D. Bonauent. *art. 3. quæſt. 1. & 2.* Durand *quæſt. 2.* Palud. *quæſt. 1.* Maior. *quæſt. 2.* Gabriel. *quæſt. 1.* Bellarm. 1. *de matrim. cap. 17* Enriq. *lib. 11. cap. 8. num. 15.*

1. *Argumẽtum primum affimatiuum.*

VÒD ſic, Deuteron. 24. *Si acceperit vxorem, & non inuenerit gratiam coram oculis eius, propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua.*

Secundum.

Item, Malachiæ 2. *Vxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere, cùm autem odio habueris eam, dimitte.* Ergo.

Tertium.

Præterea extrà de regulis iuris: *vnumquodque ex eiſdem cauſis diſſoluitur, ex quibus naſcitur*: ſed matrimonium ex mutuo conſenſu maris & fœminæ naſcitur; igitur ex mutuo conſenſu vtriuſque poteſt diſſolui.

Argum. negatiuum primum.

Oppoſitum contra legem, & ordinem naturæ eſt, vt quod à ſuperiori ſtatuitur, ab inferiori infringitur; ſed perſonæ matrimonialiter ſibi coniunctæ ſunt à Chriſto indiſſolubiliter vnitæ, quia vinculum, quod pepigerunt, eſt formaliter indiſſolubile ex præcepto diuino, vt ſupponit Euangelium Matth 19. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

Item,

Secundum. Item, nunquam licuit mulieri dimittere virum, vel repudiare eum; igitur nec è conuerso: consequens est manifestum; consequentia est euidens, quia essentialis est obligatio viri ad mulierem, quantùm ad vsum corporis reddendum, sicut è conuerso mulieris ad vsum viri.

SCHOLIVM.

Prima sententia tenet repudium fuisse illicitum. Ita Hier. l. 1. in Matth. cap. 5. & l. 3. cap. 19. gloss. ord. in Matth. 5. super illud: det eis libellum. *Magister hic. D. Bonau. & Alens. cit. Doctor non damnans hanc præfert oppositam. Ita etiam D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 5. Durand. Palud. Bell. & Enriq. Maior. & Gab. Ratio, quia Deus dispensauit in hoc ad vitandum maius malum; scilicet Vxoricidium, sicut dispensauit in polygamia ob maius bonum. Si tamen teneas primam viam, per Doctorem licet: neque quicquam hîc certi.*

2. *Opinio Richardi.* HIc dicitur quòd nunquam licuit dimittere, vel repudiare aliter vxorem, nisi propter fornicationem, vt dicit Saluator, *Matth.* 19. quia in omni alio casu est peccatum mortale ipsam repudiare. Licèt enim Moyses hoc permisit, quantùm ad thorum, & cohabitationem ad duritiam cordis Iudæorum propter maius malum fugiendum, scilicet vxoricidium, non intellexit illam posse simpliciter, & absolutè dimitti, quantùm ad vinculum. Patet ex eo quod sequitur, vbi priùs, *Quòd si aliam duxerit vxorem*, scilicet, repudiata adhuc viuente, *mœchatur.*

Probatur primò. Item, Apostolus 2. Corinth. 7. dicit, *Præcipio non egò, sed Dominus; vxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manebit innupta,* & parum pòst, *vir vxorem non dimittat.*

Secundò. Item, præter hæc sunt illa verba Christi in Euangelio. Primum, Matth. 19. *Ab initio fuit sic,* sed ab initio matrimonium fuit vinculum essentialiter indissolubile, quia ab initio dictum est, *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

3. *Tertiò.* Item, hoc videtur probare responsio Christi habita Iudæis contra argumentum eorum, quo probabant licitum esse dimittere suas vxores, dicens: *ad duritiam cordis vestri permisit hoc Moyses,* vbi dicit glossa, quòd *consilium fuit hominis, non Dei imperium,* & huius causam reddit Magister in litera huius dist. cap. 3. Permittebatur enim à Moyse dissidium, vt tolleretur homicidium: permisit fieri minora mala, vt tolleret maiora.

Quartò. Augustinus. Item, hoc idem vult Aug. l. 1. serm. Domini in monte. Nõ igitur mãdauit Moyses dimitti vxorẽ, licèt dimitti tantùm permisit, ne accideret maius malum, & ita non permisit hoc simpliciter, sed dedit modum permittendi valde conuenientem, dicens, *qui vxorem dimiserit, scribat, & det ei libellum repudij,* & non statim & subitò dimittat eam, vt sic protrahendo moram per scripturam mitigetur, & temperetur ira viri, propter quam dimitteret eam. Multi enim, qui statim punirent in passione iræ, vel illicitè delectarentur passione concupiscibilis, pertransacto tempore passionis immoderatæ prosequuntur, quod tenet secundùm rectam rationem. Vnde dixit Plato cuidam, qui eum offenderat, *punirem te, nisi essem iratus,* & ita mallet vti ratione, quàm prosequi passionem.

Quintò. Item, si esset licitum repudiare vxorem, ipsa postea nubens alteri, non esset immunda, & abominabilis coram Deo; sed à Moyse dictum est, Deuteron. 24. *Repudiata si alium virum duxerit, immunda, vel repudiata erit coram Domino.*

Sextò. Item, Matth. 5. *Si duxerit,* inquit Dominus, *aliam repudiata viuente, facit eam mœchari, & ipse mœchabitur.*

4. *Secunda opinio eiusdem. Arguitur licuisse repudium primò.* Alius modus dicendi est huic contrarius, qui dicit quòd fuit licitum repudiare, & dimittere vxorem; cuius probatio est secundùm eos, quia lex Mosaïca fuit immediatè instituta à Deo, nam Moyses non fuit nisi præco Dei, & legis eius pronunciator; igitur quos Moyses prònunciauit, qui fuit minister legis, separandos, Deus separauit, & quos permittebat dato libello repudiare vxorem, Deus permittebat. Igitur verè fuit licitum.

Secundò. Præterea, sicut se habet præceptum ad necessarium, & consilium, ac monitio ad vtile, sic se habet permissio ad licitum: sed si in aliqua parte scripturæ esset aliquod præceptum, quod non esset de necessario faciendum, vel consilium de non vtili, non posset argui ex aliqua parte, quòd aliquod præceptum est faciendum, & vtile consulendum, quia diceret aduersarius quòd idem est iudicium de vno præcepto, vel non consilio, ac de omnibus: quia sicut dicit Augustinus epist. 1. ad Hieronymum. *Si in scriptura tota inuentum esset vnum mendacium, quantumcunque leue, licitum, & permissum, non esset aliqua scripturæ auctoritas, quæ posset in testimonium veritatis adduci,* quia diceret aduersarius, quòd qua ratione non posset credi vni parti Scripturæ, propter falsum, quod dicit, eadem ratione nec alteri parti cuicunque; igitur si permissio legis diuinæ sit de vno illicito, non potest probari quòd prohibito sit de illicito, & ita nihil erit certum, nec solidum in Scriptura. Vnde si in aliqua Religione fuerit licitum mentiri iocosè, & hoc permittatur sibi, præsumendum est totum factum eorum suspectum esse & illicitum.

Augustin. Si esset mendacium officiosum in scriptura nihil esse verum.

Confirmatur. Confirmatur, quia nulla lex iusta, vel recta, debet concedere, vel approbare quod aliàs esset illicitum, & peccatum mortale, quia tunc esset occasio directè peccandi mortaliter: sed constat quòd dimittere vxorem est illicitum, & peccatum, quia Deus hoc prohibet vt illicitum, nisi in causa fornicationis, Matt. 19. Igitur si lex ex hoc permittat, erit per se occasio peccandi mortaliter, quod est falsum, quia lex data erat eis vt per se seruanda.

5. *Doctoris sententia.* Respondeo igitur ad quæstionem, & dico quòd sicut ab initio, & prima institutione eius, matrimonium regulariter non erat nisi contractus mutuus vnius ad vnam, & è conuerso; ita ex prima institutione eius erat regulariter vinculum indissolubile, & obligatio perpetua illorum ad inuicem, quantùm ad potestatem corporum, & hoc conueniebat eis ex suo fine, vt scilicet proles procrearetur ab eis, & religiosè educaretur ad cultum Dei, vt dictum est priùs; igitur sicut vnus non potest esse plurium, nisi specialiter à legislatore dispensetur cum eo, & hoc propter maius bonum, quàm sit illud, propter quod matrimonium est tantùm vnius, scilicet mutuam castitatem coniugum seruandam, sic non potest contractus matrimonij non esse perpetuus inter coniuges, vel obligatio indissolubilis, nisi dispensetur cum aliquo ab eodem legislatore, vt esset indissolubilis, & non perpetuus, propter certam causam, sicut enim Deus instituit legem de matrimonio, vt esset vincu-

Deus potuit temperare vel reuocare sicut & concedere legem matrimonij.

lum indissolubile quantùm ad illos, sicut glossa super illud Matth. *Quos Deus coniunxit*, &c. non tamen quoad se, quia ipse potest ita legem temperare, vel reuocare, & modificare, sicut instituere, quia eo ipso, quo aliquid vult benè, vt iustè vult, cùm voluntas sua sit prima regula iustitiæ, à qua est omnis alia iustitia: igitur sicut voluit in matrimonio tantùm vnum esse vnius, & è conuerso, nisi vbi sequeretur maius bonum, & magis per se finis matrimonij, ita voluit matrimonium esse obligationem perpetuam, & indissolubilem inter coniuges, nisi vbi sequeretur maius malum, quàm malum repudiationis, vel dissolutionis coniugum, sicut vxoricidium. Nec tamen hoc fuit contra ius naturale strictè accipiendo ius naturæ, quia posset mulier, vel vir, dare corpus suum ad certum tempus, vt annum, vel mensem, & ad vnum actum, vel duos tantùm, si esset voluntas domini superioris, & instituentis hanc legem, quia nihil est illicitum, nisi quatenus ab eo prohibitum fuit; non fuit hoc prohibitum tempore Iudæorum inclinatorum ad vxoricidium desiderio nouarum nuptiarum, propter quod proprias vxores odibiles habuerunt; sed propter eorum duritiam fuit eis permissum, ne accideret maius malum: sicut enim præceptum se habet ad necessarium faciendum, sic se habet concessum ad licitum. Permisit igitur Deus vt licitum, dare libellum repudij, ne fieret maius malum; nec hoc est, vt dictum fuit, contra legem matrimonij, nisi secundùm *quid*, quia matrimonium habet duas conditiones; prima est quòd sit contractus mutuus vnius ad vnam, oriens ex mutua voluntate coniugum mutuò se donantium quantùm ad corpus propter bonum prolis vt finem. Secunda est, quòd est mutua donatio, & translatio potestatis corporum pro suo perpetuo, & obligatio perpetua, & indissolubilis quantùm ad talem corporum potestatem, & secundum hoc sequitur quòd nullum matrimonium Iudæorum fuit perfectum, quia contrahebatur ab eis tantùm sub conditione, vt si vxor placeret; & non foret odibilis: vnde potuerunt contrahere de nouo post Baptismum, quantùm ad obligationis illius indissolubilitatem, & perpetuitatem, quia hæc conditio magis est de per se, & essentiali ratione matrimonij, vt est Sacramentum perfectum, quàm prima.

Repudium fuit concessum ad vitandum vxoricidium.

Repudium secundùm quid tantùm est contra legem matrimonij.

Conueniunt autem ei ambæ istæ conditiones, vt est Sacramentum perfectum, propter duplicem significationem eius ad Christum. Ex hoc enim quòd est vnus vnius, significat vnionē vnius Christi ad Ecclesiam. Et ex hoc quòd est obligatio indissolubilis, & perpetua, significat coniunctionem Christi & Ecclesiæ indissolubilem. Vnde in toto tempore ante Euangelium non erat perfectum matrimonium, quantùm ad istas significationes. Nam in Abraham non erat prima conditio eius, quia habuit plures vxores. In aliis, scilicet tempore Moysi, qui & habuerunt plures vxores, & illas quandoque repudiabant, non erat vlla ex his conditionibus; quia nec tunc vnus erat vnius, nec indissolubiliter plurium, & ideò in eis matrimonium maximè à sua prima conditione distabat ex dispensatione, non quòd dispensatio fuerit illicita, sed reuocatio prioris iuris. Secundùm hoc respondendum est ad argumenta vtriusque opinionis.

In lege Mosaïca non fuit matrimonium perfectum quantùm ad ambas significationes.

7. Ad primum pro parte negatiua, cùm dicitur quòd est contra legem naturæ, dico quòd non est contra legem naturæ absolutè, quòd contractus matrimonialis sit tantùm ad certum tempus, & ad determinatos actus, vocando *legem*, vel *ius naturæ* prima principia practica, vel conclusionem necessariò consequentem ex tali principio, & maximè si hoc fiat ex voluntate domini superioris, & legislatoris reuocantis legem, quantùm ad perpetuitatem obligationis ad maius malum fugiendum. Est tamen contra legem naturæ, & institutionem diuinam de matrimonio, vocando *legem naturæ* aliquid, quod est consonum naturæ, & primæ institutioni diuinæ, quia multùm erat consonum legi naturæ, vt vnus esset vnius, & perpetuus, propter bonum prolis, & perfectā vnionē Christi & Ecclesiæ designandum, & contra talem potest dispensari à Deo, reuocando priorē legem, & permittendo aliam de matrimonio, quia aliter potuit Deus ordinare de prolis creatione & eius educatione ad cultum Dei, quàm quòd vnus esset vnius indissolubiliter, licèt non ita conuenienter, sicut modò, vt aliàs est probatum.

Ad argumenta in oppositum principio quæstionis.

Quomodo repudium sit contra legem naturæ.

Ad aliud, cùm dicitur in eodem argumento, quòd indissolubilitas est de ratione matrimonij, verum est, vt est perfectum matrimonium, sicut est modò tempore Euangelij, & ideò non erat tunc inconueniens, quia tunc non erat ita perfectum matrimonium sicut modò, quia non potuit Deus dispensare cum eis, quòd repudiarent vxores suas, & tamen quòd esset inter eos perfectum matrimonium, quia in hoc, quòd dispensauit cum eis de libello repudij, reuocauit primam institutionem de matrimonio, quod essentialiter fuit vinculum pepetuum, & indissolubile in se.

Dissolubilitas est de essentia matrimonij Sacramenti.

Ad secundum, dico quòd licèt sit æqualis potestas in coniugibus quantùm ad vsum corporum, sicut dicit Augustinus contra Faustum, non tamen sequitur quòd æqualiter posset vxor dimittere virum ex dispensatione, sicut è conuerso.

8. *Ad secundū.* Aug. l. 22. cap. 31.

Dispensatur enim cum viris, quòd possent dimittere vxores propter maius malum vitandum in eis, ne vxoricidium fuisset propter odium eorum subsecutum. Sed ista causa non habet locum ex parte vxorum, quia etsi odirent viros suos, non propter hoc adeò facilè fuissent ausæ occidere eos, sicut è conuerso, quia nimis facilè irascuntur, & ad concupiendum sunt proni nimis sensus earum, & ideò sunt deceptibiles, & maximæ voluptatis, secundum Auicennam 10. *Metaph. cap. vltimo.* Similiter non esset dispensandum cum muliere quòd plures posset habere viros, sicut è conuerso, quia non proueniret ex hoc maius bonum, quàm si haberet tantùm vnum, imò minus bonum, quia bonum prolis conuenienter impediretur, non sic ex alia parte, si vir vnus haberet plures vxores, quia de qualibet posset generare, & ita multiplicare bonum prolis plus in pluribus, quàm in vna.

Quare vxori non fuit licitum ex dispensatione dimittere virum sicut è contra.

Ad illa quæ adducuntur ex Matthæo, dico quòd Christus hoc dixit vt nouæ legis, scilicet Euangelicæ, primus promulgator, & non quia ad hoc tenerentur omnes tempore legis scriptæ promulgatæ per Moysem, quia cum illis propter duritiam, & propter maius malum fugiendum dispensauit Deus, reuocando primam institutionem matrimonij tempore legis naturæ, quantùm ad certum tempus, & determinatum. Tenebantur autem ad huiusmodi omnes post promulgationem

9. *Ad primum arg. prima opinionis.*

Ad indiſſolubilitatẽ matrimonij tenentur omnes indiſpenſabiliter modò.

gationem Euangelij prædicati ei, ſicut dicit Apoſtolus 2. *Corinth.* 7. de non dimittendo vxorem aliquo modo, niſi cauſa fornicationis, quia poſt Euangelium, reuocatum erat dare libellum repudij in matrimonio. Inſtitutum enim erat hoc Sacramentum primò eſſentialiter ſicut vinculum indiſſolubile, & ideò Chriſtus illud ad perfectionem, & rectitudinem, quam primitus habuit, ex inſtitutione diuina reduxit. Et ideò dixit quòd poſt Euangelium diuulgatum, damnabile erat habere vxores plures, quia prohibitum, & reuocatum, ita erat damnabile tunc repudiare vxorem iam matrimonialiter ſibi coniunctam, quia per matrimonium eſt contractus mutuus coniugum, & obligatio vnius ad vnam inſeparabilis pro eorum perpetuo.

Ad ſecundum.

Ad aliud, cùm dicitur quòd non *erat ſicut ab initio*, verum eſt quòd matrimonium ex prima inſtitutione ſua non erat vinculum ſolubile, ſed indiſſolubile; inſtituens tamen quòd eſſet vinculum indiſſolubile, potuit pro aliquo tempore medio ordinare quòd eſſet vinculum diſſolubile, ſicut ſibi videbatur diuerſis temporibus congruum ex diuerſis cauſis, illi populo, propter crudelitatem eius, pro tunc non fuiſſet bonum, ſi fuiſſet indiſſolubile, & ideò cum eis diſpenſauit. Et ex hoc ſequitur quòd non erat ita perfectum matrimonium illo medio tempore, ſicut tempore legis naturæ, & poſt Euangelium diuulgatum, quando Chriſtus reduxit illud ad primitiuam perfectionem, quam habuit ex prima inſtitutione eius, & ita oſtendit illud eſſe magis perfectum, quàm fuit tempore legis ſcriptæ.

10. *Ad tertium.*

Ad duritiam, inquit Chriſtus, *cordis veſtri permiſit vobis Moyſes*, &c. quia ſicut dicit gloſſa, maluit Moyſes indulgere diuortium, quàm ex deſiderio nuptiarum fieri vxoricidium, vel perdicere odium. Deinde dicendum quòd Moyſes ſeparauit vt præco, Deus ſeparauit vt iudex principalis, & quos ipſe permiſit celebrare diuortium, Deus permiſit, & ita homo non ſeparauit, quos Deus coniunxit.

Ad quartum.

Ad aliud de Auguſtino, dico quòd verum eſt quòd non datur præceptum de dimittendo vxorem, ſed tantùm licentia: præceptum enim ſemper eſt de neceſſario licito, ſicut prohibitio de illicito. Licentia autem eſt de licito propter diſpenſationem ſpecialem, ita quòd ſi aliter fieret, quàm per licentiam, eſſet illicitum, & ideò ſi Deus licentiauit aliquem dimittere vxorem ſuã, non propter hoc præcepit hoc ſibi, quia præceptum eſt de bono; licentia verò de hoc quòd aliàs ſine licentia eſſet malum.

Et ſi dicas quòd præceptum erat de dimittendo vxorem ſecundùm illud Deuter. 24. *Si dimiſerit vir vxorem ſuam*, &c. Contra hoc, eſt manifeſtè Euangelium, quia ibi patet quòd tantùm erat permiſſio, & licentia, ne accideret maius malum.

11. *Ad quintum. Mulier ſic repudiata dicitur immunda.*

Ad quintum, cùm dicitur quòd dimittendo vxorem peccat, quia facit eam abominabilem ſecundùm legem, & immundam, quia probabile eſt quòd repudiata ſit abominabilis, & immunda. Dico quòd verum eſt, ſi mulier repudiata primò ab vno, & poſtea nubens alteri repudiatur à ſecundo, tunc dicitur abominabilis, & immunda, non quia nupſit ſecundo, poſtquam repudiata eſt à primo; ſed quia bis repudiata, nam tunc eſt vehemens præſumptio quòd ſit mala, & immunda.

Ad ſextum.

Ad aliud de Euangelio, *Vir ſi dimiſerit vxorem, & aliam duxerit, iam mœchatus eſt.* Dico quòd hoc verum eſt pro tempore legis nouæ, & Euangelij prædicati, non autem pro tempore legis Moſaicæ.

12. *Ad primum principale.*

Qui vult tenere opinionem primam, quæ communior eſt, poteſt dicere ad primum argumentum principale, quòd libellus repudij non cadebat ſub præcepto, ſed tantùm ſub licentia, & permiſſione. Vnde Moyſes hoc permittendo non Dei legem reuocauit, ſed in peccatore minuit culpam; niſi enim Deus cum populo illo peccatore miſericorditer de hoc diſpenſaſſet, grauiùs ille populus peccaſſet.

Ad ſecundum.

Per idem ad ſecundum dico, quòd Propheta loquitur ibi permiſſiuè, non imperatiuè, quaſi dicat, permittitur tibi poſſe eam dimittere abſque temporali punitione exercenda per iudicem temporalem.

Ad tertium.

Ad aliud, cùm dicitur: *vnumquodque ex eiſdem cauſis ſoluitur, ex quibus oritur.* Dico quòd verum eſt, ſi cauſæ ſint præcisè: ſed conſenſus mutuus coniugum non eſt cauſa præciſa contractus matrimonij, ſed cum hoc requiritur conſenſus domini principalis, vel ſaltem non diſſenſus, qui poteſt ſciri ex diuerſis locis Scripturæ. Dominus autem ſuperior, ſicut habetur ex Scriptura, ordinauit illum conſenſum deberé eſſe vnius ad vnam tantùm, & è conuerſo, & quòd indiſſolubili vinculo pro ſuo perpetuo, quantum ad poteſtatem corporum inuicem ſe donarent. Argumentum autem probat quòd omni tempore poſſent diſſolui coniuges, ſed ad perfectionem rationis coniugij non tantùm requiritur mutuus conſenſus coniugum.

DISTINCT. XXXIV.

De impedimentis matrimonij.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm impotentia ad actum carnalem ſimpliciter impediat matrimonium?

D. Thom. *in addit. q.* 68. *a.* 1. *&* 2. *& hic q.* 1. *a.* 1. D. Bonau. *art.* 1. *q.* 1. *&* 2. Rich. *art.* 1. *q.* 1. *& a.* 3. *q.* 1. Durand. *q.* 1. Sanch. *lib.* 7. *de matr. d.* 92. *&* 93.

1. *Argument. primum negatiuum.*

IRCA, diſtinctionem 34. de illis, quæ impediunt matrimonium, quæro primò, *Vtrùm impotentia ad actum carnalem ſimpliciter impediat matrimonium?* Quòd non; quia aliquis poteſt contrahere matrimonium cum propoſito ad ſtatim poſt contractum intrandi Religionem; ſed hîc contrahens actualiter vult, & proponit nunquam reddere debitum, etiamſi petatur, quia antequam veniat tempus determinatum, non tenetur reddere debitum, & tamen talis verè contrahit matrimonium; impotentia verò non impedit matrimonium, niſi quia non poteſt reddi debitum, nec exerceri talis actus: igitur.

Secundum.

Probatur ſecundò, ſi impotentia ad carnalem copulam ſimpliciter impediret matrimonium, igitur ſenex, qui non poſſet in talem actum, non poſſet contrahere matrimonium, quod eſt falſum; ſicut patet *Extra de frigidis, & maleficiatis, cap. quod ſedem*, in gloſſa.

Tertium.

Item, cùm maleficiatus ſit impotens ad talem actum, maleficiatus non eſſet verè coniux alicuius,

ius, quod eſt falſum, quia maleficium manifeſtè non impedit, niſi fuerit perpetuum: igitur.

Ratio ad oppoſitum. Contrà *Extra de frigidis & maleficiatis, cap. citato quod ſedem, dicitur ſicut puer, qui non poteſt reddere debitum, non eſt aptus coniugio, ſic qui impotentes ſunt, minimè apti ad contrahendum matrimonia reputantur.*

DISTINCTIO XXXV.

De impedimento adulterij.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm adulterium commiſſum cum aliqua coniugata, machinando in mortem viri ſui, impediat matrimonium cum eadem poſt mortem viri ſui?

D. Thom. *hic q. vnic.* Rich. *a. 3. q. 3.* & 4. Gab. *q. vnic.* Maior. *q. 2.* Palud. *d. 34. q. 1.* Sot. *d. 37. q. vnic. art. 4.* Sanch. *lib. 7. de matr. diſp. 79.*

2. *Primum arg. negatiuum.* VIDETVR quòd non, patet 2. Reg. 11. de Dauid, qui machinatus eſt in mortem Vriæ propter vxorem eius Bethſabeæ, cum qua adulteratus eſt, & quam etiam poſt mortem eius accepit in vxorem, igitur adulterium, quod præceſſit, non impediuit matrimonium poſtea contractum.

Secundum. Item, Auguſtinus libro de nuptiis & concupiſcentia, & habetur diſt. 31. q. 1. *Relatum eſt*, dicit quòd *mortuo eo, cum quo fuerat verum connubium, cum ea, cum qua præceſſit adulterium, poteſt fieri coniugium.* Et poſt. *Poſſe fieri licitas nuptias ex perſonis illicitè coniunctis honeſto placito*, id eſt, *conſenſu coniugali ſubſequente, manifeſtum eſt.*

Ratio ad oppoſitum. Leo. Contrà, diſt. 31. q. 1. cap. 1. *Nullus ducat*, dicit Leo Papa. *Nullus ducat in matrimonium quam priùs polluit per adulterium viuente marito.*

Item, ibidem, cap. *Relatum*, dicit Dominus Papa in Concilio Tiburicen. *Relatum eſt auribus ſanctorum Sacerdotum, quendam alterius vxorem ſtupro violaſſe, & inſuper iuramentum mœchæ, & adulteræ dediſſe, quòd poſt legitimi viri mortem, ſi ſuperuiueret, duceret eam vxorem, quod factum eſt; tale igitur connubium prohibemus, & anathematizamus*: igitur.

SCHOLIVM I.

Impotentia perpetua, ſiue ſit naturalis, ſiue ex maleficio, dirimit matrimonium contrahendum, ſed non contractum. Si maleficiatus ducat aliam, & cognoſcat, non eſt reſtituendus primæ. ſecus de frigido. Si non conſtat manifeſtè de impotentia, datur triennium ad experientiam potentiæ. Extr. de frigido, cap. laudabilem. *Doctor hìc in Oxon. n. 4. docet meritorium eſſe tollere ſigna maleficij, vt amplius Damon non vexet. Quod tenent Sot. cit. Manuel ſum. c. 223. Nau. cap. 2. n. 29. Delrius lib. 6. Diſq. Mag. cap. 2. ſect. 1. q. 3. Henr. quodl. 5 q. 33. Caſt. 1. de iuſta hær. pun. cap. 35. & tamen non deſunt petulantes calami, qui hanc ſententiam duriùs cenſurant.*

3. *Impotentia perpetua dirimit matrimonium.* AD primam quæſtionem de impotentia, diſtinguo, quia quædam eſt impotentia ſimpliciter, ſcilicet perpetua, cui non poteſt per artem, vel naturam, remedium aliquatenus adhiberi: & talis impotentia ſi præcedat matrimonium, impedit contrahendum, & ſi ſequitur ante conſummationem, dirimit contractum, & hoc impedimentum impotentiæ eſt contra naturam, & eſſentiam huiuſmodi contractus matrimonialis ex natura talis contractus, & non ex ſtatuto Eccleſiæ. Nam contractus matrimonialis eſt eſſentialiter commutatio, vel permutatio poteſtatis corporum contrahentium quàntùm ad actum carnalem mutuò in ſe ipſis perſoluendum propter bonum prolis, vt finem principalem, & fornicationem vitandam in ſe ipſis, vt propter finem minùs principalem, qui fines ſine tali actu omnino haberi non poſſunt: ſed impoſſibile eſt quòd impotens ad talem actum poſſet permutare, & dare poteſtatem corporis ſui ad talem actum, quia quod nihil eſt reſpectu talis actus, non poteſt permutari pro eo, quod aliquid eſt reſpectu talis actus, quia nihili ad aliquid nulla eſt conuenientia: igitur.

Probatur primò.

Item, obligatio ad illud, quod eſt impoſſibile, eſt nulla; ſed contrahens matrimonium cum aliquo obligat ſe ad præſtandum alteri poteſtatem, & vſum corporis, ſi petatur poſt tempus determinatum, niſi voluerit intrare Religionem; ſed impoſſibile eſt impotentem vti iſta poteſtate, vel reddere vſum, ſi petatur; igitur impoſſibile eſt quòd obligatio eius ad talem poteſtatem ſit vlla.

Secundò.

Item, permutans corpus ſuum vult æquialens ei reddi, & permutari in ordine ad illum finem, ad quem commutat corpus ſuum in iſto contractu; ſed impotens non habet æquialens, quod poſſit ſic permutare; igitur non poteſt permutare; igitur alter permutans corpus ſuum pro corpore tali in poteſtate ad talem actum, errat tali errore, qui facit talem contractum eſſe nullum, quia contractus iſte eſſentialiter eſt ex conſenſu mutuo poteſtatis corporum ad talem actum: igitur. Hoc in generali de impotentia.

Tertiò.

Si autem impotentia ſequatur matrimonium conſummatum, non dirimitur propter hoc. Sed quid ſi interueniat tale impedimentum impotentiæ inter matrimonium ratum & conſummatum? Dicunt Iuriſtæ quòd ſoluit matrimonium. Pro hoc allegant illud, *diſt. 31. quæſt. 1. cap. 1.*

An impotentia accidens matrimonio rato & non conſummato ipſum dirimat.

Sed aliter videtur dicendum, quòd ſi non eſt matrimonium antequam ſit conſummatum, quod non credo: tunc ſoluitur quantùm ad vinculum, propter tale impedimentum tali tempore medio interueniens. Si verò verum ſit matrimonium inter aliquos ex natura talis contractus, etiam non conſequente carnali copula, quod magis credo, tunc ſiue accidat talis impotentia ante actum conſummationis, ſiue in ipſo actu, quod rarò accidit, non dirimit matrimonium, ſaltem quantùm ad vinculum. *Extra de frigidis & maleficiatis, cap. ex literis.*

Reſponſio Iuriſtarum reijcitur.

Sed in ſpeciali magis diſtinguo de impotentia, quantùm ad actum matrimonij perſoluendum, quia quædam eſt impotentia naturalis; quædam caſualis. Impotentia naturalis dicitur generaliter frigiditas, quæ vniuerſaliter continet ſub ſe cãrentiam partium, vel defectum membrorum conuenientium actiuè, vel paſſiuè ſeruientium virtuti generatiuæ in viro, vel in muliere; & omnis talis impotentia dirimit matrimonium, ſicut frigiditas, quia quælibet talis per ſe continetur ſub illa. Impotentia caſualis eſt maleficium, per quod redditur homo impotens ad reddendum debitum coniugale, cùm petitur, integrè, & potens in natura

Impotentia duplex naturalis & caſualis.

Impotentia naturalis qua.

natura,ſicut contingit in aliquibus, qui per ſortilegium, vel incantationes non poſſunt in vſum membrorum ; & hoc impedimentum impedit contrahendum,& contractum ſi præcedat.33.q.1. *& extr.de frigidis & maleficiatis, cap.ex literis*, & *ſi ſortiari.*

6. *Quomodo diabolus aſſiſtit maleficis.* Sed dices, quomodo iſtis aſſiſtit diabolus ſortilegiis, & maleficiis ad prohibendum iſtos actus naturales fieri, cùm non poſſit arctari per herbas aliquas,vel lapides,ſiue per verba aliqua, quibus ipſi malefici vtuntur, quia eſt dignior in natura omnibus ſic inuocantibus eum? Dico quòd cùm diabolus ſit ſuperbus ſummè,quia *ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*, multum gaudet & immoderatè de cultu diuino ſibi à talibus maleficis per talia carmina, vel indebitum vſum herbarum,& lapidum exhibito;& eis aſſiſtit ad perficiendum quod poſtulatur ab eo, vt cultus, & honor Deo debitus ſibi contratiè exhibeatur. Nec arctatur illis rebus,quibus vtuntur malefici, magis quàm aliis, licèt Deus dederit maiorem virtutem vni, quàm aliis naturaliter, dummodò benè quis eis vteretur; ſed tantùm propter hoc ſeruant pacta, vt in pluribus, quia niſi ſeruarent pacta talibus efficaciter aſſiſtendo,non exhiberetur eis cultus, & honor diuinus, quem maximè appetunt. Cùm igitur diabolus ſit ſuper totam naturam corporalem, ſi permittatur ſibi, & non impediatur à Deo, vel bonis Angelis, poteſt in totam naturam corporalem, & per conſequens impedire vſum membrorum debitum, quantùm ad aliquem actum, & in comparatione ad illam perſonam, & hoc vel per motum localem, vel per ſenſuum illuſionem,vel aliquid huiuſmodi,& hoc frequenter fit per maleficium mulierum inuocantium diabolum, & procurantium talia impedimenta inter aliquos, quantùm ad aliquos actus ſub certo pacto, & ideò vocatur *maleficium*, quia ad malitioſam procurationem alicuius mali Diabolus frequenter impedit tales actus.

Vtraque impotentia antecedens dirimit. Ad propoſitum igitur applicando, dico quòd vtraque impotentia in parte eſt ſimilis,& in parte diſſimilis. Quantùm ad hoc autem ſunt ſimiles impotentiæ, vel impedimenta, quia vtrumque impedimentum ſi præcedat matrimonium,impedit ipſum contrahendum, & ſi maleficium non poteſt auferri per orationes, vel aliqua huiuſmodi reſpectu illius perſonæ, reſpectu cuius actus impeditur, dirimit contractum ſimpliciter. Sed quantùm ad aliud ſunt impedimenta diſſimilia, nam naturalis impotentia eſt vniuerſale impedimentum in ſe reſpectu cuiuſcunque ad matrimonium contrahendum; quia matrimonium eſt eſſentialiter mutua datio poteſtatis corporum ad vſum,& actum carnalis copulæ,ſi petatur,talis non poteſt reddere alteri vſum corporis, ſi petatur: ſed impotentia caſualis non eſt ſimile impedimentum reſpectu cuiuſcunque ad matrimonium contrahendum,ſed reſpectu vnius perſonæ, reſpectu cuius eſt maleficiatus,quia auxilium diaboli non inuocatur ad impediendum actum in eo, reſpectu cuiuſlibet, ſed tantùm reſpectu illius, propter inuidiam ad illam, & bonum alterius,ad quam poſt iſtam inclinatur, vt alia dimiſſa iſtam aſſumat ſibi in vxorem. De iſto habetur *Extra de frigidis & maleficiatis,cap.*1.

Impotentia naturalis eſt vniuerſalis, caſualis verò reſpectu vnius.

8. *Corollarium.* Et ex hoc ſequitur quoddam corollarium,quia frigidus, vel naturaliter impotens ſimpliciter eſt inhabilis ad contrahendum cum quacunque; maleficiatus autem tantùm ſecundùm *quid*, quia tantùm reſpectu perſonæ vnius, reſpectu cuius maleficiatur, & per conſequens ſequitur, quòd ſi frigidus, poſtquam ſeparatus eſt ab vxore, quam primò duxit, coniungatur alij, & illam de facto cognoſcat, quòd reſtituendus eſt primæ, quia vinculum manet indiſſolubile inter ipſum & primam, ſi prima velit cum ipſo commorari. Sed maleficiatus reſpectu vnius,ſi poſtea ducat aliam, reſpectu cuius non eſt maleficiatus;non eſt reſtituendus primæ, reſpectu cuiús fuerat maleficiatus,quia ſi reſtitueretur ei, adhuc poſſet eſſe maleficiatus reſpectu eius ſicut priùs.

Frigidus cum ſecunda extrahens eſt priori reſtituendus ſi ſit potens, ſecus maleficius.

Sed quomodo innoteſcent iſtæ impotentiæ frigiditas & maleficium, quando verè inſunt, & quando non verè? Dico quòd innoteſcunt iudicio Medicorum, qui,habentes defectum aliquem partium organicarum, vel impotentiam in membris conuenientibus generationi iudicant frigidos, & non habentes iſtos defectus naturales, ſed integros in natura non potentes in congruum vſum membrorum conuenientium generationi, iudicant maleficiatos, & maleficiati, quando diuortium celebratur inter eos, coguntur ab Eccleſia ſimul ſtare per tres annos, ſicut habetur *Extra de frigidis,& maleficiatis*,vt tollatur omnis ſuſpicio malitiæ, & falſitatis, & demum tenentur iurare tanto tempore ſtetiſſe ſimul, & impedimentum non poſſe illi actui contrarium tollere, & propinqui debent teſtimonium perhibere, quòd benè iurent de impotentia ad illum actum reſpectu illius, & tunc ſeparari poſſunt,& aliis coniungi.Conſulitur autem frigido,qui naturaliter eſt impotens reſpectu cuiuſlibet, quòd intrando Religionem vouеat perpetuam caſtitatem,quia infructuoſus eſt mundo, quantùm ad hunc finem.

Quomodo dignoſcitur frigiditas maleficio.

Eccleſia ſtatuit tres annos cohabitationis ante diuortium.

9. *Ad argum. principalia diſt. præcedentis n. poſita.* Ad primum argumentum iſtius diſtinctionis, cùm dicitur quòd aliquis poteſt contrahere matrimonium cum propoſito ſtatim intrandi Religionem: dico ſicut priùs dictum eſt de matrimonio inter Beatiſſimam Virginem, & Ioſeph, quòd prima,& eſſentialis commutatio in contractu matrimoniali, eſt poteſtatis in poteſtatem quantùm ad corpora, & non quantùm ad vſum reddendum illius poteſtatis, niſi ſub conditione, ſi petatur; & hoc pro tempore determinato, & non ſtatim,poteſt aliquis per huiuſmodi contractum dare alteri poteſtatem,& dominium corporis ſui cum carentia vſus perpetui, quia poteſt tempus illud præuenire, quo tenetur reddere debitum: & vſum corporis ſui aliis actibus, & obſequiis diuinis dedicare. Et ideò contrahens cum aliqua cum propoſito intrandi Religionem, antequam conſummaret matrimonium, vult ſibi vſum corporis ſui retinere, quantùm ad illum actum ſolummodo, dando ei dominium, & poteſtatem corporis ſui: minor eſt tunc falſa,quòd impotentia non impedit matrimonium, niſi quia non poteſt reddi debitum, niſi intelligatur de ſimpliciter non poſſe,quale non habet volens intrare Religionem.

Ad ſecundum. Ad aliud de ſene, dico quòd ſi eſt ſimpliciter frigiditas, & impotentia naturalis in ſene ad hunc actum, non poteſt ſimpliciter cum aliqua matrimonium contrahere, quia non poteſt reddere debitum, ſi petatur, vel prolem, qui ſunt fines huius Sacramenti. Poſſunt tamen ſimpliciter ſimul cohabitare, vt frater & ſoror, & cuſtos & cuſtoditum,propter alios fines, & non ſimpliciter contrahere.

Ad

Ad tertium, Ad illud de maleficio, patet ex dictis, quòd ſi maleficium in iſto reſpectu illius non poſſit tolli, nec per naturam, nec per orationem, vel aliquid huiuſmodi, iudicandum eſt de illo reſpectu iſtius, ſicut de frigiditate, quia licèt non ſit in ſe impotentia perpetua, tamen reſpectu iſtius impotentia perpetua iudicatur poſt tres annos, ſi tanto tempore non poteſt ei aliquo remedio ſubueniri. Si verò poteſt tolli aliquo modo infra tale tempus, tunc verè eſt coniux inſeparabiliter.

SCHOLIVM II.

Ad quæſtionem ſecundam dicit primò machinationem cum intentione, & mutuo conſenſu contrahendi poſtea, & fidei dationem, ſimul cum adulterio dirimere matrimonium, c. 1. & c. vlt. de eo qui duxit eſſe. *Secundò, dicit dationem fidei nudam, ſiue etiam cum iuramento, non cauſare hoc impedimentum, quando altera pars eſt inſcia adulterij (quamuis in Oxon. vide. istur Doctor dubius circa hoc) eſt communis, & extrau.* de eo qui duxit, &c, *Manuel. 2. tom. c. 227. Nauar. c. 12. n. 2. Varacruz 1. p. ſpec. art. 34. concl. 4. Sanch. l. 7. d. 79. num. 31, Tertiò, reſoluit vnum ex iſtis non ſufficere ſe ſolo ſine adulſero.*

Q. AD ſecundam quæſtionem, qua quæritur de adulterio, an impediat matrimonium contrahendum poſt mortem viri, cumqua adulteratus eſt priùs? Dico ſicut patet in Canon. *31. q. 1. cap. nec ducat*, & eſt Auguſtini *de nuptijs & concupiſcentia*, & extr. *de eo qui duxit in matrimonium, quam priùs polluit adulterio*; quòd hoc impedimentum prouenit ex tribus, quæ poſſunt hîc concurrere. Adulteratio, vel actus adulterandi; machinatio in mortem alterius coniugis, & promiſſio, vel fidei datio de contrahendo matrimonialiter poſt mortem viri iuramento firmata, vel ſi contraxerunt de facto, adhuc viuente altero coniuge, licèt non de iure. Quantùm ad primum, dico quòd ſolum adulterium, vel actus adulterandi non impedit matrimonium contrahendum cum aliqua, cum qua adulteratus eſt priùs, viuente marito, ſi nullum aliorum adſit, nec ſcilicet machinatio in mortem mariti, nec fidei datio de contrahendo cum ea poſt mortem mariti iuramento firmata, quod patet per Auguſtinum in litera, ſi libro de Nuptiis & concupiſcentia, c. 1. & *Extr. de eo qui duxit, &c. Si quis, & 31. q. 1. Relatum.* Sed ſi machinatio alterius coniugum, & fidei datio de contrahendo poſt mortem mariti eius ſimul concurrant cum adulterio, ambo cum tertio, vel vnum cum tertio, vel vnum cum alio, tunc dirimit matrimonium contrahendum, & contractum tali modo, & non ex natura talis contractus, quia talis contractus in ſe eſt perpetuus, & indiſſolubilis, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ ordinantis perſonas tales inhabiles, & illegitimas ad contrahendum, & ſi de facto contraxerint, ſeperandi ſunt, ſicut habetur *31. q. 1. Relatum.* & hoc rationabiliter ſtatuit Eccleſia, quia aliter ſtatim quando mulieres eſſent odioſæ ſuis viris, vel viri vxoribus, propter aliam magis dilectam machinarentur quilibet in mortem alterius, & tunc eſſent incerta, ſicut habetur ibidem. Ad hoc igitur quòd iſta tria impediant matrimonium, oportet quòd omnia tria, vel ſaltem duo iſtorum ſint coniuncta; quia primum illorum, vt ſolum adulterium, non dirimit contrahendum, vel contractum, nec machinatio in mortem tantùm, niſi fuerit coniuncta cum adulterio in re, vel in voto, vel cum fidei datione.

Auguſt.

Tria crimina ſimul diuimentia matrimonium.

Reſolutio prima. Solum adulterium non dirimit.

Auguſt.

Quomodo fidei datio & machinatio dirimãt matrimonium poſtea contractum.

Sed nunquid ſola fidei datio, vel promiſſio de contrahendo, iuramento firmata, vel contractus de facto, vel machinatio in mortem alterius, quodlibet ipſorum per ſe impediat matrimonium contrahendum?

An quodlibet iſtorum ſeor ſim impedias

Quantùm ad tria prima, dico quòd nullum illorum per ſe ſolum impedit contrahendum matrimonium, nec contractum, quin ſi contrahit, verè contrahit. Si enim adulter dans fidem adulteræ de contrahendo, ignoret ipſam habere maritum, conſtat quòd poteſt poſt mortem mariti cum ea contrahere, ſicut patet *Extra, de eo, qui duxit in vxorem, quam priùs polluit per adulterium, c. 1. Veniens.* graue tamen peccatum, & crimen eſt, & grauis pœna infligenda eſt maximè adulteræ. Eodem modo ſi promiſit accipere eam, firmans iuramento, quod promiſit, vel de facto contrahens cum ea, dummodo neuter ſcit de alio, quòd aliunde alteri obligatur. Si autem ambo ſint conſcij de adulterio ex parte vnius, vel vtriuſque, & tamen hoc non obſtante fidem dederunt de poſtea contrahendo poſt mortem mariti, vel vxoris, non poſſunt poſtea contrahere de iure, vel ſi contrahant, ſeparandi ſunt. Patet in Canon. *diſt. 31. q. 1. Relatum.* & *Extrà eodem tit. vbi ſuprà, ſi quis vxorem*, & ratio huius eſt ne adulter & adultera propter concupiſcentiam copulæ matrimonialis citiùs accelerandæ, proni eſſent ad interficiendum maritum, vel vxorem. Et idem eſt de promiſſione iuramento firmata ſine fidei datione, quia præſtatio iuramenti, & interpoſitio fidei æquiualent. *Extrà de his quæ vi, vel cauſa metus fiunt, cap. Ad aures.*

II. *Reſolutio ſecunda.*

Fidei datio adulterio cognito ex parte vnius vel vtriuſque vitiat.

Sed pone quòd adulter nudam promiſſionem faciat adulterę de contrahendo cum ea poſt mortem mariti, an mortuo eo, tenebit matrimonium inter eos? De hoc dicunt diuerſimodè. Quære in Richardo *diſtinctione iſta, quæſt. penult.*

12. *Adulterum cum machinatione dirimit.*

Sed de vltimo, ſcilicet de machinatione in mortem alterius coniugis, impediſne vniuerſaliter contrahendum, & dirimit contractum? Videtur quòd ſic, ſicut patet *extrà de con. in fin. cap. 1. laudabilem*, vbi narrat de vxore, quæ curauit maritum ſuum per infidelem interfici, cum quo priùs adulterata eſt, & per eius ſtudium ad fidem conuerſus eſt, cum quo tamen prohibetur contrahere, & ſi contrahat, ſeparetur, quia non vult Eccleſia tali damno tale lucrum compenſare.

An ſufficiat alterum tantum eſſe conſcium machinationis.

Sed non video quòd loquatur ibi de adulterio, niſi ex mutuo conſenſu amborum machinante in mortem mariti ſui, qui ſolùm impedit matrimonium. Vnde mihi videtur quòd machinatio ſola adulteri, & adulteræ ſimul conſentientium in mortem legitimi mariti, vt poſtea matrimonialiter copularentur, impedit matrimonium contrahendum, & contractum; quia ſi vnus ſolus machinatur in mortem mariti intentione contrahendi cum altero, illo penitus non conſentiente, vel non conſcio machinationis, non video prohibitum quin ſimul poſſint contrahere, quia non dedit fidem, nec promiſſionem contrahere cum ea poſt mortem viri. hoc habetur *Extrà de matrimonio contra interdictum Eccleſiæ contracto, cap. 10. literis*, & ſi non inuenitur in Canone prohibitum, ſequitur quòd eſt licitum, *extrà de ſponſalib. cap. cum apud.*

Machinatio non intentione contrahendi non dirimit.

Si autem adulter machinetur in mortem mariti, non intentione illa, vt poſtea accipiat adulteram in vxorem, ſed ex inimicitia, vel alia cauſa, vel occaſione, ſi etiam vxor interficiat virum ſuum, non ea intentione, vt accipiat adulterum

in

in maritũm, verè possunt posteà contrahere, quòd si contrahant, non est posteà matrimonium dirimendum, sicut patet *Extrà de conuersione infidelium, cap. Laudabilem, & extrà, de eo qui duxit in matrimonium, quam priùs polluit per adulterium, in gloss.* prohibetur tamen in Iure ex rigore eius in cautelam, nè fiat, sed si fiat, factum est; igitur sola occisio in casu non impedit matrimonium, nec solùm adulterium, nec fidei datio, vel promissio iuramento firmata, ignota conditione adulteræ, sicut patet suprà. Igitur vel sola machinatio in mortem alterius coniugis intentione contrahendi cum altero, & ex mutuo consensu illorum adulterantium impedit matrimonium, vel si duo illorum impedimentorum simul concurrunt cum consensu, & scientia qualitercunque, & quocunque sine aliis, aut adulterium cum fidei datione, vel adulterium cum promissione iuramento firmata semper impediunt matrimonium contrahendum, & contractum. Sed si quis tantùm dedit fidem de contrahendo, vel promisit de contrahendo sine adulterio commisso, dico quòd non impedit, licèt malè fiat. *Extrà, de eo, qui duxit in matrimonium, quam priùs polluit per adulterium. cap. 1. Si quis.*

Nec solum adulterium, nec sola machinatio, nec promissio sola dirimit, sed duo simul requiruntur.

13. *Ad primum principale.* Ad primum de Bethsabee & Dauid, dico sicut dicitur *distinct. 31. quæst. 1. Si qua*, quòd lex ista non fuit statuta pro illo tempore, iustius tamen fecisset, si eam lapidasset Dauid.

Instantia. Sed si obiiciatur, quòd in veteri Testamento multa permittebantur fieri propter illius populi infirmitatem, & futurorum significationem, & eius legis imperfectionem, quæ in Euangelio reuocata sunt, & ideò permissa est duci in vxorem.

Solutio. Dico tamen quòd Dauid meliùs fecisset, si eam iussisset lapidari, quoniam secundùm legem illam, adultera debebat lapidari, nec excusatur propter peccatum proprium adulterij, quia propter culpam propriam non debuit dimittere, quin exerceret de alio iustitiam suæ legis, ex quo fuit persona cõmunis. Ad aliud autem patet ex dictis.

DISTINCTIO XXXVI.

De impedimentis seruitutis, & ætatis.

QVÆSTIO I.

Vtrùm seruitus impediat matrimonium contrahendum?

D. Thom. *in addit. q. 52. art. 1. & hic q. 1. art. 2.* D. Bonau. *art. 1. q. 1. &* 2. Richard. *art. 1. q. 1.* Durand. *q. 1.* Sanchez *lib. 7. de matr. d. 19. & trib. sequentibus.*

1. *Argument. 1. affirmatiuè.* VIDETVR hoc, quia nullus potest iustè dare alienum inuito domino; sed contractus matrimonialis est mutua donatio potestatis corporum, quæ est possessio domini sui; igitur non potest cum aliqua domino suo inuito contrahere.

Secundum. Item, fauorabilior est Religionis ingressus, quàm matrimonij contractus; sed seruus non potest sine consensu domini sui profiteri in Religione; igitur nec multò magis contrahere matrimonium.

Contrà: *Extrà de coniugio seruorum* dicitur quòd *si inter seruos, dominis contradicentibus, & inuitis, matrimonia contracta fuerint, nulla ratione sunt propterea soluenda.* *Ratio ad oppos.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm ætas puerilis impediat matrimonium?

D. Thom. *in addit. q 58. art. 5. & hic q. 1. art. 5.* D. Bonauent. *art. 2. q. 1.* Rich. *art. 6. q. 2.* Couar. *4. decret. 2. p. cap. 5. n. 5. gl. e.* continebatur, de desponsi. impub. *& ibid.* DD.

2. *Argumẽtum negatiuum.* VIDETVR quòd non, quia aliquibus potest conuenire potestas ad aliquem actum exercendum, antequam conueniat eis vsus illius potestatis; patet de Ordine qui potest alicui conferri sine executione illius Ordinis; igitur cùm contractus matrimonialis sit datio potestatis corporum, nec in pueris sit impedimentum aliud, quàm impedimentum vsus, quia non statim possunt vti sua potestate, sequitur quòd possunt contrahere.

Ratio ad oppos. Contrà, illi non possunt contrahere simul, qui non possunt dominium, & potestatem corporis sui in alias transferre, cùm matrimonium essentialiter sit mutua translatio corporum contrahentium: sed pueri non possunt corpora sua quantùm ad potestatem, & vsum illorum propter impotentiam transferre. patet *extrà de frigidis & maleficiatis, cap. Quod sedem.* quia, vt *ibidem* dicitur, *puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio*; igitur pueri non possunt contrahere.

SCHOLIVM I.

Ad quæstionem primam resoluit valere matrimonium cum seruo etiam à libero, modò seruitus sit scita. cap. 1. de coniug. seru. *ponit duos modos iustos redigendi in seruitutem, scilicet propter crimina, & quando capiuntur in bello iniuasores. de iustitia seruitutis ex bello dubitat; intelligit tamen quando victores sunt iniuasores. Vide ipsum in Oxon dist. 36. num. 2. vbi ponit, licèt sub dubio, seruitutem ex venditione, & dist 26. num. 10. docet exemplo B. Paulini, liberum esse vendere in seruitutem. Reijcit rationem afferentem, ideò seruum posse contrahere quia matrimonium est iuris naturæ, & seruitus iuris positiui: de quo latiùs d. 36. & Sanch. l. 7. de matrim. d. 21. & resoluit qualiter serui possint contrahere.*

3. *Resolutio 1. quæstionis. Seruitus non impedit, si non adsit error potioris conditionis.* AD primam quæstionem, dico quòd seruitus non impedit matrimonium, quia matrimonium potest à libero contrahi cum serua & libera, & ab ancilla cum seruo, & cum libero, dummodo non sit error conditionis peioris quàm ille, quem nouit contrahens. Si autem fuerit error conditionis deterioris, vt puta si credas contrahere cum libera, & contrahis cum serua, vel si ipsa libera credit contrahere tecum, & cum libero, & es seruus, tunc impedit matrimonium etiam contractum, sicut patet *extrà de coniugiis seruorum. cap. 1.* sed si est error conditionis melioris, vt puta, si credam te esse seruum, & es liber, nullo modo impedit matrimonium.

4. *Error melioris conditionis non impedit.* Si etiam seruus contrahat de facto sine voluntate domini sui, estne iste contractus validus? Respondeo quòd sic, quia quantumcunque domini cõtradicant, possunt cõtrahere dũmodo reddatur

domino ſeruitium debitum. Ratio ad hoc aſſignatur talis *; matrimonium eſt de iure naturæ, ſeruitus eſt impedimentum de iure poſitiuo tantùm; ius autem poſitiuum, cùm deriuetur à Iure naturæ, ſibi præiudicare non poteſt; igitur ſeruitus non poteſt impedire contractum matrimonialem.

* D. Thom. & Rich.

Quare ſeruus inuito domino validè contrahit.

Inſtantia.

Sed contra hanc rationem inſtatur ſic, negando minorem, quòd ſeruitus tantùm ſit de Iure poſitiuo, & probatur quòd ſit de Iure naturæ: nam ſecundùm Philoſophum primo Politicorum, cap. 1. *Illud quod poteſt mente prouidere, debet eſſe principans ac dominans natura, quod autem poteſt hoc corpore facere, paret natura & ſeruit*: igitur videtur quòd tam nobilitas, quàm ſeruitus ſint de iure naturæ.

Solutio.

Sed iſta inſtantia tantùm eſt vocalis, & nihil ad propoſitum, quia æquiuocatur ſeruitus, Philoſophus enim non loquitur de ſeruitute, de qua nos intendimus, quæ eſt ad malum, & ſubiectionem pœnalem ſerui, vt ſcilicet poſſit vendi & arctari, vt inſtrumentum inanimatum, quia non eſt ſui iuris, de qua loquitur Philoſophus, 9. *Ethicorum*, quibus principantur aliqui principatu tantum deſpotico, vel tyrannico, & non principatu naturali, vel politico. Sed loquitur ibi primo Politicæ, de ſubiectione & ſeruitute ciuili, & politica, quæ non eſt vt aliquis illa ſeruitute ſit totaliter alterius iuris, & ad malum ſuum, ita quòd poſſit vendi, & diſtrahi, vt inſtrumentum inanimatum, ſed tantùm ſit alterius ad bonum ſuum, vt ſic ille, qui non pollet ratione; nec poteſt faciliter mente prouidere ad bonum ſuum, regatur ab illo, qui poteſt ſic mente faciliter prouidere, & pollet ratione, & ſic ciues alicuius ciuitatis ſunt ſerui alicuius Regis, vel Principis benè regentis eos, non in malum, ſed in bonum eorum.

5. *Seruitus moralis quæ?*

Alia etiam eſt ſeruitus moralis, & peccati, quæ incurritur à voluntate propria illius, qui peccat, quia ipſe ſe facit ſeruum, de qua loquitur Apoſtolus ad Galat. 5. dicens, *liberi facti eſtis, iam nolite ſubiecti eſſe ſeruituti*: non ſuadet niſi quod eſt in poteſtate noſtra; & ita patet quòd nulla eſt ſeruitus purè naturalis, ſed tantùm de lege, & iure poſitiuo, loquendo de ſeruitute quæ eſt ad malum hominis, vt hîc de ea loquitur, niſi voces ſubiectionem filiorum ad parentes ſeruitutem, quæ ſubiectio eſt naturalis. Patet per Philoſophum 9. *Ethicorum*, quia à parentibus recipiunt filij *eſſe*, nutrimentum, & diſciplinam, & ideò naturaliter tenetur eos reuereri, præceptum etiam diuinum Decalogi, quod fundatur ſuper ius naturæ ſtatuit hanc ſeruitutem, quæ non eſt ſeruitus in malum ſeruientis.

Omnis propria ſeruitus & in malum, eſt iuris poſitiui.

Sed ex quo ſeruitus iuſta eſt ex electione ciuili, qua quis voluntariè ſe ſubiicit Principi, ad bonum ſuum, vel ex ſubiectione filiali, qua filij honorant parentes, quomodo igitur poteſt ſeruitus ex oppreſſione alicuius in malum ſuum eſſe iuſta?

6. *Seruitus ex oppreſſione eſt iuſta duobus modis.*

Dico quòd non ex electione, quia ſi aliquis ſe faceret voluntariè ſeruum, credo quòd eſſet iniuſtus, & hoc faciendo peccaret mortaliter, præcludendo ſibi viam ad multa bona faciendum, à quibus per dominum ſuum, cui ſe ſubdidit perpetuò, impeditur. Non video igitur quòd poſſit eſſe iuſta, niſi duobus modis. Vno modo ex delicto proprio, poſſet enim aliquis in rempublicam ita grauiter peccare, quòd Iudex, & rector Reipublicæ poſſet eum pœna ſeruitutis perpetuò punire, & omnes filios ſuos, vt ſi tradidiſſet ciuitatem, & aliquid ſimile enorme committeret, vel perpetraret. Alio modo ſeruitus poteſt eſſe iuſta iure belli, vt victum faciat ſeruum. Sed de hoc dubito, niſi vocando ſeruum victum ſeruatum, quia ſic faciendo aliquem ſeruum, præſeruando eum à morte, & non occidendo eum, cùm victus fuerit, eſt opus miſericordiæ: ſed ſi victus & ſeruatus à morte aliàs moueat contra dominum ſuum bellum, qui ſibi vitam priùs miſericorditer conceſſit, & iniuſtè contra eum rebellauit, tunc iuſtè ſibi poteſt infligi pro culpa ſua pœna ſeruitutis, & iſtis duobus modis, qui ſunt realiter vnus, poteſt iuſtè infligi ſeruitus, & nullo alio modo, niſi ex tyrannide.

Capti in bello an iuſtè fiant ſerui.

Inſtantia remouetur.

Et ſi dicas; igitur omnes ſeruitutes, quæ non ſunt ex oppreſſione, ſunt iniuſtæ. Dico quòd ſeruitus à principio iure belli eſt introducta, vt per illum Nemroth, qui fuit venator peſſimus, & potentiſſimus, *Geneſis* 10. qui ex potentia oppreſſit multos, & redegit ſibi multos in ſeruitutem, nec alio modo excuſantur, modò domini ſubiicientes aliquos vt ſeruos, niſi inquantùm valet eis præſcriptio, vt ſuprà dictum eſt de pœnitentia. Seruitus igitur tantùm eſt de iure poſitiuo, & non Iure naturæ.

Seruitus primò introducta à Nemroth.

7. *Reiicitur ratio D. Thom. ſuprà aſſignata.*

Et quantumcunque non ſit de Iure naturæ, ſed à Iure poſitiuo, adhuc tamen non valet ratio prima aſſignata, quia non præiudicat legi diuinæ, vel Iuri naturæ. Nam quandocunque ſunt aliqua ſimul incompoſſibilia nata alicui ineſſe, ordine quodam, vno illorum inexiſtente, impeditur aliud ineſſe: ſeruitus & matrimonium ſunt duæ obligationes incompoſſibiles, quia matrimonium eſt donatio dominij corporis ſui; ſeruus eſt poſſeſſio domini alieni: igitur ſi ſeruitus ineſt, impeditur aliud ineſſe; nec tamen præiudicat legi diuinæ, vel Iuri naturæ, quia ſeruire poſt ſeruitutem, non tantùm eſt de Iure poſitiuo humano, ſed etiam de Iure diuino, & præcepto eius, quia non fraudare inuicem præcepit Deus: propter quod dicit Apoſtolus 1. Pet. 2. *Serui ſubditi eſtote dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis; hæc eſt enim voluntas Dei.* Sicut enim modò contrahere matrimonium non cadit ſub præcepto, ſed poſtquam contractum eſt, præcipitur bona fide tenendum, cùm vnicuique ex vniuerſali lege diuina debeatur quod ſuum eſt: ſic licèt ſeruitus non ſit ex diuino Iure impoſitum, ſed tantùm humano iure belli, vel demeriti introductum, tamen poſtquam eſt inflictum iuſtè, & ſuſceptum, tenetur illam quilibet talis ex lege, vel iure dominij domino ſuo fideliter ſeruare, & fidem facere in his, ad quæ tenetur ei ſeruire.

8. *Alia ratio aliorum cui ſeruus domino inuito validè contrahat?*

Pono igitur aliam rationem; & eſt talis, quia ſeruus poteſt inuito domino matrimonium contrahere, dummodo reddat ſibi quod ſuum eſt, temporibus, & locis conuenientibus. Hoc probo ſic. Seruus ex quo non eſt brutum, ſed homo, cùm homo quilibet ſaltem quantùm ad aliquos actus naturales pertinentes ad conſeruationem individui neceſſariam vel ſpeciei, ſit dominus, & iuris ſui, non poteſt aliquis quantùm ad illos actus ſe facere ſeruum, nec natura permittit hoc; ſed reſpectu illorum actuum natura facit iſtum liberum, & ſui iuris, ita quòd ad oppoſitũ iſtorum non poteſt à ſe, vel quocunque alio cogi, manente

ſerui

ſeruitute in eo, quia non poteſt cogi ad non dormiendum, & non comedendum, vel non nutriendum, qui ſunt actus neceſſarij pertinentes ad conſeruationem indiuidui, vel ad non generandum, quia generare pertinet ad conſeruationem ſpeciei, quia omnes iſti actus ſunt ſimpliciter neceſſarij in natura illa; igitur cùm obligatio ad iſtos actus neceſſarios pertinentes ad conſeruationem indiuidui, & multiplicationem ſpeciei, ſit ſimpliciter neceſſaria neceſſitate inflicta à natura, non poteſt aliquis alicui domino ſe obligare quantùm ad aliqua opera ſeruilia aliqualiter, quæ ſimpliciter, vel temporibus neceſſariis impediunt iſtos actus. Poteſt tamen aliquis ſe alicui domino quantùm ad aliquos actus poſteriores, qui ſubduntur operibus naturæ, ſe obligare, vt puta ad equum edomandum, colendum terram, & aliquid huiuſmodi, in quibus actibus ſeruilibus ita ſibi ſubiicitur, quòd ab aliis ſimpliciter neceſſariis non excluditur, nec per conſequens à contractu matrimoniali, quantumcunque dominus diſſentiat, poteſt impediri iuſtè, dummodo ſibi reddat alia opera, & obſequia ſibi debita, in quibus non eſt ſui iuris.

9. *Ratio præcedens licèt probabilis nõ conuincit.*

Sed licèt iſta ratio ſit probabilis, non tamen neceſſariò concludit. Si enim obligatio ad actus poſteriores impediat actus priores pertinentes ad conſeruationem ſpeciei, quia aliunde poteſt ſpecies ſufficienter conſeruari per actus aliorum, etiam ſi iſte nunquam fuiſſet in rerum natura. Non videtur itaque quòd propter tales actus ſimiliter priores ſimpliciter neceſſarios naturæ indiuidui, vel ſpeciei, debeat dimittere actus poſteriores ſeruitutis, qui ſunt ſimpliciter debiti domino ſuo. Igitur cùm etſi ſeruus nunquam contrahat, nec generet, non minùs conſeruetur ſpecies, & ſufficienter multiplicabitur per alios, non videtur quin ſemper poſſet cogi à domino ad actus poſteriores perſoluendos. *Soluitur inſtantia.* Iſtud concedo, & tunc patet ad inſtantiam de neceſſitate priorum actuum ad poſteriores, quòd licèt ſint in aliquo ſimpliciter neceſſarij, non tamen in iſto, qui eſt ſeruus, quia ſine talibus actibus iſtius poteſt ſpecies ſufficienter conſeruari & multiplicari.

10. *Reſolutio 1. Doct.*

Dico igitur quòd ſeruus, qui eſt ſimpliciter poſſeſſio domini ſui, quantùm ad corpus, ſicut bos, vel equus, non poteſt ipſo inuito ſimpliciter cum aliqua matrimonium contrahere, nec poteſtatem corporis ſui alteri ſimpliciter exhibere, ſed ſecundùm *quid* tantùm, ſcilicet quantùm poteſt ſalua iuſtitia domini ſui. Ideò ſi tempore, quo deberet occupari in ſeruitiis debitis domino ſuo, peteretur poteſtas corporis ſui, & vſus eius, non poteſt illam perſoluere, & per conſequens non poteſt ſimpliciter quantùm ad illam poteſtatem alicui inuito domino ſe donare. *Seruus inuito domino contrahit validè, licèt non ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid.* Talis autem donatio eſſentialiter includitur in contractu matrimonij, cùm ſit merè, & abſoluta tranſlatio poteſtatis in dominium alterius; igitur non poteſt ſimpliciter contrahere; igitur ſi de facto contrahant ſerui, dominis ſuis inuitis, verè contrahunt, ſed non poſſunt mutuò ſe donare, quantùm ad poteſtatem, niſi quo ad illos actus, qui non impediunt actus poſteriores debitos dominis ſuis: & hoc eſt valde modicum, quia domini de ſtricta iuſtitia poſſent vendere vnum iſtorum in terram, & regionem remotam, ſicut bouem, vel aſinum pro neceſſitate ſua, ita quòd nunquam poſtea ſe viderent; & hoc eſt quod dicitur *Extrà de coniugio ſeruorum.* Si ſeruus contrahat inuito domino, hoc quod habuit, dedit, & non plus. Et ideò tenetur poſt contractum conſuera ſeruitia ſibi reddere, & ſi obligatio ad iſta ſeruitia non poſſet ſtare cum obligatione matrimonij, puta, quia illa non permitterent ſolui debitum coniugale, cùm petitur, quod includitur per ſe in obligatione matrimoniali, non minùs tenet obligatio prior.

11. *Reſolutio 2.*

Si autem ſerui contrahunt de conſenſu dominorum, tunc dico quòd domini licentiando eos ad coniugium, diminuunt de iure ſuo, & eos abſoluunt implicitè à ſeruitiis incompoſſibilibus fidei coniugali; & ſic quo ad aliquos actus ſibi debitos reddunt eos liberos, & propriæ poteſtatis. Vnde ſi dominus poſtea tales in terram longinquam venderet, vel nimiis obſequiis arctaret, vel aliquo modo alio ab inuicem ſepararet, quo certis temporibus non poſſent ſibi inuicem debitum reddere, & perſoluere, peccaret mortaliter, & cenſura Eccleſiaſtica cogendus eſſet dimittere eos liberè, quantùm ad tale debitum coniugale perſoluendum. *Seruus domino licentiante contrahens quoad coniugalia eſt liber.* Poteſt igitur ſeruus inuito domino contrahere non ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm *quid* ad dandum, ſcilicet ſe quantum poteſt, & non ſimpliciter, & ſicut eſt domini ſui.

Dices quòd ex quo poteſt ſic contrahere, pari ratione poſſet contrahere cum libera, ſicut cum non libera, quia ſcilicet ſic poſſet dare poteſtatem corporis ſui, quam habet vni ſicut alteri.

Dico quòd ſi libera ſciat ipſum eſſe ſeruum, nec ſimpliciter habentem poteſtatem corporis ſui, & tamen ſufficit ſibi habere vſum corporis eius, & poteſtatem qualem poteſt ei dare, tunc verum eſt matrimonium inter eos, quia conditio peior non impedit niſi ignorata, & nolita. *Seruitus ignota tollit matrimonium, nota verò non.* Si autem libera ignoret ipſum eſſe ſeruum, credens ipſum eſſe liberum, tunc matrimonium eſt nullum, quia cum matrimonium ſit donatio æquualentis pro æquiualenti quantùm ad poteſtatem corporum, ſi in vno contrahente non inuenitur in quo credebatur fuiſſe, nullum erit matrimonium.

12. *Ad primum argum.*

Ad primum argumentum in oppoſitum, dico quòd ſeruus non eſt poſſeſſio domini ſui, quoad omnes actus eius, quin imò quoad aliquos actus fuerit liber, & ſui iuris, quando ſcilicet non occupatur in ſeruitiis domini ſui, & quoad illos poteſt ſe donare alteri. Si autem ſit ſimpliciter poſſeſſio domini, vt bos, vel equus, tunc ad nihil poteſt ſe donare alteri, non plus quàm bos, vel equus. Ad actus etiam, qui ſunt ad conſeruationem indiuidui ſimpliciter neceſſarij tenetur, nec ad oppoſitos poteſt dominus eius ipſum obligare, quia ipſis deficientibus deficit in eo *eſſe* ſimpliciter, & *eſſe* ſeruitutis.

Ad ſecundum.

Ad ſecundum, dico quòd non eſt ſimile, quia licèt fauor maior ſit Religionis ingreſſus, quàm matrimonij contractus; tamen profeſſio ſerui in Religione magis præiudicat domino ſuo, quàm obligatio in matrimonium, quia qui profitentur Religionem, ſubdũt ſe poteſtati Prælati ſui, quantùm ad opera, in quibus eſſent ſubiecti dominis ſuis aliàs, & ita tollit ſeruitium domini, non ſic in matrimonio. Eccleſia autem nullum voluit priuilegiare in præiudicium alterius, & ideò aſſumptum eſt falſum; & dato quòd non eſſet falſum, adhuc probatio non valet. Patebit infrà de voto ſolemni.

SCHOLIVM II.

Ad quæſtionem ſecundam, ait pueros non poſſe contrahere matrimonium, quia ſunt impotentes. ætas viri 14. mulieris 12. annorum: ſed malitia ſupplet ætatem. cap. puberes de deſponſ. impub. *Vide Sanch. citatum in titulo huius quæſtionis.*

13. *Reſolutio ſecundæ quæſtionis. Ætas matrimonij.*

AD ſecundam quæſtionem, cùm quæritur, *an ætas puerilis impediat matrimonium*? Dico quòd ſic, quia ſimpliciter impedit matrimonium in maſculo vſque ad decimumquartum annum, & in femina vſque ad duodecimum regulariter, quia illud tempus eſt eis regulariter præfixum; nam ante illud tempus ſunt regulariter impotentes ad exercendum actum generandi. Si tamen quandoque in aliquibus malitia ſuppleat ætatem, poſſunt illi citiùs contrahere, quia tales poſſunt vſum poteſtatis priùs in contractu collatæ in talem actum, vel talem finem complerè perſoluere.

Replica. Et ſi dicas quòd pueri poſſunt ante illud tempus contrahere, quia poſſunt inuicem ſe donare quantùm ad corpora pro futuro, ad tunc inuicem reddendum debitum, ſi petatur. Reſpondeo quòd dare corpus ſuum pro futuro non eſt dare, ſed promittere, quia tunc ſolùm aliquis dat, quando poteſt reddere alteri, quod ſuum eſt, quod non poſſunt pueri; licèt igitur poſſint inuicem promittere & contrahere ſponſalia regulariter ante illud tempus, non tamen contrahere matrimonium verum, vt dictum eſt: nec reduco hoc impedimentum ætatis ad errorem, ſed ad impotentiam, ſicut patet.

Ad argum. principale. Ad argumentum poteſt dici, quòd poteſtas, quæ habetur, poteſt dari ante vſum illius poteſtatis, ex quo non habetur, & ſi poſſit promitti, non tamen poteſt dari, quia ſi daretur, redderet ſeipſum, & daret aliquis quod non habet.

DISTINCTIO XXXVII.

De impedimento Ordinis.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm Ordo ſacer impediat matrimonium contrahendum?

D. Thom. 2.2 *q.* 88. *art.* 5. *& hic q.* 1. *art.* 5. D Bonau. *art.* 1. *q.* 1. Richard *art.* 1. *q.* 1. Durand. *q* 2. Henric. *quodl* 5. *q.* 28. Sanch. *lib.* 7 *de matr. d.* 27. *& trib. ſequent.* Bell. *lib. de membris Eccleſiæ.*

1. *Argument.* 1. *negatiuum.* VIDETVR quòd non, quia Apoſtolus 2. Timoth. 3. dicit quòd *oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum*; igitur cùm non maioris perfectionis ſit modò Ordo, quàm fuerit in primitiua Eccleſia, quando Chriſtus hoc per Apoſtolum conceſſit, videtur quòd modò Ordo non impediat matrimonium.

Secundum. Item, tanta eſt oppoſitio inter matrimonium, & Ordinem, quanta è conuerſo, quia quorumcunque oppoſitorum vnum non poteſt ſtare cum alio, nec è conuerſo cum illo. Sed matrimonium contractum non impedit ſuſceptionem ſacrorum Ordinum. Quia aliquis, antequàm ſit matrimonium conſummatum, poteſt intrare Religionem, & ibi promoueri ad Ordines ſacros, ſicut patet de Ioanne Euangeliſta, conſummans etiam matrimonium cum virgine, poteſt poſtea ad Ordines ſacros promoueri: igitur videtur quòd è conuerſo Ordo non impediet matrimonium.

Contrà, diſtinct. 27. & recitatur in litera à Magiſtro, huius diſtinctionis cap. 1. *Placuit*, dicit Dominus Papa, *Epiſcopos ſacerdotes Diaconos, & Subdiaconos ſecundùm priorum inſtituta etiam ab vxoribus abſtinere*, & non contrahere, vt ibidem dicit gloſſa. 1. *Ratio ad oppoſ.*

DISTINCTIO XXXVIII.

De impedimento caſtitatis.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm votum continentiæ impediat matrimonium?

D. Thomas 2.2. *q.* 88. *art.* 7. *& 11. & hic q.* 1. *&* 2. D. Bonau. *art.* 2. *q* 1. Richard. *art.* 7. *q.* 2. Gabr. *q. vn.* Palud. *q.* 4. Bellar. *lib. de Monachis à cap.* 22. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 25. *&* 26. Azor. *lib.* 12. *c.* 6 *q.* 1.

2. *Argum.* 1. *negatiuum.* VIDETVR quòd non: quia, *Extrà de voto & voti redemptione, qui Clerici, vel vouentes*: dicitur, quòd ſimplex votum apud Deum non minùs obligat, quàm ſolemne; ſed matrimonium contractum poſt votum continentiæ ſimplex, non eſt dirimendum; igitur nec poſt ſolemne.

Secundum. Item, ibidem cap. *Qui clerici, Meminimus*, dicitur quòd *ſi aliquis ad Religionem ſe tranſiturum vouerit; & poſtea matrimonium contraxerit, non eſt cogendus tranſire ad Religionem, & matrimonij votum reſcindere.*

Et ſi dicis quòd non eſt ſimile, quia votum ſolemne probari poteſt, non ſic priuatum. Contrà ex hoc ſequitur oppoſitum, quia tunc ſi probetur eſſe votum, licèt non ſolemne, impediet matrimonium, quod eſt contra iſtas Decretales.

Ratio ad oppoſ. Contrà, eodem titulo *Extrà, qui clerici, cap. Inſinuante*, dicitur de quadam nobili muliere, quæ votum caſtitatis emiſit, & in Religione habitu illius aſſumpto biennio remanſerat, & poſtmodùm matrimonium contraxerat, quòd ad Religionis habitum reſumendum, & ſeruandum quod vouerat, erat Eccleſiaſtica cenſura coërcenda.

DISTINCTIO XXXIX.

De impedimento ex diſpari cultu.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm diſparitas cultus impediat matrimonium?

D. Thom. *in addit. q.* 59. *art.* 1. *hic q.* 1. *art.* 1. D. Bonau. *art.* 1. *q.* 1. Rich. *art.* 1. *q.* 1. Gab. *q. vn.*

3. *Arg. primum. negatiuum.* VIDETVR quòd non; quia *Geneſis* 41. legitur de Ioſeph, qui contraxerat cum Ægyptiaca infideli filia Putiphatis ſacerdotis Madian. Et Moyſes cum Æthiopiſſa, de quo habetur in Numeris, & Exod. 2. quæ fuit filia

filia Ietro infidelis, & alterius gentis à gente Iudæorum, nec tamen prædicti Patres fideles pro illis matrimoniis in Scriptura reprehenſi ſunt; igitur, &c.

Secundum. Item, ſi diſpar cultus ſimpliciter impediret matrimonium; igitur non poſſet ſtare matrimonium inter fidelem, & infidelem apoſtatantem à fide poſt Baptiſmum; conſequens eſt falſum, & contra Apoſtolum 1. *Corinth.* 7. qui dicit quòd ſi *vir habeat vxorem infidelem, & conſenſerit cum ea, omninò non dimittat eam*; ſi non fuerit mora eius in contumeliam Saluatoris, vel Creatoris. Conſequentia probatur, quia peior eſt apoſtata à fide poſt Baptiſmum, quàm iſte, qui nunquam fuit fidelis.

1. Ratio ad oppoſ. Contrà, 2. Corinth. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus, neque aue eis dixeritis*, ſed coniuges ſimul communicant, & inuicem ſe ſalutant in amore; igitur.

Secunda. Item, Eſdræ primo cap. 9. & 10. dixit Eſdras filiis Iſrael: *Dimittite vxores veſtras alienigenas, quas in matrimonium duxiſtis*, vbi expreſsè præcepit fieri diuortium cum eis.

Tertia. Item, Deuteronom. 7. Præcepit Dominus filiis Iſraël nè cum Amorrhæis, Iebuſæis, Cananæis, Pheresæis, &c. propter malitiam, & infidelitatem eorum celebrarent coniugia.

DISTINCTIO XL.

De impedimento cognationis.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm cognatio carnalis impediat matrimonium?

D. Thomas *in addit. q. 45. art. 2. hic q. 1. art. 2.* D. Bonau. *art. 1. q. 2.* Richard. *art. 1. q. 2.* Durand. *q. 2.* Sot. *q. vnic.* Palud. *q. vnic.* Sanch. *l. 7. d. 50. & trib. ſequent.*

4. Argument. 1. negatiuum. VIDETVR quòd non; quia tempore legis naturæ fuit verum matrimonium, & tamen tunc frater contraxit cum ſorore. Patet de filiis Adam, aliter contraxiſſent cum matre, quod nunquam fuit licitum, quia tunc non fuit alia mulier, niſi vel ſoror, vel mater eorum.

Secundum. Item, inter coniuges requiritur amicitia, quæ firmat domum & familiam; ſed inter cognatos eſt maior amicitia, quàm inter extraneos; igitur conſanguinitas magis promouet ad contrahendum, quàm impediat.

Ratio ad oppoſ. Oppoſitum 35. q. 3. *De propinquis. Quædam lex*, &c. & recitatur à Magiſtro in litera. *& extrà de conſanguinitate cap. Non debet.* Item Leuit. 18. excluduntur multæ perſonæ propter cõſanguinitatem.

DISTINCTIO XLI.

De impedimento affinitatis.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm affinitas impediat matrimonium?

D Thom *in addit. q. 55. art. 1. & hic q. 1. art. 6.* D. Bonau. *art. 1. q. 3.* Richard. *art. 2. q. 1.* Durand *q. 1.* Palud. *q. 1.* Sot. *q. vn.* Sanch. *l. 7. de matr. d. 64. & tribus ſequent.*

VÒD non: quia quod ſequitur matrimonium, vt effectus eius, non videtur impedire ipſum, quia effectus non impedit cauſam efficientem; ſed affinitas ſequitur matrimonium, vt efficiens eius, quia contrahitur ex parte alterius coniugis, & ad parẽtes illius; igitur. *5. Arg. primum. negatiuum.*

Item, ſi affinitas impediret matrimonium, vniuerſaliter diſſolueret matrimonium iam contractum; conſequens eſt falſum; nam inceſtuoſus faciens inceſtum, & cognoſcens vxoris ſuæ ſororem, non eſt ſeparandus ab vxore, quam iam habet matrimonialiter ſibi coniunctam. *Secundum.*

Contrà. *diſtinct. 35. q. 3. de propinquis.* æqualiter vir coniungitur in matrimonio eis, quæ ſibi conſanguineæ ſunt, & vxoris ſuæ conſanguineis poſt mortem vxoris ſuæ: ergo ſicut conſanguinitas, ita affinitas videtur matrimonium impedire; ſed conſtat quòd conſanguinitas impedit: igitur & affinitas. *Ratio ad oppoſ.*

DISTINCTIO XLII.

De impedimento cognationis ſpiritualis.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm cognatio ſpiritualis impediat contrahere Matrimonium?

D. Thom. *in addit. q. 56. art. 1. & hic q. 1. art. 1.* D. Bonau. *art. 1. q. 2.* Richard. *art. 2. q. 1.* Durand. *q. 2.* Sanch. *l. 7. de Matrim. d. 54. & inde vſque ad d. 62.*

6. Argum. 1. negatiuum. VIDETVR quòd non: Quia illud non impedit matrimonium, quod ſimul poteſt ſtare cum eo; cognatio ſpiritualis eſt huiuſmodi, ſicut patet, *extra de cognatione ſpirituali cap. Si vir*: vbi dicitur quòd *ſi vir, vel mulier, filium ſuum de ſacro fonte ſuſcepit, ſiue ſcienter, ſiue ignoranter, non ſunt ſeparandi ab inuicem*, & tamen conſtat quòd inter eos cognatio ſpiritualis contracta eſt; igitur.

Contrà, ibidem cap. *Veniens* dicitur quòd ſi conſtiterit mulierem filium prædicti viri de ſacro fonte leuaſſe, antequam eam deſponſaſſet in vxorem, inter eos omnino appellatione poſtpoſita, diuortium celebretur; non igitur tantùm impedit cognatio ſpiritualis matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimit contractum. *Ratio ad oppoſ.*

SCHOLIVM I.

Declarat optima methodo ſeptem impedimenta matrimonij ex parte contractus, quæ ſunt impotentia, ligamen, metus, error triplex, conditio repugnans ſubſtantiæ contractus. Item, impedimenta orta ex ſtatuto Eccleſiæ: vt nimia propinquitas perſonarum; nimia propinquitas ad Dei cultum, vel enormitas.

AD iſtas quæſtiones breuiter reſpondeo, & primò dico quòd in genere quædam ſunt impedimenta conſequentia ipſum ex natura talis contractus matrimonialis, aliqua ex parte perſonarum contrahentium ex ſtatuto Eccleſiæ tantùm, & non ex natura talis contractus. Prima impedimenta ſunt circa conditiones contractus matrimonialis in ſe. Secunda circa conditiones *7. Impedimenta matrimonij, quæ & quot ſunt.*

perſonarum, vel contrahentium,& omnia impedimenta,ſiue iſta, ſiue illa, impediunt contrahendum, & dirimunt contractum ex ſtatuto Eccleſiæ. Impedimenta, quæ accidunt circa perſonas contrahentes ſunt duo. Impotentia naturalis, & alligatio facta matrimoniali vinculo certæ perſonæ. De primo iam dictum eſt, quòd impedit contrahendum, & contractum, quia nullus poteſt dare corpus ſuum ad aliquem actum exercendum, ad quem eſt ſimpliciter impotens; talis eſt impotens contrahens de facto, quia obligat ſe ad illud faciendum, quod non poteſt ſoluere. Ergo, &c.

Impedimenta ex parte contrahentium,

De ſecundo, dico quòd aliquis alteri matrimonialiter alligatus non poteſt cum alia aliquo modo contrahere: cuius ratio eſt, quia iſte contractus eſt eſſentialiter datio, vel donatio liberalis poteſtatis corporum inter coniuges contrahentes,quia quilibet contrahens transfert dominium, & poteſtatem corporis ſui in alium, cum quo contrahit; ſed transferens dominium corporis ſui in vnum, dum ipſe viuit,non poteſt transferre in alium,quia iàm priùs totaliter ſe tranſtulit in ipſum, & nemo bis dat idem, nec dat quod non habet; igitur cùm alligatus vni matrimonialiter totaliter ſe tranſtulit in dominium eius, quantùm ad poteſtatem corporis, non poteſt viuente ipſo alteri tali vinculo copulari. De hoc impedimento habetur in illis verſibus de bigamia, *& diſtinct.* 38. in Decretis, & hoc eſt vniuerſaliter verum, quod dicitur in illis verſibus de bigamia, quia in noua lege bigamia totaliter eſt deleta.

8.

Impedimenta ex parte contractus.

Impedimentum autem in matrimonio ex natura contractus, eſt multiplex. Quoddam eſt impedimentum timoris,& coactionis, & de iſto dictum eſt *ſuprà*, quia ſimpliciter impedit,quia iſte contractus matrimonialis eſt donatio libera & ex mutuo conſenſu contrahentium contingens, vel præcedens; igitur. Aliud eſt impedimentum erroris, & hoc eſt triplex, quia vel eſt error in perſona, quia credit perſonam eſſe ſexus muliebris, & eſt alterius ſexus; & iſte error impedit, quia fruſtrantur coniuges quantùm ad vtrumque per ſe fine matrimonij, tam vt eſt in officium, quàm vt eſt in remedium, & eſt contra primam eius inſtitutionem, & cauſam efficientem & formalem in ſe & materialem, & finalem, & ita contra omnes cauſas eius.

Triplex error dirimit.

Primus error in perſonâ.

Secundus error conditionis quæ dirimit.

Secundus error in conditione perſonæ, vt putans accipere liberam accipit ſeruam,& è conuerſo; & hic error conditionis perſonæ ignorare impedit matrimonium, & non ſolùm contractum matrimonij,ſed & contractum cuiuſlibet alterius commutationis iuſtæ, & hoc rationabiliter,quia congruit vt deceptis iura ſubueniant. *Extrà de rerum permutatione, cap. Vniuerſorum.* Et huius ratio eſt, quia contractus matrimonialis, ſicut & aliæ commutationes iuſtæ, ſunt aliquæ rerum æquiualentium permutationes, vt detur æquiualens pro æquiualente: ſed ſeruus & libera non poſſunt ſic corporum ſuorum poteſtatem æquiualenter permutare, quia libera dat ſimpliciter, & liberè corpus ſuum alteri contrahenti; qui eſt ſeruus, quem putat eſſe liberum, vt reddat ſibi æquiualens. Seruus autem non poteſt ſimpliciter, & liberè corpus ſuum vxori donare, cùm ſit domini ſui, nec per conſequens reddere ei æquiualens; vel igitur conſentit poſtquam ſcit ipſum ſeruum,in eum talem qualem, vel non? Si ſic, & ſufficiat ſibi pro æquiualente habere de corpore eius, quod alius poteſt dare, ſtat matrimonium. Si non,ſed vult ſimpliciter æquiualens, dirimit contractum.

Tertius eſt error mutui conſenſus interioris. Nam ſi mulier conſentiat interiùs, & exteriùs,& vir tantùm exterius conſentiat verbis cum diſſenſu interiori mentis, nullus eſt contractus,quia iſte contractus eſt contractus duarum voluntatum contrahentium ſimpliciter, & ſe ſimili modo permutantium, prout congruit cognitioni ſui finis; *Do igitur ſi des, & non do niſi des.* Igitur ſi vnus illorum non ſic ſe donet ſicut alius, ſcilicet interiùs, nihil dat, & per conſequens non contrahit. De his erroribus dictum eſt *ſuprà diſtinct.* 29. & 30.

9.

Tertius error conſenſus interioris mutui dirimit.

Sunt igitur tria impedimenta conſequentia hunc contractum ex parte materiæ, & formæ, & huius contractus in ſe aliud eſt impedimentum repugnans iſti contractui ex parte finis, & contra principalem finem eius, vt bonum prolis, vt ſi aliqua contrahens cum aliquo dicat: accipio te in meum, vt impedias bonum prolis, procurando venena ſterilitatis, ſi eueniat, & ſic accipio te ad fidem ſeruandam redditionis debiti, quæ ordinatur ad prolis procreationem, & ad prolem non procreandam, ſed ſi procreetur, impediendam; quod nihil eſt, quia contradicit matrimonio, & per ſe fini, & bono eius.

10.

Impedimenta ex parte materiæ, formæ & finis dirimentia.

Aliud eſt impedimentum repugnans formali & eſſentiali rationi huius contractus, & contra bonum ſacramenti; vt ſi aliquis contrahat cum aliqua quouſque occurrat ei pulchrior, quæ ſibi magis placeat,& hæc conditio & contractus nullus eſt, quia includit incompoſſibilia, & contradictoria: nam matrimonium eſt eſſentialiter vinculum indiſſolubile, & perpetuum: talis contractus matrimonialis: do me modò tibi, quouſque occurrat pulchrior, & quæ magis placeat, eſt de vinculo non perpetuo, & hoc eſt dicere, do me tibi perpetuò, vt non ſim tuus perpetuò.

Conditio contra ſubſtantiam matrimonij impedit.

Præter iſta impedimenta, ſcilicet ex parte contractus matrimonij in ſe ſunt alia impedimenta ex ſtatuto Eccleſiæ, & ſunt in genere tria. Primum eſt ex parte perſonarum contrahentium nimia propinquitas. Secundum eſt ſpiritualis obligatio ad cultum diuinum. Tertium, eſt peccatum, vel crimen enorme. Propter hæc enim tria Eccleſia illegitimauit aliquas perſonas ad contrahendum matrimonium.

Tria impedimenta matrimonij non ex parte contractus, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ.

De obligatione ad cultum diuinum eſt duplex impedimentum ad matrimonium, quia aliquis obligauit ſe tali cultui, vel propter ordinis ſuſceptionẽ, vel propter voti continentiæ emiſſionem.

Impedimentum cultus diuini duplex.

SCHOLIVM II.

Explicat votum ſolemne conſiſtere, non in eo quòd fiat publicè, ſed quòd habeat annexam Eccleſiæ inſtitutionem, ratione cuius debeat venire in publicum; & vouens alterius poteſtati ſubiici, docet ſolemne dirimere, & hoc ex Eccleſiæ ſtatuto. Primum patet ex cap. Inſinuante *citato. Ad oppoſitum habetur ex Trid. Seſſ. 24. cap. 9. Vide Patres citatos in Oxon. diſt. 38, in Schol. ſecundum tenent Canoniſtæ cap.* Rurſus, qui cler. vel vot. *Rich. d 38. art. 7. q. 9. Gabr. q. vnic. art. 3. Bellarm. lib. 2. de Monac. c. 34. Sanch. lib. 7. diſt. 27. eſt contra D. Thom. diſt. 38. q. 2. art. 2. & eius ſequaces.*

ET ſecundùm hoc reſpondeo ad duas quæſtiones diſtinctionum 37. & 38. de Ordine,& voto.

11.

Ad quæſt. d. 37. & 38.

to. Votum autem continentiæ, cui in aliquibus annectitur Ordo, eſt duplex, quoddam enim eſt votum ſimplex, quoddam ſolemne. nec iſta diuiſio voti eſt eadem illi diuiſioni voti: Votum aliud eſt publicum, aliud priuatum: quia & votum ſimplex, & ſolenne poteſt eſſe publicum, & priuatum, & ita vnum vnius diuiſionis complectitur vtrumque alterius diuiſionis. De voto autem ſolenni, & eius differentia ad votum ſimplex, poſteà dicetur, & habetur *extrà de votis, &c. qui Clerici cap.* 1. *Rurſus in gloſſa.* votum autem continentiæ quatuor modis ſolemnizatur. Sed duo modi ſunt, ad quos modi alij duo habent reduci. Vno modo ſolemnizatur per Ordinis ſuſceptionem. Secundo modo per alicuius Religionis approbatæ aſſumptionem, vel profeſſionem. Tertio modo per habitum profeſſi in aliqua Religione, vbi diſtinguitur habitus Nouitij ab habitu Profeſſi, & iſte tertius modus habet reduci ad ſecundum, quia hæc profeſſio Religionis tantùm eſt præſumpta, ſicut habetur *extrà de præſumptionibus.* Quarto modo, ſi aliquis ſteterit in aliqua Religione approbata per annum, vel annum completè ſine contradictione, vel remurmuratione; tunc præſumitur quòd tacitam profeſſionem fecerit, & ſic ſolennizatur votum eius præſumptiuè, ac ſi realiter profiteretur. ſicut habetur *extra de voto, & voti redemptione, cap. Votum, & extrà de Regularibus cap. ex parte in textu, & in gloſſ. &c.* & iſte etiam modus continetur ſub ſecundo.

Tam votum ſimplex, quàm ſolemne poteſt eſſe publicum & priuatum & è contra.

Quadruplicitèr ſolemnizatur votum.

Votum ſolemne duplex, profeſſionis ſcilicet & ſuſceptionis ordinis ſacri.

Omnes igitur iſti modi voti ſolemnis reducuntur ad duos primos modos, vbi votum, vel ſolemnizatur per ſuſceptionem ſacri Ordinis, vel per profeſſionem expreſſam, vel præſumptam Religionis, & de iſtis omnibus habetur *Extrà de voto*, vbi priùs. & ſic patet quomodo, & quot modis fiat ſolemnizatio voti continentiæ.

12. *Explicatur quid ſit votum ſolemne.*

Additur autem hîc quòd votum continentiæ ſolemne habet aliquid neceſſariò annexum; vnde debet venire in publicum, licèt fieret in occulto. Patet de profitente aliquam Religionem, in qua profitens obligat ſe ad conuiuendum aliis illius Religionis, in quam tranſtulit ius ſuum, quantùm ad omnia, quæ non ſunt contra Deum, & regulam ſuam, quantumcunque in ſecreto profiteatur, nam quantumcunque profiteretur in occulto inter ipſum, & ſuum Prælatum, tamen morans in illa Religione vltra annum, ex quo ſic ſe dedit Prælato, tenetur ſeruare votum ſuum in publico; ſi Prælatus aliquid in publico præciperet, alioquin non poſſet per illum compelli ad aliquid faciendum, quod eſt falſum. Hoc idem patet in Ordinibus ſacris ſuſceptis, quibus annexa eſt adminiſtratio circa Euchariſtiam, & votum continentiæ, per quæ ſacer Ordo det venire in publicum, etſi in conclaui conferretur, & ad hoc annexum poteſt conquiri ab Epiſcopo, cui ſe ſubiicit in ſuſceptione Ordinum, & tranſtulit ſe in dominium illius. Ex his igitur, applicando ad propoſitum, dico quòd ex quo votum ſolenne neceſſariò venit in publicum, quantumcunque fieret in priuato, quia vouens transfert ſe in dominium alterius, quod votum ſolemne neceſſariò impedit matrimonium.

13. *Votum ſolemne cur dirimit matrimonium.*

Sed quæ eſt ratio quare impedit matrimonium? Dico quòd non illa quam aſſignant, quia ſi talis contraheret, peccaret mortaliter; quia ſiue publicè, ſiue priuatè emiſiſſet votum nedum ſolemne, ſed etiam ſimplex, peccaret mortaliter faciendo aliquid contra votum tale, vel tale, licèt grauiùs peccaret in frangendo ſolemne, quàm ſimplex, & adhuc grauiùs in frangendo publicum, quàm priuatum, propter malum exemplum, & ſcandalum aliorum, quia ille ſimpliciter, & vno modo, iſte autem dupliciter. Vnde ſemper quocunque voto continentiæ iam emiſſo peccat mortaliter, qui poſteà contrahit, niſi fortè contraheret intentione explicita ſtatim poſt contractum intrare Religionem.

Tam ſolemne quàm ſimplex inducit obligationem ſub mortali. Inſtantia.

Sed videtur quòd iſte etiam peccaret mortaliter, ſi poſt votum continentiæ iam emiſſum, cum aliqua aliquo modo contraheret: quia ille peccat mortaliter, qui ſe à propoſito exponit peccato mortali; ſed ſic ſe exponit, qui ſtatim poſt votum continentiæ iam emiſſum cum aliqua contrahit, quia ex contractu ſe obligat ad reddendum debitum, ſi petatur, quod non poteſt ſtare cum continentia, quam priùs vouit.

Soluſio. Poſt emiſſum votum continentiæ quomodo poſſet quis contrahere.

Dico quòd non peccaret mortaliter, ſi poſt votum continentiæ iam emiſſum contraheret matrimonium, dummodo contraheret cum actuali intentione, & explicita intrandi Religionem ſtatim poſt contractum ante conſummatum, nec in hoc ſe exponit periculo, quia non obligatur ad reddendum debitum, niſi petatur. & ſi ante volet ad Religionem, quàm petatur, ſine periculo eſt, quantumcunque moretur cum illa coniuge, quia, vt dictum eſt priùs, redditio debiti non obligat contrahentem, niſi ſub conditione, ſcilicet, ſi petatur, nec etiam ſi petatur ante determinatum tempus ab inſtituente hoc Sacramentum, quia non ſtatim obligantur coniuges ad reddendum debitum, ſed poſt tempus præfixum à legis conditore, & ideò ante illud tempus poſſet contrahens ſine periculo, quantumcunque debitum peteretur, intrare Religionem. Non igitur ratio peccati mortalis eſt impedimentum de contrahendo matrimonium poſt votum continentiæ iam emiſſum, vt modò patet, nec quia votum fuit publicum coram facie Eccleſiæ, nec quia tranſgreſſio voti, ſiue publici, ſiue priuati, eſt peccatum mortale; neutrum igitur eſt tota cauſa, vt dicit Magiſter in litera.

14.

Quæ eſt igitur ratio illegitimationis in vouente ad contrahendum matrimonium poſt votum, ſiue ſit publicum, ſiue priuatum, ſimplex vel ſolemne? Dico quòd tota ratio, & cauſa eſt ordinatio Eccleſiæ, quæ ſimpliciter illegitimat omnes perſonas poſt votum continentiæ iam emiſſum ad contrahendum matrimonium conſummatum; fundamentum autem huius ordinationis ſumpſit Eccleſia à Chriſto, qui ſtatum virginalis continentiæ, & Religionis prætulit ſtatui matrimoniali, & reputauit hunc ſtatum fauorabiliorem matrimonio; ſicut patet de Ioanne * quem Chriſtus vocauit à nuptiis matrimonialibus, quod non feciſſet, niſi ſtatus, ad quem eum vocauit, fuiſſet ſimpliciter melior, & perfectior, quia Deus non minuit aliquorum perfectionem, ſed auget. Exemplo etiam iſtius Macarius & Alexius, & multi alij Sancti, poſt contractum matrimonialem reliquerunt vxores incognitas, & adhæſerunt Chriſto.

Votum ſolemne dirimit matrimonium ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ.

* Vide Maldonat. in c. 1. Ioan.

Eccleſia igitur, imò Chriſtus, reddidit hunc ſtatum excellentiorem, & illum infirmiorem, & ideò illos de ſtatu ſuperiori, ſcilicet Religioſos, & ſacris Ordinibus ordinatos, quos pro eiſdem habet, diſtinguendo ab illis, qui ſunt in Eccleſia gradus inferioris omnino ſimpliciter illegiti-

Chriſtus prætulit ſtatum continentiæ ſtatui coniugali.

mauit ad eſſendum de illo ſtatu inferiori, & in hoc multùm eos honorauit. Patet in aliis.

Ratio autem ad hoc eſt congruitas, quia faciens votum ſolemne de continendo, vel aliquid, cui annexum eſt votum continentiæ, vt ſuſcipiens ſacros Ordines poteſtatem corporis tranſtulit ſimpliciter in ſuum Prælatum, vel Epiſcopum, à quo ſuſcepit Ordines, & per conſequens quilibet illorum dat alteri poteſtatem ſuper ſeipſum, ad cogendum ipſum ad continentiæ ſolemnizationem per votum promiſſum, ſiue per Religionis ingreſſum, profeſſionem, vel per ſacrorum Ordinum ſuſceptionem firmam, & ſtabilem obſeruationem. Sed dans alicui rem aliquam ad vnum vſum, non poteſt teneri eandem dare ad vſum contrarium alicui alteri. Patet de ſe. Tum, quia res ſemel data non eſt ampliùs ſui iuris. Tum, quia ſi eſſet, non tamen ad vſum contrarium priori, ex quo ſuo perpetuo ſe donant, quantùm ad corpora ſua ad actum, & vſum contrarium continentiæ, quia ad reddendum debitum carnalis copulæ, ſi petatur. Igitur talis contractus poſt ſolemne continentiæ votum iam emiſſum, eſt nullus, & ſi poſſet probari quòd profeſſus fecit ſe alterius, vt Prælati, tunc non tantùm impediretur contrahere matrimonium ex præcepto Eccleſiæ, ſed ex natura talis contractus, & tunc non diceretur non poſſe contrahere matrimonium, quia poſt votum tale contrahere eſſet peccatum mortale, aut quia votum ſolenne conſtat Eccleſiæ; ſed quia ex natura contractus Eccleſia iuſtè adiudicauit iſtum, qui ſic, vel ſic votum ſuum ſolemnizauit, & per conſequens totaliter iterum vſui contrario ſe donauit, & ſe ſubiecit, ex tunc eſſe illegitimatum ad contrahendum, & ad iterum vſui contrario ſe donandum.

Congruit votum continentiæ ſolemne dirimere.

15. *Ad argum. q. d. 38. poſita num. 2.*

Ad argumenta quæſtionis de voto continentiæ, *diſtinct.* 38. Dico, cùm primò dicitur quòd non minùs obligat votum ſimplex, quàm ſolemne, concedo apud Deum, quia ita eſt peccatum mortale tranſgreſſio voti ſimplicis, ſicut ſolemnis, licèt peccatum vnum ſit grauius altero, & ita æquè vtrumque auertit à fine vltimo.

Sed cùm dicis vltrà: igitur ſi vnum dirimit matrimonium pòſt contractum, & aliud, nego conſequentiam, quia aliud eſt promittere dare aliquid pro futuro; aliud eſt dare illud abſolutè de præſenti; vouens autem continentiam voto ſimplici, promiſit ſe Deo ad continentiam ſeruandam, promittens autem alicui aliquam rem, non transfert rem promiſſam in dominium illius, cui illam promittit, & ideò poſt promiſſionem ante traditionem rei promiſſæ promittens manet dominus illius rei, & ideò ſi eam poſteà alicui ſimpliciter & abſolutè donet, perdet ius ſuum, & tenet donatio, licèt aliquam recompenſationem teneatur illi facere, cui illam rem priùs promiſerat; quia dando illam transfert dominium illius in alium; vouens autem ſolemniter per alicuius Religionis profeſſionem, vel alicuius Ordinis ſacri ſuſceptionem, omnino & abſolutè donat ſe Deo, & obligat ſe alicui, cui annexum eſt votum continentiæ, & ſimpliciter transfert ſe in dominium alterius; & ideò non poteſt ſe ſubiicere alteri dando ſe aliàs poſt tale votum ſemel emiſſum. Vouens autem voto ſimplici ad ſeruandam continentiam, ſi poſteà donet ſe mulieri, & è conuerſo, quantùm ad poteſtatem corporum matrimonialiter, tenet matrimonium, & illa donatio poſterior, quia non dedit ſe priùs ad alium vſum, ſed firmiter hoc promiſit. Et ideò frangens promiſſum peccat mortaliter, & tenetur ad emendam pro fractione promiſſionis; & eſt emenda talis, quòd quia donauit ſe poſteà cum culpa ſua, ideò debet reddere debitum cum dolore, & tenetur nunquàm exigere, & ſic patet quòd votum ſolemne dirimit contractum, & impedit contrahendum. Similiter & priuatum impedit contrahendum, ſed non dirimit contractum.

Per votum ſolemne fit traditio poteſtatis ſimpliciter: per ſimplex verò promiſſio tantùm poteſtatis.

Sed dices quòd eſt ſimile de voto ſimplici, & priuato, & de voto ſolemni, & ideò qua ratione vnum dirimit contractum, & aliud, & qua ratione vnum non dirimit, nec aliud; conſequentia eſt manifeſta. Antecedens probo ſic, vouens in priuato ita transfert dominium ſui in alium, vt in Deum; ſicut vouens ſolemniter transfert ſe in hominem, & in Deum; igitur non poteſt ſe alteri dare, ſicut nec vouens ſolemniter.

16. *Inſtantia.*

Dico, quòd non eſt ſimile, quia vouens ſolemniter transfert ſe, & dominium ſuum in hominem & in Deum. Vouens autem priuatè transfert dominium ſui tantùm Deo, vel in Deum. Voluit autem Deus iſtum, qui emiſit tantùm votum priuatum, & in ordine ad ipſum ſolum, eſſe obligatum vna obligatione ad ipſum obſeruandum, quam tranſgrediendo, peccaret mortaliter tantùm vno modo. Voluit autem Deus illum, qui vouit ſolemniter, tam in ordine ad Deum, quàm in ordine ad hominem, & tranſtulit ſe in poteſtatem, & dominium vtriuſque, eſſe obligatum duplici obligatione, ſcilicet ad Deum & ad hominem, quas prætermittendo peccaret mortaliter reſpectu alterius. Vnde licèt neuter alij poſſet ſe donare poſt votum emiſſum ſine peccato mortali, voluit tamen Deus nullum eſſe contractum poſt votum ſolemne ex obligatione facta ſibi, & homini, non autem poſt votum ſimplex, & priuatum ex obligatione tantùm facta ſibi.

Solutio. Diſcrimen inter votum ſolemne & ſimplex.

Solemne inducit duplicem obligationem; ſimplex vnam.

Cur ſolemne dirimit, non verò ſimplex.

SCHOLIVM III.

Soluit quæſtionem diſt. 37. Ordinem ſacrum ideò dirimere, quia Eccleſia ſtatuit. habetur ex Schol. præced. ita D. Thom. 2 2. q. 88. art. 11. Bellarm. lib. 1. de memb. Eccl. c. 18. Sanch. l. 7. de matr. d. 27.

17. *Deciſio q. d. 37. n. 1. poſita.*

EX hoc reſpondeo ad quæſtionem de ſacris Ordinibus quæſitam diſtinct. 37. *Vtrùm ſolicet facer Ordo impediat contrahere matrimonium?* & dico quòd ſic, quia votum ſolemne continentiæ, vt dictum eſt, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum; ſuſceptioni talium ordinum eſt tale votum annexum neceſſariò ex ſtatuto Eccleſiæ, etiam ſi ordinatus ad continentiam obligare ſe non intendat, dummodò ſit in eo vſus liberi arbitrij; igitur facer Ordo impedit contrahendum, & dirimit contractum.

Opinio Ben.

Sed contra hoc obiicitur ſic: nullus vouet nolens, quia votum non eſt reſpectu noliti, vel mali, ſed reſpectu boni, quod vult explicitè, vel implicitè: ſed aliquis poteſt ſuſcipere Ordines ſacros nolendo ſimpliciter votum continentiæ ei annexum, aliquo modo; igitur ſi propter nihil aliud impediat facer Ordo contrahere matrimonium, niſi propter votum annexum, ſi ordo ſacerdotalis poſſet ſuſcipi cum nolitione voti continentiæ annexi, Ordo facer ſecundùm ſe non videtur impedire matrimonium contrahendum, nec dirimere iam contractum.

Inſtantia.

Et ſi reſpondeas quòd licèt aliquis ſuſcipiens Ordi

Ordines sacros non voueat continentiam, sed simpliciter eam nolit, quia tamen recipit voluntariè id, cui necessariò est annexum tale votum continentiæ; sicut Episcopatui Sacerdotium ex consequenti vult talem continentiam.

Responsioni occurritur. Castitas non est annexa ordini ex natura rei.

Istud non valet, quia votum continentiæ non est necessariò annexum Ordinibus sacris, patet in Græcis, & illis, qui sunt de Ecclesia Orientali, qui verè Ordines suscipiunt, & tamen non continent, sed sunt mulieribus matrimonialiter copulati.

Alia responsio.

Et si dicas quòd ex parte Ordinis non potest inueniri ratio quare impedit ad contrahendum, sed tantùm hæc sit ex præcepto Ecclesiæ Latinæ, in qua antiqui Patres illius Ecclesiæ voluntariè se voto continentiæ, propter reuerentiam illius actus, in quo administrant ordinati in susceptione sacrorum Ordinum, obligabant, & per consequens Latinus ille suscipiens modò voluntariè Ordines sacros voluntariè se obligat voto continentiæ, quod illi necessariò adnectitur.

19. *Impugnatur primò.*

Sed contrà. Istud matrimonium contra præceptum Ecclesiæ cótractum, verè est matrimonium, & habetur *extrà de coniugio contra præceptum Ecclesiæ contracto, cap. ex literis*, & ratum est de facto, nec potest postea dirimi, vt habetur ibidem: igitur si iste contrahens matrimonium de facto post susceptionem sacrorum Ordinum tantùm facit contra præceptum Ecclesiæ Latinæ, & Occidentalis plagæ, non obstante tali præcepto, verè contrahit matrimonium, quia ratum est, nec potest dirimi.

Ecclesia prohibens non dirimit contractum.

Secundò.

Item, nullus potest vouere pro alio, qui sequitur eum, quia votum procedit à libero arbitrio, vel à motu liberi arbitrij alicuius, quod non potest cogi ab aliquo præcedente; igitur nec primi Patres in Ecclesia potuerunt vouere pro posterioribus sequentibus eos in Ecclesia, & ita non potuerunt eos obligare ad votum continentiæ obseruandum, in susceptione Ordinum sacrorum.

20. *Solutio Doct. Quare ordo impedit & dirimit matrimonium.*

Dico igitur quòd Ordo impedit matrimonium suscipienti illum, & dirimit contractum, non quia ordinatus vouet, nec quia votum est Ordini annexum, sed propter præceptum, & statutum Ecclesiæ, quo suscipienti Ordines sacros inhibetur matrimonium contrahendum. Quòd si illo transgresso contraheretur matrimonium, non esset verum, & ratum, & peccaret mortaliter sic faciendo contra præceptum Ecclesiæ.

Ecclesia illegitimat ordinatum ad contrahendum matrimonium.

Vnde igitur est, quòd contractus talis esset nullus, & si fieret, dirimendus esset? Dico quòd ex hoc solùm, quòd Ecclesia istum in susceptione Ordinum simpliciter illegitimat, & facit ineptum ad statum inferiorem. Ex illo enim tempore quo Ecclesia per Episcopum imponit sibi continentiam, quando conferendo sibi Ordines, petit, *si mundi, si casti, &c.* & dat sibi Ordines in publico, si ipse talibus sibi impositis non reclamat; facta est persona talis illegitima ad contrahendum matrimonium, sicut suscipiens Baptismum, etiam coactus, si non reclamet iudicatur baptizatus, & redditur tunc illegitimus ad omnem sectam inferiorem. Et in hoc, vt dictum est, multùm honoratur. De ista illegitimatione habetur *distinct. 37. cap. Presbyteris*, & dist. 37. cap. *Placuit.* quando enim Iura aliquid prohibent fieri, si non additur aliquid aliud vltra prohibitiones, tantùm sunt prohibitiones, & non statutæ illegitimationis. Et ideò si contra tales simplices prohibitiones aliquid fiat, factum est, & tenet id factum. Sed si addatur talibus prohibitionibus, quòd si aliquid contra illas fiat, illud sit irritum, & inane, tunc illegitimantur personæ facientes sic prohibitum; sic hîc statuit Ecclesia quòd tales ordinati Ordinibus sacris separentur, & applicantur tantùm ministerio Ecclesiæ. *Extra de voto, &c. cap. Qui Clerici, vel vouentes.* cap. *Insinuant.* Et ideò contractus post talem prohibitionem est nullus, etiam si fiat, quia priùs personæ sunt illegitimatæ per Ecclesiam. Si autem ex parte contractus posset inueniri aliqua ratio, quare ordinati sacris Ordinibus non possent contrahere, placeret mihi; difficile tamen credo esse inueniendum.

Prohibitio & illegitimatio in quò differunt.

Ad argumenta istius quæstionis. Ad primum, dico quòd primitiua Ecclesia pauciores habuit ministros quàm moderna, quia propter paucitatem fidelium, & indeuotionem populi, oportuit tunc accipere tales ministros fideles, quales potuit habere, non potuit tunc habere ministros volentes castè viuere; igitur alios coniugatos permisit tunc ministrare. Modò autem propter multitudinem fidelium, & deuotionem populi, in reuerentiam sacramentorum Ecclesiæ ordinauit Ecclesia omnes personas suscipientes sacros Ordines, ex tunc esse illegitimas ad contrahendum & ministrandum in statu inferiori. Tunc etiam coniuges mundiùs vtebantur coniugio suo, quàm vtantur modò, & ideò non mirum si ipsi permittebantur ministrare in Ecclesia, & non isti.

21. *Ad arg. q. d. 37.*

Quare in primitiua Ecclesia permittebatur coniugatis ministrare & modò non.

Ad secundum dico, quòd licèt quorumcunque oppositorum ex natura rei sit æqualis distantia vnius ad aliud, & è conuerso, vt albi ad nigrum & è conuerso, non tamen illorum, quæ non sunt opposita nisi ad placitum, & ex institutione Ecclesiæ. Sacer autem Ordo impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum ex statuto Ecclesiæ, quæ personam ordinatam facit illegitimam ad contrahendum, non sic autem illegitimat personam coniugatam ad sacros Ordines suscipiendum, & hoc congruè, quia processus ab imperfectiori ad perfectius est naturalis, & ordinatus, contrarius est malus & disconueniens, tam in more, quàm in natura.

Ad secũdum.

Oppositorum ex natura æqualis est distantia, non verò moralium.

SCHOLIVM IV.

Sententiam Richardi ad quæst. d. 39. de dispari cultu, ideò non valere matrimonium inter fidelem & infidelem, quia hic caret bono fidei & sacramenti, reiicit clarè Doctor, resoluens huiusmodi contractum statuto Ecclesiæ tantummodo annullari. 28. q. 2. cap. sic enim. & c. caue. *Vide ipsum latiùs de hoc in Oxon. d. 39.*

AD quæstionem illam distinctionis 39. de dispari cultu, an impediat matrimonium, cùm sit vnum crimen enorme, scilicet infidelitas, vel saltem includat in altero coniugum infidelitatem? Respondeo quòd non impedit contrahere matrimonium ex parte infidelis, quia Ecclesia talem personam non illegitimauit, cùm non sit intra gremium Ecclesiæ. Et ideò de tali, qui foris est, non est sibi cura ad aliquid iudicandum circa eum 1. *Corinth. 5.* Fidelem autem omnem, qui est intra gremium Ecclesiæ, illegitimat per respectum ad quemcunque infidelem, ne possit contrahere cum aliquo, vel aliqua tali, sicut habetur. 2. Cor. *6. Nolite iugum ducere cum infidelibus.* & alibi frequenter in Scriptura.

22. *Decisio dist. 39.*

An infidelitas impedit matrimoniũ.

Assignant pro hoc aliqui talem rationem: Fides est bonum matrimonij in ordine ad prolem generan

Ratio Rich. hic art. 1. q. 3.

generandam, & religiosè educandam ad cultum Dei, ſed in infidelibus non eſt fidelitas, quo ad Deum, nec quo ad finem matrimonij, & bonum prolis religiosè educandæ. Si autem quo ad hominem ſit fidelis cum infidelitate ad Deum & ad iſtum finem, non eſt hoc eſſe fidelem, niſi ſecundùm *quid*; igitur fidelis cum infideli, nec è conuerſo, poteſt contrahere matrimonium.

Matrimonium fidelis cum infideli nullum iure tantum Eccleſiæ.

23. *Reiicitur primo.* Contra hanc rationem arguo ſic: ſi iſta ratio eſſet bona, tunc inter infideles non eſſet matrimonium, quia non contrahunt in ordine ad iſtum finem, vt ſcilicet proles genita religiosè educetur, &c. Sed magis ad oppoſitum; quia infidelis trahit prolem ad infidelitatem: hoc autem eſt contra Apoſtolum 1. *Cor.* 7. qui dicit, *Quòd ſi mulier fidelis nupſerit cum infideli, non dimittat eum.* Si autem non ſtaret tunc matrimonium inter eos, cùm iubeat eos non ſeparari, concederet eis licentiam fornicandi; ſi enim non recipit cum in virum, niſi vt redderet ſibi debitum, cùm peteret, & Apoſtolus iubet eum non dimitti propter infidelitatem, niſi actu, blaſphemaret: concedit igitur eum ad eundem actum, vel matrimonialiter, vel fornicariè perſoluendum.

Tempore innocentiæ & legis ſcriptæ erant vera matrimonia, non tamen Sacramẽtum matrimonij.

Secundò. Præterea, tunc non poſſet aliquis contrahere cum hæretico, quia ipſe non eſt fidelis quo ad Deum, quia nihil habet de fide infuſa formata; ſed illud eſt falſum, & contra Magiſtrum in litera.

24. *Alia ratio aliorum.* Alij autem aſſignant aliam rationem talem; vbi non eſt ratio Sacramenti, ibi non eſt, nec poteſt eſſe ratio contractus matrimonialis, quia matrimonium non eſt ſine gratia; ſed inter tales non eſt ratio Sacramenti, quia eis non confertur gratia; igitur nec Sacramentum, vel matrimonium: nullus enim fidelis debet velle contrahere matrimonium, vbi non poteſt ſibi conferri gratia; quomodo faceret, & vellet, ſi contraheret cum infideli, vel hæretico, ibi enim non confertur Sacramentum ex parte infidelis; igitur.

26. *Congruentia cur in initio Eccleſiæ infideli permittebatur cohabitare cum infideli.* Ratio autem quare in primitiua Eccleſia infideles permittebantur habitare cum fidelibus conuerſis ad fidem, fuit rationabilis, & congrua, vt ſcilicet, infideles per huiuſmodi moram traherentur ad fidem: *ſaluatur enim*, ſecundùm Apoſtolum 1. Cor. 7. *vir infidelis per mulierem fidelem*, & propter hoc permittebatur ad tempus diſpar cultus, & infideli habitare cum fideli.

Reiicitur primò. Contrà, ſicut dixi ſuprà. Non quæcunque ſigna certa alia, quàm verba, per quæ contrahitur matrimonium inter mutos, faciunt matrimonium Sacramentum nouæ legis, in quo confertur gratia, inter quos tamen eſt verum matrimonium, vel verus contractus matrimonialis; quia ad huiuſmodi contractum ſufficit quodcunque ſignum certum à contrahentibus inſtitutum ad mutuam donationem corporum illorum deſignandum. Patet, quia diuerſis temporibus vſi ſunt antiqui Patres diuerſis ſignis, & non tantùm verbis determinatis, quibus nos vtimur in noua lege. Ad hoc tamen quòd contrahatur matrimonium Sacramentum, certa verba expreſſa à contrahentibus, tanquam ſignum determinatum ad repræſentandum mutuum conſenſum eorum interiorem, & gratiam, quæ ſibi confertur requiruntur; igitur inter mutos verè poteſt contrahi matrimonium, licèt non Sacramentum.

Poteſt eſſe matrimonium inter aliquos, & non Sacramentum.

Sed iſta ratio modò non habet locum, quòd aliquis poſſet contrahere cum infideli, vt illum traheret poſt matrimonium ad fidem, quia ſi infidelis non traheretur ad fidem propter amorem, & dilectionem, quam habet ad hoc vt copularetur cum fideli, multò minùs traheretur ad fidem quando iam copulatus eſſet; quia copulati ſimul in matrimonio, non ita citò conuerterentur ex amore ad fidem poſt contractum ſicut antè, nec tanto amore permaneret in copula, quanto voluit copulari. Vnde quando aliquis infidelis non vult conuerti ad hoc vt poſſit cum fideli copulari, ſed poſtquam iam copulatus eſt, præſumendum eſſet quòd vellet fidelem peruertere, & tunc etiam ſi matrimonium eſſet contractum, diſſoluendum eſt: nam ſi infidelis nollet habitare cum fideli, niſi cum blaſphemia creatoris, ſeparari debent ab inuicem.

Ratio prohibitionis huius cohabitationis fidelis cum infideli.

Secundò, Item iſtud patet de parentibus, qui contrahunt pro filiis verum matrimonium, aliàs filij ex eis poſtea procreati eſſent illegitimi, & tamen non eſt matrimonium Sacramentum, quia parentes non conferunt eis gratiam, quando inuicem inter ſe conſentiunt, pronunciantes illa verba, & tunc contrahunt primo matrimonium, vt eſt Sacramentum.

27. *Ad arg. q. d. 39. poſita n. 3.* Ad argumenta iſtius quæſtionis. Ad primum, cùm dicitur de Ioſeph, & Moyſe, & quòd in lege naturæ, contractus matrimonialis cum infideli non fuit prohibitus: dico quòd tempore legis naturæ non fuit prohibitum contrahere cum infideli, & ideò tunc temporis non fuit peccatum.

Quare in lege ſcripta fuit prohibitum filijs Iſrael contrahere cum infidelibus.

Et ſi dicas quòd tempore legis ſcriptæ fuit prohibitum, & tamen multi fecerunt contrarium, & non propter hoc vituperantur in Scriptura. Patet de Salomone, & Eſther, & aliis multis, qui duxerunt alienigenas, & infideles: Dico quòd illa prohibitio facta filiis Iſraël tunc temporis non erat niſi de non contrahendo cum Chananæis, & illis ſeptem generationibus, ſcilicet, Pheræis, Amorrhæis, Ethæis, Iebuſæis, &c. qui erant peſſimi homines, & propter eorum peruerſitatem, & obſtinationem citò extirpandi de populo Dei. Citiùs enim peruerterentur Iudæi ad ritum eorum peruerſum, quàm ipſi conuerterentur ad fidem, & ritum Iudæorum; & ideò prohibitum

Reiicitur secundò. Respondeo igitur ad quæſtionem, quòd fidelis non poteſt contrahere cum infideli, & hoc quia Eccleſia illegitimauit quemcunque fidelem ad contrahendum cum quacunque infideli, ſicut habetur *diſtinct.* 28. *quæſt.* 1. *cap. ſic enim. & quæſt.* 4. *cap. caue.* non propter hoc quia non eſſet matrimonium inter eos, ſed quia non eſt Sacramentum. quia tempore innocentiæ, & legis ſcriptæ, verè fuerunt contractus matrimoniales, & vera matrimonia, non tamen Sacramentum matrimonij, quia Sacramentum matrimonij tantùm eſt in noua lege, vel ſi non tantùm; maximè tamen ibi, quia Sacramenta non habent efficaciam, niſi à paſſione Chriſti exhibita, vel præuiſa exhiberi. Sed ſi primi parentes ſtetiſſent in ſtatu innocentiæ, & non fuiſſent lapſi, non fuiſſet paſſio Chriſti exhibita, vel præuiſa; igitur etſi Deus contuliſſet matrimonio eorum tantam gratiam, vt modò confert, & feciſſet de matrimonio eorum Sacramentum, quia eſſet ſignum gratiæ collatæ & ſacræ rei; non tamen fuiſſet Sacramentum, vt eſt modò, quia modò habet efficaciam à paſſione Chriſti exhibita, vel præuiſa, quam tunc illo modo non habuiſſet, quia alio modo potuit tunc dare eis gratiam, quam iſto modo in ſigno ſenſibili, & Sacramento, quia ſine omni tali ſigno.

25. *Mens Doctoris.* Reſpondeo igitur ad quæſtionem, quòd fidelis non poteſt contrahere cum infideli, & hoc quia Eccleſia illegitimauit quemcunque fidelem ad

hibitum erat contrahere cum illis, nè coniux infidelis peruerteret fidelem. De aliis autem infidelibus non erat prohibitum. Vnde Eſther Iudæa contraxit cum Aſſuero infideli; qui non erat Chananæus. Salomon verò nupſit cum Chananæa, quæ poſteà peruertit eum à fide ſua; & ideò non excuſo eum; quin ipſe fuerit peſſimus homo, quia nunquam fuit aliquis tantum donis Dei dotatus, qui ita fuit ingratus, & ita malè vſus ſit illis. Excuſet eum, qui vult, fecit enim ſtupra plurima, & peſſima cum alienigenis, pro quorum quolibet quilibet de lege ſua fuiſſet reus mortis. Duxit etiam multas vxores ſine diſpenſatione facta cum eo à Deo, quod non licuit ſibi ſecundùm legem ſuam. Imò credo quòd ſi omnes fuiſſent Iudææ, ſicut non fuerunt, quòd adhuc peccaſſet mortaliter contra legem ſuam.

Luxuria Salomonis peſſima.

De Moyſe verò & Ioſeph, dico quòd non contraxerunt cum aliqua de illis nationibus peſſimis, ſed cum aliis de gente ſpeciali, quæ citò potuerunt conuerti ad fidem, & ideò ipſi non peccauerunt.

Ad ſecũdum.

Ad aliud, dico quòd non eſt eadem ratio impediendi matrimonium, & dirimendi contractum, quia præſumendum eſt quòd maiori amore, & citiùs infidelis conuertatur ad fidem ex deſiderio, quod habet ad contrahendum, quàm poſt contractum. Et ideò impedimentum vniuerſale eſt de contrahendo de infideli, niſi velit ſtatim in contrahendo conuerti ad fidem, quia ſi non vult conuerti ad fidem in contrahendo, multò minùs nec poſt contractum. Quare ſi de facto contraxerint matrimonium, dirimendum eſt, quia præſumptio eſt quòd infidelis non vult conuerti ad fidem, ex quo in principio in contrahendo noluit, ſed magis, quòd fidelem velit à fide peruertere, vel cohabitare eum blaſphemia Creatoris.

SCHOLIVM V.

Ad quæſtionem diſtinctionis 40. explicat triplicem cognationem, conſanguinitatis, affinitatis, & ſpiritualis propinquitatis. Item, gradum lineam. Et ponit regulas perſpicuas ad rem hanc clarè intelligendam: quarum quarta eſt, matrimonium nunquam licuiſſe in primo gradu lineæ rectæ ex Leuit. 18. *modò in linea tranſuerſa licèt vltra quartum gradum,* cap. non deber, de conſanguin.

28. *Deciſ. quæſt. diſt. 40. n. 4.*

CIrca ſolutionem quæſtionis propoſitæ circa diſtinctionem 40. ſciendum eſt quòd præter impedimenta ſupradicta matrimonij, quæ ſunt ex parte contractus, ſunt alia tria impedimenta ex parte perſonarum contrahentium, quæ dicuntur impedimenta propinquitatis. Propinquitatum autem, quæ impediunt matrimonium, quædam eſt propinquitas carnalis propriè dicta; quæ dicitur *conſanguinitas*, quædam minùs propriè dicta, & vocatur *affinitas*. Tertia eſt propinquitas ſpiritualis, & non carnalis per Sacramentorum diſpenſationem, vel collationem contracta, & hæc dicitur *cognatio ſpiritualis*. Circa primam propinquiratem, quæ dicitur conſanguinitas, & de qua mota fuit quæſtio *diſtinct.* 40. tria declaro.

Triplex cognatio declaratur.

Conſanguinitas quid?

Primò, pono definitionem conſanguinitatis, quæ breuiter eſt *quoddam vinculum perſonarum ab eadem perſona, vel ſtipite deſcendentium carnali propagine contractum.*

Secundò, dico quòd prima perſona in iſto proceſſu carnali vocatur *ſtipes*, reſpectu cuius eſt conſanguinitas, & linea graduum aſcendentium ad primum, vel ab ipſo deſcendentium. Pater enim in linea deſcendente eſt truncus, & filius additur ei, & diſtat ab eo in primo gradu, & nepos in ſecundo gradu. In linea aſcendente filius eſt truncus, & pater additur ei, & diſtat ab eo in primo gradu, auus in ſecundo, & ſic de aliis.

Quid ſtipes?

Tertiò dico, quòd *linea conſanguinitatis eſt ordinata collectio perſonarum conſanguinitate vinctarum procedentium ab eodem ſtipite, habens diuerſos gradus, & eos ab vnitate ſtipitis ſecundùm numerum diſtinguens.* Hæc autem linea poſſet tripliciter diuidi: nam quædam eſt linea perſonarum deſcendentium à prima perſona, & à ſtirpe directè. Quædam autem eſt linea directè aſcendentium ad primum, & quædam eſt linea tranſuerſalis perſonarum inter ſe, ſed non abſolutè, ſed in comparatione ad eum, à quo æqualiter diſtant, & attinent.

29. *Quid linea?*

Linea triplex.

Secundùm autem lineam aſcendentem à propagato ad propagantem computatur, ſicut pater & mater, auus & auia, proauus & proauia, atauus, atauia. Secundùm lineam deſcendentem, à propagante ad propagatum computatur, ſicut filius & filia, nepos & neptis, pronepos & proneptis, abnepos, abneptis, & eadem eſt linea aſcendentium & deſcendentium, quia inter eadem extrema; ſicut eadem eſt via ab Athenis ad Thebas, & è conuerſo. Alia tamen & alia eſt habitudo inter perſonas aſcendentes, & deſcendentes; quia aliæ & aliæ ſunt perſonæ, & tam in linea aſcendente, quàm deſcendente poteſt computari ad propagatum, vel è conuerſo immediatè, vel mediatè. Immediatè in linea aſcendente à propagato ad propagantem, pater, auus, abauus, mediatè auus, abauus. Similiter in linea deſcendente à propagante ad propagatum poteſt computari immediatè, vel mediatè. Immediatè ſicut filius, nepos, pronepos, &c. mediatè, nepos, &c.

Linea aſcendens.

Linea deſcendens.

Secundùm verò lineam tranſuerſalem computantur perſonæ propagatæ, ſic filij duorum fratrum, nepotes duorum frattum, & hoc poteſt fieri immediatè, & mediatè, ſicut in linea aſcendente & deſcendente, ſicut patebit. Linea autem tranſuerſalis dicitur, quando neutra perſonarum eſt ab alia, ſed ambæ à tertia, vt à ſtipite communi, & hoc vel immediatè & ſic ſunt in eadem linea tranſuerſali æqualiter duo fratres, vel frater & ſoror, vel filij duorum frattum, quia æqualiter diſtant, & ſunt ab eodem patre, vel æqualiter, licèt non immediatè, & ſic ſunt in linea tranſuerſali duo nepotes reſpectu vnius aui, vel procedunt ab eodem ſtipite inæqualiter, & ſic ſunt in iſta linea inæqualiter, vt filius & conſanguineus germanus.

Linea tranſuerſalis.

Quartò, dico quòd *gradus eſt determinata propinquitas perſonæ ad perſonam procedentem ab eadem perſona ex carnali propagatione prouenien*s, quia determinata propinquitate cognoſcitur quanta generationis diſtantia duæ perſonæ diſtent inter ſe. Vnde propriè accipiendo *gradum*, non eſt niſi inter illos de linea aſcendente, & deſcendente; propagatum, & propagantem, inferiorem, & ſuperiorem, & è conuerſo, quantùm ad ſitum rectum in linea recta. Tamen generaliter accipiendo *gradum*, licèt iſte, qui eſt propinquus alteri in linea tranſuerſali, propriè non ſit inferior eo, qui non deſcendit ab eo, tamen eſt ab aliquo alio, qui eſt eiuſdem ſitus cum illo, quando ſcilicet

30. *Quid ſit gradus cognationis.*

ſcilicet iſte eſt in ſimili gradu, vel ſitu in illa linea, in quali gradu eſt alius in illa linea.

Corollarium primum.

Et ex hoc ſequitur quoddam Corollarium; ſcilicet quòd gradus in linea recta virtuoſior ſit, quàm in linea tranſuerſali. Patet de fratre & ſorore, qui ſunt eiuſdem gradus in linea recta ad patrem, quia æqualiter diſtant à patre; propinquiùs tamen ſe habet frater ad patrem, quàm ad ſororem, quia primò conſideratur idem gradus in linea recta; ſecundò, idem gradus in linea tranſuerſali. Et ex hac maiori propinquitate filij ad patrem, vel matrem, quàm ad ſororem, propter virtuoſitatem gradus in linea recta maiorem, quàm in linea tranſuerſali, ſequitur quòd in lege naturæ potuit eſſe, & fuit neceſſariò contractus cum ſorore, non autem cum matre.

Matrimonia nunquam licuit in primo gradu lineæ rectæ, ſecus in tranſuerſa.

31. *Secundum corollarium.*

Secundum Corollarium eſt, quòd in linea aſcendente & deſcendente tot ſunt gradus, quot perſonæ, vna minus. Ratio huius eſt, quia tot ſunt generationes, quot ſunt perſonæ, vna generatione minus, quia prima perſona ſupponitur ingenita; igitur ſi Enoch fuit ſeptimus ab Adam, non ſunt niſi ſex generationes ab Adam vſque ad Enoch, quia Adam ſupponitur primus & ingenitus; igitur cùm gradus ſit propinquitas determinata inter perſonas procedentes à prima, tot erunt, quot perſonæ, vna minus. In linea autem tranſuerſali, ſi duo æqualiter ſe habeant ad ſtipitem, tunc idem eſt iudicium de gradu illorum, ſicut de gradu in linea recta, quia æqualiter diſtant à ſtipite, & à tertio, & neuter eſt alio propinquior. Si autem non æqualiter ſe habeant ad tertium, & ad ſtipitem, verbi gratia, vna perſona in quarto gradu, alia in ſecundo, vel primo gradu conſanguinitatis, tunc computatur gradus ille inter illos, qui ſunt in tali linea, per reſpectum ad remotiorem à ſtipite. Et ratio eius eſt, quia ex quo non habent gradus nec attinentiam, niſi per reſpectum ad ſtipitem, quia ſcilicet per ſtipitem coniungitur, & ille plus diſtat à ſtipite, ideò tantum diſtant ab illo; de hoc habetur *extrà de conſanguinitate cap. vltimo.* Tertium corollarium, vel regula eſt talis, quòd quoto gradu remotior diſtat à ſtipite, tanto diſtat à quolibet alio in linea tranſuerſali non magis remoto, vel magis diſtanti, & ratio huius apparet ex regula præcedente, quia ſibi inuicem non attinent, nec coniunguntur niſi per ſtipitem.

Tertium.

32. *Quartum.*

Quartum corollarium, vel regula eſt de potentibus contrahere matrimonium in his gradibus. Nimia propinquitas in conſanguinitate impedit matrimonium; etiam ex dictamine Iuris naturæ, aliqua ex dictamine legis diuinæ, aliqua ex dictamine Eccleſiæ. Ex dictamine legis naturæ prohibetur matrimonium filij cum matre, & filiæ cum patre. Vnde in lege naturæ dictum eſt Geneſ. 2. *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ*, vbi ſatis expreſsè dat intelligere, quòd nec patris ad filiam, nec matris ad filium debet eſſe coniugium, quia ſi ſic, tunc non relinqueret homo patrem, & matrem celebrando, vel contrahendo matrimonium.

Conſanguinitas impedit matrimoniũ vel iure naturæ, vel diuino, vel Eccleſiaſtico.

Ius etiam naturale dictat maiorem reuerentiam parentibus, quàm coniugibus exhiberi, & non ita turpiter tractare parentes, vt coniuges. Magis tamen eſſet contra ius naturale, quòd filius contraheret cum matre, quàm filia cum patre: nam vxor naturaliter debet eſſe viro ſubiecta, mater nullo modo debet eſſe filio ſubiecta, licèt filia poſſet patri ſubiici. Filij igitur cum matre matrimonium eſt contra legem naturæ. Vnde animalia bruta abhorrent, & indignantur cognoſcere matres ſuas, ſicut dicitur, *lib. 8. de Animalibus de Camelo*, qui cum ſaltaſſet ſuper matrem ſuam coopertam, poſtquam cognouit eam eſſe matrem ſuam, interfecit ingeniatorem. Similiter narrat ibi de equo, qui cùm cognoſceret matrem ſuam coopertam, & poſtquam recognouiſſet quòd eſſet mater eius, fugit, & proiecit ſe de alto, & mortuus eſt.

Quare eſſet magis contra legem naturæ matrimoniũ filij cum matre quàm filiæ cum patre.

Natura abhorret copulam cum parente.

Ex lege etiam diuina prohibentur conſanguinei in primo gradu, & ſecundo, ex vna parte tantùm matrimonialiter copulari; ſicut patet *Leuit.* 18. cuius ratio eſt, nè ſi tales perſonæ poſſent matrimonialiter copulari, faciliùs daretur incentiuum luxuriæ, eo quòd tales perſonæ frequenter ſolent in eadem domo cohabitare.

Lex diuina idem prohibet.

Ex ſtatuto autem Eccleſiæ prohibentur modò conſanguinei contrahere etiam in tertio, & in quarto gradu, quia vſque ad illum gradum ſatis conuenit durare vinculum amicitiæ ex natura cõſanguinitatis. In aliis autem gradibus vſque ad ſeptimum olim prohibebantur nubere: ſed Innocẽtius III. reſtrinxit vſque ad quartum gradum, & extra illum conceſſit matrimonia poſſe celebrari. De hoc habetur *extrà de conſanguin. cap. Non debet.*

Lege Eccleſiaſtica idem cauetur.

SCHOLIVM VI.

Ad quæſtionem diſtinctionis 41. definit affinitatem, & ponit regulas pro declaratione graduum eius. hac dirimit vſque ad quartum gradum incluſiuè d. cap. Non debet, *ſed ex illicito coitu, tantùm ad ſecundum gradum, ex Trid. Seſſ. 24. cap. 4. oritur etiam ex matrimonio rato. Vide Doct. in Oxon. diſt. 41. & ibi Scholium. Publica honeſtas, quæ oritur ex ſponſalib. poſt Trid. Seſſ. 24. cap. 3. dirimit tantùm in primo gradu: olim dirimebat vſque ad quartum.* cap. vnic. de ſponſal. 6. *De his multa videri poſſunt apud Sanch. l. 7. de matr. diſt. 64, & trib. ſequent.*

33. *Reſolutio quæſtionis, diſt. 41. n. 5. Quid ſit affinitas.*

AD quæſtionem de affinitate, qua quæritur circa diſt. 41. dico quòd *affinitas* non *eſt* niſi *quædam propinquitas, vel coniunctio contracta coniugis ad conſanguineam alterius coniugis*, & hoc dico matrimonio conſummato cum coniuge. Vnde *affinitas* dicta eſt quaſi *acceſſio ad fines* alterius, id eſt, ad terminos ſuæ cognationis, & ſecundùm hoc dico quòd affinitas habet tot gradus in linea recta, quot habet conſanguinitas, quia in quoto gradu conſanguinitatis diſtat aliquis ab vno coniuge, in tali gradu affinitatis diſtat ab eodem; hæc ſit prima regula de affinitate.

Eiſdem gradibus impediunt conſanguinitas & affinitas.

Secunda regula eſt iſta, quòd in quoto gradu conſanguinitatis prohibetur matrimonium, in eodem gradu affinitatis ſimiliter prohibetur matrimonium. Vel ſic: in quocunque gradu impedit matrimonium contrahendum conſanguinitas, in eodem impedit & affinitas. Dico etiam vlteriùs quòd in ſponſalibus, & in matrimonio non conſummato eſt aliud impedimentum, de quo adhuc nihil dixi: quia dicitur iuſtitia publicæ honeſtatis oriens ex iſtis ſponſalibus. Vnde non eſt affinitas matrimonij inter contrahentes ſponſalia, ſed quædam alia propinquitas, & ideò eſt aliud impedimentum, quàm affinitas. Et de hoc impedimento eſt regula, quòd nullus conſanguineus ſponſi poteſt ducere ſponſam aliquam illius conſanguinei, nec conſanguinea ſponſæ illum, cùm tamen ſponſalia nulla ſint

Aliud eſt impedimentum publicæ honeſtatis in ſponſalibus.

de

de Iure,cùm ſit defectus conſenſus,vt infra ætatem, quia cum conſenſu eſſet matrimonium, ſi eſſet in legitima ætate; nec eſt alia ratio, niſi quia eſt quædam honeſtas contenta ſub iuſtitia publicæ honeſtatis.De iſta honeſtate publica & iuſtitia eius habetur.*Extrà de ſponſalibus: & eſt hodie in 6.libro.*

SCHOLIVM VII.

Ad quæſtionem diſtinctionis 42. remittit ſe ad lib.6.tit. de cognatione ſpirit.*Poſt Trid.ſeſſ.24. c.2. hoc impedimentum tantùm contrahitur inter baptizantem;confirmantem,& tenentes ex vna parte:baptizatum,confirmatum, horúmque parentes ex altera.Adde impedimentum adoptionis:quod afficit adoptantem,eiuſque vxorem ac filios ex vna parte, & adoptatum ex alia* c.1. de cognat. Reg. *Epilogando ſpecificat octo impedimenta ex ſtatuto Eccleſiæ,quòd ſi iungas quatuor ex natura contractus faciunt duodecim impedimenta dirimentia. Aliter numerat in Oxon. hic diſt.42.ſed in idem recidit, quia aliqua ex his diuidit in plura.*

34. *Reſolutio qu.diſt.42. Cognatio ſpiritualis qua.*

AD quæſtionem de cognatione ſpirituali quæſitam circà diſtinctionem 42. dico quòd talis cognatio impedit matrimonium.Eſt autem *cognatio ſpiritualis propinquitas quædam perſonarum contracta ex collatione Sacramẽtorum Baptiſmi,& Confirmationis,& ex hoc quòd aliquis tenet ſuſcipientem ad recipiendum hæc ſacramenta.* Et hæc propinquitas ſi præcedit contractum matrimonium,impedit contrahendum,& ſi ſequitur,dirimit contractum.

Cognatio ſpiritualis impedit,& dirimit, ſi non ſuperueniat.

Si autem ſuperueniat iam contracto non dirimit, ſicut patet *extra de cognatione ſpirituali, cap.Veniens,& in 6.libro in illo titulo*, vbi additur quòd cognatio ſpiritualis in dando, vel tenendo catechumenum impedit matrimonium.Ratio autem quare hæc cognatio ſpiritualis impedit matrimonium,& dirimit contractum,poteſt eſſe talis. Sicut homo per carnalem generationem accipit *eſſe* naturæ, ita per regenerationem ſpiritualem accipit *eſſe* gratiæ: igitur ſicut per generationem carnalem contrahit generans cum parentibus vinculum cognationis carnalis, ita per regenerationem ſpiritualem contrahit regeneratus cum dante Sacramentum, qui tenet vicem patris, & cum tenente ipſum ad recipiendum illud Sacramentum,qui tenet vicem matris,quandam cognationem ſpiritualem,& ideò ſicut cognatio carnalis impedit,ita cognatio ſpiritualis. Hæc autem propinquitas cognationis ſpiritualis oritur inter baptizatum,& baptizantem,& illum,qui tenet eum ad Baptiſmum,& inter patrem, & matrem baptizati, fratres & ſorores eius ad illos, qui tenuerunt eos ad Baptiſmum. Eodem modo de Confirmatione.

35. *Aſſignantur vniuerſa impedimenta dirimẽtia matrimonij.*

Ex prædictis igitur patet quòd ſeptem ſunt impedimenta ad contrahendum,ſcilicet votum continentię ſolemne,ordo,machinatio in mortem alterius, coniugis infidelitas. Et hæc ſunt impedimenta ex natura contractus. Alia ſunt impedimenta ex parte perſonarum contrahentium:conſanguinitas, affinitas,cognatio ſpiritualis.Additur octauum impedimentum, quod contrahitur ex ſponſalibus,quod vocatur iuſtitia publicæ honeſtatis. Quatuor autem ſunt alia impedimenta nominata priùs, & ita ſunt 12. vel 13. impedimenta in vniuerſo, ſicut patet per illos verſus factos de eis*.

* Vide hos verſus in Oxon.d 42. n.11.

Ad primum argumentum de conſanguinitate circa diſtinct.40.cùm dicitur quòd tempore legis naturæ frater contraxit cum ſorore,iã ſolutum eſt,quòd hoc fuit propter neceſſitatẽ generationis ad prolem procreãdam ex præcepto Dei facto de hoc. Nec hoc fuit contra legẽ naturæ de ſorore, licèt fuiſſet contra legem naturæ de matre,quia præceptum de multiplicatione eis factum non potuit tunc temporis aliter adimpleri, quàm quòd filius contraheret cum ſorore,quia non erant tunc aliæ mulieres. 36.

Ad ſecundũ. Ad aliud de amicitia.Dico quòd aliquæ ſunt amicitiæ & coniunctiones, quæ repugnant iſti contractui ſuper amicitiam. Quæd m enim eſt amicitia,quæ non repugnat iſti contractui,nam ſicut vna communicatio quandoque impedit aliam,ita amicitia fundata ſuper vnam cõmunicationem poteſt impedire amicitiam fundatam ſuper aliam communicationem. Amicitia autem conſanguinitatis, & cognationis carnalis,licèt in ſe ſit magna, & bona, firmans domum,& familiam, tamen amicitia, quæ debet eſſe inter coniuges propter rationem communicationis,ſuper quam fundata eſt, magis eſſet impeditiua,quàm promotiua,quia ex hoc daretur incentiuum luxuriæ,quia tales perſonæ frequenter ſimul habitant, & ita magis diſſiparet domum,& familiam,quàm firmaret.

Vna communicatio quandoque impedit aliam.

Ad rationem oppoſitam. Ad argumentum in oppoſitum, dico quòd hoc erat dictum pro tempore legis ſcriptæ, quando non erat licitum coniungi cum ſorore, quia tunc non erat tanta neceſſitas, ſicut tempore legis naturæ.

37. *Ad primum arg.diſt.41.* Ad primum argumentum quæſtionis de diſtinct.41.de affinitate, cùm dicitur quòd eſt effectus matrimonij præcedentis,non ſequentis, effectus autem non impedit cauſam, & ita affinitas non impedit matrimonium præcedens, ſed aliud ſequens eam.

Ad ſecũdum Ad aliud, cùm dicitur quòd inceſtuoſus cognoſcens vxorem ſororis ſuæ, non ſeparatur propter hoc ab vxore. Dico quòd ante matrimonium contractum cum vna inceſtus perpetratus cum ſorore,vel cognata eius benè impediret matrimonium contrahendum, quia æquè contraheretur affinitas per carnalem copulam ad conſanguineos vtriuſque,quia nec vnus,nec alter poſſet contrahere cum conſanguineis alterius infra quartũ gradum.Sed ſi ſequatur iam contractum, & ſuperueniat affinitati iam contractæ,non dirimit matrimonium iam contractum,quia hoc in iniuriam,& præiudicium foret legitimæ vxoris,quæ nihil demeruit, & ita iniuſtè ſine ſua culpa puniretur, quod eſt contra intentionem Eccleſiæ illegitimantis tales perſonas,quæ non vult lucrum ſuum tali dãno compenſari. Ille inceſtuoſus nõ debet gaudere de culpa,nec eſt immunis à pœna,quia nõ debet petere debitum, ſed reddere petenti cũ dolore.

Inceſtus ſubſequẽs & ſuperueniens nõ dirimit, ſecus verò præcedens.

Inceſtuoſus non poteſt petere debitum; debet tamen reddere.

Similiter poſt mortem vxoris non debet cum alia cõtrahere ex præcepto Eccleſiæ; & ſi faciat,peccat mortaliter, tenet tamen matrimonium ſic contractum.

38. *Ad argum. diſt 42.* Ad argumentum de diſtinct.42.de cognatione ſpirituali,quando dicitur quòd ſiue ſciẽter, ſiue ignorãter ſuſceperit de ſacro fonte,&c.Dico quòd cognatio ſpiritualis ſuperueniens matrimonio iam contracto, non opponitur ei quantùm ad eſſentiam. Nam nullum impedimentum ſuperueniens matrimonio rato

iam contracto ſoluit illud quantùm ad vinculum excepta morte ſpirituali,vel carnali. Quãdoque tamen impedit, quantùm ad debiti exactionem,quandoque non.Si enim alter coniugum non ſuſcepit alterius coniugis filium, ſeu illum baptizauit in articulo neceſſitatis, nihil ſibi præiudicatur per talem cognationem ſpiritualem,quantùm ad debiti exactionem, ſeu redditionem, Item, dico quòd ignoranter hoc fecerit etiam præter caſum neceſſitatis,ſicut patet *extra de cognatione ſpirituali,cap.ſi vir.*Si autem ſine neceſſitate,& ex certa ſcientia hoc fecerit,ſibi præiudicat, quantùm ad exactionem, quod videtur poſſe probari per hoc,quod dicitur in Decretali prædicta in fine, *quia fraus ſua non debet ſibi patrocinari.*

Quando & quomodo cognatio ſpiritualis ſuperueniens, matrimonium impedit.

DISTINCTIO XLIII.

De reſurrectione mortuorum.

QVÆSTIO I.

Vtrùm generalis reſurrectio omnium ſit futura?

D.Thom.3.*p.q.*53.*art.*1.*& in addit.q.*69.*art.*1.*& hic q.*1. *art.*1.D.Bonau,*art.*1 *q* 1.2.*&* 3 Rich. *art.*1 *q.*1. Suarez 3.*p.tom.*2.*d.*50.*ſ.*2.*&* 3.Scot.*hic q.*1.*&* 1.*Phyſ.q.*24.

1. *Arg. primum negatiuum.*

VIDETVR quòd non.Quia Eccleſ. 3.dicitur quòd *vnus eſt interitu,hominum & iumentoram*,ſed iumenta non reſurgũt;igitur nec homines. *Secundum.* Item *de Gener.text.vlt.&* 5.*Phyſ.* Quæ corrumpuntur ſecundùm ſubſtantiam, non poſſunt redire eadem numero, ſed ſpecie; ſed ſubſtantia hominis pro ſtatu iſto eſt incorruptibilis,& corrumpitur;igitur licèt poſſit redire eadem ſpecie,non tamen eadem numero.

Tertium. Item, homo eſt quoddã totum compoſitum: totum requirit vnionem partium, quoniam ſine tali vnione partium non eſt totum,cùm totum nec ſit partes coniunctim,vel diuiſim, ſed aliquid aliud,ſicut probat Philoſophus 7.*Metaph.in fine*:igitur nõ eſt idem compoſitum,niſi ſit eadem vnio partium;ſed eadem vnio numero animæ ad corpus, quæ præfuit ante corruptionem, non poteſt reuerti, quia iam tranſiit in præteritum,& eſt interrupta non exiſtens in *fieri*, vt paſſio : igitur,&c.

2. *Ratio ad opp.* Contrà Iob.19.*Scio quòd Redẽptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum* : igitur in eadem carne idem homo reſurget.

Item, Apoſtolus 1.*Corinth.*15. Per reſurrectionem Chriſti probat aliorum reſurrectionem, *Omnes quidem reſurgemus*, &c. Sed Chriſtus reſurrexit verè idem numero quantùm ad corpus, & quantùm ad animam. patet. Lucæ 24. *Palpate & videte, quoniam ego ipſe ſum*, aliter non reſurrexit verè; ergo & quilibet alius homo reſurget idem numero. Conſequentia probatur per locum à ſimili, quia natura humana, vel humanitas, quæ fuit terminus corruptionis, & mortis erat eiuſdem ſpeciei in Chriſto, & in nobis non ſuppoſitum, quia ſuppoſitum Chriſti fuit æternum, & diuinum.

QVÆSTIO II.

Vtrùm reſurrectio huiuſmodi poſſit cognoſci à nobis ratione naturali?

D.Thom. *in addit.q.*75. *art.*3. *& hic q.*1.*art.*2. D.Bonau. *art.*1 *q.*5.Argent.*q.*1. *art.* 2. Suarez 3.*p.tom* 2. *d.*50.*ſ.*2. *&* 3.Scot.*hic q.*2.*&* 9.*Met.*11 *&* 2.*Phyſ q.*4.

3. *Arg. primum affirmatiuũ.*

QVòD ſic,quia notum eſt naturaliter,& lumine naturali, quòd deſiderium naturale non eſt fruſtrà, vel ad impoſſibile;ſed naturale deſiderium hominis eſt ad ſemper viuere ; quod probatur, quia naturale deſiderium ſemper eſt ad fugiendum oppoſitum eius, quod eſt ſemper viuere,ſcilicet mortem,ſecundùm Apoſtolum 2.Cor.5.*Nolumus expoliari,ſed ſuperueſtiri*,non niſi reſurgendo : igitur.

Secundum. Item, notum eſt naturaliter quòd nulla tota ſpecies caret ſuo fine, & maximè perfecta, vt homo, cùm quilibet naturaliter ordinetur ad ſuum finem, vt ſuam perfectionem ; igitur ſaltem ſpecies talis perfecta in aliquo indiuiduo conſequitur ſuum finem; ſed non poteſt conſequi ſuum finem in hac vita,hoc manifeſtum eſt, nec anima tantùm poſt hanc vitam poteſt illum finem, qui eſt totius hominis, conſequi, quia non eſt homo poſt hanc vitam; & ſi ſic, nullum gaudium eſſet, vel perfectio in ea, vel toto homine ex vnione eius ad corpus ; igitur oportet quòd anima reuniatur corpori, ad hoc quòd homo conſequatur ſuum finem.

Tertium. Item, ratione naturali concluditur quòd quælibet ſpecies, quæ erit in vniuerſo, eſt neceſſaria ad decorem vniuerſi, & perfectionem eius; ſed ſpecies humana pertinet ad decorem vniuerſi,cùm ſit perfectiſſima excepta Angelica,& aliquando finienda, quòd non continuatur niſi per generationem, & generationem quandoque finiri neceſſe eſt ; vniuerſum autem nunquam finietur,nec decor eius;igitur neceſſe eſt ſpeciem humanam aliquo modo eſſe de eius decore,& non per generationem ; ergo per reſurrectionem.

4. *Ratio ad opp. Aug.* Contrà,Auguſtinus 13.de Trinit.c.9. *Multi acutiſſimi Philoſophi,& præclari,nobili ingenio prædiți,ad hanc veritatem intelligendam non potuerunt peruenire*.quære ibi.Item,Actor.17. dicitur de Paulo,quòd quando prædicabat reſurrectionem futuram, & pœnam pro peccatis, & gloriam pro meritis,dixerunt, *Nouorum dæmoniorum annunciator iſte eſt*:quod non dixiſſent tales Philoſophi ita præclari, ſi ad hoc fuiſſet ratio neceſſaria,& fuiſſet notum.

SCHOLIVM I.

Ponuntur tres propoſitiones, quæ ſi naturaliter eſſent notæ,naturaliter conſtaret reſurrectionem futuram eſſe:Prima eſt, animam rationalem eſſe formam ſpecificam hominis. Reiicit ad hanc probandam rationem D.Thom.quia ipſe videtur ponere intellectum paſſiuum,de quo 1.*d.*3.*q.*7.*dictum eſt.Probat Doctor aliter propoſitionem illam,ſiue teneatur intellectum eſſe actiuum, ſiue paſſiuum. Vide ipſum in Oxon.hîc q.*1.*à n.*10.

5. REſpondeo ſecundùm Philoſophum 7.*Metaphyſ. text.*4.*Indiſciplinati eſt ſimul quærere ſcientiam,*

ſcientiam, & modum ſciendi; quia modus ſciendi præcedit ſcientiam; igitur cùm ſecunda quæſtio quærat de modo poſſibilitatis probãdi reſurrectionem, oportet ſolutionem eius præcedere ſolutionem quæſtionis primæ, ex cuius ſolutione meliùs apparebit eius ſolutio. Ad quam dicitur ſic, quòd poteſt oſtendi ratione naturali. Quod probatur ſic, ſupponendo tres propoſitiones, ex quibus formatur melior ratio, quæ habeatur pro hac poſitione. Prima propoſitio eſt iſta: quòd anima intellectiua eſt forma hominis, ſecundùm quod homo: hæc enim nota fuit omnibus Philoſophis ratione naturali, quia in actu intellectus poſuerũt felicitatẽ eius naturalem 1. Ethic. c. 8. & lib. 10. c. 10. *Actum eius poſuerunt intelligere*. 2. de Anima, text. 6. Secunda propoſitio eſt, quòd anima intellectiua eſt ſimpliciter immortalis, & incorruptibilis, & hæc fuit naturaliter nota Philoſopho 2. *de Anima text.* 21. quando dixit quòd anima intellectiua ſeparatur à corpore, tanquam perpetuum à corruptibili. Tertia propoſitio eſt, quòd non manet perpetuò ſeparata à corpore: cùm enim ſit naturaliter forma corporis organici, habet naturalem inclinationem ad perficiendum ipſum vt ſuam materiam: ſed nulla naturalis inclinatio eſt fruſtrà, 2. *de Anima text.* 45. quia ſecundùm ipſum, 2. *de Cœlo & mundo text. com.* 59. Deus & natura nihil faciunt fruſtrà; igitur ſequitur ex omnibus iſtis partibus in antecedente tanquam conſequens ſequens, quòd aliquando reunietur corpori anima, aliter inclinatio talis foret fruſtrà: igitur aliquando erit reſurrectio corporum, quia aliàs non poſſent animæ reuniri corporibus, niſi per reſurrectionem.

Opinio D. Thoma. Supponuntur tres propoſitiones. Prima. Secunda. Tertia.

6. An notum ſit naturaliter animam eſſe formam hominis. Auerroës.

Sed videamus de iſta ratione, vtrùm ſit merè naturalis? quando enim accipit primò quòd anima intellectiua eſt forma hominis, hæc non videtur propoſitio nota ratione naturali, quia Auerroës, qui fuit maximus Philoſophus, negauit eam. Ipſe enim formam hominis vltimam, & propriam poſuit quandam formam ſenſitiuam nobilem, cui vnitur intellectus ſeparatus, vt motor, vel forma intellectiua mediantibus quibuſdam phantaſmatibus, quia ipſe ponit vnum intellectum eſſe omnium hominum, ſicut patet *primo de Cœlo & mundo*. Et ita dicitur homo intelligere ſecundùm eum, quia motus ad actum proprium per intellectum ſeparatum.

Auerroëm damnat ponentem vnitatem intellectus, & hominem brutis excellere.

Sed iſte eſt viliſſimus, & irrationabiliſſimus inter errores omnes Philoſophorum, & manifeſtè contra intentionem Magiſtri ſui. Irrationabiliſſimus eſt, quia magis vilificat naturam humanam, quàm aliquam aliam, vbi non eſt neceſſe: & natura humana ſecundùm principia Magiſtri ſui, *tertio de Anima, & primo de Cœlo & mundo*, ſemper dignificanda eſt, quantùm poteſt ſine conditione.

7. Dico igitur quòd prima propoſitio, ſcilicet quòd anima intellectiua eſt naturalis forma hominis ſecundùm quòd homo, eſt manifeſta, & nota lumine naturali: non tamen benè poteſt probari à priori, ſicut nec aliqua forma ſubſtantialis in *eſſe* ſuo perfectibili poteſt ſic probari à priori, ſed tantùm à poſteriori ex ſenſu, & operatione eius, quia ſic arguentes innoteſcũt nobis tales formæ, quia nihil eſt in re prius quàm forma. Ex quo poſſet accipi præmiſſa alia ad cõcludendũ aliquid demonſtratiuè de ipſa, & idcò forma nõ poteſt probari de re, niſi à poſteriori; igitur, &c. Probant aliqui propoſitum ſic; à propria formâ eſt propria operatio 1. *Ethicor.* quia *forma eſt principium operationis*; *ſed* intelligere *eſt propria operatio hominis ſecundùm quòd homo*, 10. Ethicorum c. 10. & 2. de Anima tex. 24. igitur hæc eſt à propria forma hominis: ſed hæc non eſt niſi ab intellectiua: igitur anima intellectiua eſt propria forma hominis.

Ratio D. Th. 1. p. q. 75. a. 2.

Hæc ratio non videtur ſufficiens, ſecundùm opinionem eorum ipſorum, qui faciunt eam; nã ipſi ponunt intellectum purum paſſiuum reſpectu *intelligere*, ſicut materiam primam, & recipere illud eſt ab obiecto, ſicut à totali cauſa per ſe; igitur *intelligere*, non eſt propria operatio hominis; quæ elicitur à propria forma hominis, ſecũdũ quòd homo, ſed eſt propria operatio obiecti.

Reiicitur vt inſufficiens in ipſiuſmet opinione.

Formo igitur aliter rationem de operatione propria hominis, vt homo eſt, ſic: *Intelligere* cõuenit homini formaliter, quia homo formaliter intelligit: hæc enim eſt ita manifeſta, quòd qui negat eam, non eſt homo. Quilibet enim experitur in ſe intelligere, & experitur in ſe quando intelligit quandam operationem, quæ non eſt alicuius organi. Et ratio huius eſt, quia omne organum eſt alicuius determinati generis. Cuius probatio eſt, quia omne organum habet determinatam mixtionem reſpectu contrarietatum eiuſdem generis, vt viſus albi, & nigri; guſtus dulcis, & amari; tactus calidi, & frigidi, & ſic de aliis. Per hoc enim probat Philoſophus 2. *de Anima text.* 55. quinque eſſe ſenſus exteriores particulares. Omnis igitur operatio, quæ eſt alicuius organi, eſt determinati generis, & reſpectu contrariarum qualitatum eiuſdem generis; ſed experimur in nobis aliquam operationem, & cognitionem, quæ eſt entis, ſecundùm rationem communiorem, & vniuerſaliorem, & ſecũdùm maiorem ambitum eius, quàm ſit ratio ſenſibilis, ſiue communis, ſiue particularis, ſiue cuiuſcumque determinati generis; aliter Metaphyſica, quæ eſt ſcientia naturaliter nota, determinans, & conſiderans ens ſecundùm communitatem ſuam, inquantùm ens, non eſſet ſcientia; igitur impoſſibile eſt quòd talis operatio ſit ſentire formaliter, vel actus alicuius organi. Organum etiam, ex quo eſt determinati generis, & determinatæ commixtionis per frequens ſentire reſpectu obiecti excellenter ſenſibilis, fatigatur, & corrumpitur. Intellectus autem quanto excellentiora intelligit entia, tanto magis confortatur, & fit potentior ad intelligendum alia entia; *intelligere* igitur, eſt quaſi *intus legere*, & à ſenſibilibus organorum extrahere.

Ratio Doctoris. Homo formaliter intelligit. Prima probatio.

9. Secunda.

Tunc arguo vltrà ſic: quicunque eſt formaliter intelligens intellectione, formaliter habet intellectionem, non quia cauſat eam, ſed quia recipit eam. Si igitur homo formaliter intelligat, oportet in eo eſſe aliquod receptiuum intellectionis; huiuſmodi receptiuum non poteſt eſſe corpus, neque pars corporis, vt probatum eſt; nec aliquod organum; igitur vel erit tantùm anima, vel totus homo mediante anima: igitur ſi iſta operatio eſt formaliter in homine, ſequitur quòd anima intellectiua eſt forma hominis. Si enim forma intellectiua non eſt in nobis, nec receptiuum eſſet formaliter in nobis. Si enim color nõ eſt in corpore, niſi mediãte ſuperficie, ſicut immediato receptiuo coloris, ſi ſuperficies non eſt in corpore, nec color.

Tertia. Item,ſecundùm Philoſophũ 1.Eth.c.9.& 10. & 2.de Anima, text.51. *Felicitas eſt propria operatio hominis ſecundùm quòd homo* : felicitas autem hominis conſiſtit in ſpeculatione ſecũdùm ipſum ibidem,non quorumcunque ſenſibilium, ſed cauſarum altiſſimarum,Dei ſcilicet,& Beatorum Angelorum , primo & 6. Metaphyſ. ſecundùm Auicennam, & 6.Ethicorum. *Felicitas autem hominis eſt finis, & perfectio eius intrinſeca.*

Ariſtot. *Auicen.*

Finis extrinſecus non attingitur niſi mediante fine intrinſeco.

primo Ethicorum,& 9. Metaphyſ. igitur oportet quòd ille finis ſit formaliter in nobis; nunquam enim finis extrinſecus attingitur , niſi mediante fine intrinſeco formaliter inexiſtente ; igitur ſpeculatio , vel intellectio formaliter eſt in nobis ; igitur,&c.

Philoſophus nunquã dubitauit hominem quiditatiuè eſſe rationalem.

Vnde apud Philoſophos nunquam erat dubium quin homo quiditatiuè eſſet animal rationale,& non ponitur *rationale* tantùm in habitudine ad extrinſeca , quia vnumquodque priùs eſt eſſentialiter , & quiditatiuè in ſe aliquid,quàm comparetur ad aliquid extrinſecum.

SCHOLIVM II.

Secunda propoſitio eſt , animam rationalem eſſe incorruptibilem. Pro hac adducit multa loca Philoſophi,ſtudentia ſecundùm Richardum , quòd naturaliter demonſtratur iſta incorruptibilitas. Adducit etiam ad idem ratione D.Thomæ 3. p. q.75.a.6.

10. *Secunda propoſitio eſt, animam eſſe incorruptibilem.* SEcunda propoſitio præaſſumpta , ſcilicet, quòd anima intellectiua ſit naturaliter forma incorruptibilis videtur eſſentialiter nota, quia hoc videtur ſentire Philoſophus,2.*de Anima,text.*24.ſicut dictum eſt ſuprà,qui dicit quòd *ſeparatur à corpore ſicut perpetuum à corruptibili*: non autem hoc ſentit, niſi ratione naturali, quia ſupernaturalia non ponit neceſſaria , ſed ſuperflua.

Probatur primò ex Ariſt.

Rich. Et ſi dicas quòd Philoſophus intelligit animam ſeparari à corpore, tanquam perpetuum à corruptibili tantùm quantùm ad operationem,& non quantùm ad eſſentiam,vel ſubſtantiam animæ in ſe;ex hoc habeo propoſitũ, quia *Ariſtot.* ſecundùm eum 1. de Anima tex.12. *Si anima ſeparata habere poteſt operationem, poteſt & eſſe ſic ſeparata & per ſe*;igitur erit incorruptibilis.

11. *Ariſtot.* Præterea quòd hoc ſit de intentione Philoſophi , patet per ipſum 3.*de Anima text.*7. vbi dans differentiam inter ſenſum,& intellectum, dicit quòd excellentia ſenſibilium corrumpit ſenſum. Exemplum de Sole reſpectu viſus , & *Excellens ſẽſibile corrumpit ſenſum.* aliis frigidis,vel calidis in primo gradu , vel ſecundo,vt venenum reſpectu guſtus , vel tactus, & ſic de aliis.Sed intellectus non minùs potens eſt ad intelligendum minùs intelligibile,ex hoc quòd intelligat magis intelligibile,imò magis. Tunc arguo ſic : Omnis potentia, cuius virtus *Secundò.* non debilitatur ex excellentia obiecti , vel incorruptibilitate organi,eſt incorruptibilis ; intellectiua eſt huiuſmodi;igitur,&c.Maior patet ſecundùm Philoſophum , 3. de Anima text.65. vbi dicit quòd *ſi ſenex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis.*

Tertiò. Præterea , deſiderium naturale non eſt fruſtrà;ſed deſiderium naturale eſt ad incorruptibilitatem, & immortalitatem. 3.*Ethic,text.* 22. vt ſuprà viſum eſt : igitur.

Quartò. Ariſtot. Item 7.Met. text.22. *materia eſt quæ res poteſt eſſe,& non eſſe*;igitur materia eſt cauſa corruptionis;illud igitur per oppoſitum,quod non habet materiam,eſt incorruptibile ; anima eſt huiuſmodi ſecundùm Philoſophũ 2.*de Anim,t.com.*16. *Ma'eria eſt principium corruptionis.*

Item 12.*Metaph,c.*1.*text.com.*17. dicit Philoſophus quòd fortaſſe anima manet poſt corpus. & principium ſuum fuit, quòd illud, quod erit, ſemper fuit.Ita habet;ibidem.& lib.8.igitur anima eſt ſimpliciter perpetua, & incorruptibilis. *Quintò.*

Item , intellectus ſecundùm Philoſophum 16.*de Animalibus*,eſt ab extrinſeco,& non ab intrinſeco per tranſmutationem educta de potentia materiæ:ſed forma , quæ non producitur in *eſſe* per tranſmutationem materiæ,non corrumpitur per tranſmutationem materiæ;igitur cùm anima ſit huiſumodi, erit incorruptibilis. *Sextò.*

Item 3. *Ethicorum c.* 11. *de fortitudine , & 9. Ethicorum,c.*9. dicit Philoſophus quòd virtuoſus debet eligere mori,& hoc habet ſcire ſecundùm rectam operationem naturalem,vel ſaltem poteſt ſcire;igitur ſimpliciter poteſt ſcire,& cognoſcere ſecundùm rationem naturalem rectã, ſe quantùm ad animam eſſe incorruptibilem,& immortalem. Antecedens eſt manifeſtum ex Philoſopho.Conſequentia patet,quia dicit Au- *Aug.* guſtinus 3.de libero arbitrio c.5. *quod quis recta ratione eligit , cùm peruenerit ad illud,melius efficitur*.Et illud patet per hoc , quòd nullus ſecundùm rectam rationem deberet velle exponere ſe morti, & amiſſioni totius *eſſe* humani,propter quamcumque cauſam,ſi poſtea nihil eſſet in ſe, ſed tantùm propter bonum commune,quod diligit,& pulchritudinem vniuerſi , cuius ipſe eſt pars ſecundùm animam ; igitur,&c. *Septimò.* *Ariſtot.*

Item,omne quod corrumpitur , aut corrũpitur per ſe,vel per ſuum contrarium,vt albũ per nigrum,& calidum per frigidum,& ſic de aliis; vel per accidens ad corruptionem totius, ſicut albedo corrumpitur per accidens,corrupto homine albo;ſed anima non corrumpitur primo modo,quia cùm ipſa non habeat materiam, ſed ſit *eſſe* ſimplex, non habet contrarium , & ideò ſpecies contrariorum in anima non ſunt contrariæ,nec eſt corruptibilis per accidens ad corruptionem totius,quia *eſſe* animæ,eſt *eſſe* totius, & non eſt aliud *eſſe* animæ,& *eſſe* totius;ſed idem non poteſt ſeparari à ſe : igitur non poteſt corrumpi corruptione totius,& ita non poteſt corrumpi per accidens. 12. *Octauò.* *D.Thom.eandem propoſitionem probat.*

Præterea,hoc probatur aliter ſic:Anima habet per ſe *eſſe* à ſolo Deo effectiuè,non acceptum ab aliquo alio , & illud *eſſe* communicat corpori; igitur non dependet ab aliquo alio in eſſendo: non igitur , quia corpus corrumpitur, illa corrumpitur ad corruptionem eius , quia ipſa nullum *eſſe* habet ab eo. *Probatur vltimò.*

SCHOLIVM III.

Sententia Doctoris,incorruptibilitatem animæ non eſſe demonſtratam, neque Philoſopho fuiſſe euidenter notam,quia habet quædam principia , quæ faciebant ad oppoſitum:& reſpondet ad omnia argumenta allata, quibus probatur hanc incorruptibllitatem demonſtrari.Vide Doct.fuſius in Oxon.hic q.2. à n.16.

13. QVantùm igitur ad iſtam propoſitionem,reſpõdeo,& dico quòd nõ videtur mihi nota ratione naturali,nec hoc poteſt probari perPhiloſophũ.NãPhiloſphus habuit aliqua principia, ex quibus videbatur ſequi, quòd anima eſſet incorporalis,

Roſ'tatio Doctoris immortalitatẽ animæ non demonſtrari naturaliter.

corporalis,& immortalis,ſicut ſũt illa,quæ alegata ſunt. Aliqua habuit,ex quibus videbatur ſequi oppoſitum. Vnde non fuit certus quę fuit forma hominis,& quæ non, & ideò perpetuitas,de qua ipſe loquebatur, non erat alia, niſi

Idem tenet Henric ſupra citat.

non vti organo in operando. Vnde ſecundùm ipſum, ſicut rectum ſemper eſt in materia; ſic id,quo homo intelligit 7.Metaphyſ.text.60.

Ariſtot.

Item 3.de Anima, *Animam intelligere non eſt aliud,quàm ipſam texere,vel ædificare.*

Alia Ariſtotelis loca quæ probant animã mortalitatẽ,ex quibus conſtat ipſum haſitaſſe.

Item,12. dicit quòd fortè non eſt tota anima,ſed pars,quæ manet poſt corpus: igitur vbique loquitur incertè,&dubitatiuè de perpetuitate eius. Si enim poſuiſſet eam ſimpliciter incorruptibilem,omnia principia ſua de naturalibus eſſẽt deſtructa. Dicit enim 7.*Met.text.60.* Quòd impoſſibile eſt in compoſito eſſe aliud *eſſe* totius præter *eſſe* partium, niſi in forma totius,quæ eſt alia à forma partis. Probat autẽ ibi formam totius, vel totum *eſſe* aliud à partibus, & coniunctim & diuiſim. Patet ibi de *ab* ſyllaba,quæ tam materia, quàm forma ſunt tantùm partes materiales reſpectu formæ totius ibidẽ. & 5.Metaph. Si igitur maneret anima poſt corpus,anima non eſſet forma, nec pars,ſed totũ, quod ipſe improbat ibi. Ideò credo quòd magis cõuenienter dixiſſet animam intellectiuam eſſe corruptibilem,poſito quòd ſit propria forma corporis, & non totius.

14.

Soluit argumenta probãtia animæ immortalitatem ex locis Philoſophi.

Ad argumenta igitur,quæ ſunt ad probandũ incorruptibilitatem eius, reſpondeo. Ad primum de ſecundo de anima, cùm dicitur quòd *ſeparatur à corpore tanquam perpetuum à corruptibili*, verum eſt, quantùm ad operationem ſuam, in qua non vtitur organo. Vnde perpetuitas, de qua ipſe loquebatur, non erat alia, niſi nõ vti organo in operatione illa. Propter organum enim debilitatur potentia in operando, & dirimitur virtus ex paſſione, & tantundem diſſoluta debita commixtione organi propter frequenter agere, vel ex excellentia obiecti corrumpitur potentia. Per oppoſitum dicitur anima intellectiua incorruptibilis,non quia ſit ſimpliciter talis, ſed quia non vtitur organo corporali in operando,nec fatigatur virtus eius in operando propter excellentiam intelligibilis.

Perpetuitas & incorruptibilitas, de qua loquitur eſt tantũ non vti organo corporali.

Et cùm arguis,quòd ſi ſit ſimpliciter incorruptibilis, quantùm ad operationem quòd ſit ſimpliciter incorruptibilis, ſecundùm illud 1. de Anima,quòd *ſeparatur ſecundùm eſſe, quia eſt per ſe*; dico quòd ſi anima eſſet ſimpliciter incorruptibilis in operando, benè ſequeretur quòd eſſet incorruptibilis in eſſendo, ſed non eſt ſimpliciter incorruptibilis in operando, etiam ſecundùm intentionem Philoſophi,quia licèt non intelligat per organum, *corrumpitur* tamen *intelligere quodam interiori corrupto*,1.de Anima tex.com.66.vbi Philoſophus vult quòd operationes ſint primò totius,& ſecũdùm hoc dependet operatio à perfectibili, & potentia eius corrupta corrumpitur *intelligere*. Et ſimiliter cùm ipſa ſit naturalis, & propria perfectio corporis, vt proprij perfectibilis, ſequitur quòd ipſa corrumpitur ipſo perfectibili corrupto. Ipſe enim expreſsè non poſuit aliquam formam ab extrà,ſed ab intrà tantùm eductam de potẽtia materiæ,& in ipſam corruptibilem.

15.

Ad ſecundũ.

Ad ſecundum, dico quòd Philoſophus de illa differentia,quam ponit inter ſenſum & intellectum, non plus concludit pro anima intellectiua,niſi quòd ipſa non vtitur organo in operando,ſicut potentiæ ſenſitiuæ,quia vti organo non eſt neceſſarium niſi potentiis ſenſitiuis,quæ ſunt alicuius generis determinati,& qualitatum contrariarum vnius generis in mera proportione ad illas.

Quomodo excellens ſenſibile corrũpit ſenſum.

Et cùm dicis vltrà,igitur non corrumpitur; Dico quòd verum eſt de corruptione propria, quia pars non per ſe corrumpitur,ſicut nec per ſe generatur;corrumpitur tamen per accidens ad corruptionem totius, quod per ſe generatur,& corrumpitur. 5.*&* 7.*Metaph.* tam in eſſendo,quàm in operando, quando totum corrumpitur in *eſſe*, vel in *operari*.

Ad tertium.

Ad aliud de deſiderio naturali; dico quòd naturale deſiderium ad ſemper viuere, non eſt aliud, quàm quædam naturalis inclinatio ad talem actum. Vnde dicit 2.*de Generat.* quòd in omnibus dicimus naturam ſemper *velle eſſe*, ſunt ſemper continuare *eſſe* compoſiti. Similiter quòd immortalitas, vel incorruptibilitas ſit illud, ad quod eſt inclinatio naturalis, non eſt benè probatum.

Non noſcitur euidẽter animam eſſe incorruptibilem ex appetitu ad ſẽper eſſe.

Ad probationem de 5.Ethicorũ, dico quòd quocunque actu voluntatis non electiuo poſſum appetere quodcũque apprehenſum, etiam per errorem, ſicut tam poſſibilia, quàm impoſſibilia. Et ideò dicit Philoſophus ibidem, quòd *velle* abſolutè eſt impoſſibilium, electio tantùm poſſibilium, ad quæ poſſunt congrua media inueniri. Sed quòd poſſibilis ſit immortalitas,vel incorruptibilitas homini;hoc oporteret probare,quia hęc nõ eſt nota lumine naturali,nec ratione naturali. Vnde minor nõ eſt nota naturaliter. Vnde cũ immortalitas fuerit apprehenſa,ſiue per inductionẽ, ſiue per opinionem,vel fidem, vel rationem errantem ſtatim poteſt appeti, ſed non efficaciter; & ex electione, quia electio nõ ſequitur cõmuniter, niſi dictamen rectæ rationis. Iſta autẽ compreheſio immortalitatis,vt poſſibilis,nõ eſt ex ratione naturali,ſed tantũ ex inductione,vel fide.

16.

Inſtantia. Ariſtot.

Et ſi obiicitur ſecundùm Philoſophum 2.*de Gener.*quòd natura in omnibus deſiderat quod melius eſt. Sed immortalitas eſt ſimpliciter melior mortalitate; igitur ratione naturali poteſt apprehendi,& naturaliter eligi,vt poſſibile.

Solutio.

Reſpondeo quòd Philoſophus ſoluit hoc ibi *text.*59.quia natura ſemper deſiderat quod melius eſt,& *melius eſt eſſe quàm non eſſe*: addit autem: *Hoc autem in omnibus impoſſibile continuè ſtare propter longè à principio diſtare,& ideò reliquo modo compleuit Deus naturam, continuam facere generationem.* Et ideò illo modo completur deſiderium naturæ; quo modo natura eſt capax repleri. Non diceret autem Ariſtoteles naturam humanam eſſe capacem immortalitatis,vel incorruptibilitatis, niſi ſecundùm ſpeciem, & non ſecundùm aliquod indiuiduum, quia ſpeciem ponit perpetuam ſecundùm generationem perpetuam hominum ſucceſſiuam, & ita non ponit animam ex ſe incorruptibilem, ſed quaſi per accidens ex incorruptibilitate,& perpetuitate ſpeciei; & ita quamlibet ex ſe corruptibilem.

Ariſtoteles ſolum diceret naturam eſſe capacem incorruptibilitatis ſecundũ ſpeciem tantum.

Ad quartũ.

Ad aliud,cùm dicit quòd *materia eſt principiũ corruptionis*,&c. Dico quòd nõ oportet omne illud,quod nõ habet materiã eſſe incorruptibile, non eſſe ex-

Materia eſt qua res poteſt eſſe & non eſſe explicatur.

nec omne illud, quod eſt corruptibile, habere materiam, tanquam partem ſui; ſed ſufficit quòd compoſitum, quòd informat, habeat materiam vt partem ſui, qua corrupta corrumpitur etiam ipſum informãs. Licèt igitur forma non per ſe corrumpatur, ſicut nec per ſe generatur, corrumpitur tamen ad corruptionem totius compoſiti, & ſic corrumpuntur omnes formæ accidentales corrupto ſuſceptiuo. Argumentum tunc æquè concluderet de omni forma accidentali, quòd eſſet ſimpliciter incorruptibilis, ſicut de anima.

17. *Ad quintũ.* Ad illud Philoſophi 12. Metaphyſ. Dico quòd loquitur dubitando, & ſine aſſertione. Vnde non oportet quòd omne illud, quod dicit Philoſophus, ſit demonſtratio, quia multa dixerunt Philoſophi, quæ acceperunt à prioribus Philoſophis, perſuaſi per rationes probabiles eorum, & non ſemper demonſtratiuas. Ita in propoſito dico, quòd benè verum eſt quòd ſi alicubi inueniatur à Philoſophis dictum quòd anima ſit incorruptibilis; hæc quidem concluſio probabilior eſt quàm oppoſita.

Eſto Philoſophus dixiſſet animam eſſe immortalem, non tamen demõſtrauit.

Ad ſextum. Ad illud Philoſophi 16. de Animalibus, quòd nunquam inuenitur à Philoſopho, quòd ipſe aſſerat animã intellectiuam eſſe ab extrinſeco, ſed ſi alicubi hoc dicit, hoc dicit propter operationẽ eius, reſpectu cuius nõ vtitur organo, vel dubitando ſecundùm opinionem aliorũ. Vnde ſi ſimpliciter eſſet ab extrinſeco, non poneret Philoſophus quòd eſſet forma naturalis ipſius corporis ſibi propria, quia principium apud eum eſt, quòd *de nihilo nihil fit*, & quòd cuilibet potentiæ paſſiuæ in natura correſpondet potẽtia actiua in natura. Et ideò, quia ponit eã formam propriam ipſius corporis organici, vt patet in multis locis 2. & 3. de Anima, ponit eam corrumpi ad corruptionem totius.

Ad ſeptimũ. Ad aliud de virtuoſo, reſpondet ipſemet Philoſophus ibidem, quòd melius eſt vno anno viuere virtuosè, quàm multis annis totam vitam vitioſam habere, & miſeram. Vnde patet quòd conſequentia prima non valet, nec probatio eius, quia in moriendo ſecundùm dictamen rectæ rationis propter illud, pro quo moriendum eſt, dat ſibi maius bonum, & laudabilius eſt hoc ei, quàm ſi ſaluaret *eſſe* ſuum non exponendo ſe morti in tali caſu, & viueret infeliciter omittendo actum virtutis & bonum moris.

Fortis iuxta rectam rationẽm pro bono cõmuni exponit ſe mõrti.

18. *Ad rationem D. Thomæ.* Ad aliud, cùm dicitur quòd ſi eſt corruptibilis, aut per ſe, aut per accidens? Dico quòd ſumendo *per accidens*, prout opponitur ei, quod eſt *per ſe*, anima poteſt corrumpi per ſe, ſicut generari per ſe, quia cuius totum per ſe & primò generatur, & corrumpitur, eius partes per ſe generantur, & corrumpuntur, etſi non primò. Sumendo autem *per accidens*, prout opponitur ei, quod eſt primò tale, ſic concedo quòd anima corrumpitur per accidens ad corruptionem totius. Et ad probationem dico quòd aſſumit falſum, cùm dicit quòd *eſſe* animæ eſt *eſſe* totius, quia tunc ſola differentia ſpecifica hominis completè definiret hominem, & perfectè indicaret quid eſt homo, quod eſt falſum, & contra Philoſophum 7. *Metaphyſ. c. de partibus*; *Eſſe* etiam cuiuſlibet eſt accidens illi ſecũdùm iſtos, & per conſequens non eſt idem illi, cuius eſt, & per conſequens idem ſecundùm *eſſe* poteſt ſeparari à ſe, & ſecundùm hoc, idem non ſeparatur à ſe ipſo, ſed ab alio, quia ab eius accidente. Tenendo tamen, quod credo magis verum, quòd *eſſe* non differt realiter ab eſſentia, tunc dico quòd licèt idem ſecundùm *eſſe* non poteſt ſeparari à ſe, vt ſit, & non ſit ſimul ſecundùm idem, poteſt tamen incipere, & deſinere eſſe, quia eius *eſſe* poteſt eſſe terminus *à quo* talis tranſmutationis, & eius *non eſſe* terminus *ad quem*, & è conuerſo, *non eſſe* eius poſſet eſſe terminus *à quo* oppoſitæ tranſmutationis, & *eſſe* eius terminus *ad quem*. Dato igitur quòd eſſet *eſſe* totius, quod falſum eſt, adhuc nõ ſequitur quin poſſet corrumpi, & deſinere eſſe, ſicut & incipere, quia hoc concluderet quòd Deus non poſſet animam, vel Angelum, vel aliquam aliam eſſentiam ſimplicem ſimpliciter deſtruere, vel annihilare, quod eſt falſum. Non enim omnis corruptio eſt per ſeparationem poſitiui à poſitiuo: & dato quòd eſſet, habetur intentum in propoſito.

Aliud eſt eſſe animæ ab eſſe totius.

Exiſtentia nõ eſt aliud realiter ab eſſentia ex 2. d 2. à q. 1.

Deus poteſt quamlibet eſſentiam annihilare ſimpliciter.

Ad aliud *per ſe eſſe*, dico quòd *per ſe eſſe* poteſt dupliciter accipi: vno modo pro eſſe incommunicabili, & ſic per ſe eſſe eſt incommunicabiliter eſſe. Alio modo *per ſe eſſe* pro eſſe ſubſiſtentiæ, & ſic per ſe eſſe eſt per ſe ſubſiſtere. Modò dico quòd anima habet per ſe eſſe à Deo primò, & ſic nulli dat *eſſe*. Secundo modo non habet per ſe eſſe, quia non per ſe ſubſiſtit, ſed habet per ſe eſſe, id eſt, nulli accidere. Sed non ſequitur: Habet ſic per ſe eſſe; igitur non dependet à corpore; forma enim ignis non accidit materiæ, & tamen dependet à materia, formæ enim, etiam ſubſtantiales omnes, dependent à Deo; & tamen non accidunt ſibi, vel vniuerſo. 19. *Adultimum.* *Per ſe eſſe explicatur.*

Dico igitur ad hunc articulum, quòd pro hoc non video aliquam rationem demonſtratiuam neceſſariò concludentem propoſitum. Sed ad hoc eſt manifeſta auctoritas Saluatoris in Matth. c. 10. *Nolite*, inquit, *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potiùs eum timete, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* *Reſolutio Doct. in hac propoſitione.*

SCHOLIVM IV.

Ad tertiam propoſitionem in hac materia, ſcilicet, quòd anima rationalis non manebit perpetuò extra corpus; ponit rationes D. Thomæ, & aliorum ſuadentium hanc naturaliter oſtendi; quas reiicit, oſtendens, ſi Philoſophus poſuiſſet animam manere poſt compoſitum, quòd potiùs dixiſſet, eam ſic manſuram, quàm corpori reuniendam. Reſoluit ergo Doctor immortalitatem animæ probabiliter notam eſſe; ſed non demonſtrari. Et probat ex Paulo Act. 17. vbi multis perſuaſionibus, & ſimilitudinibus tãtum probabilibus vtitur ad hoc probandum. Ad hoc adducit locum expreſſum Gregorij, & locum Auguſtini non ita expreſſum. Sequuntur omnes Scotiſtæ, & Caiet. in Epiſt. ad Roman. c. 9. Pomponatius lib. de immortalitate animæ tenet eam poni immortalem eſſe contra lumen naturæ, ſed peſſimè ſentit. De Ariſtotele alij putant ipſum eſſe pro hac, alij pro illa parte. Soluit argumenta pro oppoſito, poſita in initio: de quibus vide ipſum fuſius in Oxon. hic art. 2. à num. 29.

TErtia propoſitio, ſcilicet quòd anima non remaneat perpetuò ſeparata à corpore, probatur ſic: Anima ſeparata à corpore eſt quodam 20. *Tertia propoſitio.*

D.Thom. Henr quodl. 2.q.3. quodam mòdo imperfecta, quia vnaquæque pars perfectiùs eſt in toto, quàm quando eſt per ſe: ſed ſi anima perpetuò remaneret ſeparata, perpetuò eſſet imperfecta, quod eſt inconueniens.

Probant primò.

Secundò. Item, nullum violentum perpetuum 2. *de Cœlo & mundo text.* 17. anima habet naturalem inclinationem ad corpus, ſicut ad ſuum proprium perfectibile; igitur ſi aliquando non reuniatur ad corpus, perpetuò tenebitur violenter, quod eſt inconueniens.

21. Reſpondeo, ſi Philoſophus concederet animam eſſe immortalem, neceſſariò poneret eam eſſe ſeparatam à corpore, quia ſecundùm eum, impoſſibile eſt quòd illud, quod de natura ſua eſt corruptibile, per quamcunque virtutem poſſit fieri incorruptibile: ſed omne corpus eſt naturaliter corruptibile, cùm componatur ex contrariis, quorum vnum corrumpit aliud; ergo Philoſophus non poneret eam in perpetuum reuniri animæ, &c.

Si Philoſophus poneret animam incorruptibilem nõ aſſeruiſſet eam corpori reuniri, ſed oppoſitum.

22. Ad primum iſtorum poteſt dici quòd non eſt manifeſtum, animam eſſe imperfectam, quando ſeparatur à corpore; & cùm probas, quòd pars, &c. Dico quòd licèt pars ſit imperfectior, quàm totum, & per conſequens quando eſt ſub actu proprio, quàm quando eſt ſub actu totius, quia aliter non eſſet pars, quæ dat *eſſe* toti, ſicut forma dicitur dare *eſſe* compoſito, & non accipit aliquod aliud *eſſe* à dato in ſe, ſi non det illud *eſſe* toti, non tamen propter hoc eſt in ſe imperfectior, quia non caret aliquo *eſſe* in ſe, quod habuit ſecundùm ſe in toto. Sed pars, quæ accipit *eſſe* à toto, non eſt ita perfecta ſeparata à toto, ſicut quando eſt in toto, ſicut eſt de materia, quæ in toto compoſito accipit *eſſe* actuale, & diſtinctum per formam, quæ eſt ei vnita, quæ dat per ſe *eſſe* toti, & ſibi perfectius *eſſe*, quàm priùs habuit. Anima autem eſt forma corporis, & non materia, ideò ipſa non recipit perfectionem in toto, & per conſequens ipſa in ſe æquè eſt perfecta ſeparata, & coniuncta. Exemplum ad hoc eſt de calore, qui dat *eſſe* calidum, & calefacit, quando eſt in materia, & ſi eſſet ſeparatus, & non calefaceret, non minùs perfectus eſſet in ſe tunc, quàm priùs.

Ad primum in oppoſitum.

Pars extra totum eſt imperfecta, explicatur.

23. Ad ſecundum, dico quòd inclinatio, vel appetitus naturalis eſt duplex; vnus conſequens potentiam paſſiuam, quæ eſt ad *eſſe*; alius conſequens potentiam actiuam, quæ eſt ad *agere*, vel ad actum ſecundum. Si intelligatur quòd anima appetat, vel inclinetur vniri corpori appetitu conſequente potentiam actiuam, quæ eſt *agere*, vt perfectum quoddam ad communicandum perfectionem ſuam toti, & actum ſuum: ſic, inquam, eſt verum quòd anima habet appetitum, vel inclinationem naturalem ad corpus, vt perficiat illud actu ſuo, & communicet illi perfectionem ſuam eſſentialem, quam ex ſe habet, & non ex vnione eius cum corpore. & de iſto appetitu, vel inclinatione naturali, non ſequitur quòd eſſet fruſtrà, vel violentum, ſi nunquam vniretur corpori, quia nullam perfectionem, vel actum recipit ex vnione eius cum eo, quia ratio violenti non accipitur per reſpectum ad principium actiuum, ſed paſſiuum, ſicut Deus nunquam eſſet imperfectior in ſe; ſi nunquam perfectionem ſuam ad extrà communicaret, quia vtrumque poteſt in ſe manere abſque hoc quòd communicet perfectionem ſuam alteri. De Deo patet ex Auguſtino 3. *Confeſſionum c.4. nec propter illa beatior*, loquitur de creaturis.

Ad ſecundũ.

Inclinatio naturalis actiua non arguit imperfectionem, ſi nõ impleatur.

Violentum quid ſit explicatur.

Si autem intelligatur quòd inclinetur, & appetat vniri corpori appetitu conſequente potentiam paſſiuam, qui eſt ad *eſſe*, & ad actum primum, qui recipit aliquid in corpore: tunc dico quòd etſi ſic quandoque naturaliter inclinetur ad communicandum corpori *eſſe*, & actum primum, & motum, & viuere, & huiuſmodi; non tamen perpetuò, vt poſt mortem, quia eandem formam redire dicit Philoſophus eſſe impoſſibile, quia non eſt ſemper nata ſic ſemper communicare corpori; nam ſecundùm Auicennam appetitus animæ ſatiatus eſſet, ſi non eſſet vnita corpori; ſed cùm vnitur corpori mediantibus ſenſibus acquirit ſcientiam, quam tamen ſcientiam poſtquam eam acquiſierit per ſenſus corporis, habet, nec ampliùs indiget corpore, vel ſenſibus.

24. Dico igitur quòd prima propoſitio eſt naturaliter nota, ſed non ſecunda, vel tertia, quia ad illas ſic eſſe notas lumine naturali non eſt demonſtratio, nec ratio ſimpliciter neceſſaria, ſed tantùm probabilis; & ideò concluſio non eſt naturaliter nota, ſed tantùm probabiliter. Iſtud patet per Apoſtolum, cui *Act.* 17. dictum eſt, *inſanis Paule*, licèt ipſe incorruptibilitatem, & immortalitatem animæ perſuaderet Philoſophis. Non tamen eſt vſus contra eos ad hoc probandum rationibus neceſſariis, ſed tantùm probabilius; aliter non dixiſſent ipſum inſanire, ſi naturaliter hoc eis fuiſſet notum. Cùm enim dixit 1. Corinth. 15. *Si non reſurgunt mortui, vana eſt ſpes noſtra.* Similiter *ſi tantùm in hac vita ſperamus, miſerabiliores ſumus cunctis gentibus*; hoc eſt inconueniens; igitur illud, ex quo ſequitur. Hoc argumentum eſt probabile tantùm, & non ſimpliciter neceſſarium. Cùm enim omnium vnus ſit rector, Reipublicæ, & bonis multa mala, & ſimiliter malis multa bona eueniant in vita iſta; igitur ſi non eſſet bonis alia vita ſperanda, meritò eſſent boni miſeriores omnibus, & feliciores mali.

Reſolutio Doct. immortalitatẽ animæ eſſe notã naturaliter, ſed probabiliter nou demonſtratiuè. Probat primò.

Secundò. Item, hoc probat ipſe per ſimilitudinem de grano frumenti miſſo, quod non faceret fructum, ſi non priùs moreretur; igitur nec homo poteſt habere fructum beatitudinis ante mortem; igitur poſt mortem exſpectanda eſt alia vita. Iſtud eſt ſimile quoad hoc, quòd neutrum habet fructum ſuum, niſi priùs moriatur. Diſſimile quoad hoc, quòd idem granum numero poſt mortem, & putrefectionem eius in terra, non manet. In propoſito verò idem homo numero manet poſtea, & ante. Hoc apparet per Auguſtinum de Trin. 13. c. 19. *Peritiſſimi Philoſophi ad hoc vix peruenerunt.* Item Gregorius 14. Moralium. *Quid aliud mundus in ſuis exemplis oſtendit, niſi ſpem noſtræ reſurrectionis?* In illis tamen non redit idem numero; poſtquam corruptum eſt, ſicut redit in propoſito.

Idem numero homo reſurgit. Aug. Greg.

25. Ad primum argumentum ſecundæ quæſtionis, cùm dicis, deſiderium naturale non eſt fruſtrà; concedo. Et cùm dicis in minori quòd deſiderium naturale eſt ad ſemper viuere, & immortalitatem; cõcedo, ſed iſtud non eſt notum lumine naturali. Ad probationem de naturali fuga mortis per Apoſtolum 2. Cor. 5. quòd *nolimus expoliari*, quia eodem deſiderio appetitur

Ad primum arg. ſecundæ quæſt.

Deſiderii ad ſemper eſſe nõ demonſtratur eſſe naturale.

vnum contrariorum,& oditur reliquum. Dico quòd quilibet homo fugit naturaliter illatam ſibi pœnam mortis, ſicut quamlibet pœnam nunc fugit,quia tunc naturaliter appetit ſuum *eſſe*,& quietem, ſiue ſalutem ab illa pœna : ſed non ſequitur,qui nunc naturaliter fugit omnẽ pœnam,igitur pro ſemper,vel in infinitum appetit quietẽ,& ſuum *eſſe*, ſed eſt fallacia Conſequentis.Nec hoc poteſt probari ratione neceſſaria plus de morte, quàm de quacumque alia paſſione pœnali,quia omnem pœnam naturaliter fugit pro nunc.

Ad ſecundũ. Ad aliud, cùm dicis quòd notũ eſt naturaliter, quòd nulla tota ſpecies caret ſuo fine credo, quia quilibet poteſt naturaliter conſequi ſuum finem. Sed quando accipis quòd homo non poteſt conſequi finẽ ſuum in vita ſua; Dico quòd hoc non eſt notum lumine naturali, quia ſecundùm Philoſophum, & finis & fœlicitas hominis ſimpliciter eſt ſpeculatio, quam poteſt homo ſimpliciter conſequi in hac vita, ſicut patet.10.*Ethic.c.*10.*&* 1.*c.*3. nã ſecundùm eum *ibidem*, ad hoc quòd ſit ſimpliciter fœlix, *oportet eum eſſe ſanum,& habere famulatũ,& alia bona fortunæ*,quæ non conueniunt homini,niſi in vita iſta; quia Philoſophi nunquam de alia felicitate locuti ſũt,niſi de illa,quæ potuit acquiri in vita iſta.Verum eſt igitur quòd aliqua beatitudo,& fœlicitas nota eſt lumine naturali,ſed non illa,quæ conſiſtit in clara Dei viſione poſt hanc vitam,quia illa ſolùm tenetur ex creditis.

Beatitudo appetitur naturaliter. Sed non ſcitur naturaliter in quo conſiſtit nec quod non poſſet conſequi in hac vita.

26. *Ad tertium.* Ad aliud,cùm dicis quòd notum eſt lumine naturali quòd quælibet ſpeciẽs, &c. concedo. Sed cùm dicis vltrà,ſpecies humana aliquãdo erit finita,quia non continuatur niſi per generationẽ,quæ aliquando terminabitur:Reſpondeo quòd ſpeciem humanã,vel aliquam aliam, aliquando finiri,non eſt notum ratione naturali,ſicut nec quòd generatio aliquãdo terminabitur,quia Philoſophi poſuerunt generationem fieri in infinitum à parte pòſt,ſicut à parte antè,& magis ; & ideò nunquã poſuerunt eam finiri,nec aliquam ſpeciem. Eſt igitur creditũ, & non demonſtratum,quòd generatio terminanda eſt aliquando. Et dato quòd eſſet notũ quòd generatio hominis nũquam eſſet finienda,adhuc dico quòd hoc non concludit perfectionem in ſpecie humana maiorem quàm in infima ſpecie,quia ſemper manere per generationem eſt imperfectè manere,quia potentialiter,& ſub motu;igitur ſi aliquo alio modo maneat in ſe fixè, & immobiliter, hoc non conuenit ex parte generationis,ſed ex aliquo alio non naturaliter noto.

SCHOLIVM V.

*Ad primam quæſtionem oſtendit ex variis ſcripturis,& ex ſymbolis reſurrectionem futuram eſſe, de quo Auguſt.*20.*Ciuit.c.*14. *Hieron.in* 65. *Iſaiæ. Gregor.*17. *Moralium.*5. *D.Thom.in addit.q.* 91. *art.*4.*Circa poſſibilitatem huius,ſententia D.Thom. eſt,alia ab homine non poſſe eadem numero redire,ſi corrumpantur;homo autem poteſt,quia nec materia nec forma eius interruptæ ſunt.Hanc refutat Doct. euidenti loco Auguſt. Secundò, quia corrumpitur totum,quod tamen redit. Tertiò, ſequeretur non redire corpus,quia forma eius in corruptione,deſtruitur, de quo latè ſuprà d.*11.*q.*3.*à n.*30.*Quartò,ſequeretur quòd Deus non poſſet reproducere lapidem corruptum,quia eius forma perit. Quintò,ſi accidentia non redeunt eadem, ſequitur quòd homo reſurgens non habebit eandem proprietatem. Sextò, falſum eſt animam eſſe totum eſſe hominis.Septimò, identitas numerica rei non dependet à continuatione,vel interruptione exiſtentiæ,quia mutatio poſterioris, vt eſt duratio , non infert mutationem prioris, & ibi tantùm variatur duratio.*

27. *Ad q.*1.*huius d. poſitã n.*7. AD primam quæſtionem,quia ita eſt;patet ex ſolutione ſecundæ, & manifeſtum eſt ex multis ſacræ Scripturæ locis *ex Iob.*19.*ex* 2. *Machab.*12.*ex* 1.*Cor.*15.*ad Theſſalon.*4. & aliis plurimis authoritatibus. Deinde in ſecundo articulo præcedentis quæſtionis poſſibilitas reſurrectionis mortuorum, probatur perſuaſionibus,licèt non demonſtrationibus. Tertiò inter articulos, fidei omnia Symbola enumerant reſurrectionem mortuorum ; igitur,quia ita eſt, certum eſt.

Sententia D. Thom. 4. *d.* 44.*q.*1. *ar.*1. Sed quomodo, vel qualiter fiat reſurrectio, eſt maior difficultas.Circa quam dicunt aliqui quòd ſi anima ſenſitiua ponatur alia forma ab intellectiua,nõ videtur facile probare reſurrectionem ; nam ſi non poteſt eſſe idem animal numero, non poteſt eſſe idem homo numero, quia ad negationem conſequentis ſequitur negatio antecedentis,non è conuerſo.Sed in his, quæ interrumpuntur, non poteſt redire idem numero;igitur ſi anima ſenſitiua,à qua dicitur aliquid eſſe animal,alia exiſtẽs ab intellectiua interrumpatur per mortem,per corruptionem, non poteſt redire idem animal numero, igitur nec idem homo numero.Ponenda eſt igitur in homine tantùm vna forma, ſcilicet anima intellectiua,& materia prima,quæ eſt altera pars compoſiti, quæ ſemper eodem modo remanet non interrupta. Anima autem intellectiua ex quo eſt totum *eſſe* compoſiti, quia *eſſe* eius eſt *eſſe* totius vnita materiæ,communicat compoſito totum ſuum *eſſe*; ſeparata autem habet totum id *eſſe*,quod erat *eſſe* totius cõpoſiti, & per conſequens quando homo moritur, non redigitur in nihil,ſed manet idem quod priùs,quia anima manet eadem,cuius *eſſe* eſt *eſſe* totius,& ita poſſunt iſtæ partes ſimul reuniri, & ſic redire idem numero.Aliæ verò formæ vt formæ mixti, & formæ accidentales, non remanent poſtquam ſeparantur, & ideò non poſſunt redire eædem numero,homo tamen poteſt redire idem numero poſt mortem,quia anima,quæ eſt totum *eſſe* hominis, manet eadem ſeparata & coniuncta.

Alia ab homine non poſſe reſurgere & hom.

28. *Impugnatur primò quoad primum aſſertum.* Contra iſtam opinionem arguo per auctoritatem,& rationẽ. Per auctoritatem ſic:Auguſt. de Ciuitate Dei lib.22.c.28.dicit,quòd *ſi omninò periiſſet materia iſta,& nunquam in quibuſcumque naturæ latebris latitaret,poſſet eam Deus totaliter reparare,ſi vellet.quia non ſolùm poteſt id facere ipſe in reparatione deſtructi , ſed etiam annihilati.* Igitur.

Secundò. Ariſtot. *In homine datur alia entitas poſitiua à paribus cõiunctim & diuiſim diſtincta.* Per rationẽ arguo ſic:In homine eſt aliqua entitas poſitiua,quæ non eſt materia,nec forma,nec iſtæ partes cõiunctim,vel diuiſim,ſicut probatur per Philoſophum.7. *Metaph.c.vlt.& lib.*9.entitas poſitiua eſt cauſata à cauſis intrinſecis:quia ex quo eſt in homine,& nõ eſt pars aliqua;oportet quòd vel cauſetur ex cauſis intrinſecis, vel quòd nullum ens habeat cauſam intrinſecam.

intrinſecam. Iſtud autem cauſatum, quod non eſt *eſſe* partis, nec *eſſe* totius, aliquando eſt deſtructũ partibus manentibus, ſed diſiunctis. Patet, quia aliter mors non terminaretur ad deſtructionem hominis, nec aliter homo eſſet verè mortuus, & illud deſtructum repararetur idem numero, quia aliter non verè reſurgeret quilibet homo idem numero, quod hæreticum eſt; igitur non ideò redit homo idem numero, quia non conſtat alia forma à ſenſitiua.

Prima ratio illius opinionis oppoſitæ concludit oppoſitum; cùm enim neceſſe ſit dare in homine aliquam aliam formam præter formam intellectiuam, quæ corrumpitur, & non manet in morte, vel deſtructione hominis, cùm materia prima non poſſit eſſe terminus corruptionis: nec anima intellectiua, quia cõſtat quòd ipſa ſemper manet, ſequitur quòd talis forma ſit terminus illius deſtructionis, & homo idẽ numero reſurget quod priùs: igitur ſequitur quod illa forma ſit alia à forma intellectiua, & per conſequens quæ interrumpuntur poſſunt redire eadem numero. De hoc ſuprà habetur in materia Euchariſtiæ, vbi probaui quòd prima materia non poteſt eſſe terminus conuerſionis contra iſta falſigrammata.

Deſtructum idem numero poteſt redire.

29. *Tertio. Deus ita potens eſt poſt corruptionem ſicut ante productionẽ. Quarò.*

Item, hæc poſitio dicit quòd Deus non poſſet reparare aliquod elementum mixtum idem numero in homine poſtquam deſtructum eſt, quod non video eſſe verum, quia non eſt maior contradictio, quòd idem numero poſſit reparari, poſtquam corruptum eſt, quàm quòd idem numero poſſit fieri, & conſeruari antequam corruptum, quia virtus, quæ poteſt ſuper vnum, poteſt ſuper aliud, & ſola illa virtus.

Præterea omnia accidentia perfecta, ſaltẽ quæ ſunt totius, deſtruuntur in corpore, toto deſtructo, quia talia accidentia perfecta, vt propriæ paſſiones, per corruptionem totius non poſſunt manere in anima ſeparata, quia ſeparata non eſt capax talium accidentium corporalium, nec manet in materia nuda poſt corruptionem, vt priùs eſt probatum: igitur cùm homo reſurget cum accidentibus perfectis, & non eiſdem numero per te, igitur aliis numero, & tunc, cùm propria paſſio non redibit eadem numero, tunc non eſſet propria, quia omnis propria eſt numeralis; hoc autem inconueniens eſt, quia inconueniens eſt idem ſubiectum numero redire, & paſſionem numero eandem ei propriam non redire.

30. *Reiicitur etiã quoad ſecundùm quod dicit. Primo.*

Præterea, quod dicit quòd animæ *eſſe*, eſt *eſſe* totius hominis, non capio quòd ſit verum, ſicut patet per primam rationem.

Contra hanc opinionem, quia *eſſe* totius eſt aliud ab *eſſe* vtriuſque partis coniunctim & diuiſim, ſicut patet per Philoſophum, vbi ſuprà, *eſſe* animæ eſt *eſſe* partis, quia aliter anima eſſet homo, quod eſt falſum; igitur.

Secundò.

Item, ſecundùm eum, anima eſt imperfecta extra totum. Tunc arguo, habens idem *eſſe* totius extra totum, quod communicat toti, non caret aliqua perfectione extra totum: ſed anima ſeparata à corpore habet idem *eſſe* in ſe, quod communicauit toti, quando fuit coniuncta; igitur non eſt imperfecta, nec caret perfectione extra totum, quod eſt contra te: igitur.

Tertiò.

Aliter poſſet ſic formari ratio: Non habens totale *eſſe* extra totum, quod habet in toto, non habet in ſe *eſſe* illius totius: ſed anima ſeparata à corpore, & à toto, nõ habet totale *eſſe* illud, quod habet quando eſt coniuncta, quia, per te, eſt imperfecta extra totum, quod non contingeret, ſi *eſſe* eius eſſet *eſſe* totius: igitur non habet in ſe *eſſe* totius. Contradictio enim eſt, quòd *eſſe* eius extra corpus ſit *eſſe* totius, & tamen quòd extra corpus ſit imperfecta, cùm vtrobique habeat æquè nobile *eſſe*.

Contradictio opinionis præcedentis.

Præterea, quod dicit, quòd illa quæ interrumpuntur, non poſſunt redire eadem numero, non intelligo, quia ſi hæc res producta in *eſſe* à Deo in hoc inſtanti, conſeruatur à Deo non ſolùm in hoc inſtanti, ſed in toto tempore habito vſque ad aliud inſtans, hæc res, vel hoc *eſſe* huius rei, eſt idem numero, & non variatur propter illa diuerſa inſtantia in hoc inſtanti, vel in illo; ſed modò ita eſt, quòd conſeruatio huius rei in vltimo inſtanti non dependet à priori inſtanti, nec à continuatione temporis intermedij, ſed ſolùm à continuatione conſeruationis: quia Deus continuè in quolibet inſtanti rem conſeruat, aliter in quolibet inſtanti cederet in nihilum, quantùm eſſet ex ſe; igitur ſi Deus rem productam, quam conſeruat in quolibet inſtanti, non conſeruaret in tempore intermedio, ſed tantùm vt in vltimo inſtanti, haberet idem *eſſe* numero in vltimo inſtanti, quod in primo, non obſtante quacunque interruptione temporis intermedij, quia non dependet *eſſe*, quod modò eſt, à tempore intermedio, quod præceſſit, ſed ſolùm à productione, & conſeruatione diuina reſpectu eiuſdem *eſſe*. Dico igitur quòd idem homo numero reſurget non obſtante interruptione temporis per reſtitutionem multorum deperditorum eorundẽ numero.

31. *Refutatur aliud quod dicit.*

SCHOLIVM. VI.

Sententia Ægidij, per naturam nihil idem numero poſſe redire, quia non poteſt idem motus, vel mutatio redire: & per Deum ſine mutatione poteſt idem redire. Reiicitur primò, quia in mutatione per Deum materia mutatur à priuatione ad formam. Hac occaſione diſputat, & pulchrè reſoluit paſſionem fieri poſſe ſine omni mutatione, id eſt, à priuatione ad formam; quia priùs natura creatur materia, & patitur recipiendo formam, qua tamen priuata non fuit, ſuppoſito quòd ſimul tempore ſint.

32. *Ægid. ſententia.*

Alij dicunt reuerentiùs, quòd Deus poteſt reparare idem numero poſtquã corruptum eſt, ſed non natura. Cuius probatio eſt, natura non reducit aliquid niſi per motum, & mutationem, quia requirit paſſum, in quod agat; per motum autem & mutationem non poteſt idem numero reduci quod priùs; interruptio enim temporis, quod eſt menſura, & numerus motus, contradicit vnitati motus & mutationi; igitur & vnitati numerali rei priùs deſtructæ, & ideò contradictio eſt quòd idem numero redeat, quod corruptum eſt per naturam. Deus autem poteſt facere idem numero redire, poſtquam corruptum eſt propter oppoſitum modum agendi: ex quo enim non agit per motum, & mutationem, quia non requirit paſſum, in quod agant, ſed totum immediatè producit, & ſic poteſt reducere idem numero; non enim formæ priùs corruptæ repugnat reduci idem numero, niſi per motum, & mutationem.

33. *Refutatur Ægid.*

Contra iſtud arguò ſic: Hæc ratio ſupponit quòd Deus ſine quocunque motu, vel mutatione poſſit reducere, vel reducat idem numero, quia agere

agere ſine motu,& mutatione,eſt medium probandi aliquid poſſe reducere idē numero poſtquam corruptum eſt,ſed falſum eſt quòd Deus reducat idem numero priùs corruptum ſine quocunque motu,& mutatione,quia quicquid tranſit à priuatione formæ ſubſtantialis ad formam ſubſtantialem, mutatur,ſecundùm definitionem mutationis. 5. *Phyſicorum*.Sed ante reſurrectionem,à tempore,vel inſtanti mortis, materia erat ſub priuatione formæ ſubſtantialis,ſiue ſit vna, ſiue plures, & per reſurrectionem ſit ſub illa forma; ergo mutatur.

Materia in reſurrectione mutatur.

Sed dubium eſt, an Deus poſſet agere ſine omni motu,& mutatione? Et videtur quòd nō, quia actio Dei ad extrà, abſtrahendo eam ab actione & paſſione,quæ fundantur in motu,& mutatione, non videtur niſi quædam relatio, vel quidam reſpectus de genere Relationis;relatio autem non poteſt eſſe principium, nec terminus actionis.5. *Phyſicorum text.*10.

An Deus poſſit agere ſine mutatione.

Ariſtot.

34. Dico quòd Deus ſine omni motu & mutatione poteſt agere ad extrà,actione,quæ ſecundùm rationem eſt de genere Actionis, cui correſpondet in re extrà,vt in paſſo, paſſio de genere Paſſionis.Quòd autem in Deo ſit actio de genere Actionis ſecundùm rationem, probo ſic: Materia naturaliter eſt prior,natura,& origine, forma, quia ſuſceptiuum eius & ſimul duratione cum ea, non obſtante prioritate materiæ ſecundùm originem: ſed Deus poteſt cauſare prius,vt prius eſt alio ſine illo; igitur poteſt materiam priùs natura producere quàm formam,& ſimul cum ea ſecundùm durationē. Tunc ſic: Si Deus priùs ordine naturæ produeit materiam,quàm formam, priùs ordine naturæ creat,vel producit eam,quàm imprimat ei formam, & per conſequens materia dependet ad Deum priùs quàm recipiat formam, & ita priùs refertur ad Deum createm, quàm ad formam,quam recipit.Relatio autem eius ad formam iſtam,quam recipit,eſt reſpectus de genere Paſſionis, non reſpectus intrinſecùs adueniens de genere Relationis,niſi quia circumſcripto agente non oritur forma ex potentia materiæ,ſed producitur de materia per actionē agentis, quæ eſt actio de genere Actionis ſecundùm rationem correſpondēs paſſioni, quia patitur materia in recipiendo formam ſibi impreſſam: hæc autem paſſio in materia reſpectu receptionis formæ, non eſt propriè mutatio, quia mutatio non eſt niſi inter oppoſita, vt inter priuationem, & habitum, vel formam: ſed materia priùs natura creata, quàm recipiens formam,& ſimul duratione cū ea in iſto priori non fuit ſub priuatione, quia tunc in eadem parte materiæ ſimul duratione eſſent forma,& eius priuatio,quod eſt impoſſibile.Patet igitur quòd Deus poteſt aliquid agere actione de genere Actionis ſecundùm rationem in comparatione ad creaturam extrà, & creatura extrà verè patietur paſsione de genere Paſſionis, & ſic refertur ad Deum.

Dari poteſt paſſio ſine mutatione.

35. Non igitur ſequitur ſi dicere in diuinis tantùm dicat reſpectū de genere Relationis,quòd etiam creare,vel producere ad extrà,vt creatio actio, vel creatio paſſio cuiuſlibet creaturæ ſit tātùm de genere Relationis;quia in diuinis, vt probaui in primo libro diſt. 5. q. 2. eſt productio perſonæ,ſed non de aliquo,vt materia,vel quaſi materia,ſed perſona eſt terminus primus productionis, & virtutis productiuæ. Sed in propoſito forma producitur de aliquo in aliquo,quia de materia,cui per actionem Dei imprimitur. Vnde ſimpliciter falſum eſt quòd reſpectus creaturæ ad Deum, & Dei ad creaturā, qui ſunt creatio,actio,& creatio paſſio,ſint relationes,vel reſpectus tantùm de genere Relationis,vt ſunt reſpectus dictionis actiuæ,& dictionis paſſiuæ in diuinis, vt ſupponitur, ſed ſunt alij,& alij reſpectus formaliter diſtincti, ſicut ſunt alia & alia extrema formaliter diſtincta alterius rationis.Aliud enim eſt producens, & productum, & aliud imprimens, & cui fit impreſſio.Quando enim Deus producit aliquā perſonam in diuinis,vel materiam priùs natura,quàm imprimat ei formam,ibi inter producentem & productum eſt habitudo intrinſecùs adueniens ex natura vtriuſque,vel alterius extremorum; ſed quando in alio inſtanti naturæ poſtquam materia creata eſt, imprimit ei formam,incipit eſſe illius paſſionis in materia, vt in paſſo,cui in Deo correſpondet actio, vel reſpectus actionis de genere Actionis ſecundùm rationem.

In diuinis quare dictio dicat reſpectū de genere relationis,creatio vero non?

Ad argumentum igitur,dico quòd aſſumptū eſt falſum:nam actio ad extrà eſt reſpectus extrinſecùs adueniens de genere Paſſionis, vt receptus in creatura;de genere verò Actionis, vt in Deo ſecundùm rationem. *Ad obiectionē.*

Ad rationem alterius opinionis vltimæ,cùm dicit quòd motus non poteſt redire idem numero,niſi ſit continuus. Dico quòd licèt iſte motus non ſit vnus vnitate cōtinuitatis cum motu præcedente, ita quòd vnitas eius ſit continuitas vnius partis cum alia ſecundùm extenſionem, quia ſic interruptus non poſſet redire idem numero,eſt tamenvnus vnitate idētitatis, &ſic poteſt reparari.Nec valet quod dicit vltrà. 36. *Ad Rationē Aegidij reſpondet dupliciter.*

Dato etiam quòd concedatur quòd motus non poſſet reparari idem numero, non propter hoc ſequitur quin forma,quæ eſt terminus motus,poſſit reparari eadem numero. Licèt enim termini diſtinguant motus, non tamen idem terminus exigit ſemper eundem motum,ſed eſt fallacia Cōſequentis à deſtructione antecedentis,ſcilicet, motus eſt idem,& eiuſdem rationis cum terminis;igitur vbi motus diuerſi, & termini diuerſi; non ſequitur,quia diuerſæ lationes ſpecie,vt motus rectus,& motus circularis, qui adeò ſunt alterius rationis,vt non ſint cōparabiles,7.*Phyſicor.text.*21.ſunt ad idem *vbi*,& ad eundem terminum ſpecie, vel numero 5. *Phyſicorum*.Similiter motus propagationis ſunt ad idem imperfectum,quia idem imperfectum poteſt ſic & ſic,ex ſemine ſcilicet,& ſine ſemine produci. 7. *Metaphyſ.tex.c.*31. & ſecundùm Auguſtinum.3.*de Trinit.c.*9. idem ſpecie poteſt generari vniuocè & æquiuocè. Poteſt igitur motus aliunde diſtingui quàm à termino tantùm. Patet etiam hoc idem in propoſito de generatione, & reſurrectione, quæ ſunt diuerſæ productiones ad idem.

Diuerſi motus terminarentur ad idē. Ariſtot. Aug.

SCHOLIVM VII.

Reſolutio Doctoris,reſurrectionem eſſe creditam. Item deſtructa, & annihilata poſſe eadem numero redire:quia negatio ſequēs eſſe, *eſt eiuſdem rationis cum negatione præcedente, & non magis vna repugnat ipſi* eſſe,*quàm altera. Secundò, quia varietas poſterioris,*

poſterioris. vt durationis, non tollit vnitatem prioris, vt ſubſtantiæ.

Dico igitur quòd reſurrectio tenenda eſt tanquam quid creditum: fieri autem poſſe ita probatur: ſi omnia eſſent annihilata, quæ præfuerunt, tam anima intellectiua quàm materia, adhuc poſſunt reparari eadē numero: igitur ſi manſerit anima intellectiua, & materia, cùm aliqua alia per mortem ſunt deſtructa, adhuc illa in reſurrectione poſſunt reparari, & reparantur eadem numero. Probatio antecedētis. Negatio ſuccedens deſtructioni alicuius entis, eſt eiuſdem rationis cum negatione, quæ præceſſit poſitionem eiuſdem entis; igitur non eſt maior contradictio, ſi idem numero reducatur poſtquam deſtruitur, vel annihilatum eſt, quàm fuit producere illud antequam tale ens factum eſt: ſed non eſt contradictio quòd ad idem numero fieret, cuius negatio præcedat poſitionē eius; igitur nec quòd idem numero repararetur poſtquam deſtructum eſt. ſicut enim non includit contradictionem quoad primum *non eſſe* ſui, quin poſt ipſum *non eſſe* poſſit totum ſuum *eſſe* accipere, ſic nec quoad *non eſſe*, quod ſequitur *eſſe*, includit contradictionem, quin poſt tale *non eſſe* poſſet totaliter eſſe.

Probat reſurrectionem primo.

Secundò. Item, hoc idem probo ex parte vnitatis illius, quod eſt idem numero, ſcilicet, ſuæ ſingularitatis: ſicus varietas in poſteriori non variat vnitatem in priori; ſed *eſſe*, & hoc idem numero, eſt prius quàm eſſe in hoc tempore, vel in illo, quia prius eſt vnumquodque in ſe intrinſecè vnum, quàm variatur in comparatione ad quamcunque cauſam extrinſecam; igitur non oportet ipſum hominem variari in ſe propter hoc, quòd habet *eſſe* in primo inſtāti, & vltimo ex interruptione temporis; igitur eadem virtute, qua poteſt res produci poſt *non eſſe* ſimpliciter, poteſt reparari ad *eſſe* eadem numero, poſtquam habuit *eſſe*, & per cōſequens materia prima poteſt redire ad formam corporalem, & ad actum eadem numero, quæ priùs habuit, ſaltem ea quæ neceſſaria ſunt ad animationem corporis ab anima intellectiua.

Diuerſitas poſteriorus, nō infert diuerſitatem prioris.

Ad prim. principale. Ad primum argumentum principale ex Eccleſiaſte, dico quòd Salomon ibi vt concionator loquitur, modò in perſona ſapientum, modò in perſona fatuorum. Dixit autem illud verbum in perſona fatuorum, non definiendo, ſed loquendo quantùm ad hoc, quod apparet ſenſui exteriori.

Vnus interitus hominū & iumentorum exponitur.

Ad ſecūdum. Ad ſecundum de auctoritate Philoſophi, dico quòd iſta, & ſimiles auctoritates, ſi concluderent, tantùm concluderent de morte naturali, quia Philoſophus tantùm loquitur de tali tranſmutatione: dicit tamē quòd non eſt neceſſe oppoſitum fieri, ſed non quòd ſit impoſſibile.

Ad tertium. Problema: an erit eadem paſſio & vnio in reſurrectione. Ad tertium, dico primò, concedendo quòd non redit eadem vnio; & hoc ſi accipiatur *vnio* pro vnione paſſione, ſiue relatione conſequente, ſic enim non eſt *eſſe* compoſiti, quia eſt reſpectus extrinſecùs aduenies.

Aliter poteſt dici, quòd eſt eadem vnio, ſiue relatio. Ex quo enim idem fundamentum, & idem terminus redeunt numero eadem, redit eadem habitudo. Vnde Beatæ Virginis ad Chriſtum eſt modò eadem maternitas, quæ fuit ante reſurrectionem, quia idem fundamentum, & ſdem terminus.

QVÆSTIO III.

Vtrùm natura poſſit eſſe cauſa efficiens reſurrectionis?

Ariſt. 2. *de Generat. in fine.* Aug. 12. *Ciuit. c.* 13. D. Thom. D. Bonau. Argen. Suar. *citati q. præcedent.* Rada 4. *p. controu.* 15. *art.* 3. Scot. *hic q.* 3. *&* 7. *Met. q.* 8. 9. *&* 10. *&* 2. *Phyſ. q.* 4.

QVòd ſic videtur, quia in natura eſt potentia paſſiua ad reſurrectionem; igitur in natura erit potentia actiua ad reſurrectionem. Antecedens patet, quia anima naturaliter inclinatur ad corpus, vt ad proprium perfectibile, & corpus inclinatur naturaliter ad eam, vt ad propriam perfectionem: quia ſecundùm Philoſophum *primo Phyſicorum*, materia naturaliter appetit, vt perficiatur ea. Conſequentia patet, quia nulla potentia poteſt eſſe fruſtrà in natura ſecundùm Commentatorem 12. *Metaphyſ. text. c.* 12. Sed ſi cuilibet potentiæ paſſiuę in natura nō correſponderet aliqua potentia actiua naturalis potens illam potentiam paſsiuam reducere ad actum, fruſtrà eſſet potentia paſsiua in natura. I. *Arg. primum affirmatiuū.*

Item, in tranſmutatione naturali eſt duplex proceſſus, vnus reſoluēdo & alter componendo; igitur ſicut ſe habet reſolutio ad ſuum terminum, ita compoſitio; ſed natura reſoluendo reducit ad idem numero, de quo corpus humanum fuit factum, ſcilicet, ad materiam primam, igitur & componendo facit illud idem numero reuerti, quod de illa materia fuit factum. *Secundum.*

Item, vbi eſt eadem materia, & idem efficiēs, videtur eſſe idem effectus; ſed aëris primò corrupti in ignem, & ignis corrupti in aërem ſecundò genitum eſt eadem materia, & poteſt eſſe idem efficiens; igitur aër priùs corruptus poteſt poſtea idem numero redire per naturam. *Tertium.*

Contrà, Dionyſius de diuinis nominibus. cap. 6. *Reſurrectio eſt ſupra naturam*; igitur natura illius nullo modo erit cauſa efficiens. *Ratio ad opp.*

Item, natura non poteſt producere animalia perfecta productione æquiuoca, ſcilicet, ſine ſemine, vt patet per Commentatorem 8. *Phyſic. com.* 46. contra Auicennam: ſed homo eſt perfectiſſimum animalium, quod producit vniuocè, id eſt, ex ſemine per generationem; igitur non poteſt ipſum producere æquiuocè per reſurrectionem.

SCHOLIVM I.

Sententia Platonis, & aliorum Philoſophorum, omnia eadem numero reditura poſt. 36. millia annorum: hanc refutat ex Auguſtino, cuius rationibus addit alias optimas, mathematicas, phyſicas, & morales: de quibus vide eum fuſius in Oxon. hic à n. 3.

REſpondeo ad quæſtionem, & dico ſecundùm Damaſcenum libro 4. cap. vltimo. *Reſurrectio eſt eius, quod cecidit, ſurrectio*: ſed totus homo cōpoſitus exanima & corpore per mortem primò cecidit, & poſtea corpus cecidit per reſolutionem in cineres; igitur ſi eiuſdem hominis debeat eſſe reſurrectio, oportet quòd totum redeat; hoc autem fit quodam ordine incipiendo *Reſurrectio quid.*

piendo à reparatione corporis, quod vltimò reſoluebatur in cineres, & deinde ad vnionem animæ ad corpus; igitur dupliciter poteſt intelligi quæſtio; vno modo: An ſcilicet reparatio corporum habeat cauſam actiuam in natura. Alio modo, an totaliter reſurrectio hominis habeat totalem cauſam actiuam in natura.

Duplex ſenſus quæſtionis.

De primo eſt quædam opinio, ſcilicet Platonis, quam recitat Auguſtinus 12. *de ciuitate Dei. cap.* 13. qui dicit quòd natura poteſt reparare omnia eadem numero in generabilibus, & corruptibilibus, & per conſequens omnia generabilia, & corruptibilia, quæ tantùm ſunt corporalia, poſſunt redire eadem numero.

Aug. Opinio Platonicorum omnia reditura poſt 36. millia annos.

Ratio ad hoc talis eſt. Ex quo corpora cæleſtia habent vniuerſalem cauſalitatem ſuper omnia iſta inferiora generabilia & corruptibilia, & differentias eorũ in diſpoſitione, & ſitu, eſt cauſa differentiatis in genere effectuum, ſequitur quòd vniformitas diſpoſitionis, quam habent, quando aliquod corpus produxerunt, erit cauſa vniformitatis illius effectus; igitur ſi aliquod corpus virtute influętiæ cœleſtis generetur modò, & poſtea corrumpatur, ſequitur quòd aliàs virtus cœli quando erit in diſpoſitione, in qua fuit, quando illud corpus generauit, eundem effectum numero reducet & reparabit, ad talem autem diſpoſitionem poſſunt redire corpora cœleſtia poſt 36. millia annorum ſecundùm Ptolemæum in Almageſto.

3. *Aug. refutat hunc errorem auctoritate.*

Iſtam autem opinionem redarguit ibi Auguſtinus, & primò per auctoritatẽ Apoſtoli Rom. 6. *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* & ſimiliter per illud Theſſal. 4. *& ſic ſemper cum Domino erimus.* Similiter per illud Pſalmi 11. *Tu Domine ſaluabis nos à generatione hac in æternum.* Igitur non erit talis circulus poſt tot annos. Addit autem quòd congruè poteſt dici de eis illud eiuſdem pſalmi: *In circuitu impij ambulabant*, non quòd vita eorum ſit per circulum reuerſura, vel retroceſſura; ſed quia ex modo talis erroris, talis eſt eorum via.

Deinde ratione.

Item, arguit per rationem de beatitudine ſic; non eſt vera beatitudo, niſi ſit ſempiterna, & perpetua; aut igitur credit illam beatitudinem eſſe ſempiternam, quæ eſt per talem circulationem, & tunc anima eius falſo errore beata erit, quod eſt impoſſibile: aut timet quòd ſit aliquando finitura. Sed quomodo tunc eſt beata cum tali pœna & timore? quaſi dicat, nullo modo. Quære ibi Auguſtinum.

Reſpondet etiam ad illud, quod dicitur Eccleſ. 1. *nihil nouum ſub Sole*, quod habet hîc intelligi de nouitate ſecundùm genus, non de nouitate ſecundùm numerum.

4. *Refutatur idem error rationibus. Primò.*

Præterea, contra illam aliter poteſt argui. Actiuo redeunte eodem, & omninò eodem modo ſe habente, niſi redeat paſſiuum omnino idem, non redit effectus idem, quia ſecundùm Philoſophum 8. *Metaphyſ. cap.* 3. ad vnitatem eiuſdem effectus producti nõ ſolum requiritur identitas agentis; ſed etiam paſſi, vel materiæ, quia in *eſſe* effectus non tantùm dependet ab agente, ſed à paſſo, & materia, & per liberum arbitrium, ſiue voluntatem poteſt aliquis aliquod corpus transferre de loco ad locum, & locatum mouere, quod poſt talem motum non eſſet in eadem diſpoſitione ad corpora cœleſtia, & influentia eorum, in qua priùs erat in comparatione ad illa poſt talem circulum; igitur non redit idem poſt talem circulum.

Ad identitatem effectus requiritur identitas paſſi, vel materiæ.

Item, hæc opinio reprobatur ab Ariſtotele *primo Poſteriorum, text.* 4. quia ad eã ſequeretur quòd addiſcere nihil aliud ſit, quàm reminiſci. Probo; per hoc enim quòd anima vnitur corpori, non corrũpitur habitus, qui præfuit in ea, quia tunc vnita actualiter corpori nihil poſſet ſcire; quia non poſſet habere naturalem habitum ſcientiæ: igitur ſi anima eandem ſcientiam poſt talem circulum habebit, quam habuit in corpore aliquando ex influentia corporis cæleſtis in corpus, non acquireret habitus ſcientificos de nouo. Sed hoc eſt falſum, quia impoſſibile eſt, vt dicit, nos habere habitus nobiliſſimos; ſcilicet, intellectiuos, & quòd lateãt nos.

Secundò. Ariſtot.

Præterea, Aliqui fortè motus cœleſtes, vel corporũ cœleſtium, ſunt improportionabiles, & incommenſurabiles, quia magnitudines, ſuper quas ſunt, poſſunt eſſe incommenſurabiles, & improportionabiles, vt patet ex 10. Euclidis de Coſta & diametro quadrati. vnde motus factus ſuper coſtam & eius diametrum, non poſſunt eſſe commenſurabiles, quia magnitudines non poſſunt eſſe commenſurabiles, & per conſequens non poſſent menſurari aliqua vna, & eadem menſura, & ita non poſſunt redire ad eandem diſpoſitionem, quam priùs: & ita nec eadem numero.

Tertiò.

Diameter eſt incommenſurabilis coſtæ. De hoc vide in 2. d. 2. q. 9.

SCHOLIVM II.

Sententia aſſerens per naturam nihil idem numero poſſe redire, ſuadetur variis locis Ariſt. & rationibus; ſed præfertur oppoſita; & ſoluuntur rationes huius: de quo latiùs agit in Oxon. hic q. 3. à n. 8.

ALia eſt opinio, quæ dicit quòd nihil de numero priùs corruptorum poteſt poſtea redire per naturã. Hæc opinio imponitur Philoſopho 2. de Generatione text. vlt. quòd *forma corrupta non poteſt per naturam eadem numero redire.* Similiter 5 Phyſicorum text. 36. & 14. *Illa quæ generantur per propagationem, non poſſunt fieri per naturam niſi ex ſemine, & materia aliqua*; quia agens naturale neceſſariò præſupponit paſſum, in quod agat. Vnde dicit, neceſſe eſt primum fieri ſemen, ſed non ſtatim animalia; ſed reformatio corporum humanorum erit ex eorum materia, ſed mediante ſemine; igitur.

Gotfr. quodl. 6 9. 2. Ægid. theoremate 1 Henr quodl. 4 q. 13. & quodl. 8 9 5. Probant primò ex Ariſt.

Item, libro Prædicamentorum cap. de oppoſit. text. 14. dicit Philoſophus, quòd *a priuatione ad habitum non eſt regreſſus*, ſed ſecundùm eundem *mors eſt priuatio vitæ*, & ſui proprij habitus; igitur ab ea ad vitam non eſt reditus per naturam.

Secundò

Item 6. Ethicorum cap. 3. dicit quòd *hoc ſolo priuatur Deus ingenita facere, quæ facta ſũt*; igitur & facere entia, quæ iã facta fuerunt non entia.

Probant ratione primò.

Ad hoc ponitur talis ratio: Idem non poteſt de nouo generari, niſi ex eadem materia tota, quæ eſt in prima, quia in ſecunda generatione communiter diuiditur, & ſpargitur, igitur non poteſt, &c.

Ad idem numero requiritur eadem materia. Secundò.

Item, agens naturale non agit niſi per motũ & mutationem, cùm requirat paſſum, quod debet tranſmutari; ſed motus, & mutatio non redit idem numero, cùm eſt interrupta: igitur.

Item, confirmatur. ſicut ſe habet productum ad hoc productum, ita productio ad hanc productionem;

Confirmant.

ductionem: igitur permutatim ſicut productum ad productionem, ita hoc productum ad hanc productionem, ſed nihil poteſt eſſe productum ſine productione: igitur nec hoc productum ſine hac productione.

6. *Tertiò.* Item, nihil poteſt produci nec eſſe à natura, ad quod, vel in quo, modò non eſt potentia paſſiua, quia cuilibet potentiæ actiuæ in natura correſpondet propria potentia paſſiua; ſed corrupto aliquo, non manet in eo potentia naturalis ad formam eandem, quæ priùs fuit ad eam; igitur corruptum non poteſt poſteà produci. Minor probatur dupliciter, primò, quia ſecundùm Commentatorem, *primo Phyſic.* adueniente forma corrumpitur potentia ad illam formam; ſed potentia deſinens eſſe non redit eadem reſpectu illius, quod corruptum eſt. Secundò ſic: potentia non eſt niſi ad præſens, vel ad futurum, non autem ad præteritum; ſed corruptum eſt præteritum; igitur ad illud non eſt potentia.

Ad præteritū non eſt potentia.

Vltimò. Vltimò arguo ſic: idem numero non poteſt redire naturaliter, niſi redeat eadem potentia numero; ſed potentia non poteſt redire naturaliter eadem numero, quia forma cùm corrumpitur, non reſoluitur in eandem poſſibilitatem, quæ fuit ad ipſam, vel tranſiuit in ipſam: igitur in aliam numero, & per conſequens non poteſt idem numero redire.

7. *Reiicitur iſta ſententia primò.* Sed non videtur mihi, quòd iſtæ rationes ſint efficaces, vel multùm valeant, vel ſaltem quòd non neceſſariò concludant, quoniam 5. *Phyſicorum text.* 12. *& deinceps*, dicit Philoſophus quòd non eſt diuerſitas in effectu, niſi vel propter diuerſitatem efficientis, vel diuerſitatem materiæ; ſed poſſibile eſt efficiens eſſe idem poſt corruptionem formæ, & materia eadem, & æquè diſpoſita; igitur & effectus idem poſt corruptionē.

Diuerſitas effectus eſtà diuerſitate efficientis, vel materia.

Obiectio. Sed fortè dices quòd non eſt poſſibile agens eſſe idem, niſi ſit eadem influentia ante corruptionem, & poſt; quia cœlum continuè motum in alio, & alio inſtanti habet aliam, & aliam influentiam, & nunquam eandem.

Soluitur. Contrà, ad hoc quòd idem numero de nouo poſſit generari poſtquam corruptum eſt, non requiritur eadem influentia numero, quæ priùs, ſed tantùm ſimilis. Cuius probatio eſt, quia ſi hic ignis generaret in hoc inſtanti, & alius fuiſſet eodem modo approximatus eidem paſſo, & eodem inſtanti idem generaret, quia paſſum eſt idem, & æquè approximatum, & agens eſt æqualis virtutis, & æquè diſpoſitum ad agendum; ſed in cauſa proxima diuerſificata non impedit idem numero produci, vt iam probatum eſt; igitur nec multò magis cauſa remota diuerſificata impediet identitatem effectus, quia proxima eſt efficacior, quàm remota; ſufficit igitur ſimilis influentia, & non neceſſariò requiritur eadem numero ad hoc quòd idem numero producatur.

Ad eundem effectum numero non requiritur idem numero efficiens.

Præterea, iſta influentia non eſt aliqua forma recepta in cauſa ſecunda à cauſa prima, quia ſi ſic eſſet, haberet in ſe formam cauſatam à prima cauſa, per quam prima cauſa concurrit cum ea ad agendum. Illa igitur influentia, ſi eſſet forma in cauſa ſecunda recepta, poſſet ipſa per ſe agere ſine dependentia ad cauſam primam, quia non dependet ab ea, niſi propter influentiam virtutis, quam recipit à prima cauſa; hoc autem falſum eſt, quia quocunque à prima cauſa recepto, non minùs dependet ſecunda cauſa ab ipſo. Non eſt igitur iſta influentia aliqua forma recepta in cauſa ſecunda à cauſa prima, ſed tantùm eſt coniunctio eius cum cauſa prima, ſub ordine eſſentiali ad cauſandum eundem effectum; ſed cauſa ſecunda & proxima eſt eadem, cum qua etiam coniungitur cauſa prima in ſua cauſalitate omnino eadem vt priùs; igitur effectus erit idem.

Explicat influentiā cauſa prima.

Item, contra illam opinionem arguo ſecundò ſic: Aut aliquid quia corruptum eſt, eſt ſimpliciter impoſſibile redire idem numero, aut non? Si ſic, igitur Deus non poteſt de potentia abſoluta facere quòd idem numero redeat, poſtquam corruptum eſt, quia non poteſt ſuper ſimpliciter impoſſibile, & illud, quod includit contradictionem. Si ſic, non eſt ſimpliciter impoſſibile, ſed magis ſimpliciter poſſibile: ſed quando aliquis effectus eſt ſimpliciter poſſibilis, remanet virtualiter in poteſtate ſuarum cauſarum, reſpectu quarum priùs erat poſſibilis, quia ſubeſt cauſalitati earum: igitur cùm in propoſito maneant cauſæ, quæ priùs, eædem poſt corruptionem, quia eadem materia, & idem efficiens, vel ſaltem poſſibile eſt manere eaſdem, ſequitur quòd idem poteſt de nouo reparari etiam per naturā, quod fuit priùs corruptū. 8. *Reiicitur ſecundò.* *Deus non poteſt in ſimpliciter impoſſibile.*

Reſpondebis fortè quod materia non habet eandem potentialitatem poſt corruptionem, quam & ante habuit. *Reſponſioni obuiatur.*

Contrà: iſta potentialitas materiæ ad formam, quæ priùs in ea erat introducta per agens, & poſteà corrumpitur, non eſt niſi reſpectus rationis, vel ſaltem non eſt reſpectus in actu, quia terminus huius reſpectus non eſt in actu: ſed non ens vel reſpectus ad non ens non facit per ſe ad cauſalitatem alicuius effectus actu, vel poſitiui, & realis, quia reſpectus, vel relatio, non eſt cauſa, vel ratio alicuius *eſſe* in cauſando. 5. *Phyſicorum text.* 11. *&* 12. quia nec eſt principium, nec terminus; ſed quod non eſt ratio cauſæ in cauſando non impedit cauſas eodem modo cauſare; igitur hac potentia non exiſtente eadem poſt corruptionem & ante, nihilominùs poterit per ſe eandem rem cauſare poſteà quàm ante, & eodem modo. Ariſtot.

Item, conceditur quòd Deus poteſt eandem formam reparare in materia, quæ priùs corrupta erat, illa autem forma ſic ſeparata à Deo in materia facit per ſe vnum cum illa materia, ſicut priùs, quando introducta erat naturaliter per generationem, aliter non poſſet reparare eandem: ſed forma non facit vnum per ſe cum materia ſicut priùs, niſi in materia ſit potentia ad formam, quia aliter forma eſſet ei violenta, quod falſum eſt, quia tot ſunt potentiæ in prima materia, quot formæ in motore, & eadem reſpectu eiuſdem, quia ſicut in eadem forma eſt idem actus, ita & in eadem materia reſpectu illius eadem potentia, vndecunque forma ei imprimatur; igitur in materia remanet eadem potentia numero ad illam formam poſt corruptionem, ſicut ante generationem; vel ſi non manet eadem potentia ad formam, ſequitur quòd potentia non requiritur in materia ad hoc quòd per ſe faciat vnum cum forma; & per conſequens non requiritur ad creationem alicuius rei, & tunc habeo propoſitum. *Reiicitur tertiò.* *Tot ſunt potentiæ materiæ quot formæ poſſibiles, & eadem ad eandem.*

Præterea, prima ratio adducta pro illa opinione nō concludit; licèt enim materia cōmuniter magis diuidatur, & diſpergatur in ſecūda genera tionē 9. *Ad rationes pro ſententia Goſſr.*

tione rei, quàm in prima, poſſibile tamen eſt quòd aliquando non ſic diſpergatur magis in ſecunda, quàm in prima. Si enim candela accenſa ponatur in vrinali euerſo, & fortiter obturato, & ſic ignis corrumpatur in aërem, & iterum iſte aër in ignem per radios Solis, materia ibi nõ diſpergitur, nec diuiditur; igitur diſperſio materiæ non impedit quin idem per naturam poſſit redire per generationem nouam.

Lumen candelæ in vrinali an poſſit redire idem.

Quãdoque in corruptione diuiſio, vel diſperſio materia nõ tollit eundem effectũ numero.

Item, Angelus poſſet partes materiæ diſperſas, & diuiſas per corruptionem, quas nouit antè corruptionem fuiſſe in hoc compoſito, congregare, & vnire, & eas applicare agenti naturali, quod poſſit idem numero quod priùs producere; ipſe enim nouit coniungere conuenientia actiua paſſiuis, & actiuo & paſſiuo conuenienter ſimul approximatis, ſequitur effectus, ita poſt corruptionem eius, ſicut ante generationem.

In corruptione aliqua materia pars manet eadem.

Item, aliqua pars materiæ remanet eadem numero, quæ priùs, quia aliter corruptio eſſet annihilatio; igitur in illa poteſt aliqua pars formæ priùs generatæ induci, quia eadem pars, quæ priùs inducebatur; igitur ſi nihil impedit, niſi diſperſio, vel diuiſio materiæ, ſaltem ſequitur quòd aliquid idem, vel aliqua eadem pars priùs corrupti poſſit redire eadem numero.

10.

Ad ſecũdam. Non conſtat eandem mutationem non poſſe redire.

Item, ſecunda ratio non mouet, quia non includit contradictionem, quòd idem motus numero redeat, quia licèt fuerit interruptus, & per conſequens non continuatus motui præcedenti, non ſequitur tamen quin aliqua pars ſit eadem, quæ priùs, licèt ei non continuetur.

Et præterea licèt motus non ſit idem poſt interruptionem qui priùs, non tamen ſequitur quòd terminus eius, vel forma non ſit idem, quia ad eundem terminum formalem, & etiam totalem poſſunt eſſe diuerſi motus ſecundùm ſpeciem, quia ad idem *vbi* acquirendum proceditur motu recto, & circulari. Idem etiam animal imperfectum producitur per propagationem, & putrefactionem. Idem etiam animal, & homo producitur per creationem, & generationem.

Eiuſdẽ termini poſſunt eſſe diuerſi motus.

Ad confirmationem.

Nec confirmatio illius rationis aliquid concludit, quia dum aliquod commune determinat ſibi aliquam proprietatem in communi, & nullam in particulari, nec etiam aliquod contentum ſub eo; non tenet talis proportio, quia qualis eſt proportio communis ad cõmune, talis eſt proportio contenti ſingularis ad ſingulare, quia ſingulare contentũ ſub eo non determinat ſibi ſingulare aliquod magis quàm ipſum, quin indifferenter ſit omnium ſingularium. Exemplũ. Non enim ſequitur, ſicut corpus ad locum, ita hoc corpus ad hunc locum; ſed corpus nõ poteſt eſſe ſine loco; igitur nec hoc corpus ſine hoc loco. Similiter non ſequitur, ſicut color ad ſuperficiem, ita hic color ad hanc ſuperficiem; ſed color non poteſt eſſe ſine ſuperficie; igitur nec hic color ſine hac ſuperficie. Eodem modo non ſequitur in propoſito, nihil poteſt produci, vel eſſe productum, niſi productione; igitur nec eſſe hoc productum, niſi hac productione; quia nec productum, nec hoc productum determinat ſibi tantùm hanc productionem, quia vtrumque poteſt produci per aliam.

De permutata proportione.

Non tenet, ſicut color ad ſuperficiẽ ita hic color ad hanc ſuperficiem.

Vnde iſte modus arguendi, qui accipitur ab Euclide. 5. *lib. propoſitione* 15. & quo vtitur Philoſophus in multis locis, vt in primo Priorum in fine, & in libro Perihermenias, tantùm tenet, quando eadem eſt comparatio in prima, & in ſecunda, & quando non plus concluditur in concluſione, quàm habetur ex illa comparatione in præmiſſis. Nunc autem non habetur in iſtis comparationibus, niſi quòd ſicut productum eſt commune ad hoc productum, ita productio ad hanc productionem. ſed vlteriùs permutando, non ſequitur quòd vnum membrum ſecundæ comparationis continet duo membra alterius comparationis; nec hoc productum poteſt produci hac productione, & non hac, ſed alia & alia indifferenti in communi. Nunquam autem tenet permutata proportio, quando vnũ membrum vnius comparationis continet duo membra alterius. Patet hîc, ſicut ſe habet album ad nigrum, vel ad non album, ita coloratum ad non coloratum; ſed omne album eſt coloratum; igitur omne nigrum, vel non album, eſt non coloratum; non ſequitur, quia coloratum continet tam album quàm nigrum ſub ſe, vt genus ſuas ſpecies.

Quando & quomodo tenet permutatio proportio.

11.

Ad tertiam.

Tertia etiam ratio non mouet, quia ad formam eiuſdem rationis non eſt niſi vna potentia eiuſdem rationis in materia; igitur non eſt niſi vna potentia ad formam ſpecificam, ſecundùm quam eſt receptiua omnium formarum eiuſdem rationis, vel ſpeciei. Non enim eſt imaginandum, ſicut ipſi imaginantur, quòd ſint plures potentiæ in materia ad formam eiuſdem ſpeciei, & quòd vna reducta ad actum adhuc remanet alia reducenda. Nam ex quo potentiæ illæ ſunt eiuſdem rationis, ſi ſint plures, non eſt maior ratio, quare vna reducatur ad actum, quàm alia ex parte materiæ, nec etiam ex parte agentis, ſi agens ſit naturaliter agens, vt ſupponimus. Vnde potentia materiæ non eſt niſi ſua receptibilitas paſſiua formarum, & ideò ſicut ipſa eſt vna reſpectu omnium formarum ſpeciei eiuſdem, ita eſt potentia ſimpliciter vna reſpectu omnium in illa, niſi æquiuoces de *potentia*, vocando potentiam reſpectu ad formam, quia reſpectus poſſunt eſſe plures in materia reſpectu formarum plurium eiuſdem ſpeciei.

An potentia ad formam manet eãdem ea?

Potentia materiæ quid?

Ad probationem.

Ad confirmationem, dico quòd non eſt potentia ad præteritum, & vt differt ab aliis temporum differentiis eſt non ens, & Deus non fecit in natura potentiam ad non ens, ita nec ad præteritum, fecit tamen potentiam ad illud, quod eſt præteritum, vt ſit futurum, non tamen ſub ratione præteriti, quia non poteſt facere quod præteritum non fuiſſet præteritum. 6. Ethicorum, *Ingenita facere quæ facta ſunt, non poteſt Deus.*

Deus non poteſt facere quod præteritum non ſit tale.

Ad vltimã.

Ad vltimum, dico quòd non video quin potentia maneat eadem numero poſt corruptionem ſicut ante, & ſi potentia talis tranſiit in formam, quando forma de nouo generatur, ſicut ipſi imaginantur, quod tamen non eſt verum, quia principia ſunt impermixta, vel ſi forma reſoluitur in ipſam, quando corrumpitur, ſemper idem manet, vt patet ex Philoſopho. 3. *Phyſicorum.* & 5. *Metaphyſ.* quia vnumquodque in idem reſoluitur, de quo primò fit. Qualiter autem auctoritates Philoſophi valeant, patebit inferiùs.

Nulla potentia vertitur in formam.

SCHOLIVM III.

Reſolutio; primam ſententiam omnino reijciendam, & tertiam; & tertiam, quæ admittit aliqua poſſe redire eadem numero per naturam poſſe ſuſtineri;

ſuſtineri;& probat duabus rationibus claris. Putat ſaltem ſi per Deum, aut Angelum eadem materia approximata eſſet agenti eidem, quod reproduceretur idem numero effectus: tamen tota natura non poteſt ſic reparare corpus humanum, ſicut in reſurrectione reparabitur, quia cauſæ naturales agunt per media determinata, & non poteſt corpus reſtaurari naturaliter, niſi per conuerſionem alimenti in ipſum.

12. *Prima ſententia hæretica, ſecunda invalida, quam aliis rationibus impugnat Doctor.*

REſpondeo igitur ad quæſtionem primam, quòd prima opinio circa eam, quòd omnia ſcilicet redeant eadem numero ſecundùm circulum, non eſt tenenda, quia eſt hæretica.

Nec ſecunda videtur ſufficienter probata, ſcilicet quòd nihil idem numero poſſit redire per naturam, quia non video aliquam impoſſibilitatem manifeſtam ſequi ex hoc, quòd aliquid idem numero poſſit redire per naturam.

Præter autem rationes iam adductas pro hac concluſione appono adhuc alias. Si ignis aliquis in primo inſtanti alicuius temporis generaret ſubſtantiam huius ignis; & ſtatim poſt & in tempore intermedio ceſſaret generare, ſi tandem in vltimo inſtanti illius temporis æquè approximatus eidem paſſo, & æquè diſpoſito, & eſſet æqualis virtutis in ſe, æquè idem generaret in vltimo inſtanti ſicut in primo; igitur ſi generaret in primo inſtanti, & corrumperetur in tempore intermedio, in vltimo inſtanti æquè approximatus æquè idem generabit.

Interruptio temporis non obſtat permanentis identitati.

Confirmatur.

Confirmatur per exemplum de radio Solis. Si enim Sol ſtaret, & aër non mutaretur, tunc non obſtante quòd radius eſſet in continua creatione à Sole, idem remaneret per totum illud tempus, quo Sol ſtaret, & aër continuò quieſceret. Eſto autem quòd radius non ſit in medio propter aliquod obſtaculum, ex quo eſt in continuo cauſari, quare igitur non in vltimo illius temporis cauſaretur, ſicut & ſi in tempore medio cauſaretur? Quia quod in tempore medio cauſetur, nihil facit ad ſui cauſationem in vltimo inſtanti; igitur cum in toto tempore radius continuè cauſetur, poteſt idem radius hoc non obſtante quòd in medio tempore deſinat eſſe in primo, & in vltimo inſtanti illius temporis cauſati.

An idem radius naturaliter redire poſſit.

13. *Reſolutio Doctor.*

Dico igitur quod mihi videtur ſine præiudicio, quòd non eſt impoſſibile aliquid idem numero redire per actionem naturæ poſtquam corruptum eſt.

An naturaliter poſſit redire idem numero corpus humanum.

Sed éſtne hoc poſſibile de corpore humano, ſcilicet poſtquam corruptum eſt, quòd redeat idem numero per actionem naturæ?

Dico quòd forma corporis humani fortè poſſet redire eadem numero, ſi eadem materia eius eſſet æquè approximata potentiæ actiuæ, vt ſi materia ſeminis, de quà generatur corpus hominis, poſteà rediret præcisè eadem, & ſub omnimoda diſpoſitione, quia priùs æquè approximaretur agenti æqualis virtutis, & eiuſdem ſpeciei poſſet iterato tale agés inducere in eadem materia formam eandem, quam priùs induxit; ſicut ſi priùs non induxiſſet, potuit tunc inducere, quia per hoc quòd priùs induxit formam eiuſdem ſpeciei, non impediretur modò quin poſſet in eandem, ſi materia ſit ſibi æquè approximata, ſed modò hoc poteſt, ſicut ſi nunquam priùs hoc egiſſet, de facto tamen nunquã redit materia æqualiter diſpoſita reſpectu illius virtutis; ſi tamen Deus faceret quòd ſic rediret, non eſt aliqua impoſſibilitas, vel impedimentum ex parte illius virtutis naturalis æqualis, quin modò poſſet in illam, ſicut priùs potuit.

Si Deus approximaret eandem materiam idem effectus naturaliter reproduceretur.

Quidquid autem ſit de hoc; iſtud aſſero quòd non eſt poſſibile quòd per actionem agentis naturalis poſſet forma corporis humani redire eo modo, quo redit in reſurrectione, ſcilicet immediatè, & ſtatim poſt corruptionem eſſe idem, quod priùs, ſine aliqua tranſmutatione media, quia ſecundùm Philoſophum 8. *Metaphyſ.* natura in agendo neceſſariò requirit determinatum proceſſum per determinata media, ſine quo nihil poteſt agere. Imò tota natura citra Deum non poſſet aliquid naturaliter producere non obſeruando iſta media, quæ ſunt determinata à natura ad aliquem effectum producendum; non enim ſtatim ex aceto fit vinum, ſicut ex vino acetum, nec immediatè ex corpore humano fit ſemen, ſicut è conuerſo, vel ſtatim ex mortuo viuum, ſicut ex viuo mortuum, ſed requiritur neceſſariò determinatus proceſſus per formas medias antequam ex aceto fiat vinum, vt ſcilicet priùs acetum conuertatur in fæces, & fæces in puluerem, & puluis in herbam vitis, & vitis in vuam, & vua in vinum. Præter enim iſtum ordinem non poſſet tota natura citra Deum ex aceto producere vinum, quia hæc media determinata ſunt à natura, quia ſi immediatè, & ſine ordine poſſet vinum fieri ex aceto, ſicut è conuerſo, quodlibet indifferenter fieret ex quolibet, quod eſt inconueniens. Similiter licèt immediatè ex ſemine poſſet fieri corpus humanum, non tamen è conuerſo. Similiter licèt immediatè poſſet tale corpus corrumpere, non tamen poteſt, poſtquam corruptum eſt, immediatè idem reparare. Sed oportet ad hoc quòd idem reparet, quòd tranſeat per omnia media determinata à natura, qualia benè nouit Angelus ordinatè coniungere, & æquali virtute actiua poſſet debito modo, ſi Deo placeret, vt conueniens actiuum conuenienti paſſiuo applicare, & ſic idem numero, quod priùs corruptum eſt, poſſibile eſt redire. De facto tamen nunquam redit idem per naturam, quia nunquam eadem materia præcisè, & eodem modo diſpoſita redit reſpectu illius virtutis, poſſet tamen; & de facto tantùm concludunt auctoritates Philoſophi 2. *de Generatione*, & 2. *Phyſicorum*, & in libro Prædicamentorum.

Quare tota natura non poteſt reparare corpus humanũ eo modo quo reparabitur in reſurrectione.

14.

Auctoritas Philoſophi loquitur de facto.

SCHOLIVM IV.

Mouet dubium an corpori iam reparato per naturam poſſet reuniri anima: Et tenet Doctor contra Henric. quòd non, ſoluitque rationes in contrarium. De quo clariùs in Oxon. hîc q. 3. à n. 20.

CIrca ſecundum principale in quæſtione. An ſcilicet natura poſſit in hominis reparatione, vel reſurrectione, animam reunire corpori? Videtur dicendum quòd ſic, quia agés, quòd poteſt in aliquam diſpoſitionem vltimatam, quæ eſt neceſſitans ad formam, poteſt in illam formam imprimendo illam, cui ſic ſummè diſponit: ſed forma corporis organica eſt vltima diſpoſitio neceſſitãs ad ſuſceptionem formę intellectiuæ, in quam quidem formam corporis

15. *Sententia Hẽr. quodl. 11 q. 14. Vide Varro q. 4.*

organici poteſt natura, vt dictum eſt, quia poteſt ipſum reparare procedendo per media determinata à natura, vt probatum eſt; igitur poteſt animam corpori imprimere, vel vnum alteri vnire.

16. *Anima per agens naturale nõ poteſt vniri corpori reparato. Probatur cõtra Henric. primò.*

Videtur tamen mihi dicendum, quòd non poteſt natura ſuper reparationem totius hominis priùs mortui, nec per conſequens ſimiliter vnionem animæ ad corpus poſt corruptionem hominis. Cuius ratio eſt, quia natura, quæ non poteſt per actionem attingere, vel producere animam, non poteſt attingere ad vniendum eam alteri naturaliter, quia æqualis virtutis eſt ſecundum ſicut primum. Sed tota natura citra Deum non poteſt ipſam producere de nihilo, quia natura ſemper requirit, de quo agat, igitur nec poteſt tota natura ipſam alteri vnire.

Nec poteſt dici quòd ipſamet anima poteſt cauſare iſtam vnionem eius ad corpus, quia vniuerſaliter cauſa æquiuoca eſt nobilior ſuo effectu, ſecundùm Auguſtinum 83. *qq. q.* 2. & 12. *ſuper Geneſin:* & per Auicennam *in Metaphyſica ſua libro 6. cap.* 3. Sed homo, qui eſt terminus iſtius vnionis, eſt ſimpliciter nobilius quàm anima ſola, quia totum eſt nobilius ſua parte; igitur cùm facere vnionem animæ & corporis ſit cauſare hominem, non poteſt anima iſtam vnionem cauſare.

Aug. *Cauſa æquiuoca eſt perfectior ſuo effectu.*

Secundò. Item, Philoſophus dicit ſecundò Phyſicorũ, quòd *agens & forma non coincidunt in idem numero*, quia nihil facit ſe, nec ſecundùm partem, nec ſecundùm totum; ſed anima intellectiua eſt forma hominis; igitur non poteſt efficere hominem, cuius eſt forma, nec vnionem eius cum alio cauſare, quia hoc eſſet totum cauſare.

Cauſa efficiens & formalis non coinsidunt, de quo Boët. 2. Phyſic q. 2.

Item, ita naturalis eſt vnio animæ cum corpore in generatione, ſicut in reſurrectione; igitur quod non poteſt in vnionem animæ cum corpore in generatione, non poteſt in vnionem eius cum alio in reſurrectione; ſed anima non poteſt in vnionem eius cum corpore in generatione, quia ibi generans eſt vniens; igitur nec in vnionem eius cum corpore in reſurrectione.

17. *Ad rationem Henrici in contrarium.*

Ad rationem illam in oppoſitum, cùm dicitur quòd agens potens in vltimam diſpoſitionẽ neceſſitantem ad inductionem formæ, poteſt ipſam formam inducere. Dico quòd non dicitur diſpoſitio neceſſitans, quia diſpoſitio inducit formam, ſed quia ſe tenet ex parte paſſi, in quod paſſum ſic diſpoſitum inducit agens extrinſecum neceſſariò formam, ad quam diſponit, ſi ſit agens naturale, vel liberè & contingenter, ſi ſit agens liberum, & à propoſito; vnde diſponens per hoc, quòd diſponit aliquid, non ſimpliciter neceſſitat ad illud inducendum. Vnde in toto vniuerſo nõ eſt talis diſpoſitio, quòd ſit ſimpliciter neceſſitans reſpectu inductionis formæ, quia quacunque diſpoſitione poſita ad aliquam formam, poteſt Deus illam voluntariè inducere, vel non inducere de potẽtia ſua ſimpliciter, nam inducit formam ad talem diſpoſitionem, non ex neceſſitate, ſed contingenter & liberè, quia Deus voluntariè, & quaſi ex pacto aſſiſtit ad ſupplendum defectum & impotentiam naturæ. Et ita dato quòd natura poſſit eandem diſpoſitionem reparare, quæ priùs, & modò ſit neceſſaria reſpectu agentis naturalis ad inductionem formæ intellectiuæ, non tamen poteſt inductionem formæ de nouo, & reſurrectionem; tũ, quia inducens formam ad talem diſpoſitionem, non agit ex neceſſitate ad extrà, ſed tantùm contingenter, & liberè; tum, quia dato quòd ſic, non ſequitur quòd id quod poteſt in primum, & in diſpoſitionem, quòd etiam poſſit in illud, quod ſequitur ipſam.

Non datur diſpoſitio ſimpliciter neceſſitans ad formam.

Ad argumenta iſtius quæſtionis. Ad primum, dico quòd conſequẽtia non valet, ſcilicet quòd in natura eſt potentia paſſiua ad recipiendum de nouo animam intellectiuam per reſurrectionem, igitur in natura eſt potentia naturalis actiua ad faciendum reſurrectionem, & reditum animę ad corpus de nouo; natura enim poteſt in corpus organicum, & formam corpoream organicam, quæ eſt proxima ratio recipiendi animam intellectiuam; non tamen poteſt in animã intellectiuam, quia ad plura ſe extendit potẽtia paſſiua in natura, quàm ad illa, ſecundùm quæ poteſt perfici potentia actiua in natura.

18. *Ad primum principale.*

Et cùm probat, cuilibet potentiæ paſsiuæ correſpondet propria potentia actiua in natura 2. *de Anima*, Dico quòd aliter huic reſpondetur ſecundùm Philoſophos, & aliter ſecundùm Theologos. Apud Philoſophos non eſſet ſimpliciter verum quòd cuilibet potentiæ paſsiuæ naturali correſpondeat aliqua potentia actiua naturalis, quia entia perfecta in natura ordinãtur ad maiorem perfectionem paſsiuam habendam, quàm in eis poſsit eſſe per potentiam actiuam naturalem. Nec propter hoc eſt potentia paſsiua fruſtrà in natura, quia etſi per agens naturale non poſsit principaliter ad actum peruenire, poteſt tamen per ipſum diſpoſitio ad talem actum induci; nec hoc vilificat naturam, ſed magis dignificat eam, ſicut patet in libro primo*, vbi de hac re actum eſt. Tamen apud Philoſophos eſt propoſitio vera, accipiendo *potentiam actiuam naturalem* pro potentia actiua, modo naturali agente, ſiue ſit creata, ſiue increata, quia ſecundùm eos, ita cauſat Deus naturaliter, & neceſsitate naturali in ſuo ordine cauſandi, ſicut agens creandum. Secundùm Theologos illa propoſitio eſt falſa, quæ dicit quòd cuilibet potentiæ paſsiuæ naturali correſpondet potentia actiua naturalis, quia maioris perfectionis eſt natura capax in ſuperioribus entibus, quàm ſit illa, ad quam ſolùm extenditur virtus potentiæ actiuæ naturalis; nec tamen illa potentia paſsiua eſt fruſtrà, quia æquè poteſt illa potentia paſsiua reduci ad actum per agens liberum, quàm per agens naturale, quia in comparatione ad extrà agens liberum eſt maioris efficaciæ, & virtutis, quàm agens naturale, quia eſt infinitum: non ſic agens naturale. Debet igitur ſic illa propoſitio intelligi, quòd cuilibet potentiæ paſsiuæ naturali correſpondet aliqua potentia naturalis, vel libera reducens ipſam ad actum: & hoc concedo.

Quomodo potentia paſſiua correſpondet actiua in natura.

*Diſt. 5. q. 2. ad 3. pro 2. opinione.

Ad ſecundum, dico quòd non eſt ſimile de natura in reſoluendo, quia natura in reſoluendo non reducit ad aliquid nouum, ſed ad aliquid præexiſtens, quod fuit pars generati, vt ampliùs non ſit pars eius. Sed in componendo fit proceſſus ad aliquid nouum præexiſtens, quod nec fuit pars generati præexiſtens, ſed totum accipiens *eſſe* nouum.

19. *Ad ſecũdum. Facilius eſt deſtruere quàm exſtruere.*

Tertium argumentum poteſt concedi de ære & igne; ſed non de reſurrectione, vel reparatione totius hominis: vel poteſt dici ſecundùm illas duas opiniones ſuperiùs tactas, quòd influentia vniuerſalis non manet

Ad tertium,

manet eadem, vel potentiâ non manet eadem. Melius eſt tamen ſecundùm tertiam viam; quam teneo, abſolutè concedere argumentum.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm reſurrectio ſit naturalis?

D. Thom. *quodl.* 4. *art.* 5. Rich. *hic art.* 3. *q.* 1. Capr. *q.* 11. Palud. *q.* 2. *&* 3. Durand. *quæſt.* 3. Suarez 3. *p. tom* 2. *d.* 44. *ſ.* 6.

1. *Arg. primum negatiuum.*

VLTRA hoc quæro: *Vtrùm reſurrectio ſit naturalis?* Nec eſt eadem hæc quæſtio cum priori, vt patebit inferiùs. Quòd ſic. Damaſcenus *lib.* 3. *cap.* 14. quod commune eſt omnibus in eadem ſpecie, eſt naturale; ſed reſurgere eſt commune omnibus hominibus; igitur.

Secundum. Item, mutatio naturalis eſt, quando quies terminans mutationem, eſt naturalis; nam ſi quies grauis deorſum eſt naturalis, & motus eius deorſum eſt naturalis: ſicut per oppoſitum illa mutatio eſt innaturalis, vel violenta, quando quies terminans illam mutationem, eſt violenta: ſed reſurrectio terminatur ad quietem naturalem, vt ad *eſſe* permanens, quod eſt ſibi naturale poſt reſurrectionem; igitur.

Ratio ad opp. Contrà, ſi reſurrectio eſſet naturalis, poſſet naturali ratione cognoſci; ſed hoc falſum eſt; igitur illud ex quo ſequitur. Probatio falſitatis conſequent ſi apparet per Auguſtinum 13. *de Trinitate cap.* 19.

SCHOLIVM I.

Explicatis variis acceptionibus verbi naturalis, *reſoluit reſurrectionem eſſe naturalem, vt opponitur violento; & loquendo de reſurrectione actiua, ipſa eſt naturalis, & libera. Vide Doct. de hac re fuſius in Oxon. hîc q.* 4. *&* q. 1. *prol. à num.* 10. *præcipuè num.* 20.

2. *Naturale ſumitur tripliciter, primò vt opponitur libero.*

AD iſtam quæſtionem reſpondeò quòd non eſt eadem cum præcedente, quia *naturale* eſt æquiuocum, & non vno modo dictum. Hoc apparet ex pluralitate illorum, quibus opponitur. Nam *naturale* vno modo opponitur *libero*, & ſic *naturale* & *liberum* diuidunt potentiam, vel principium actiuum. Patet per Philoſophum 2. *Phyſic. text.* 49. vbi diuidit principium actiuum, in principiũ actiuum naturale, & principium actiuum à propoſito, vel per artem, vel actiuum per cognitionem, quæ pro eodẽ habet

Ariſtot. naturam, ſicut patet per eundem 9. *Met. text.* 30. Illud principium liberum aliquãndo vocat artem, aliquando vocat propoſitum, quandoque ſpeciem; & iſta duo principia ſic diſtincta habent oppoſitum modum principiandi, quia principium actiuum naturale determinatur neceſſariò ad vnum, ita quòd non poteſt in oppoſitum pro tunc, cùm agat ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ reſpectu illius vnius. Principium actiuum liberum etiam pro tunc quando agit, poteſt in oppoſitum illius, quod agit, aliter non ageret liberè, ſed neceſſariò reſpectu illius. Itaque principium actiuum naturale, & liberum primò diuidunt principium actiuum, & non principium actiuum & paſſiuum, quia omne paſſiuum, inquantùm tale, naturaliter patitur, & non liberè, & ideò principium paſſiuum cadit ſub principio naturali, quia principium naturale per ſe diuiditur in principium tale actiuum & paſſiuum.

3. *Naturale vt opponitur ſupernaturali.*

Secundo modo *naturale* opponitur *ſupernaturali*, & ſic diuidunt agens; quia quoddam agens eſt ſupernaturale, quoddam naturale. Naturale dicitur, quod eſt habens principium actiuum naturale finitum, ſiue ſit neceſſariò agens, ſiue liberè agens. Supernaturale dicitur, quod habet principium actiuum naturale infinitum, ſiue illud principium fuerit determinatum ad vnum, ſiue ad oppoſita. Ex quo patet quòd non eodem modo ſumitur *naturale* in prima diuiſione, & in ſecunda. In prima enim ſumitur ſtrictè, & diuiditur contra liberum, non ſic in ſecunda, quia quælibet pars ſecundæ diuiſionis continet vtramque partem primæ diuiſionis, quia agens creatum, quod eſt agens naturale, vt diſtinguitur contra agens ſupernaturale, & agit neceſſariò determinatum ad vnum, & agit contingenter, & liberè ad vtrumlibet ad hoc, & eius oppoſitum. Agens etiam ſupernaturale agit ſic & ſic, quia Pater in diuinis naturaliter, & modo naturali producit Filium liberè, & modo libero producit Spiritum ſanctum, & creaturam, & tamen eſt agens ſupra naturam, & ſupernaturale.

Agens ſupernaturale quod.

4. *Naturale vt opponitur violento.*

Tertio modo *naturale* opponitur *violento*, & ſic non recipit principium actiuum, vel agens, ſed tantùm paſſiuum, & paſſum; quia nullum agens violenter agit, cùm quodlibet agat ſecundùm formam ſuam naturalem, & inclinationem eius. Violentia enim in illo, in quo eſt, ſemper eſt contra inclinationem formæ violentati, ablatiua perfectionis eius naturalis, quæ ſi non poteſt eſſe reſpectu principij actiui, relinquitur quòd ſit reſpectu principij paſſiui. Paſſum autem tunc dicitur violenter aliquid pati, quando ad oppoſitum illius, reſpectu cuius confertur violentia, naturaliter inclinatur: ſicut per oppoſitum naturaliter patitur, quando ad illud naturaliter inclinatur. Patet igitur qualiter violentia nõ eſt conditio agentis, ſed paſſi; licèt enim aliquis violenter accipiat manum meam, & percutiat alium, quem nolo percutere, non propter hoc dicor ego violẽter agere, ſed tantùm patior, quia reſpectu percuſſionis non plus ago quàm lapis; quia reſpectu cuiuſlibet actionis principium agendi eſt intra agens; ſed non ſic eſt in manu, quãdo mouetur ab alio ad percutiendum, ſed eſt extra ipſum. Eſt igitur conditio paſſi, vel principij paſſiui. Principium autem paſſiuum, non tantùm patitur aliquid violenter, quia contra inclinationem eius, vel tantùm naturaliter, quia ſecundùm inclinationem, ſed ſic & ſic; ſed adhuc tertio modo, quod nec violenter, nec naturaliter, ſed medio modo, quia inter potentiam paſſiuam naturalem, & potentiam paſſiuam violentam eſt potentia paſſiua neutra, nec quia naturaliter inclinatur ad formam aliquam, vt potentia paſſiua naturalis, nec ad oppoſitum eius vt potentia paſſiua, ſicut ſe habet paſsiua potentia ſuperficiei reſpectu albedinis, & nigredinis, quia ad neutrum colorem ſe determinat naturaliter, ſed ad vtrumque indifferenter.

Violentia eſt ex parte paſſi.

Datur potentia neutra.

Quando igitur quæritur vtrùm reſurrectio ſit

Reſurrectio primo modo non eſt naturalis.

naturalis? Dico quòd ſi *naturalitas* accipiatur prout ſe tenet ex parte agentis ſic, vel ſic, vt dictum eſt, non eſt naturalis, nec primo, nec ſecundo modo, quia principium actiuum reſurrectionis non eſt naturale primo modo, ita quòd neceſſariò determinatur ad illud, quia eſt liberum, & poteſt in oppoſitum; nec naturale ſecundo modo, ſcilicet principium actiuum terminatum, & finitum, ſiue neceſſarium, ſiue liberum, ſed eſt ſupernaturale, & infinitum, ſcilicet Deus.

Reſurrectio eſt naturalis & ſupernaturalis diuerſo ſenſu.

Si autem quæratur, an ſit naturalis tertio modo, ſcilicet ex parte paſſi, vt ſcilicet naturale diſtinguitur contra violentum? Diſtinguo vlteriùs de *paſſo*, & *naturalitate* alicuius ex parte paſſi. Poteſt enim paſſum comparari ad agens, à quo formam accipit, vel ad ipſam formam, quam recipit, & quandoque paſſum habet ad vtramque ſimilem inclinationem, & quandoque non: ſed habet quandam inclinationem naturalem ad formam, quia naturaliter appetit perfici illa forma, non tamen habet inclinationem naturalem ad agens, vt ſcilicet naturaliter recipiat eam à tali agente. Si materia, vel paſſum in reſurrectione comparetur ad formam, quam recipit in reſurrectione, vt ad vnionem animæ cum corpore, ſic dico quòd reſurrectio eſt ita naturalis, ſicut generatio, quia ita naturaliter inclinatur natura hominis ad vnionem animæ cum corpore organico in reſurrectione, ſicut in generatione. Et iſto modo comparando materiam, vel potentiam paſſiuam ad actum, vel formam, quam recipit, dicitur potentia naturalis, violenta, vel neutra; naturalis, ſi naturaliter inclinetur; violenta, ſi ſit contra inclinationem eius naturalem; neutra ſi neque inclinetur ad illam formam naturaliter, neque ad oppoſitam eius: & in comparatione hac, vt dictum eſt, nulla eſt ſupernaturalitas. Si autem natura reſurrectionis, vel vnionis animæ cum corpore comparetur ad agens, à quo recipit talem formam, tunc non eſt naturalis, quia ſolùm eſt naturalitas in paſſo in comparatione ad agens, quando comparatur ad tale agens, quod eſt natum naturaliter imprimere in eo talem formam; & tunc eſt ſupernaturalitas, quando comparatur ad agens, quod non eſt natum imprimere formam talem in tali paſſo. Conſtat autem quòd comparando reſurrectionem ad agens, quod inducit eam in paſſum, quòd non eſt naturalis, quia illud agens non eſt natum naturaliter imprimere ei talem formam: nec eſt ordo naturalis, vt paſſum recipiat aliquam formam ab agente ſupernaturali, niſi ſicut à cauſa remota, ſed tantùm ab agente naturali, vt à cauſa proxima & propinqua.

6. Inſtantia.

Si arguatur contrà prædicta, quòd etiam violentia ita ſe tenet ex parte principij actiui, ſicut neceſſitas, vel libertas, & per conſequens non tantùm à parte principij paſſiui, quia ſecundùm definitionem eius 3. *Ethicorum cap.* 3. magis dicit habitudinem ad agens, quàm ad paſſum, *dicitur enim violentum, cuius principium eſt extrà non conferente vim paſſo*, &c.

Violentum quid?

Solutio inſtantiæ.

Sed hæc inſtantia nihil valet, licèt enim forma violenta reſpectu alicuius paſſi, quia contra inclinationem eius naturalem, non poſſet induci niſi per agens violentans, tamen per ſe ratio violenti eſt in comparatione paſſi ad formam, quam recipit contrariam inclinationi eius naturali, quia forma & paſſo manentibus in propria ratione, dummodo forma ſit contra inclinationem paſſi, quomodocumque varietur agens, paſſum violenter recipit talem formam: ſed illud eſt per ſe cauſa alicuius, quo poſito, circumſcripto, vel variato quocunque alio agente extrinſeco, ſequitur effectus: talis eſt comparatio paſſi ad formam contra inclinationem eius naturalem; igitur, &c.

Ad primum principale.

Ad primum argumentum principale, dico quòd maior eſt vera de illo, quod eſt commune omnibus eiuſdem ſpeciei ex principiis intrinſecis cuiuſlibet eorum: tale non eſt reſurgere à mortuis & ſubitò, vt probatum eſt.

Ad ſecundum

Ad ſecundum, cùm dicitur quòd quando quies, ad quam terminatur mutatio, eſt naturalis, tunc mutatio eſt naturalis. Dico quòd verũ eſt, comparando paſſiuum quod terminat talem mutationem, ad formam, quam recipit: omnis autem mutatio iſto modo eſt naturalis, quæ terminatur ad aliquam formam in paſſo, quæ non eſt contra inclinationem paſſi, vndecunque & à quocunque agente inducatur. Sed cõparando paſſum ad agens, à quo recipit talem formam, tunc dicitur ſecundùm proportionem agentis ſic, vel ſic recipere: vt ſi aliquod agens naturale ſit natum ei imprimere naturaliter talem formam, ſic eſt receptio naturalis: ſi verò agens ſit ſupernaturale, quod non eſt ſic natum agere reſpectu eius, dicitur ſupernaturalis: & conſequenter videtur quòd naturalitas, ſicut ſupernaturalitas, aliquando accipiatur in comparatione ad agens, & non tantùm in comparatione ad paſſum.

QVÆSTIO V.

Vtrùm reſurrectio fiat in inſtanti?

Alenſ 3. *p. q.* 32. *m.* 5. *art.* 1. D. Thom. *hic q* 4. *art.* 2. D. Bonau. *art.* 1. *q.* 3. Rich. *art.* 5 *q* 1. & 2. Suar. 3 *p. tom.* 2. *d.* 50. *ſ.* 9. Scot. *in Oxon. hic q.* 5. & 8 *Met. q.* 3. & 9. *Met. q.* 11. & 4. *Phyſ. queſt.* 12.



VÒD non. Theſſal. 4. *Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, deinde nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus*, &c. igitur cùm illi primò reſurgent, & nos poſt, non erit ſubita reſurrectio: & *prius* & *poſt* faciunt tempus; igitur non erit in inſtanti, ſed in tempore. I. *Arg. primum negatiuum.*

Item, Auguſtinus 20 de Ciuitate Dei, cap. 20, & ponitur in litera. *Reſurrectio eſt tanta velocitate*, &c. Sed *velox*, & *tardum* ſunt differentiæ temporis, & menſurantur tempore: igitur. *Aug. Secundum.*

Item, in reſurrectione aliqua forma corrumpitur, in cuius materia debet induci forma reſurrecturi, cùm materia nunquam ſit ſine forma aliqua: illud autem corrumpendum habet *eſſe*, & durationem finitam. Omnis autẽ duratio finita habet proprios terminos; igitur diſpoſitio corrumpendi habet terminum ſuum vltimum, ſicut & primum; igitur in vltimo inſtanti, non erit reſurrectio, quia in illo eſt forma corrumpendi; igitur vel hoc erit in inſtanti immediatè ſequenti, & hoc eſt inconueniens, quia tunc inſtans eſſet immediatum inſtanti; vel eſſet in tempore ſequenti, & tunc haberetur propoſitum. *Tertium.*

Præterea, permanens non habet *eſſe*, niſi *Quartum.*

quia

quia in instanti; igitur cùm *esse* corrumpendi sit permanens, non habet *esse* nisi in instanti; sed si resurrectio succedens illi *esse* foret in instanti, sequitur quòd instans erit continuum instanti, quod est contra Philosophum 6. *Physicorũ text.* 10. & 29. relinquitur igitur quòd sit in tẽpore.

Ratio ad opp. In oppositũ huius est Apostolus 1. Corinth. 15. *In ictu oculi, & in nouissima tuba*, & accipitur ibi *ictus oculi* pro visione, visio autem fit in instanti. igitur.

SCHOLIVM.

Primum dictum; Collectio cinerum, vel partium corporum fiet per Angelos. *Mat.* 24. 1. *Thess.* 4. *Chrys. hom.* 8. *in Ioan. Aug. in Enchir.* 88. & 3. *Trin.* 4. *Dubium tamen an deferentur in vallem Iosaphat, vel an singuli surgent in suis monumentis? de quo postea. Secundum dictum*, Formatio, id est, inductio formæ corporeæ, fiet in instãti, quia fiet à Deo. *Admittit hic dari motum localem in instanti; & explicat quomodo, de quo in Oxon.* 2. *dist.* 2. *q.* 11. & 12. *& videtur quòd in omni generatione, si non detur, necesse est dari vacuum pro aliquo paruulo tempore. Tertium*, Animatio fiet in instanti eadem ratione, quia omnis successio est ex defectu agentis, si termini non repugnant; fiet simul duratione cum formatione, ideò non est mutatio, sed benè passio de genere Passionis, quia respectus recipientis ad inducens. *Quartum*, Viui iusti rapientur obuiam Christo, & morietur in raptu. 1. *Thessal.* 4. *Aug.* 19. *Ciuit.* 20. *Vide plura de hoc apud Suar. supra citatum. Quintum*, De hora resurrectionis nulla est certitudo, an die, vel nocte fiet. *D. Thom. D. Bonau. Rich. Palud. & alij putant, quòd hora matutina: De loco resurrectionis controuersia est. Multi in valle Iosaphat futuram putant; idque tenentur dicere asserentes futuram certa hora; quia si fiet in sepulchris, non potest fieri certa hora, quia, quæ nobis est matutina, est aliis vespertina, & aliis media nox.*

2. DIco ad quæstionem, quòd resurrectio includit principaliter duo; scilicet reparationem corporis organici priùs incinerati, & ipsius corporis reparati cum anima intellectiua iteratam vnionem. Reparatio autem corporis organici, & partium organicarum, includit tanquã dispositionem necessariò sibi præuiam, recollectionẽ partium materiæ dispersæ. Quia igitur non potest idem resurgere, qui cecidit, nisi priùs eædem partes, quæ priùs fuerunt eius, inuicem colligantur, ideò primò videndum est circa istam materiam, vtrùm istarum partium recollectio facienda sit in instanti, vel quomodo, & à quo, ex quibus simul collectis reformabitur, & reparabitur idem corpus?

Prius restaurandum corpus, quã anima vniendã in resurrectione.

Ad quod dico, quòd licèt posset immediatè fieri à Deo, & ita fieret in instanti; tamen de facto fiet ministerio alicuius vnius, vel plurium Angelorum, secundùm illud Matth. 24. *Mittet filius hominis angelos suos à quatuor ventis, quicolligent à summis cœlorum, vsque ad infimas partes terræ*; & per consequens non fiet in instanti, quia Angelus non potest aliquod corpus mouere in instanti, quia non est tantæ efficaciæ, nec virtutis in agendo; igitur si hoc faciat, hoc tantùm erit in tempore.

In resurrectione cineres colligentur per Angelos, & in tempore.

3. Secundò, dico quòd reformatio, & reparatio corporis organici tãtùm fiet immediatè à Deo, & non ab Angelo, quia cùm Angelus non habeat in virtute sua aliquam substantiam, quia non potest aliquam substantiam de nouo creare, nec aliqua virtus citra Deum; sed tantùm potest materiam alterare, & disponere, & conueniens actiuum congruo passiuo coniungere, sicut dictũ est in 2. libro,* & reparatio corporis organici, & partium eius fit sic iterata productio substantiæ corporalis, sequitur quòd immediatè fiet à Deo, & in instanti, & non in tempore, & successiuè per motum, quia successio est in motu, quia agens propter defectum virtutis eius respicit mobile, & diuisibile. Vnde successio tantùm est in motu ex resistentia mobilis ad motorem respectu termini inducendi, vel quia agens respicit mobile, vt diuisibile. Sed hæc causa non est nisi prima. Non est autẽ talis resistentia alicuius reparandi, vel causandi respectu Dei; ergo quodlibet potest reparare in instanti, loquendo de substantia. licèt enim Deus posset per tempus & motum istud corpus reparare sicut natura, non tamen est necesse quòd sic illud reparet nec sic fiet, vt credo, propter successionem, quæ est in motu, & imperfectionem modi agendi.

Formatio fiet adeo in instanti.

* In Oxon. d. 8. q. vnic. n. 3.

Item, quòd hoc sit possibile, patet. Illud est possibile Deo, quod non includit contradictionem: sed hoc corpus priùs mortuum, & incineratum modò in hoc instanti resuscitari per actionem non includit contradictionem, non magis quàm quòd ipsum sit in instanti creationis suæ: igitur.

4. Contra hoc obiicitur sic: Si reparatio hominis, quantùm ad corpus, fiet in instanti, motus localis erit in instanti, consequens falsum; igitur & antecedens. Probatio consequentiæ, non est necesse vt corpus reparatum sit eiusdem dispositionis in dẽsitate, & raritate cum partibus eius dispersis, vel corporibus, ex quibus reintegratur, & reparatur: si igitur corpus reparatum sit rarius quàm illæ partes omnes, ex quibus reformatur, sequitur quòd in eodem instanti, in quo reparatur, occuparet maiorẽ locum, quàm illa corpora præcedentia, & per consequens, si fieret in instanti, vel sic repararetur corpus rarius in instanti, aër circumstans moueretur localiter in instanti, quia modò occupat maiorẽ locum quàm priùs; & per consequens si repararetur in instanti, oporteret corpus aliquod circumstans, vt aërem, vel aliquid aliud, moueri ad locum, vbi erant partes corporis rarioris, & ita motus corporis localis illius corporis erit in instanti, vel fieret vacuum, quando aliquod corpus densius repararetur.

Obiectio prima.

Eodem etiam modo de figuratione corporis, fiet in instanti, quia oportet semper locum configurari locato; sed non est necesse quòd sit idẽ localiter corpus reparatum, vel reparandum, & illa corpora, quæ præcesserunt, ex quibus reformatur; igitur nec eadem configuratio semper consequetur id, quod configurat: igitur si id, quod configurat, fieret in instanti, & ipsa fieret in instanti, quod est inconueniens. Consimilia argumenta possunt fieri de formatione corporis Christi, quòd non fuerit in instanti.

Secunda.

5. Ad primum istorum respondeo, quòd si corpus rarius repararetur in resurrectione, quàm fuit illud corpus, quod præcessit, cõcedo quòd occupat maiorem locum, & quòd hoc fiat per

Solutio prima obiectionis.

Quomodo motus localis fit aliquando in inſtanti.

motum localem circumſtantis corporis de illo loco in alium, & in inſtanti, quia talem tranſitum de loco ad locum fieri virtute diuina non reputo aliquod inconueniens : non enim eſt imaginandum quòd corpus reparatum, ſi fiat rarius, quòd moueat pars aëris circumſtantis in inſtanti, quia nec quantitas talis corporis, ſicut nec alicuius alius, eſt forma actiua reſpectu talis motus inſtantanei, ſed ab eadem virtute, à qua ponitur in vno loco, expellitur corpus præexiſtens ab illo ad alium locum, ſicut patet in aliis mouentibus, & motis, quia ab eadẽ virtute inducitur albedo, & corrumpitur nigredo: & non eſt imaginandum quòd albedo inducta corrumpat nigredinem.

Sed agens ſimul inducit vnum cõtrariorum, & corrumpit reliquum; igitur ab eadem virtute diuina, qua ponitur corpus reparatũ in hoc loco in inſtanti, ab eadem virtute in eodem inſtanti expellitur illud corpus de vno loco ad alium locum maiorem, vel minorem, quod eſt ſatis poſſibile virtuti diuinæ.

Si autem corpus reparatum ſit denſius, & minorem locũ occupans quàm corpus præcedens, tunc aut Deus mouebit in inſtanti partes corporis circũſtantis ad partes loci, in quibus erãt partes corporis reparandi diuiſæ, & diſperſæ; aut ſi Deus nihil plus faciet, niſi reparare corpus priùs corruptum in inſtanti, & non moueat partes corporis circumſtantis ad partes loci, in quibus erant partes corporis præcedentis; dabitur vacuum quod non includit contradictionem, nec per conſequens impoſſibile eſt fieri in natura. Natura enim benè permittit pro tanto tempore eſſe vacuum, quia in tanto tempore, vel in inſtanti, non poteſt vnum corpus circumſtãs mouere ad partes loci maioris, in quibus præceſſit corpus rarius, & partes talis corporis diſperſæ, & diuiſæ; mouebit tamen natura tale corpus, vt aërem circumſtantem, ad illas partes loci, in quibus præceſſerunt partes corporis rarioris quàm citiùs poterit, ne fieret vacuum magno tempore in natura. Per hoc patet ad ſecundum.

Natura tiacuum patitur pro aliquo paruo tẽpore.

6. Deinde dico quòd reunio animæ ad corpus nõ eſt niſi aliqua animatio corporis ab anima; ſed animatio corporis fit in inſtanti, ſecundùm Philoſophum 5. *Phyſicorum*: Sed nunquid fiet iſta animatio corporis in eodem inſtanti: numero, in quo fit reformatio eius? Et videtur quòd non, quia iſta animatio corporis, vel generatio animæ ad corpus, mutatio quædam eſt priùs priuati, quia eſt totalis reſurrectio, vel reparatio illius, quod priùs cecidit; ſed mutatio per ſe eſt inter priuationem formæ alicuius, & ipſam formam, quæ non poſſunt eſſe ſimul duratione, quia à priuatione non contingit venire ad habitum, vel formam, niſi aliquid aliter ſe habeat, & per conſequens mutetur. Priuatio enim ſemper eſt in apto nato præſupponẽs, vel connotans ſubiectum, & in hoc differt à pura negatione; igitur corpus organicum priùs duratione eſt priuatum anima intellectiua, quàm ſit animatum eâdem.

Animatio fit in inſtanti. Ariſtot. *An animatio fit in eodem inſtãti in quo formatio corporis?*

Reſpondeo quòd in eodem inſtanti poſſunt eſſe corporis reformatio, vel reparatio, & animæ ad corpus reunio, ſiue corporis animatio; quia vtrumque, vt patet per prædicta, poteſt fieri in inſtanti, & vnum non repugnat alteri, ſed magis diſponit ad alterum, quia nunquam poſſet totum reparari ſimul, niſi partes repararentur, & per conſequens vnum neceſſariò requiritur ad perfectionem alterius; igitur poſſunt eſſe in eodem inſtanti durationis, & temporis, tamen ordine quodam naturæ. Vnio autem ad corpus ſequitur corporis reformationem, & ita in alio inſtanti naturæ fit reformatio corporis, & corporis animatio, ſed in eodem inſtanti durationis.

Animatio fit in eodem inſtanticum formatione corporum in reſurrectione.

7. Ad rationẽ in contrarium, cùm dicitur quòd animatio eſt mutatio; Dicendum quòd non eſt mutatio, quia vniuerſaliter nunquam eſt mutatio, niſi ad formam aliquam in aliquo ſubiecto, vel ſuſceptio, in quo præceſſit priuatio illius formæ, quia mutatio ſemper eſt inter priuationem, & formam, vel inter oppoſita; igitur quod mutatur, priùs fuit ſub priuatione illius formę, ad quam mutatur. In propoſito autem cùm idẽ corpus ſimul duratione, & in eodem inſtanti rẽporis ſit reformatum, & animatum, & non in priori inſtanti temporis priuatũ animatione, & poſtea animatum, ſed ſimul reformatum, & animatum, ſequitur quòd non mutetur propriè loquendo de mutatione inaminationis & remotionis animæ ad ipſum. Eſt tamen in corpore quando reanimatur per reſurrectionẽ vera paſſio de genere Paſſionis, quia in eo vt paſſo eſt habitudo reſpectus extrinſecè aduenientis ad agens, à quo recipit hanc formã, & huic reſpectui extrinſecùs aduenienti in paſſo, quæ dicitur paſſio de genere Paſſionis, verè realiter correſpondet ex parte agentis Dei ſecundùm rationẽ actio de genere Actionis, & non re, quia nihil quod eſt in eo, eſt in genere, vel limitatũ.

Animatio nõ eſt mutatio, ſed paſſio in reſurrectione.

Sic igitur patet quòd reſurrectio, & reſuſcitatio cuiuſlibet, quãtùm ad corporis formationem, & eiuſdem, vel totius animationem, fit in inſtanti à Deo, licèt non quantùm ad partium diſperſarum, & diuiſarum collectionem, quod communiter fit per miniſterium creati, & finiti. Veruntamen non omnium ſuſcitatio fiet in inſtanti, licèt poſſet fieri in inſtanti; ſed fiet in diuerſis inſtantibus, ſicut patet per illam auctoritatem Apoſtoli ad Theſſal. 4. *Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi; deinde nos*, &c.

8. Illi qui in fine mundi, quando erit reſuſcitatio generalis, inuenientur viui, morientur cùm rapti fuerint Chriſto obuiam in aëre, & ita in ipſo raptu morientur, & deinde aliis reſuſcitatis, ipſi poſtmodùm reſuſcitabuntur cum aliis. Oportet enim, vt probabiliter creditur, quòd ipſi, qui tunc erunt, moriantur antequam reſuſcitentur. Imò aliàs videretur quòd non eſſet reſuſcitatio, quia nihil eſt ibi deperditum, neque corruptum. Adæ enim primo parenti dictũ eſt pro poſteritate ſua tota: Geneſ. 3. *Terra es, & in terram reuerteris*: non fit autẽ reuerſio in terram, niſi per mortem. Ita verò generalis erat illa ſententia de morte, quòd nec ab ea exceptus eſt Chriſtus, vel Beata Maria, qui maximè deberent frui illo preuilegio, ex quo fuerunt verè innocentes ſine peccato, & ſi non obtinuerunt illi, multò magis necalij quicunque electi. Vnde credo quòd Enoch & Elias, qui ſunt adhuc viui in paradiſo, plectentur iſta ſentẽtia, & morientur antequam reſuſcitentur. Et hoc eſt rationabile, quia electi viui poſſunt eſſe cum venialibus peccatis, quæ oportet puniri, & deleri aliqua pœna. Nam ex quo tunc ſunt viatores, poſſunt mereri, & demereri, & ſi demereantur, & pœ

Omnes ante iuditium morientur.

Enoch & Elias morientur ante iudicium.

Congruentia quare electi viui in die iudicij morientur.

& pœniteāt, oportet quòd illa peccata puniantur,& ordinentur per aliquam pœnam.Sed tūc in ictu oculi,in nouiſſima tuba,non poſſunt iſta deleri,vel ordinari per pœnam in vita iſta,quia ampliùs non erunt in vita iſta; igitur per pœnam mortis patienter toleratam,per quā transeunt extra vitam iſtam, congruè poſſunt deleri,& ordinatè puniri.Sic igitur patet quòd qui mortui fuerunt in Chriſto, primi reſurgent, deinde qui relicti fuerunt viui,morientur priùs, & poſteà cum eis reſurgent.

Quo ordine, vel an ſimul omnes reſurgent?

Per hoc patet ad auctoritatem Auguſtini, & Apoſtoli, in oppoſitum allegatam, quòd non oportet quòd hæc primitas intelligatur de primitate dignitatis,quia multi de illis, qui tunc inuenientur viui, erunt maioris meriti, quàm multi eorum,qui priùs fuerunt mortui,quia Eccleſia tunc,ſicut nunc,eſt ordinata vt caſtrorum acies,ſecundùm diuerſa merita,& demerita;dicuntur tamen omnes ſimul reſurgere propter modicam moram inter reſurrectionem iſtorū, & illorum, de qua loquitur Auguſtinus 20. de Ciuitate Dei 21. ſuper illud 1. Cor. 15. *Omnes quidem reſurgemus*,vbi dicit quòd:*Illi qui viui inuenientur in aduentu Chriſti in paruo ſpatio paſſuri ſunt mortem,& accepturi immortalitatem, illi autem,qui inuenientur mortui,ſimul reſurgent,quia reſurgent*, quando illi, qui tunc viui inuenientur, morientur.

Aug.

Auguſt.

Sed ſi omnes reſurgent in inſtanti, licèt non eodem,cuius temporis erit illud inſtans?an temporis diei,vel noctis?Dico ſecundùm illud Saluatoris in Matthæo c.24. quòd videtur eſſe inſtans diei,quia dicit:*de die autem illa nemo ſcit*.

De die & hora reſurrectionis.

Sed iſtud non valet,quia ipſe loquitur ibi de die naturali, & non artificiali, vt diſtinguitur cōtra noctem,ſicut patet per illud,quod ſequitur,dicit enim,*de die,aut hora illa nemo ſcit*,vtrùm ſcilicet ſit diei,vel noctis.Matthæi etiam 25.dicit quòd hoc erit media nocte, quia *nocte media clamor factus eſt*.Item Exod.12.media nocte percuſſit primogenita Ægypti.Dicendum,quòd cōparando iſtud inſtans ad diem artificialem, qui eſt latio Solis ſuper terram,ſic erit inſtans diei, motus enim cœli ceſſabit circa ortum Solis, quando Luna eſt in Occidente, quia in tali diſpoſitione creduntur fuiſſe creata.

Reſurrectio erit in die reſpectu exiſtentium in Oriente, de nocte verò reſpectu habitantium in Occidente.

Sed communis reſponſio,eſt quòd reſurrectio mortuorum erit in illo inſtanti,quando motus cœli ceſſabit;igitur communis reſurrectio mortuorū erit de die,non de nocte.Quia tamen exiſtentibus in Oriente citiùs eſt dies, & latio Solis ſuper hemiſphærium eorum,quàm exiſtentibus in Occidente; ideò illi,qui ſunt in Occidente per comparationem ad illos,qui ſunt in Oriente,reſurgēt in nocte,quia antè Sol eſt in Oriente,& dies reſpectu illorum, qui ſunt ibi;nox eſt enim reſpectu iſtorum, qui ſunt in Occidente, & è conuerſo.Per comparationem tamen ad locum,vbi tenebitur iudicium,ſiue fuerit in aëre, ſiue in terra,erit Sol in ortu ſuo,antequam aliquis reſurgat.

De loco iudicij.

Ad Arg principale primū.

Ad argumenta principalia.Ad primum dico, ſicut dictum eſt.

Ad ſecundum.

Ad Auguſtinum poteſt dici quòd ipſe loquitur de collectione puluerum, vel diſperſarum partium corporis organici, vel animatione eiuſdem,tunc dico quòd ibi extenditur *velox* & *tardum*,non vt ſint differentiæ temporis.

Ad tertium

Ad rationem dico quòd forma permanens, quatenus eſt permanens, & vniformiter ſe habens,menſuratur æuo, ſed quatenus ſecundùm accidentia ſua eſt fluens,& difformiter ſe habēs, menſuratur tempore. Per hoc ad vtrumque argumentum tertium & quartum:quia forma rei corrumpendæ menſuratur æuo, quæ ſecundùm illud inſtans,in quo res corrumpitur, coëxiſtit tempori præcedenti,& tunc in eodem inſtanti fit reſurrectio, & ita terminatur eius corruptio ad inſtans reſurrectionis,propter quod non ſequitur inſtans eſſe immediatum inſtanti. Et ſecundùm hoc ad primum horum dico, quòd illud corrumpendum erat fundamentum in ſe, quia menſura eius,quæ eſt æuum,eſt fundamētum:ſed duratio, cui coëxiſtebat, habuit terminos,ſcilicet inſtans reſurrectionis.Ad alterum, dico quòd ſi intelligat de inſtanti temporis,tūc falsū eſt,quod aſſumit.Si intelligat de æuo, vel inſtanti æui, quod poteſt coëxiſtere alicui tempori,verum eſt. Sed quomodo dandum ſit vltimum inſtans in motu,& quomodo non,dictum eſt in ſecundo libro.* *& quartum. Permanens menſuratur æuo.*

*In Oxon.d. 2.q 9.

DISTINCTIO XLIV.

De reſurgentium conditione.

QVÆSTIO I.

Vtrùm in quolibet homine reſurget totum, quod in eo fuit de veritate naturæ humanæ.

D.Thom.*in addit.q.80 ar.2.& hic q.1.ar.2.* D. Bonau: *art.1.q.1.&* 2.Richard *art.1.q.4.* Dur.*q.3*,Suar.*3.p.tom.2. diſp.53.ſ.2.&* 3.Henr.*quodl.2.q.2.*Scot.*in Oxōn. hic q.1.& 9.Met.q.14.&* 1. Phyſ *q.10.& 5.Phyſ.q.3.*

VIDETVR quòd non Geneſis 2. *Eua formata eſt de coſta Adæ*, igitur vel Adam non reſurget cum illa coſta;vel ſi ſic,tunc Eua non reſurget,cùm totum corpus eius ſit formatum ex illa. I. *Arg. primum negatiuum.*

Item,idem non reſurget in duobus hominibus diuerſis; ſed poſſibile eſt quòd idem ſit de veritate humanæ naturæ in duobus hominibus diuerſis, quia poſſibile eſt hominē nutriri carnibus humanis mediatè,vel immediatè; ſed caro genita ex nutrimento tali fit de veritate humanæ naturæ per hoc,quòd informatur anima intellectiua, ſicut & cætera caro eius; igitur non reſurget in quolibet quidquid fuit in eo de veritate humanæ naturæ, quia reſurget in alio. *Secundum.*

Itē,homo nutritus ex carnibus humanis poteſt habere ſemen ex ſuperfluo alimenti talium carnium genitum,& conuerſum. Ex illo autem ſemine poteſt alius homo generari;igitur cùm caro genita ex ſemine ſit maximè de veritate humanæ naturæ ipſius geniti, idem numero, quod eſt primò de veritate humanæ naturæ in alio per actum generatiuæ præſuppoſito actu nutritiuæ,poteſt eſſe de veritate humanæ naturæ in iſto; igitur, &c. *Tertium.*

Item, non oportet quodlibet quod eſt de veritate *Quartum.*

ritate humanæ naturæ reſurgere, niſi vt idē homo reſurgat: ſed nō oportet vt idē homo reſurgat, quia tunc pari ratione hoc idem oportet de quolibet membro, quia non eſt homo ſine mēbris ſuis, ſaltem perfectus: ſed non oportet omnia membra reſurgere. Patet per Auguſtinum in Enchiridio c. 88. & recitat Magiſter in litera ponens exemplum de artifice, & ſtatua.

Aug.

Ratio ad opp. Ad oppoſitum eſt Auguſtinus in Enchiridio ibidem. Et recitat Magiſter in litera multas auctoritates ad hoc cap. 2. quæ omnes fundantur ſuper iſtam auctoritatem Saluatoris Lucæ 21. *Capillus de capite veſtro non peribit.*

SCHOLIVM I.

Sententia Magiſtri, id tantùm, quod accipitur a parentibus eſſe de veritate naturæ, reijcitur tribus rationibus. Sententia Henrici nutrimentum conuerſum non accipere aliquas partes formæ nouas, ſed præexiſtentibus partibus formæ formari, refutatur tribus rationibus claris.

2. CIrca ſolutionem quæſtionis, ſcilicet quomodo reſurgat in quolibet quidquid eſt de veritate humanæ naturæ in eo? Dico primò quòd homo componitur ex corpore & anima, vt partibus eius intrinſecis, & eſſentialibus. Conſtat quòd hæc ſunt de veritate humanæ naturæ. Deinde componitur ex multis & diuerſis partibus, quibuſdam homogeneis, & quibuſdam heterogeneis, quæ congruunt diuerſis operationibus ab homine exercendis, quarum nata ſunt eſſe plura organa, quia vnum organum non ſufficit ad omnes illas operationes exercendas, quia oculus non audit, nec auris videt; ſed cuilibet correſpondet ſua propria operatio, vt organo viſus, videre, organo auditus, audire, & ſic de aliis, nec vnum organum tantùm ſufficit ad tantam diuerſitatem partium ſaluandam propter determinatam complexionem eius. Hæ autem partes diuerſæ componuntur ex partibus homogeneis. Vnde dicit Philoſophus 1. *de Generatione text. com.* 35. quòd partes heterogeneæ nutriuntur, cùm homogeneæ nutriuntur; igitur primò videndum de partibus homogeneis, vt carnibus, & oſſibus, & his aliis partibus, quæ pertinent ad veritatem naturæ humanæ.

Ariſtot.

3. *Sententia Magiſtri.* De iſto eſt opinio Magiſtri 2 *libro diſtinct.* 30. quòd ſolum id pertinet ad veritatem humanæ naturæ, quod decidi dicitur à parentibus in generatione, & illud in ſe augmentatur, cùm alia ſibi ſint in fomentum. Et hanc opinionem diffuſiùs recitatam quære in ſecundo diſtinctione ſupradicta*.

* in textu ipſius Magiſtri.

Refutatur hæc ſententia. Primò. Sed iſta opinio eſt irrationabilis, primò, quia non eſt imperfectior vita in hominibus, quàm in aliis animalibus, cùm ſit homo perfectiſſimum animalium, & alia animalia imperfecta habent operationem vitalem, qua poſſunt attingere ad quantitatem & incrementum perfectum ſuæ ſpeciei. Patet inductiuè, & talis quantitas perfecta eſt de veritate eorum naturæ; igitur homo quod eſt perfectiſſimum animalium, per operationem vitalem poteſt attingere ad quantitatem perfectam conuenientem ſuæ naturæ.

Vegetatiua hominis conuertit alimentum in ſuam ſubſtantiam.

4. *Secundo.* Præterea ſecundò: mirabile eſt, imò magis fictitium eſt, quòd aliqua caro ſit in homine, quæ ſecundùm aliquam partem eius non poſſit fluere, vel corrumpi manente homine, quia illa caro non eſſet naturalis, ſed cœleſtis, & incorruptibilis, & per conſequens ingenerabilis; igitur ſi illa poſſet fluere, & nulla caro eſt de veritate humanæ naturæ, niſi deciſa à parentibus ſecundùm iſtam opinionem, cùm illa caro ſit valdè modica, ſequitur quòd aliquando totaliter corrumpetur, & nihil remanebit de veritate humanæ naturæ, quod falſum eſt.

Tertiò. Irem tertiò, quod poteſt animari anima intellectiua, eſt de veritate humanæ naturæ; ſed partes carnis, quæ generantur ex nutrimento, & non ſolùm partes carnis deciſæ à parentibus, poſſunt animari anima intellectiua; igitur aliquid generatum ex nutrimento pertinet ad veritatem humanæ naturæ, & non ſolùm illud, quod deciditur à parentibus. Aſſumptum probo ſic; quia partes carnis ſolùm genitæ ex nutrimento, animantur anima ſenſitiua, quia ſecundùm illas partes ſentitur dolor & delectatio: ſed quod ſentit dolorem & delectationem, eſt animatum anima ſenſitiua; quidquid autem in homine eſt animatum anima ſenſitiua, eſt animatum anima intellectiua, quia anima intellectiua eſt forma hominis, & non differt fortè realiter ab intellectiua; igitur, &c.

Quicquid in homine eſt animatū anima ſenſitiua, eſt animatū anima intellectiua.

5. Opinio Hēr. quodl. 1. q. 9. quodl. 12. q. 36. Alia opinio eſt, quæ in aliquibus eſt ſimilis priori opinioni iam improbatæ, penes quam materia nutrimenti ſpoliatur forma ſua; & fit ſub forma nutriti præexiſtente, abſque hoc quòd aliqua pars formæ nutriti educatur de materia nutrimenti; & tunc planum eſt, quia tota forma carnis, quæ vnquam fuit in homine à principio generationis ſuæ, vſque in finem ſuæ vitæ, educta fuit de ſemine, vt potentia materiæ ſola, quia non poteſt educi de potentia materiæ nutrimenti; & ita tota caro, quæ fuit vnquam hominis, quantùm ad formam, reſurget. Si autem dicatur quòd aliqua pars carnis nutriti educatur de materia nutrimenti, & per nutritionem carni præexiſtenti vniatur, & per animam intellectiuam perficiatur, tunc non tantùm fluit nutribilis, quantùm ad eius materiam, ſed etiam quantùm ad eius formam. Et quod continuè id, quod deperditur per tale nutrimentum, reſtauretur, & tunc non eſſet dicendum quòd tota caro nutribilis reſurget in quolibet quantùm ad formam incompletam, ſicut nec quantùm ad materiam.

Prima probatio Henr. Pro hac opinione arguitur per Philoſophum primo de Generatione text. com. 35. qui dicit, quòd *caro ſecundùm ſpeciem non augetur, ſed tantum ſecundùm materiam, & ſecundùm materiam diminuitur, & aliquid loco eius ſubſtituitur*, ita etiā ait de fluxu, & non fluxu: quia *caro tantùm ſecundùm materiam augetur, & fluit, & non caro ſecundùm ſpeciem, aut formam.* Ariſtot.

Secunda. Item, ſi in nutritione, & augmentatione fieret additio carnis ſecundùm ſuam ſpeciem, tunc ſequeretur quòd augmentatio carnis non aliud eſſet, quàm quædam iuxtapoſitio partium carnis, vt vna pars iuxta aliam, & tunc non quælibet pars aucti eſſet aucta, nec quælibet nutriti eſſet nutrita, quod eſt falſum, & contra Philoſophum.

6. *Refutatur primò.* Contra iſtam opinionem arguo ſic: Quæcumque forma nullo modo in ſe extenſa, aliter quàm priùs, perficit materiam extenſam aliter nunc quàm priùs, perficit eam indiuiſibi

indiuiſibiliter; ita quòd reſpicit eam pro perfectibili indiuiſibili. Probatur de anima intellectiua, quæ propter ſui inextenſionem ad materiam extenſam, quam perficit, eſt tota in toto, & tota in qualibet parte eius. Similiter per oppoſitum patet de aliis formis extenſis, vt de albedine & quantitate, quæ extenduntur ſaltem per accidens ad extenſionem ſubiecti, quæ non reſpiciunt ſubiecta ſua indiuiſibiliter, ſed diuiſibiliter, quia pars eſt in parte, & non totum in parte. Sed per te forma carnis non augetur, nec minuitur, nec habet partes diuerſas in ſe; ſed conſtat quòd perficit materiam extenſam aliter nunc quàm priùs per nutritionem, etiam ſecundùm te: igitur forma carnis perficit talem materiam, vt indiuiſibilem; ſed hoc eſt manifeſtè falſum, quia tunc forma carnis non eſſet extenſa per accidens, ſed eſſet in tota materia ſua, & tota in qualibet parte eius, quod falſum eſt, quia hoc ſolùm conuenit formæ ſpirituali, & immateriali, quæ non eſt educta de potentia materiæ.

Secundò Probatur. Plures partes materiæ ſunt in carne augmentata, quàm fuerunt priùs; igitur vel illa pars materiæ, quæ de nouo aduenit partibus prioribus, perficitur eadem forma carnis, qua perficiebantur priores partes, & deſinente illa perficere partes materiæ priores, tunc forma migrat à ſubiecto in ſubiectum, & à materia in materiam, quod eſt inconueniens; aut non deſinente perficere partes priores, ſed ſimul perficiente omnes tam priores, quàm poſteriores, & tunc nullo modo extenditur per ſe, nec per accidens, quod eſt falſum; vel pars materiæ, quæ de nouo aduenit, perficitur alia parte formæ quàm partes materiæ præcedentes, & tunc habeo propoſitum, quòd non ſolùm in augmento augetur materia carnis, ſed etiam forma.

In nutritione acquiritur noua forma. *Tertiò.* Item, caro fluit, & aliqua pars eius corrumpitur, non fluit autem ſola materia, quia ipſa eſt incorruptibilis, niſi in toto, quod per ſe corrumpitur; igitur aliqua pars tota compoſita fluit, & corrumpitur, ita quòd illud, quod corrumpitur, verè eſt caro, quod non eſt ſola materia; igitur forma perficiens materiam ſimul corrumpitur, & fluit cum materia eius; aliter caro poſſet durare centum annis, & eadem ſine fluxu, nec vllatenus corrumperetur.

SCHOLIVM II.

Explicat quomodo in nutritione pars materiæ aduenians formetur noua forma. Item qualiter partes aduenientes ſint ſimiles & diſſimiles præexiſtentibus: & quare partes poſteriores ſint impuriores prioribus. Explicat optimè illud Philoſophi, Partes ſecundùm ſpeciem manent, & partes ſecundùm materiam fluunt. *De quo agit in Oxon. hîc fusè & 2. d. 2. q. 9. n. 15. Vide Schol. in Oxon. hîc n. 9. Explicat quomodo fit nutritio, & coaugmentatio, de qua etiam ibidem latè n. 11.*

8. REſpondeo ad queſtionem aliter, circa quam duo videnda ſunt. Primò, de nutritione, quomodo fiat? Secundò, quomodo caro genita per nutritionem eſt ſimilis carni præexiſtenti, quæ fluxit & quomodo non? Ex his patebit ſolutio ad quæſtionem.

Nutritio rectè dicitur aggeneratio, vel ingeneratio. De primo dico, quòd nutritio eſt aliqua generatio partialis, quæ dicitur *adgeneratio*. Quòd autem ſit quædam partialis generatio, patet ex ſuo oppoſito; quia quando aliqua pars carnis fluit & corrumpitur, ibi eſt aliqua corruptio nõ totius, ſed partis, ita quòd eſt ibi tranſmutatio materiæ à parte formæ ad priuationem eius; igitur ex oppoſito in nutritione quando caro augetur, educitur aliqua pars formæ de ſua materia, corrupta priùs forma alimenti, quæ pars carnis de nouo genita per nutritionem ex alimento facit vnum continuum cum carne præcedente, ſicut aqua appoſita aquæ facit vnum continuum cum ea; & licèt non ſit ibi generatio totius, quia non tranſmutatio totius à *non eſſe* ad *eſſe*, & ita non ſimpliciter generatio, eſt tamen ibi quædam generatio, & tranſmutatio partis à priuatione formæ ad formam, qua priùs caruit, & poteſt dici *ingeneratio*, quia generatur in toto, & fit idem cum eo, vel *adgeneratio*, quia alteri præexiſtenti additur, & cum eo continuatur.

9. *Pars genita in quo eſt ſimilis præcedenti, & in quo diſſimilis.* Secundò dico, quòd illa pars genita eſt aliquo modo ſimilis illi parti, quæ fluxit, & eſt aliquo modo diſſimilis. Similis verò eſt in ſpecie parti præcedenti, quia pars carnis de nouo aduenientis ita eſt animata anima intellectiua, ſicut pars prior fuit. Vnde reſpectu animæ, à qua completiuè eſt caro humana, ſimiles & eiuſdem rationis ſunt etiam pars præcedens, & adueniens in eodem membro; & ita dupliciter ſimiles, tam à parte formæ vltimæ, quàm à parte ſubiecti, & talia ſunt eiuſdem ſpeciei. Aliquo modo eſt etiam diſſimilis parti præcedenti illa de nouo aduentiens. Nam pars aduentiens de nouo genita eſt impurior regulariter, & minùs perfecta, quàm pars carnis, quæ fluxerat, vel præcedens.

Quare caro poſteriùs adturalis generata eſt impurior & imperfectior. Ratio huius eſt, quia talis nutritio, vel augmentatio carnis eſt generatio, vel mutatio naturalis; omne autem agens naturale patitur in agendo, vel in recipiendo debilitatur virtus eius, & per conſequens minùs perfectè poteſt agere in contrarium corrumpendo illud, & ita minùs perfectum generabit. Quantò autem magis debilitatur generans; tantò alteratio præcedens eam eſt imperfectior, & quantò alteratio præcedens generationem eſt imperfectior, tantò genitum eſt imperfectius, ſaltem quantùm ad qualitatem eius; & quantò magis generans continuat ſuam actionem, tantò qualitates eius alterantes materiam ſunt minùs perfectæ, & debiliores, & ideò caro genita ex alimento conuerſo in ſubſtantiam nutriti ad reſtaurandum deperditum regulariter eſt impurior, & imperfectior ſecundùm ſe & qualitates eius, & citiùs cedens fluxui, & corruptioni, quàm prima caro immediatè, vel mediatè genita ex ſemine, quia minùs poteſt reſiſtere contrario.

Exemplum Philoſophi. Exemplum huius manifeſtè apparet per illud Philoſophi *primo de Generatione text.* 42. de vino lymphato, nam vinum forte quãtò magis lymphatur, & apponitur ei de aqua, tantò magis debilitatur in ſe, & in ſuis qualitatibus, propter actionem ſuam phyſicam, & repaſſam; quia ex quo eſt agens naturale, repatitur in agendo, & ideò minùs poteſt conuertere aquam ſibi appoſitam in fine, quàm in principio, quia in omni actione conuerſiua alterius in ipſum, aliquid amittitur de virtute eius conuerſiua, ſicut in ſecunda ſic in prima, & cùm ſit virtus finita tandem cum vltimò aliquid ei apponatur, ad quod

Omne agens agendo repatitur.

non

non habeat virtutem actiuam conuertendi, conſumitur,& corrumpitur.

Eodem modo in oppoſito, cùm alimentum ſit in principio conuerſionis contrarium virtuti nutritiuę in carne,quantò magis enim homo nutritur ex conuerſione nutrimenti in ipſum, quod fit virtute animæ vegetatiuæ in carne,tantò magis debilitatur,& regulariter fit minùs potens ad iterum conuertendum aliquid in ipſum, quia ſemper in conuertendo aliquid in ſe repatitur ab illo, & tandem ex quo eſt virtus finita per crebram, & continuam repaſſionem totaliter deficit, & tunc moritur homo, quia virtus eius tunc vincitur à contrario fortiore reagente in ipſum, & ita ſemper, & vniuerſaliter eſt quòd quantò homo magis nutritur, tantò magis debilitatur, niſi aliunde per aliam viam,vel per medicinam recreetur virtus eius nutritiua, vt patet in pueris, in quibus reſpectu aliorum hominum in magna ætate, eſt virtus magna ad conuertendum cibum in alimentum.

Quãto homo nutritur tãto debilitatur.

10. *Corollarium huius doctrinæ.* *Periodus ſumitur pro duratione partis.*

Ex iſto dicto ſecundo ſequitur quoddam corollarium, quòd ſcilicet quælibet pars in toto habet determinatam periodum, & menſuram, quia habet determinatum tempus,à quo primò habet virtutem eſſendi,& nutriendi, vel agẽdi, ita quòd poſt illud tempus non poſſit agere,vel nutrire,licèt aliquatenus poſſit eſſe. Cùm enim homo ſecundùm partes eius ſemper nutriatur ad reſtaurandum deperditum, & humidum radicale conſeruandum in ſe, & in ſuis partibus; & per conſequens cùm partes eius in conuertendo alimentum contrarium in ſe repatiantur,& per conſequens debilitentur,tantum poteſt debilitari, & minui virtus eius in reparando, quòd poteſt tantùm habere virtutem eſſendi, & nullo modo agendi; & in fine poteſt etiam quantùm ad *eſſe* per virtutem actionis totaliter corrumpi,& deſtrui, & tunc fluit caro totaliter,& moritur homo. Et præterea ſunt in homine ſecundùm quodlibet membrum nutribile determinatæ vacuitates repletæ ſpiritibus, quæ multùm iuuant ad nutriendum,in quarum qualibet recipitur determinata pars alimenti, & virtute caloris naturalis in carne illius membri conuertitur in ipſum, totum illud, quod eſt neceſſarium alimento,& reſiduum reſpuitur, vt ſuperfluum illi parti.

Quæ ſit pars ſecũdùm ſpeciem, & quæ ſecundùm materiam? Vide de hoc in 2 d.2.q 9. a.19.

Ex hoc patet quæ eſt pars carnis ſecundùm ſpeciem, & quæ pars carnis ſecundùm materiam, vel caro ſecundùm ſpeciem, & caro ſecundùm materiam. Caro enim ſecundùm ſpeciem tantùm dicitur illa, quæ poteſt in opus carnis etiam per ſe, vt illa quæ habet qualitates ita perfectas,quòd non ſolùm poteſt coagere toti in toto ad aliud conuertendum in ſe,vel in toto, ſed etiam in toto exiſtens ſecundùm aliquam determinatam quantitatem poteſt ex ſe agere, & alimentum extra ſe & approximatum in ſe conuertere.

11. *Caro ſecundũ ſpeciẽ differt à ſpecie carnis.*

Nec ſunt idem caro ſecundùm ſpeciem, & ſpecies carnis, quia caro quamdiu manet caro, etiamſi non habeat virtutem agendi, nec poteſtatem generandi ſibi ſimile ſecundùm ſpeciem de alimento ſibi approximato,eſt tamen in ſpecie carnis.Sed caro ſecundùm ſpeciem eſt tantùm illa, vt dictum eſt, quæ poteſt in opus carnis, & in operationem ſpeciei, non tantùm vt coagat toti virtutę totius, ſed etiam vt per ſe exiſtat in toto pars diſtincta ab aliis. Caro autem ſecundùm materiam dicitur illa, quæ tantùm fatigata, & debilitata eſt ex actione contrarij, & vniuerſaliter talis caro, quæ non habet virtutem agendi, nec conuertendi aliquid in ſe de alimento iuxtapoſito; ſed tantùm agit virtute totius, & in ſe fluit, & tendit ad *non eſſe*. Et dicitur ſecundùm materiam, quia non poteſt in operatione carnis vniuocatæ, quia operatio attribuitur formæ, & ſpeciei.

Non eſt autem intelligendum quòd caro ſecundùm ſpeciem, & caro ſecundùm materiam ſit alia, & alia pars carnis pro alia, & alia parte ſuæ periodi, quia quando poteſt in operationem carnis, dicitur caro ſecundùm ſpeciem; quando autem non poteſt ex impuritate & debilitate, & tendentia ad *non eſſe*, tunc dicitur caro ſecundùm materiam, quia principium corruptionis, & *non eſſe* attribuitur materiæ, cùm ſemper machinetur ad malum *ex primo Phyſicorum.text.com.*80.

12. *Ad 1. Arg. Henrici.*

Per hoc patet reſponſio ad primum argumentum, quod adducitur pro alia opinione quòd non eſt intelligenda per carnem ſecundùm ſpeciem caro ſecundùm formam carnis, vel ſpeciem carnis, quia caro ſecundùm ſpeciem, vt dictum eſt,ſola illa eſt, quæ poteſt, & dum poteſt in operationem ſpeciei carnis; illa autem dicitur forma carnis, vel caro ſecundùm formam carnis, quæ dum eſt in ſpecie carnis, manet caro in *eſſe*, etiamſi nullo modo poſſit agere, vt dictum eſt.

Ad ſecundũ.

Ad aliud de iuxtapoſitione, &c. Dico quòd nutritio eſt aliquo modo iuxtapoſitio, & etiam augmentatio non ſimpliciter, quia facta depuratione, & digeſtione alimenti perfecta, non tantùm vna,vel pluribus digeſtionibus mittitur alimentum ſic digeſtum, & depuratum ad ſingulas partes nutriendas, in quibus debet fieri reſtauratio deperditi, & in partibus illis ſunt aliqui pori, vel vacuitates plenæ ſpiritibus, vel aliquibus humoribus ſubtilibus cedentibus nutrimento, in quibus conſiſtit magna virtus hominis, & efficacia eius in operando, & in ſingulis partibus recipitur aliqua pars alimenti conuertenda in ſubſtantiam illius partis virtute actiua eius, ſicut de qualibet parte aliquid fluxit, & de iſto alimento ſic recepto & approximato cuiliber parti nutriendæ,vt agenti determinatæ virtute nutritiuæ adgeneratur caro, & fit pars addita extenſior, & maior quàm priùs. Vnde alimentum poſitum in aliqua parte,vbi ſunt pori, expulſis inde ſpiritibus, & humoribus illis, conuertitur in ipſam, & ſic fit *ingeneratio* quia ingeneratur, & conuertitur in illis poris. Toti etiam dicitur *adgeneratio*, quia additur ei, quod generatur, & nutritur. Et ſic patet quòd iſta caro, quæ augetur, vel quæ per ſe poteſt conuertere aliquid in ſe, oportet quòd ſit determinatæ quantitatis, & determinatæ virtutis, ita quòd minor illâ non poteſt per ſe augeri, vel nutriri niſi in toto,& ideò multæ ſunt partes cõiunctæ in aucto,quæ non habent augmẽtum niſi in toto,quia in eis non eſt virtus ſufficiens ad cõuertendum aliquid in ſe. Vnde pars, quæ poteſt per ſe agere, & conuertere in ſe alimentum,nutritur & augetur, quæ autem non, non. Licèt enim in illis partibus minimis non fiat propriè augmentatio

Vtrum nutritio ſit iuxtapoſitio, & quomodo?

Quomodo fit nutritio?

An quælibet pars aucti,p. el nutriti augeatur.

augmentatio niſi in toto, ſit eis tamen adpoſitio. Si enim quælibet pars minima per ſe nutriretur, & per ſe augeretur, & per conſequens quælibet pars aucti eſſet aucta, ſequeretur quòd eſſet auctum ſecundùm duplum, quia non poteſt aliquid augeri ſecundùm aliquid minùs, quàm ſit minimum.

SCHOLIVM III.

Homo non reſurget cum tota carne, quam in vita habuit, quia eſſet monſtrũ. Reſurget ergo cum illa quam regulariter in ætate 30. annorum haberet, de quo vide in Oxon. Schol. hic n. 15. & cum purioribus carnis partibus. Explicat deinde quænam ſit caro purior: & eſt, quæ fuit prius formata, vel per ſe de intentione naturæ, id eſt, quæ requirebatur ad augmentationem, non ad reſtaurationem. Tertiò, reſoluit quid dicendum ſit de iis, qui veſcuntur carnibus humanis, & de pueris & pygmæis. Adid de coſta Adæ, an fuit ei ſuperflua? ſunt duæ ſententiæ. Vide in Oxon. Scholium hic n. 18.

13. *Reſolutio quæſtionis. Homo non reſurget cum tota carne quam habuit.*

His viſis reſpondeo ad quæſtionem, & dico primò de his quæ nutriuntur regulariter de cibis communibus, non carnibus humanis, & augentur ex eis vſque ad debitum, & conuenientem quantitatem, quòd in eis non reſurget quidquid fuerat de veritate humanæ naturæ in eis animatum anima intellectiua, quia multæ, & plures partes veræ carnis, & quandoque animatæ fluxerunt à corpore ſic nutrito per conſumptionem, & alio modo multiplici; quæ ſi omnes redirent in tali pe reſurrectionem, facerent ipſum in tripla, vel quadrupla proportione maioris quantitatis, quàm fuit illa, quæ vnquam aliquo vno tempore ſibi fuit cõuenientior, & magis debita, vel ſaltem talis haberet corpus denſius, quàm conueniat corpori humano, quia eſſet denſior auro. Non igitur reſurget in omnibus partibus, quæ fluxerunt, propter improportionabilem quantitatem quantitati corporis humani; reſurget tamen ſecundùm eaſdem partes, quas priùs habuit, licèt non ſecundùm omnes, quia aliter non eſſet idem homo numero, qui priùs.

14. *Cum qua carne reſurget homo. Primus modus dicendi.*

Sed quæ ſunt iſtæ partes de veritate humanæ naturæ, cùm quibus reſurget homo; & quæ ſunt illæ, cum quibus non reſurget.

Hîc eſt duplex modus dicendi. Vnus talis, innitens huic propoſitioni, quòd anima in reſurrectione habebit perfectibile illud, quod ſibi eſt magis conueniens pro perfectibili ipſi animæ; igitur in illis partibus corporis, vel carnis reſurget, quæ faciunt perfectius, & conueniens perfectibile animæ intellectiuæ, & magis ſibi proportionatum; ſed, vt dictum eſt, caro prior ſemper eſt purior, & ſatis durat puritas carnis in ſua puritate, non nimis de lege communi infecta, vſque ad trigeſimum annum, quando homo communiter eſt in optimo ſtatu ſuo; igitur reſurget in illis partibus carnis prioribus perfectis, quæ ſufficiunt ad quantitatem, quam habuit tempore triginta annorum, quæ eſt quantitas talis perfectibilis conuenientior & magis debita.

15. *Secundus modus dicendi.*

Alius modus dicendi innititur huic propoſitioni, quòd in reſurrectione anima habebit illud perfectibile, quod magis eſt, & principalius de intentione naturæ. Magis autem eſt de intentione naturæ corpus ex talibus partibus carnis, quæ generantur ex nutrimento ad augmentationem qualitatis debitæ faciendam, quàm illæ, quæ generantur ad reſtaurationem deperditi. Nam partes carnis, quæ reſtaurant deperditum, non intenduntur à natura, niſi propter partes priores, & puriores, quæ fluxerunt, iterum reducendas. Nam ſi non eſſet reſtauratio deperditi, adhuc in homine eſſet operatio vegetatiuæ propter perfectam quantitatem per nutritionem, & augmentum conſequendam. Et ideò ſiue poſteriores, ſiue priores illæ partes, dummodo non ſint tantùm intentæ à natura propter reſtaurationem deperditi, ſed etiam principaliter propter debitam quantitatem conſequendam, ſunt per ſe de intentione naturæ, & veritate ſubſtantiæ humanæ. Partes autem, quæ tantùm reſtaurant, non ſic ſunt de intentione, & veritate humanæ naturæ. Quia ſi non eſſet deperditio, ſed tantùm augmentatio, omnes partes, quæ de nouo aduenirent propter augmentationem, eſſent per ſe intentæ à natura. Nunc autem quia eſt continua deperditio ſubſtantiæ nutriti, & debitæ quantitatis eius continuè reſtaurantur per nutrimentum, & quantùm ad ſubſtantiam deperditam, & quantùm ad debitam eius quantitatem. Sed quatenus pars, vel nutrimentum de nouo aduenies reſtaurat, non per ſe intenditur à natura, ſed quatenus augmentat, & perducit hominem vſque ad perfectam, & debitam quantitatem, & ſic in omni comeſtione, qua fit augmentatio citra debitam quantitatem, eſt conſiderare & partem augmentantem, & partem reſtaurantem. Pars augmentans vſque ad conuenientem, & debitam quantitatem hominis, eſt prima caro genita, & etiam prima de nouo aduenies principaliter intenta à natura. Pars reſtaurans minùs principaliter intenditur à natura.

Augmentatio eſt de principali intento à natura: reſtauratio verò non.

16. *In quo differant & conueniant hi modi dicendi.*

Ex iſto apparet in quo differt hæc via à priori; prior enim dicit quòd partes carnis prioris, quæ ſunt puriores, reſurgẽt, & tantùm illæ partes priores, quæ ſufficiunt ad debitam, & conuenientem quantitatem perfectibilis animæ intellectiuæ faciendam. Sed ſecunda via ponit quòd non omnes partes priores, & puriores reſurgent, quia non iſtæ, quæ per ſe faciunt ad reſtaurationem deperditi tantùm, ſed iſtæ ſolùm quæ aliis partibus adgenerantur propter augmentationem, vt perducant ad debitam, & perfectam quantitatem à natura per ſe intentam, ſiue ſint partes priores, ſiue poſteriores.

An eadem caro quæ priùs reſurget.

Et ex his apparet quomodo reſurgens habebit eandem carnem numero, & eandem vitam, non, inquam, eandem, quàm aliquando priùs in aliquo inſtanti ſimul habuit, ſed illam genitam ex partibus talibus, quæ faciunt conuenientius perfectibile animæ intellectiuæ, vel perfectibile animæ principaliter intentum à natura ſecundùm illas duas vias.

Sed quid dicendum eſt de illis, qui tantùm veſcuntur, & nutriuntur carnibus humanis.

17. *Quomodo reſurgent veſcentes carnibus humanis.*

Reſpondeo, quòd illæ partes carnis, aut ſunt æquè puræ in vno homine, ſicut in alio, & æquè de intentione naturæ, & tunc dico quòd reſurgent in illo, in quo priùs fuerunt animatæ, & de veritate humanæ naturæ in eo, vt in homine comeſto, & Deus ſupplebit tales partes in alio comedente per aliquid aliud, ſicut ſuppleuit carnem coſtæ Adæ.

Si verò non ſint æquè puræ in vtroque, nec æquè principaliter intentæ à natura, tunc in illo reſurgent, vbi fuerunt puriores, & perfectiores ſecundùm primã viam, quod contingit quandoque fieri, & eſſe in comedente, quandoque in comeſto; & Deus ſupplebit in alio, quod eſt ſibi neceſſariũ,

vel ſecundùm aliam viam in illo reſurgent, in quo ſunt magis per ſe intentæ à natura, & perfectioris quantitatis conuenientis perfectibili animæ intellectiuæ.

Quomodo reſurgent, qui non peruenerunt ad perfectam quantitatem.

Sed quid dicendum eſt de illis, qui nondum peruenerunt in vita iſta ad perfectam & debitam quantitatem perfectibilis animæ, ſicut eſt de pueris, & nanis & pygmæis, & huiuſmodi.

Dico quòd in reſurrectione debet ſuppleri in eis talis quantitas perfecta, & aſſignari ex partibus impurioribus, quia partes carnis puriores tantùm non ſufficiunt. Partes etiam impuræ fuerunt ſuæ, & ideò facta depuratione earum verè tranſibunt in veritatem naturæ humanæ in eis, & reſurgent in eo, & ſi nec partes carnis ſuperfluæ, vel impuræ ſufficerent ad faciendum debitam quantitatem conuenientem perfectibili, animæ, qualem habuiſſet ſi habuiſſet ſi vixiſſet tot annis, tunc dico quòd Deus ſupplebit, quod deficit in vnoquoque.

18. *Ad primum argumentum principale,*

Ad primum argumentum principale, dico quòd non oportet neceſſariò concedere quòd coſta fuerit in Adam ſicut aliquid pertinens ad veritatem ſuæ naturæ. Sicut nec ſemen modò eſt in homine tanquam aliquid de veritate naturæ ſuæ, ſed eſt in eo tantùm ſicut ſuperfluum in vaſe, ordinatum ad multiplicationem ſpeciei in aliis, & non ſicut pars ſubſtantiæ carnis eius.

Ad coſta non fuit de veritate perſonæ eius.

Coſta autem illa, de qua per ſupernaturalem tranſmutationem factum eſt corpus mulieris, data fuit à Deo loco ſeminis, ad multiplicationem ſpeciei humanæ, tanquam ſuperflua, quoad eius *eſſe* perſonale; quia non fuit de veritate humanæ naturæ in eo, vt pars eius. Vnde materia illius coſtæ, ex qua poſteà factum eſt corpus mulieris, reſurget in Eua, & non in Adam.

Ad ſecundum.

Ad ſecundum, patet reſponſio ex dictis, quia ſi aliquis nutriatur carnibus humanis, ex quo purior eſt per generationem, quàm vbi eſt per nutritionem, reddetur ei vbi primitus eſſe cœpit per generationem; & tunc non erit idem in diuerſis, ſed Deus illi, qui fuerat nutritus ex talibus carnibus, reſtituet quicquid de carne ſua prima pura deperditum fuerat. Vnde Auguſtinus *in Enchirid, c.83. & 12. de ciuitate, c.22 & 23.* loquens de illo, qui fame coactus nutritur cadaueribus hominum, dicit, *reddetur caro illa homini, in quo eſſe humana primitùs incepit.* Et infrà. *Caro illi, quem fames exuerat, ab eo, qui poteſt etiam exhalata reuocare, reddetur, licèt & ſi omnibus modis periiſſet, ita quòd in nullis materia eius latebris remanſiſſet, adhuc benè vellet reparare eam omnipotens.*

Auguſt.

Ad tertium. Cuius erit in reſurrectione quod fuit in diuerſis.

Per hoc idem ad tertium dicendum eſt, quòd pars hominis comeſti per actum nutritiuæ conuertetur in ſubſtantiam comedentis, & pars illius in ſemen: & ita totus homo comeſtus non poteſt tranſire in ſemen, ſed tantùm ſecundùm partem. In homine autem genito ex ſemine relicto ex comeſtione partis humani corporis reſurget talis pars, vel veritas naturæ talis partis, quia aliter idem in numero reſurgere non poſſet. Pars autem alia, quæ per actum nutritiuæ conuerſa eſt in ſubſtantiam comedentis, reſurget in homine comeſto: quia in ipſo habuit ordinem eſſentialiorem ad reſurrectionem, quàm in alio. Tum, quia priùs & perfectiùs ab anima illius informatur, quàm ab anima alterius. Tum, quia, vt dictum eſt, *diſt. 32. ſecundi* *, caro genita ex nutrimento, non ita perfectè, nec ita principaliter perficitur ab anima, ſicut caro genita de ſemine. Deus autem illud, quod deerit de parte materiæ illi, de cuius carnibus alius homo genitus eſt, aliunde indefectibiliter ſupplebit.

* In Oxon. quæſt. vnic.

Ad quartum.

Ad quartum, dico quòd redit idem membrum ſicut idem totum modo, quo dictum eſt.

QVÆSTIO II.

Vtrùm ignis infernalis puniat damnatos?

D. Thom. *in addit q.97. a.1. & 4. d.50. q.2. art.3.* D. Bonau. *hic 2. p. a.3. q.2.* Rich. *art.2. q.6. & 9.* Durand. *q.10.* Gabr. *quæſt.3. a.2.* Vaſq. *1. p. d.243.* Scot. *in Theor. §. Omne agens eſt præſtantius.*

VTRVM ignis infernalis puniat ſpiritus damnatos, vt animas, vel Angelos malos? Videtur quòd non: Auguſt. 12. ſuper Geneſim, c.29. *Agens præſtantius eſt patiente: ſed nullo modo præſtantius eſt corpus ſpiritu; imò perſpicuo modo eſt ſpiritus præſtantior corpore*; igitur nullo modo poteſt talis ignis, cùm ſit quoddam corpus, ſpiritus cruciare. 1. *Argument. primum negatiuum.*

Et ibidem: *Quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur benè, vel malè, nõ corpora, ſed corporibus ſimilia ſunt, verè tamẽ ſpiritus lætitiæ, vel moleſtiæ diſponũtur.* *Secundum.*

Item, omne agens agit per contactum, maximè corporeum; 1. *de Generatione, text.43. & 7. Phyſicorum, text.8. & 9.* ſed corpus non poteſt tangere ſpiritum, quia illa tangunt ſe; quorum vltima ſunt ſimul 5. *Phyſicorum.* ſpiritus autem non habet vltimũ, ſicut nec primum, vel medium; igitur impoſſibile eſt ſpiritũ ſeparatũ à corpore cruciari. *Tertium.* Ariſtot.

Item, ſecundùm Philoſophum 1. *Generat. cap. de facere & pati, text.51.* agens vniuerſaliter intendit ſibi aſſimilare paſſum; ſed ignis corporeus non poteſt ſibi aſſimilare ſpiritum ſeparatum in forma ſua; igitur non poteſt ſpiritus ab ipſo pati. Minor patet, quia ſpiritus non eſt receptiuus formæ corporalis. Ariſtoſt.

Contrà, Saluator dicit Matth. 25. ſpiritibus malignis & Angelis damnandis: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* *Ratio ad oppoſitum.*

Item, Gregorius 4. Dialog. cap.30. ante medium. *Si diabolus eiúſque Angeli, cùm ſint incorporei, corporeo ſunt igne cruciandi, quid mirum ſi animæ etiam antequam reſumant corpora, poſſint corporalia ſentire tormenta?* Item, ibidem parùm ante, *ſi viuentis hominis incorporeus ſpiritus tenetur in corpore, cur non poſt mortem, cùm tunc in corpore ſit ſpiritus, & tormento corporeo tenetur?* Gregor.

QVÆSTIO III.

Vtrùm homines damnati poſt iudicium cruciabantur illo igne infernali?

D. Thom. *hic q.1. & alij citati q. præcedent.* Gerſon. *ſerm. de omnibus ſanctis.* Soto 4. *d.50. art.4.* Ægid. *quodl. 2. q.9.* Abulen. *in 25. Matth. q.640.* Coccius *lib 10 art.8.* Bellar. *l.2. de Purgat. cap.10. & ſequent.* Enriq. *lib. vlt. cap.25.* Scot *in Oxon. hic quæſt.3.*

SECVNDO quæro iuxta hoc: Vtrùm homines damnati poſt reſurrectionem punientur, vel crucientur igne infernali? Videtur quòd non, 6. Topic. cap.9. *Omnis paſſio magis facta magis abiicit à ſubſtantia*; ſed corpora damnatorum patinntur ab illo igne fortiſſima paſſione; igitur continuè abiicitur aliquid de eorum ſubſtantia per continuam paſſionem, & ſic tandem ſi multùm paterentur à tali igne, poſſent totaliter conſumi ſecundùm ſubſtantiam, quia ſubſtantia eorum eſt finita: hoc eſt falſum, quia remanebunt in eis naturalia integra ſecundùm Dionyſium 4. *de diuin. nomin.* 2. *Primum arg. negatiuum.*

Item,

Secundum. Item,ſi punirentur ab igne infernali,aut igitur ab illo vt immutante intentionaliter,aut realiter: non intentionaliter,quia tunc corpusBeati poſſet pati tali paſſione intentionali,cùm beatus habeat ſenſum optimè diſpoſitum, & ſenſus diſpoſitus percipiat ſuum obiectum ſibi præſens, & ſic maximè pateretur, ſicut maximè patiuntur modò paſſione ſenſibili, & intentionaliter immutante ſenſum, vt patet videndo Solem per medium feneſtræ vitreæ,& huiuſmodi,quod falſum eſt. Nec ſecundo modo,quia immutatio realis eſt per alterationem & tranſmutationem realem ad qualitatem realem ſimilem;talis autem mutatio diſponit immutatum ad corruptionem, quæ non poteſt competere illis corporibus,quia tunc eorum pœna non eſſet perpetua:igitur,&c.

Ratio ad oppoſitum. Contrà, Matth.25. *Ite maledicti in ignem æternum,*&c. Iob 20. *luet omnia, quæ fecit*, dicitur de damnato,nec tamen conſumetur.

SCHOLIVM I.

Sententia D.Thomæ, & Ægidij ſpiritum torqueri igne, quatenus eum apprehendit ſibi diſconuenientem, refutatur clarè. Secunda ſententia Henrici per habitum ſupernaturalem ſpiritum ſubdi corpori, vt ab eo puniatur,refutatur clariùs.

3. *Opinio D. Thom. hic Ægid. quodl. 11.q.15.* HIc dicitur quòd ſpiritus affliguntur, & cruciantur ab igne corporali, non inquantùm ipſi apprehendunt ſenſu apprehenſione ſimplici, ſed inquantùm apprehendunt ipſum apprehenſione firma, & certa, tanquam contrarium & inconueniens, ſiue diſconueniens ſuæ naturæ, licèt talis apprehenſio,vel exiſtimatio ſit falſa,& decipiantur ſecundùm eam. Illud confirmant per auctoritatem Gregor.lib.4. Dialogorum parum ante medium *teneri per ignem ſpiritum dicimus,nam eo ipſo patitur, quod videt, & quia cremari ſe aſpicit, cruciatur.*

Greg.c.20.

Auicenna. Huic videtur concordare Auicenna 9. *Metaph. cap.vltimo* loquens de diſpoſitione animarum humanarum exutarum à corporibus ſuis, dicit, *animæ malæ vident pœnam, quam imaginantur in hoc mundo,& affliguntur ea;*forma enim imaginata non eſt debilior ſenſibili reali,ſed eſt maior in expreſſione, imaginatæ,ſicut patet in ſomnis, vbi ſomniatum maius eſt pro modulo ſuo, quàm ſenſibile pro ſuo,igitur cùm virtus æſtimatiua ſit perfectior, & efficacior, quando eſt ſeparata, quàm quando eſt coniuncta propter paucitatem impedientium, & expoliationem animæ, & habilitatem animæ recipientis talem æſtimationem, vel imaginationem pœnæ, multò maior erit tunc in alio ſæculo ex ſola imaginatione eius,quàm modò ſit ex eius reali ſenſatione.

4. *Refutatur primò.* Contrà:ſi hoc eſſet verum,tunc ſequeretur oppoſitum opinionis intendentis probare quòd ſpiritus patitur igne corporeo, nam ſecundùm hoc non pateretur ſpiritus ab igne corporeo,ſed à ſua falſa exſtimatione,& imaginatione, quod eſt inconueniens: quia ſicut nullus falſa opinione eſt beatus,ſic nec falſa opinione eſt miſer.

Secundò. Dionyſ. Præterea,ſecundùm Dionyſium 4.de diuin.nom. *Dæmones habent omnia naturalia ſplendidiſſima, & integra*, ſed non eſt probabile quòd mali ſpiritus habentes talia naturalia videntes illum ignem exiſtimarent illum ſuæ naturæ contrarium, & diſconuenientem,vel læſiuum, niſi ita eſſet in re quòd eſſet realiter diſconueniens, & læſiuus, aliter deciperetur:igitur. Præterea,Gregorius ſuprà citatus dicit quòd *anima non ſolùm videndo, ſed experiendo realiter patitur ab illo igne*: Similiter Auguſtinus 22. de ciuitate Dei, cap.10. dicit *ſpiritus incorporeos poſſe ignis corporalis pœna affligi, non eſt ambigendum*, & pòſt dicit *quòd & fidei in omnibus natura cõmuniter adhæreat;quia dæmones ſunt ſpiritus, tamen licèt in corpore corporeis ſunt ignibus cruciandi.*

Greg. *Auguſt.*

5. *Henr. quodl. 8.q.38.* Aliter dicitur quòd ignis non affligit ſpiritus damnatos virtute naturali ignis, ſed inquantùm eſt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ iſto modo;quòd ſpiritus realiter ideò patiatur ab igne corporali, quia ſibi datur à Deo quidam habitus, & tunica ſupernaturalis propter peccata,ſic receptiuus talis paſſionis corporalis, & ſine illo habitu non poſſet pati,nec ſubiici actioni alicuius corporis.

Refutatur primò Henr. Contrà:iſte habitus ſupernaturalis datus ſpiritui, aut eſt corporalis tantùm, vel ſpiritualis? Si corporalis;igitur in ipſo violenter, quia eſt contrarius naturali inclinationi ipſius ſuſceptiui, & per conſequens non eſt aliud ponere in ipſo talem habitum corporalem, quàm ponere in ipſo calorem realem immediatè,quia non magis repugnat ſibi vnum,quàm aliud. Vnde ponere qualitatem corporalem in ſpiritu, non eſt minùs inconueniens,quàm ponere qualitatem ſpiritualem in corpore, vt ſcientiam in lapide.Si eſt ſpiritualis,tunc non magis ſubiicit ſpiritum actioni ignis corporalis,quàm natura ſua, quæ eſt merè ſpiritualis. Igitur tunc quæramus tertium, & de iſto arguitur ſicut priùs,& erit proceſſus in infinitum, vel ex ſe ſubditur actioni ignis, quorum vtrumque eſt eis inconueniens.

Non poteſt ſpiritus ſubdi corpori vt puniatur per habitum ſupernaturalem.

Item, habitus non datur potentiæ abſolutæ, ſed tantùm ad faciendum, vel habilitandum potentiam ad angendum, vel patiendum ſecundùm omnes modernos communiter,quia quo quis poteſt abſolutè agere,vel pati,eſt potentia;igitur in cuius natura non eſt alia potentia ad patiendum ab aliquo paſſionem corporalem, non eſt habitus diſponens ad patiendum,quia diſponens,vel habilitans aliquid ad patiendum præſupponit illud, quia contradictio eſt,quòd in natura ſpiritus non ſit potentia ad patiendum, & tamen quòd in eo ſit habitus habilitans ad patiendum. Conſtat autem,vt ponis,quòd ſpiritus non habet potentiam ad patiendum tali paſſione, quia ſpiritus non eſt receptiuus paſſionis corporalis, ſicut nec corpus paſſionis ſpiritualis;igitur ſuperfluè ponitur talis habitus.

Secundò.

Tertiò. Item, ſi ſpiritus non recipit talem paſſionem corporalem ab igne mediante iſto habitu, non recipitur immediatè in natura Angeli, ſed in tali habitu,ſicut ſuperficies recipit immediatè albedinem, non ſubiectum, & per conſequens ſi Deus illum habitum ſepararet à ſpiritu, quod eſt ſatis poſſibile, cùm non ſit aliquid eius intrinſecè, ſequeretur quòd talis habitus immediatè pateretur, & nullo modo natura ſpiritus, ſicut ſi Deus ſepararet ſuperficiem coloratum à corpore, eſſet ipſa colorata immediatè,& realiter, & nullo modo corpus,fruſtrà igitur ponitur talis habitus.

Multæ ſunt aliæ opiniones circa hanc materiam:quære in Richardo in hac diſtinctione.

SCHOLIVM II.

Ponit primò doloris & triſtitiæ definitionem & differentiam. Secundò, quomodo ignis dupliciter detinet ſpiritum; definitiuè ſecundùm locum, & obiectiuè immutando

mutando intellectum. Tertiò, ponit ordinem actiuum ſpiritus circa ignem. Primo eſt detentio; ſecundò, perpetuæ detentionis conſideratio; tertiò, detentionis nolitio; quartò, conſideratio nolitì poſiti in eſſe; quintò, ſequitur triſtitia, quam puto ab actibus præcedentibus cauſari, de quo 3. d. 15. & aliàs dictum eſt. Vide Doctorem de his clariùs & fuſiùs in Oxon. hìc q. 2. per totam, & ſcholia ibidem. Prædicta quinque eodem ordine explicat de detentione obiectiua ignis, ſeu de immutatione intellectus, quam facit, velit, nolit ſpiritus malus.

6. *Quid dolor & triſtitia; & quomodo inter ſe differunt; de quo in 3 d. 15.*

REſpondeo ad quæſtionem, & dico quòd ſicut per beatum Auguſtinum patet 14. de ciuitate Dei, cap. 15. diſtinctio eſt inter dolorem, & triſtitiam. *Nam dolor eſt affectio animæ ex carne, & paſſio corporalis. Triſtitia eſt paſſio mentalis ſequens apprehenſionem eorum, qua nobis nolentibus accidunt.* De vtraque igitur paſſione videndũ eſt, primò de paſſione triſtitiæ, an aliquo modo teneatur in ſpiritu ab igne. Reſpõdeo diſtinguẽs, & primò quòd ignis poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo in ſe; alio modo in comparatione ad Angelum. Primo modo non eſt magis diſconueniens, vel contrarius Angelo, quàm cælum, & ideò ſic in ſe conſideratus non magis cauſat triſtitiam in ipſo, quàm cælum in ſe apprehenſum, & conſideratum; igitur ſi cauſat triſtitiam in eo, erit ſecundo modo, vt comparatur ad ipſum.

Ignis inferni dupliciter dicitur ſpiritibus diſconueniens.

Sed hoc adhuc poteſt eſſe dupliciter; vno modo, vt detinens ſpiritum in conſideratione eius; alio modo, vt mutans intellectum eius ad conſiderationem eius, & effectiuè; & iſta differunt, quia per hoc quòd ignis detinet intellectum Angeli mali in conſideratione ſui, nè poſſit in conſiderationem alterius obiecti, non habet ignis aliquam actionem in Angelum. Vnde detinere non eſt aliquid facere, vel agere, ſicut patet in exemplo. Per hoc enim quòd detineor ab aëre, non habet aër aliquam actionem in me; & ſi aër detinens corpus meum non poteſt dici habere aliquam actionem in corpus meum, multò magis nec ignis detinens ſpiritum in conſideratione ſui agit in ipſum, inquantùm detinens tantùm, quia corpus meum detinetur ab aëre ſine aliqua actione eius in me circumſcriptiuè, & definitiuè. Angelus autem tantùm detinetur ab igne ſine aliqua actione in ipſum definitiuè. Nec poteſt dici quòd ignis detineat Angelum, vel ſpiritum reſiſtendo virtuti motiuæ eius.

7. *Quomodo Angelus detinetur ab igne.*

Quid eſt igitur iſta detentio. Nihil aliud eſt niſi quidam reſpectus ſimultatis extrinſecùs adueniens ſpiritui, vel ſimplex præſentia eius cum eo, qua ignis per ſuam præſentiam ex ſententia diuinæ iuſtitiæ detinet definitiuè Angelum in conſiderationem eius, vt vbicatum ſuum. Nec iſtud *detineri* Angeli ab igne ſecundùm hanc definitionem, vel præſentiam, eſt diſconueniens, vel triſte naturæ Angelicæ, vel naturæ ſpirituali alicui, quia detineri in aliquo *vbi* non eſt diſconueniens detento in illo *vbi*, niſi quia naturaliter inclinatur ad aliud *vbi*, & illud naturaliter ſibi determinat; quia igitur non magis inclinatur Angelus, vel ſibi determinat vnum *vbi*, quàm ad aliud; igitur ſi triſtaretur ex hoc quòd videret ſe in tali, vel in tali *vbi*, cùm nullum, vt dictum eſt ſuprà, eſt ſibi diſconueniens ſecundùm ſe, non magis vnum quàm aliud; triſtitia ſua cauſaretur ex errore, & ex ſua falſa imaginatione, vel apprehenſione; igitur cùm iſta detentio in hoc *vbi* non ſit ex ſe ſibi diſconueniens, quia non minùs inclinatur ad hoc *vbi*, quàm ad aliud; oportet quòd ſibi ſit diſconueniens ex aliquo alio, vt per nolitionem illius detentionis; nam ſpiritus malus apprehendens ignẽ ſibi præſentem præſentialitate definita pro perpetuo, & hoc videns ſibi ineſſe ex ſententia, & iuſtitia Dei definitiua, & in contemptum ſui, nollet illam detentionem, & præſentialitatẽ ſibi ineſſe pro ſuo perpetuo; ita inclinatur ad aliud *vbi*, & præſentialitatem ſimplicẽ alterius, ſicut ad iſtud. Et in hoc quòd percipit ſe nolle eſſe in illo *vbi*, & non poteſt per ſuum *nolle* amouere ſe ab illo *vbi* propter iudicium Dei definitiuum, qui adiudicat ſibi talem locum, vel tale *vbi* pro ſuo perpetuo, triſtatur. Ipſe enim apprehendens illam detentionem à tali corpore, vt aliqualiter ſuæ naturæ diſconuenientem, quatenus eſt perpetua, & ipſo nolente, quia de libertate ſpiritus eſt quòd naturaliter poſſit ſe facere vbi vult, ita in vno *vbi*; ſicut in alio, & ideò detentio eius perpetua in vno *vbi*, eſt diſconueniens, inquantùm ſcilicet nolita, non tamen eſt ſimpliciter diſconueniens, quia ſic eſſet cuilibet creato ſpiritui diſconueniens detineri à quocunque corpore, vel quocunque *vbi*, & tunc Michaëli diſconueniens eſſet detineri, vel eſſe in cælo, & per conſequens pœna ſibi modò foret eſſe in cœlo, quod eſt inconueniens.

Quæ cauſa immediata triſtitiæ in Angelo.

8. *Vnde dicitur aliquod vbi diſconueniens ſpiritui.*

Eſt igitur tantùm ſibi aliquod *vbi* diſconueniens, vel alicui alteri ſpiritui, quia detentio in illo *vbi* eſt ſibi nolita, quia vellet vti immoderatè ſua libertate, etiam contra diuinam iuſtitiam, qua poſſet facere vbicunque vellet, quam nolitionem non poteſt Angelus habere reſpectu detentionis ſuæ in cælo Empyreo, etiam poſito quòd non poſſet ſe facere vbicunque vult, quia Angelus bonus in volendo, & nolendo ſemper conformatur ſuæ regulæ, ſcilicet, voluntati diuinæ, & ſententiæ definitiuæ eius iuſtè volendo volitum, quod Deus vult, etiam nolendo prohibitum ab eo. Et ideò licèt de libertate eius ſit, quòd poſſet facere ſe vbicunque vellet, ſi non determinatur à Deo ad *vbi* determinatum; tamen magis vult eſſe in *vbi* determinato ſibi à voluntate Dei iuſta, etiam ſemper, & non poſſe eſſe in alio, quàm poſſe eſſe in quolibet ad arbitrium ſuum, non ſic eſt de malo Angelo, quia ipſe percipiens detentionem eius perpetuã in aliquo *vbi*, & ab aliquo corpore, nollet eam, & percipiens ſuum *nolle* reſpectu talis detentionis inuidet, & agitatur inuidia contra ſententiam Dei iuſtam, & iudicium eius rectum nolendo elementa eſſe; à quibus tamen ibi perpetuò detinetur, & ineuitabiliter, & ex hoc ſequitur triſtitia in voluntate eius cauſata à nolitione iſtius detentionis. Agitatur etiã ſuperbia contra Deum, inquãtùm nollet ſibi ſubeſſe in *detineri* in tali *vbi*.

9. *Inſtantia.*

Et ſi dicas quòd talis nolitio eſt in poteſtate eius, quia verus & poſitiuus actus voluntatis, quæ eſt domina ſui actus, igitur triſtitia erit in poteſtate eius, ita quòd poteſt non triſtari.

Soluitur.

Dico quòd *nolle* eius non eſt in poteſtate eius, nam Deus, qui eſt cauſa ſuperior, conſeruat ipſum in nolitione iſtius detentionis, & ita non poteſt in oppoſitum. Licèt enim *nolle* eius ſicut *velle*, ſic in poteſtate voluntatis eius, cauſa ſuperiore non determinante inferiorem ad iſtum actum nolitionis, tamen determinante cauſa ſuperiore ipſum ad hunc actum, non poteſt in oppoſitum.

Angelus non determinat ſcibi aliquod vbi.

Quinque conſideranda pro explicanda pœna damnatorum.

Et hic talis ordo punitionis mali Angeli, quòd in primo eſt detentio eius ab igne per ſimplicem præſentialitatem eius cum eo. Secundò apprehendit iſtam detentionem eius ab eo, & neutrum

neutrum eſt ſibi diſconueniens, non detentio in hoc loco, quia inclinatur ad iſtum locum ſicut ad alium, nec apprehenſio in hoc *vbi*, & ſibi diſconueniens, quia tunc neceſſariò erraret in apprehendendo ſibi diſconueniens, quod non eſt ex ſe ſibi diſconueniens, quod non oportet dicere, cùm habeat naturalia limpidiſſima, & integra.

Tertiò ſequitur in eo nolitio detentionis apprehenſæ, quia nollet ſic detineri à Deo effectiuè per eius ſententiam definitiuam, ſed immoderatè eſſe vbicunque veller. Quartò ſequitur apprehenſio nolitionis detentionis talis effectus. Quintò nolitionem apprehenſam de ipſa tentione iam poſita ſequitur triſtitia in voluntate, & ita pœna, & afflictio.

Quatuor conſideranda in delectatione beati.

Sed in Michaële eſt ordo contrarius, quantùm ad tria vltima, & per conſequens ſequitur quòd duo prima, in quibus conueniunt tam bonus ſpiritus, quàm malus, non ſunt formaliter, vel ſimpliciter conuenientia, vel diſconuenientia. Primò enim eſt detentio Michaëlis in cælo Empyreo. Secundò eſt apprehenſio eius in tali *vbi* detinente ipſum ſecundùm diuinam iuſtitiam definitiuam. Tertiò velle detineri ibi ſecundùm arbitrium voluntatis diuinæ. Quartò ſequitur apprehenſio iſtius velle detineri ibi, & hinc in effectu cauſatur gaudiũ, & delectatio in volũtate eius.

10. *Quomodo ignis detinens cruciat Angelum.*

Sed quomodo poteſt adhuc dici, quòd ignis affligit, vel cruciat ſpiritum? Dico quòd propriiſſimè poteſt dici, quòd ignis contriſtat ſpiritum, & ſic affligit eum, quia quantumcunque aliquid non ſit effectiuè contriſtans inferendo alicui triſtitiam, ex hoc ſolo tamen, quòd eſt obiectum nolitionis, & nolitum contriſtat & cauſat triſtitiam; ignis detinens non cauſat effectiuè triſtitiam in ſpiritu, ſed inquantùm eſt nolitus, & ipſa nolitio in effectu apprehenſa actu in *eſſe* cauſat triſtitiam. Nolitio autem non eſt niſi diſconuenientis, & rei triſtis, vel ſimpliciter, vel apparenter, vel ex præſtitutione propria alicuius voluntatis, igitur ex hoc quòd obiectum illud contra diuinam iuſtitiam nolitum eſt, & tamen poſitum in *eſſe*, cauſat triſtitiam. Dictum eſt enim in primo diſtinctione prima *, quòd delectatio, & triſtitia nõ ſunt actus voluntatis, ſed paſſiones conſequentes tales actus tendentes in obiecta nolita, vel volita.

* Quæſt. 3. num 7. *Dolor & delectatio ſunt paſſiones conſequentes actus voluntatis.*

Exemplum huius manifeſtum eſt de anima intellectiua, quæ non tenetur effectiuè à corpore, quia corpus non habet dominium ſuper animam, ſed potiùs è contrario, niſi ſicut perfectibile naturale detinet ſuam propriam perfectionem, ſed tenetur, & detinetur ab ipſo, vt perfectio à perfectibili: anima autem primò ſic à corpore detenta, poteſt ſecundò apprehendere ſic ſe teneri, & adhuc non ſequitur aliqua triſtitia, vel diſconuenientia, quia nihil tale adhuc apprehenditur. Tertiò, poteſt nolle ſic ſe à corpore detineri, quia ſecundùm rectam rationem poteſt velle ab omni corpore ſpoliari, vt voluit beatus Paulus ad *Philip.* 1. appetens eſſe cum Chriſto. Quartò poteſt apprehendere ſuam nolitionem reſpectu talis detentionis à corpore. Quintò, comprehendo nolitum eſſe actu poſitum in effectu, ſequitur triſtitia de detentione à corpore, & ita corpus detinens animam non contriſtat eam effectiuè, ſed tantùm inquantùm eſt nolitum, vt ſic eam detineat. Eodem modo eſt in propoſito de igne, quia ipſe ignis in ſe non affligit, vel contriſtat ſpiritum, ſed tantùm inquantùm eſt nolitus, qui nolitus cauſat triſtitiam.

Quomodo corpus detinens animam poteſt illam cruciare.

Aliter tamen poteſt dici quòd anima damnata ab igne patitur, & aliter Angelus damnatus, & alia pœna. Nam anima damnata patitur veram combuſtionem ignis, & ignis vera combuſtione agit in eam: combuſtione dico, quæ ſit paſſio vera cauſata ab obiecto comburente hoc modo. Quia ſicut poſt reſurrectionem quando anima coniungetur ſuo corpori, & proprio perfectibili apprehendens cõbuſtionem corporis comburitur ſentiendo dolorem eius, quia actiones, & paſſiones erant totius coniuncti, ſicut modò ſunt totius, ita modò ſeparata, vel damnata apprehendens combuſtionem corporis futuram poſt diem iudicij patitur, & ſentit quodammodo dolorem eius propter timorem de illo malo futuro: ſicut enim dolor de malo præſenti contriſtat, & affligit, ſic & timor de malo imminenti, & in proximo futuro, quia parum differt habere certitudinem de malo futuro, & expetiri ipsũ in effectu. Nõ ſic eſt in Angelo dãnato, quia ſimplex eſt & nullius corporis combuſtibilis realiter, vel formaliter perfectiuus.

11. *Diuerſo modo anima damnata & Angelus puniũtur ab igne.*

Secundò, vt dixi, ille ignis verè poteſt effectiuè immutare intellectum Angeli, vt alterius ſpiritus ad conſiderationem ſui, vt obiecti noliti, & diſconuenientis, & ſic immutando maiorem triſtitiam cauſare in eo, quàm in detinendo ipſum: nam licèt illud obiectum, vt ignis, virtute ſua naturali non poſſet cauſare in ſpiritum aliquam diſpoſitionem repugnantem diſpoſitioni ſuæ eſſentiæ, ſecundùm quam conuenit ſibi ſecundùm debitum ſtatum ſuæ naturæ, tamen virtute iuſtitiæ increatæ, & ex ordinatione voluntatis diuinæ principaliter eos punientis, & dirigentis illum ignem ad illorum ſpirituum cruciatum, poteſt intellectum Angeli immutare ad conſiderationem eius in tantùm, quòd impedit ipſum à conſideratione omnium aliorum, quod eſt contra voluntatẽ eius, & graue onus eius, quia quantùm eſt ex ſe, poſſet in conſiderationem cuiuſlibet, ſecundùm quod dicimus, quòd phantaſma virtute intellectus agentis poteſt immutare intellectum poſſibilem ad conſiderationem alicuius, licèt hoc virtute propria non poteſt, & ſi intellectus agens eſſet ſubſtantia volens, potẽs tenere intellectum poſſibilem ſemper in conſideratione phantaſmatis, ſemper ſtaret in conſideratione phantaſmatis ex directione talis voluntatis intellectus agentis volentis, & ſi haberet voluntatem ad ſtandum ibi, ſi ſemper ſtaret ibi, non triſtaretur. Ita eſt in propoſito: ignis virtute Dei vt principaliur agentis, immutat ita vehementer intellectum Angeli ad conſiderationem eius, quòd non poteſt in conſiderationem aliorum, quæ poteſt naturaliter cognoſcere, ſi dimitteretur ſibi, & ſic ſi tunc Angelus non poſſet in apprehenſionem, & conſiderationem aliorum, & hoc apprehendat ſibi fieri ex ſententia definitiua Dei, triſtatur, & nollet talem immutationem determinati obiecti ſibi applicari.

12. *Quomodo immutatur intellectus mali Angeli effectiuè ab igne perpetuo.*

Non detinetur Angelus obiectiuè ab igne niſi virtute diuina principaliter.

Sed nondum eſt completè ei talis immutatio, vel detentio diſconueniens, ſed pòſt, cùm cõprehendit ſe ſecundùm naturam ſuam eſſe liberum; & ita poſſe in conſiderationem aliorum, ſicut in conſiderationem ignis, & tamen ſecundùm ſententiam definitiuam Dei ad illam determinari, tunc ex affectione proprij commodi remurmurat tali ſententiæ, quam ex ſua maxima malitia nollet ſibi ineſſe aliquo modo à Deo.

Sed inquantùm eſt à iuſtitia diuina eſt ſimpliciter contra voluntatem ſuam, & tunc cùm vltimò immutetur ab obiecto nolito ad conſidera-

tionem nolitionis obiecti ſic immutantis ex perpetua ſententia diuina, cauſatur in eo completa diſconuenientia,& triſtitia maxima,multò maior quàm habuit in tertio gradu, quando noluit tale obiectum intellectum eius immutare, vnde dicit Gregorius *ſuprà citatus*, quòd *anima non ſolùm videndo,ſed etiam ſentiendo patitur incendium,& experitur ipſum.*

Gregor.

13. *Subiectum ſenſationis & compoſitum ex anima & organo.*

Sed iſta triſtitia, quæ ponitur experimentalis in ſpiritibus, eſtnè dolor in eis?Reſpondeo quòd accipiendo *dolorem*, vt diſtinguitur contra *triſtitiam*, non poteſt eſſe in ſpiritibus, nec Angelis, nec anima.Et ratio huius eſt, quia dolor, vt diſtinguitur contra triſtitiam,non eſt niſi quædam diſconuenientia cauſata in organo ſenſus ex excellentia obiecti ſenſibilis,& eſt totius compoſiti ex anima & parte corporis ſic mixta. Vnde dicit Philoſophus primo de anima, text. com.64.quòd nihil aliud eſt dicere *gaudere animam, & triſtari, quàm texere,vel adificare:quæ conſtat eſſe totius coniuncti*: ſed Angelus, vel anima ſeparata eſt eſſentia ſimplex non habens organum, nec anima etiam de qua minùs videtur, vtitur organo in operãdo, nec per conſequens in patiendo paſſiones,conſequentes ſuas proprias operationes:quia vt ſic,ſeparatur à corpore, tanquam perpetuũ à corruptibili,ſecundo de Anima; igitur nullus eſt dolor in eis,niſi ſpiritualis, qui dicitur *triſtitia*. Poteſt tamen dici, vt dictum eſt priùs, quòd aliqua pœna quaſi corporalis eſt in anima damnata, quæ non eſt in Angelo damnato de malo futuro, & combuſtione reali,quam ſuſtinebit in corpore poſt reſurrectionem. Non ſic Angelus, quia Angelus non eſt forma corporis, vt anima,licèt aliquo modo poſſit pati in corpore per detentionem,vel immutationem intellectus eius ab illo ſolo ex ſententia definitiua Dei, vt dictum eſt ſuprà.

Ariſtot.

SCHOLIVM III.

Ad quæſtionem tertiam, vt explicet,quomodo ignis cruciat homines damnatos, docet primò ignem habere duas actiones: vnam realem, alteram intentionalem. Secundò,neutram harum dependere ab altera. Tertiò, intentionalem ſine altera eſſe dolorificam. Quartò, reſoluit viriſimilius damnatos homines puniri actione intentionali: non vetat tamen ſi teneatur quòd affligantur actione reali, ſed oportet tunc ponere continuum miraculum, quo Deus eos conſeruet,nè abſumantur. Id certum eſt ignem cruciare damnatos Matth. 25. Luc. 16. Apoc. 20. Mar. 9. Patres citati à Bellarm. à Coccio. Verùm modus,quo cruciantur, valde incertus eſt. Vide Doct. clariùs, & fuſiùs hac tractantem in Oxon. hìc quæſt. 3. per totam.

14. *Corpora dãnatorum poſſunt puniri actione intentionali tantùm, & intentionali & reali ſimul.*

AD ſecundam quæſtionem, cùm quæritur: *An corpora damnatorum punientur igne Infernali?* Dico quòd ſic. Sed de modo,quo ignis agat in ipſa, vel actione intentionali,vel reali, eſt maior difficultas. Quia dicunt quidam quòd tantùm actione intentionali;quidam quòd actione reali; dico tamen quòd poſſunt puniri paſſione intentionali tantùm,& non paſſione reali,vel materiali. Poſſunt etiam puniri tam paſſione intentionali,quàm reali,quia vtraque ſimul. Primum probo ſic, actio ſenſibilis in ſenſu non dependet ab actione reali, vel materiali, quæ fit per alterationem realem, quia ſecundùm Philoſophum 2. *de Anima*,oportet vniuerſaliter de omni ſenſu accipere, quoniam eſt receptiuus ſpecierum ſine materia. Ad hoc enim quòd viſus percipiat, vel ſentiat colorem, non oportet quòd fiat alteratio ſecundùm colorem in ipſum,ſed ſufficit quòd recipit formam, vel ſpeciem illius ſenſibilis, ſcilicet coloris. Eodem modo de guſtu, & tactu,licèt ſint ſenſus magis materiales,quàm alij,non oportet quòd calefiant, vel recipiant caliditatem, etſi ſentiant caliditatem,ſicut nec viſus coloratur realiter, etſi ſentiat,& videat colorem.

Ad dolorem ſufficit actio intentionalis tantùm.

Corpora igitur damnatorum licèt ſentiant caliditatem, & recipiant in ſe formam & ſpeciem ignis, & patiantur ab eo paſſione intentionali, non tamen ſunt calida paſſione reali,vel materiali cauſata ab igne, & ideò licèt ignis infernalis non ſit calefacturus corpora damnatorum actione reali, affliget tamen ea vehementiſſimè, quia ſicut obiecti proportionati ſenſui proportionata receptio delectat ſenſum, ita obiecti improportionati, & improportionabilis receptio affligit ſenſum. Ignis infernalis eſt omnium ſuperexcellens,& improportionabiliter ſenſum tactus in corporibus damnatorum vincens ipſum, & proportionem eius ad illum tactum;igitur poteſt immutare ſenſum tactus corporis damnati, & cauſare in appetitu eius ſenſitiuo ex apprehenſione talis obiecti ſenſibilis excellentis maximum dolorem.

Confirmatur. Auguſt.

Hoc poteſt confirmari per illud Auguſtini 21. *de Ciuitate Dei, cap.3.* & recitatur in litera huius diſtinctionis,cap.5. *Erit*, inquit, *tunc in corporibus damnatorum, quod nunc eſſe ſcimus in animis hominum.* Certum eſt autem, quòd ſi homo modò ponatur in igne,non calefit anima eius,licèt doleat. Vnde licèt agens ibi, & paſſum vtroque modo poſſint agere, & pati, tamen Deus poteſt influere ad actionem, vel paſſionem vnam non influendo ad aliam coagendo illi.

15.

Secundum probo, ſcilicèt quòd poſſit ibi eſſe vtraque paſſio tam intentionalis, quàm realis, quia agens appropinquatum paſſo poteſt agere in ipſum, ignis eſt agens, & corpus damnatum paſſum,& ignis eſt ſibi vtroque modo conuenienter approximatus tam ad agendum intentionaliter, quàm realiter, vel materialiter: igitur vtroque modo poteſt agere in ipſum.

Sed éſtne neceſſarium ponere actionem ibi,vt verè patiantur,& crucientur illo igne?Dico quòd non,ſed ad hoc tantùm ſufficit actio intentionalis, vt dictum eſt priùs, quia excellens ſenſibile ita eſt diſconueniens ſenſui, & cauſat dolorem per actionem talem in ſenſum,ſicut per actionem realem;igitur ex apprehenſione ſenſibilis diſconuenientis, & improportionati ad ſenſum apprehendentem, cauſatur dolor in appetitu ſenſitiuo, poſito quòd nulla alia actio ſit ſenſibilis in ſenſũ.

Ignis quandoque magis calefacit carnem, & minùs eam affligit, quãdoque è contrario.

Exemplum ad hoc eſt manifeſtum de igne,qui aliquando magis calefacit carnem, & minùs affligit eam,nec dolet ſenſus tactus,aliquando minùs calefacit,& magis affligit eam, & cauſat maximum dolorem in ea cum minima calefactione, ſicut eſt,cùm quis retigerit niuem,calefiunt modicum manus eius,& tamen ſentit maximum dolorem. Similiter quòd actio intentionalis poſſet immutare ſenſum,& cauſare in eo maximum dolorem, & veram ,|& realem paſſionem, patet de radiis ſolaribus tranſeuntibus per medium vitri rubei vſque ad viſum, quia ita generant in percipiente rubedinem talem potentem immutare viſum,ſicut ſi eſſent ibi realiter, cùm tamen ſit ibi tantùm intentionaliter, & per ſpeciem. Aſſumptum

ptum patet, quia ſi ponatur oculus in quocunque puncto medij, in quo tranſit talis radius coloratus, videbit illum colorem, & poteſt excæcari nimis ibi ſtando.

16. *Obijcitur primò.* Sed contra iſta arguitur ſic: cùm ſenſus beati ſint ita diſpoſiti ad quodcunque ſenſibile percipiendum: quantumcunque excellens, ſicut ſenſus damnati (quia beatitudo nihil aufert dignitatis, vel naturalis poteſtatis ab eis, ſicut nec damnatio aliquid confert naturæ in ſe ipſis damnatis,) ſi ibi eſſent, ita immutarentur ſecundùm ſenſum ad pœnam, & dolorem, ſicut damnati ibi exiſtentes, & per conſequens ſi propter excellentiam ſenſibilis ad ſenſum inferreretur dolor ipſi ſenſui damnati, cum æquè poſſit percipi hæc excellentia ſenſibilis à beato, ſequitur quòd poſſet ſic pati, quod eſt inconueniens, vel non magis affliget damnatos, quàm beatos.

Secundò. Item, omnis operatio ſenſitiua eſt ſenſui delectabilis reſpectu proprij obiecti ſenſibilis, quia eſt propria perfectio ſenſus, ſicut operatio intellectus eſt perfectio eius; igitur talis operatio intentionalis, vel realis cauſata in ſenſu ab excellenti ſenſibili non corrumpit ſenſum, ſed magis perficit ipſum.

17. *Ad obiectionem primam.* Ad primum iſtorum reſpondeo, & dico quòd ſi ibi eſſet beatus, ſicut damnatus, ita immutaretur à tali ſenſu quoad ſenſum, ſicut damnatus, & ita perciperet illud ſenſibile ſicut damnatus, ſed tamen illud obiectum ſenſibile non eſſet ſibi excellens improportionabiliter, ſicut eſt damnato, & per conſequens non cauſaret in eo dolorem, vel pœnam ſicut in damnato. Nam beati habent ſenſus magis ſublimatos damnatis, & ideò poſſunt ſenſibilia omnia quantumcunque excellentia, meliùs intueri, quàm ipſi. Nam Solem in fonte ſuo poſſet viſus Beati naturaliter videre ſine aliqua diſconuenientia, vel dolore, & hæc ſublimitas ſenſus eius reſpectu alterius tolli ab eo omnem pœnam, & triſtitiam, non ſic de alio; vnde non eſt pœna, vel dolor viſui aquilæ reſpicere Solem in fonte ſuo, licèt mihi eſſet excæcatio.

Beatus non immutaretur doloroſè ab igne inferni.

Alia reſponſio. Aliter reſpondeo. Concedo enim quòd illud ſenſibile excellens eſſet excellens reſpectu cuiuſlibet ſenſus tam Beati ſublimati, quàm non beati, ſicut ſenſui damnati, & ratio huius eſt, quia cauſa, quæ agit in aliquod, vt in pluribus, non agit, quando impeditur agere à cauſa excellentiori, & perfectiori, à qua dependet in agendo. Hæc eſt nota; quia non agit niſi quando non impeditur agere, vel cauſa prior coagit.

Cauſa inferior non agit quando ſuperior non coagit.

Sed ignis licèt vt in pluribus, immutando, vel agendo in ipſum inferat dolorem, & pœnam, non tamen quando impeditur à cauſa fortiori, vt cauſa prima, à qua dependet, non agente. Exemplum de pueris in camino ignis, quos ignis omnino non tetigit, nec dolorem eis intulit, licèt regulariter huius oppoſitum fiat.

18. *Ad ſecundam. Senſatio dicitur triſtis per accidens ſicut intellectio.* Ad ſecundum, dico quòd ſenſatio nunquam eſt per ſe triſtis, ſicut nec intellectio, quia ipſa eſt perfectio ſenſus abſolutè conſiderata, ſicut intellectio intellectus. Poteſt tamen eſſe triſtis per accidens propter organum determinatæ mixtionis, & complexionis, & propter improportionem, & excellentiam obiecti ſenſibilis ad ipſum, quæ improportio cauſat in organo ſenſus maximam pœnam, & dolorem realem, & intentionalem. Eo modo licèt omnis intellectio, quantùm eſt ex parte ſui, ſit perfectio intellectus, per accidens tamen poteſt eſſe triſtis, quia *nolle* quod obiectum imprimit intellectui, eſt aliquid intentionale nolitum ſine delectatione, quia hæc aliunde poteſt impediri. Sic ſenſatio eſt triſtis propter obiectum ſenſibile nimis excellens, quod agit actione intentionali in ſenſum affligente nimis; & hæc ſola ſufficit ſine actione reali, & materiali; quia ſi ignis realiter immutaret corpus, & ageret ſic in ipſum, tandem vel conſumeretur, vel oporteret Deum facere miracula in conſeruando corpus cuiuſliber damnati, ne conſumeretur: excellentiæ enim ſenſibilium corrumpunt ſenſum, 2. *de Anima.* Sed ignis infernalis eſt excellens ſenſibile reſpectu corporis humani, quantùm eſt ex ſe, alterans ipſum ſecundùm gradum impoſſibilem vitæ, niſi impediatur; igitur niſi aliud ponatur impediens, ignis ille corrumpet tactum, & ita vitam, quia ſine tactu nec vnum alium habet ſenſum. 3. *de Anima.*

Miracula non ſunt multiplicanda ſine neceſſitate.

19. Non nego tamen quin ibi poſſit eſſe vtraque actio, realis & intentionalis, ſine conſumptione corporis patientis, vndecunque ſit, ſiue ex parte diſpoſitionis talis corporis, quam habebit poſt reſurrectionem; ſiue ex parte diſpoſitionis materiæ, in quam corrumpitur ille ignis, ſiue ex ordine iuſtitiæ, & ex ordinata iuſtitia, & eius influentia generali perpetua, quod magis credo, ſiue ex omnibus iſtis ſimul, quia ſi tantùm tunc eſſet ibi actio intentionalis ignis in corpus, adhuc oportet quòd conſeruetur per miraculum, vel tandem conſumetur humor intrinſecus in eo, qui eſt neceſſarius ad vitam. Veruntamen pauciora miracula ponerentur ſaluando quòd tantùm patiantur paſſione intentionali, quàm ponendo quòd patiantur actione reali, & paſſione intentionali, quia vtraque ſeorſum ſine alia deſtrueret, & conſumeret totum, niſi adeſſet aliud conſeruans, & præſeruans paſſum à conſumptione.

Probabilius eſt damnatas puniri intentionaliter tantùm.

20. *Ad primum principale quæſt. ſecundæ* num. 1. Ad rationem primam primæ quæſtionis, cùm dicitur quòd omne agens eſt præſtantius paſſo; dico quòd propoſitio Auguſtini eſt vera quantùm ad illud, quòd paſſum patiens recipit ab agente; quia quantùm ad hoc non poteſt ſe facere in actu per ſe, ſicut ſecundùm illud fit in actu per agens, & illa propoſitio, *Omne agens eſt præſtantius patiente*, non eſt prima, ſed dependet ex iſta, *cauſa eſt nobilior ſuo effectu*, quod maximè eſt verum de cauſa æquiuoca, vel agente æquiuoco; & hoc quando cauſa æquiuoca, vel agens æquiuocum eſt totalis cauſa reſpectu talis effectus; vel ſaltem principale agens reſpectu illius effectus; non autem eſt vera de agente inſtrumentali, vel ſecundario. Non enim phantaſma, quo, ſecundùm vnam opinionem, vtitur intellectus agens, vt inſtrumento, eſt nobilius intellectu in actu, nec corpus cœli aliqua ſubſtantia viuente, quam ſecundariò cauſat, quia ſecundùm Auguſtinum 11. de Ciuitate Dei, cap. 16. *In his quæ à Deo facta ſunt, viuentia non viuentibus præponuntur*; ignis autem in propoſito non eſt tale agens, nec principale ad cauſandum triſtitiam in voluntate Angeli, vel conſideratio nolitionis, detentionis, vel immutationis ab igne: ſed Deus, vel ſua propria mala voluntas quantùm ad nolitionem detentionis, vel immutationis eius, vt dictum eſt.

Quomodo omnis cauſa eſt nobilior ſuo effectu, & omne agens paſſo.

Auguſt.

Ad aliud, dico quòd dictum Auguſtini intelligendum eſt, quantùm ad id, quo afficiuntur formaliter, non quantùm ad id, quo afficiuntur ex parte obiecti.

Ad ſecundum.

Aliter poteſt dici, quòd aut loquitur tantùm inquirendo, & non determinando, aut ſi determi-

nando, tunc loquitur de affligente proximo, quod eſt apprehenſio ignis, vt noliti, & ſic nocini, licèt extra ſit remotum affligens.

21. *Ad tertium.* Ad tertium, dico quòd licèt ignis infernalis non poſſit in ſpiritum aliqua ratione reali, quæ ſit per contactum corporalem, eſt tamen inter ignem illum & ſpiritum reprobum maior approximatio, quàm inter corpora per contactum corporalem, quia ſpiritus ſimul eſt cum ſubſtantia ignis tota, & quamlibet partem eius tangit ſecundùm ſe totum, iuxta illud Philoſophi 6. Phyſicorum, *ſimplex tangens aliquid, ſecundùm ſe totum tangit illud*, ſpiritus eſt ſimplex; igitur ſimilitudo illius ignis in ipſo ſpiritu impreſſa actione intentionali eius eſt in eo toto, vt in ſubiecto, mediante qua ſimilitudine ſpiritus ab illo igne affligitur.

Ad quartum. Agens aſſimilat ſibi paſſum, explicatur. Ad quartum, dico quòd maior eſt vera æquiuocè, non vniuocè; quòd omne agens intendit ſic, vel ſic aſſimilare ſibi paſſum, loquendo de agente: Deus autem ex ſua iuſtitia definitiua affligens ſpiritum igne infernali, detinendo ipſum in conſideratione illius, & immutando ad conſiderationem eius ſolùm aſſimilat eum æquiuocè iuſtitiæ punitiuæ, quam habet in mente, quemadmodum homo puniens alium aſſimilat ipſum illi formæ, quam habet in mente, tanquam exemplar illius punitionis. Conſtat autem quòd punitio & afflictio ſpirituũ reproborum, cùm ſit iuſta, imitatur æternam, vt exemplar ſuum, quod habet in mente diuina: ignis igitur inquantùm inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ, aſſimilat ſibi ſpiritum æquiuocè, inquantùm ſibi pœnam, & triſtitiam infligit, ſimilem illi æquiuocæ, quam habet Deus in mente, quæ dicitur *iuſtitia punitiua*.

Alia ſolutio. Aliter poteſt dici, quòd maior eſt vera de actione, quæ in paſſo cauſat paſſionem, quæ in paſſo eſt ſalus & perfectio eius, talis non eſt illa actio, quæ diuina iuſtitia, vt principale agens mediantè igne, vt inſtrumento, agit in ſpiritum damnatum.

22. *Ad primum principale quæſt. tertiæ.* Ad primum argumentum ſecundæ quæſtionis, dico quòd verbum Philoſophi 6. Topicorum, habet intelligi de paſſione naturali, vel reali ſecundùm curſum naturæ nobis manifeſta, quæ maior facta magis obiicit de ſubſtantia paſſi, & tandem conſumit, & deſtruit totum, niſi ſit aliqua cauſa impediens, & præſeruans totum à corruptione, qualis eſt in propoſito iuſtitia diuina, & influentia eius generalis aſſiſtens igni, vt perpetuò ſic operetur in corpore talem paſſionem.

Actio intentionalis non abijcit de ſubſtantia, ſicut realis. In propoſito autem non patiuntur corpora damnatorum paſſionem realem, ſed tantùm intentionalem, & iſta multiplicata magis abiicit, & tandem corpus totaliter conſumeret, niſi à cauſa ſuperiore impediretur: ſi tamen cum illa poneretur paſſio realis, quæ magis abiicit, & diſponit ad conſumptionem, ponerentur plura miracula, vt dictum eſt.

Ad ſecũdum. Ad aliud, quòd paterentur, & punirẽtur ab igne, vt immutante intentionaliter, vel realiter, quia vtroque modo poteſt poni, vt dictum eſt. Et cùm arguis quòd nõ intentionaliter, quia cùm ſic poſſent immutari ſenſus Beati, poſſet Beatus ſic pati, & puniri ſicut damnatus; dico quòd conſequentia non valet, quia ſi Beatus poſſet percipere illud ſenſibile ignis, & immutari ab eo, non tamen ſequitur quòd poſſet pati ab eo paſſione corruptiua, nec intentionaliter, nec realiter; tum, quia habet ſenſum ſublimatum ad omne ſenſibile percipiendum ſecundùm gradum ſenſibilitatis eius, ſine læſione organi eius; tum, quia reſpectu eius non agit cum cauſa ſecunda, vt igne, cauſa prima, & immutando ſenſum eius; ſed impedit inferri paſſionem ſenſui eius, quomodo non impedit reſpectu ſenſuum damnatorum.

Beatus non pateretur paſſione corruptiua, nec reali, nec intentionali ab igne.

DISTINCTIO XLV.

De cognitione animæ ſeparatæ.

QVÆSTIO I.

Vtrùm anima ſeparata poſſit intelligere quiditates rerum ſibi priùs habitualiter notas?

Henric. *quodl.* 5. *quæſt.* 14. D. Thom. 1. *p. q.* 89. *art.* 5. *& hic quæſt.* 2. *art.* 1. Abul. *in* 25. *Matth. quæſt.* 580. Ocham. 4. *quæſt.* 2. *art.* 1. Bellarm. *lib.* 2. *de Purg. cap.* 9. Conimbr. *tract. de Anima ſeparata diſp.* 3. *art.* 3.

1. *Argumẽtum primum negatiuum.* CIRCA vltimum capitulum diſtinctionis 45. Quæro primò: *Vtrùm anima ſeparata à corpore poſſet intelligere quiditates rerum ſibi priùs habitualiter notas?* Videtur quòd non, quia *ſicut ſenſibilia ad ſenſum, ita phantaſma ad intellectum*, 3. de Anima, text. 39. ſed ſenſus non poteſt ſentire niſi ſenſibilia; igitur nec intellectus intelligere niſi illa, quæ relucent in phantaſmate; igitur cùm in anima ſeparata non ſint phantaſmata, cùm illa ſint in corpore, vel parte corporali, non poterit anima ſeparata intelligere omnia, quæ ſibi priùs erant actualiter nota, quando erat coniuncta.

Secundum. Item, Philoſophus 3. de Anima, text. 66. dicit quòd *intellectus corrumpitur quodam interiori corrupto*, quia ipſe ſecundùm ſubſtantiam ſuam eſt incorruptibilis, igitur accipit ibi intellectum pro operatione intellectus, quæ corrumpitur illo interiori corrupto; nihil autem poteſt poni interiùs corruptum, ad cuius corruptionem ſequitur corruptio operationis eius, niſi intelligatur phantaſma; igitur corrupta phantaſia, vel non exiſtente quocunque modo, non intelligeret anima; igitur quando eſt ſeparata, non intelligit.

Tertium. Item tertiò, ſicut nihil intelligit in nobis niſi intellectus poſſibilis, quia ipſe eſt, quo eſt omnia pati, & quo intelligimus formaliter: ſed intellectus poſſibilis non remanet in anima ſeparata, quia eſt corruptibilis ſecundùm Philoſophum 3. *de Anima, text.* 20. qui dicit quòd intellectus paſſiuus eſt corruptibilis; igitur, &c.

2. *Prima ratio ad oppoſitum.* Contrà 3. de Anima, text. 6. *Anima eſt locus ſpecierum non tota, ſed intellectus*, locus quidem ſaluat, & conſeruat locatum; igitur anima ſeparata per intellectum conſeruat ſpecies intelligibiles receptas, quas habuit, quando fuit coniuncta, & ſi habet eas ſeparata, vt coniuncta, poteſt vti eis ad intelligendum, ſicut priùs: igitur.

Secunda. Boët. Item, ſecundùm Boëtium de Conſolation. proſa 5. *Receptum eſt in recipiente per modum recipientis*: ſed anima eſt incorruptibilis; igitur incorruptibiliter conſeruat ſpecies intelligibiles, & per conſequens ſeparata poteſt vti eis, ſicut coniuncta, & ita intelligere.

Tertia Auicenna. Item tertiò ſic: Auicenna 6. Naturalium part. 1. cap. 6. concordans cum illo Sap. 8. *corpus quod corrumpitur*,

corrumpitur, aggrauat animam, dicit quòd anima cùm liberata fuerit ab hoc onere, multò purior,& melior erit ad intelligendum,quàm priùs, igitur, &c.

QVÆSTIO II.

Vtrùm anima ſeparata poſſit acquirere notitiam ignotorum?

Alenſ. 2. *part.quæſt.26. membro* 1 D.Thom.1.*part.quæſt.89. art.1.& quæſt.*15.*art.*2. D. Bonauent.2.*diſt.*3.*art.*2.*quæſt.* 1. Richard. *art.*6.*quæſt.*1.Mayron.*quæſt.*4.Capreol.*quæſt.* 2. Conimbr. *tract.de anima ſeparata. diſp.* 3. *art.*4.

3. *Argumẽtum primum negatiuum.*

IVXTA hoc ſecundò quæro, *Vtrùm anima ſeparata poteſt acquirere notitiam priùs ignotorum?* Quòd non:quia ſi ſic, fruſtrà vniretur corpori. Conſequens falſum; igitur & antecedens. Probatio conſequentiæ, nam materia eſt propter formam, & non è conuerſo: quia forma eſt finis materiæ; igitur ſi anima, quæ eſt forma corporis,vniatur corpori, non niſi propter perfectionem animæ; igitur non vnitur corpori, niſi vt acquirat perfectionem ſuam in corpore:ſi igitur illam perfectionem poſſet habere ſine corpore, fruſtrà vniretur.

Secundum. Item ſecundò ſic, non tranſitur ab extremo ad extremum niſi per medium; ſed *eſſe* purè materiale, & intelligibile ſunt extrema; igitur non tranſitur ab *eſſe* purè materiali ad *eſſe* intelligibile,niſi per medium; nullum medium poteſt dari niſi imaginabile, quod partim conuenit cum *eſſe* intelligibili, & immateriali, inquantùm eſt ſuſceptiuus ſpecierum ſine materia; partim cum *eſſe* materiali inquantùm recipit tales ſpecies ſecundùm conditiones materiales, vt hîc & nunc. Anima ſeparata non habet illud medium, quia phantaſma, vel imaginatio eſt virtus in corpore; igitur anima ſeparata non poteſt notitiam priùs ignotorum habitualiter iterum de nouo acquirere.

Tertium. Item, tertiò ſic, ſi anima ſeparata poſſit notitiam aliquorum ignotorum acquirere, qua ratione poteſt de nouo acquirere notitiam illorum, pari ratione & aliorum, & omnium priùs ſibi ignotorum. Conſequens eſt falſum ſecundùm Auguſtinum *libro de cura pro mortuis agenda*, qui recitat ibi hiſtoriam de illo diuite ſepulto in inferno, qui voluit ire ad fratres ſuos ad annunciandum eis tormenta, quæ ſenſit in inferno, nè & ipſi deſcenderent in eundem locum tormentorum,quaſi ignorauerit,quæ fiebant circa illos,neſciuit enim vtrùm eſſent viui,ſiue mortui.Conſequẽtia eſt manifeſta,quia intellectus poſſibilis,ex quo reſpicit totum ens pro obiecto adæquato,poteſt cognoſcere, & habere notitiam de quolibet ente,& eſt æqualis virtutis ad acquirendum ſciẽtiam,ita de vno ſicut de alio,quia eſt quo eſt omnia pati, nec diſtantia localis, cùm eſt ſeparata à corpore, impedit quin poſſit acquirere notitiam alicuius, vel aliquorum de nouo,quia ſecundùm Boëtium de hebdomad. *incorporalia non eſſe in loco manifeſtum eſt*; igitur operatio eius non dependet à diſtantia, & per conſequens ſi ſeparata poſſet notitiam aliquorum acquirere, poſſet eam acquirere in quacunque diſtantia, quod eſt falſum, vt probatum eſt.

4. *Ratio ad opp. prima Damaſcen.* Contrà, nulla natura eſt expers ſuæ propriæ operationis, quia non poteſt eſſe ſine tali operatione 2.*de Cœlo,& mundo,text.c.*17.& Damaſcenus *lib.*3.*cap.* 64. & Philoſophus 1. *de Anima*, qui ſic arguit: ſi anima poteſt habere operationem ſine corpore,poteſt eſſe ſine corpore, & eſt ſeparabilis à corpore, ſi non poteſt eſſe per ſe, ſiue ſeparabilis à corpore, non poteſt habere operationem ſine corpore;anima igitur potens eſſe per ſe ſine corpore poteſt habere operationem ſine corpore.

Secunda. Item, anima humana eſt perfectiſſima forma, & eius propria operatio ſecundùm intellectum poſſibilem, eſt intelligere; ſecundùm agentem, extrahere; ſecundùm voluntatem, velle: igitur nullus modus eſſendi poteſt conuenire animæ ſecundùm naturam ſuam, in quo non poſſit in iſtas operationes; ſed natura ſua talis eſt, quòd poteſt habere *eſſe* ſeparatum, & hoc eſt ex perfectione ſuæ naturæ; vnde non conuenit aliis formis imperfectis; igitur in illo *eſſe* poteſt in illas operationes; ſed poſſibile eſt eam non acquiſiuiſſe priùs ſpecies obiectorum, vt patet de anima Pauli; igitur poterit tunc acquirere.

SCHOLIVM I.

*Docet primò dari ſpecies intelligibiles, de quo latè in Oxon.*1.*diſt.*5.*quæſt.* 6. *à num.*5. *Secundò, eas conſeruari, de quo ibi à num.* 27. *ex quibus infert tertium ad quæſtionem animam ſeparatam habere huiuſmodi ſpecies, & per eas cognoſcere; quia habet omnia requiſita ad hoc. Quòd verò ſeruet ſpecies, patet, quia eodem modo ſubiectat accidentia ſpiritualia, ſeparata, ac vnita; ſicut quantitas eodem modo ſubiectat albedinem, ſiue ſit in ſubſtantia, ſiue non. Obijcit quadrupliciter, & fortiter, ſoluitque optimè, ac fuſius, quam in alio ſcripto.*

5. *Ad primam quæſtionem.* AD quæſtionem primam, dico quòd ipſa ſupponit quòd omnia ſint nota intellectui coniuncto, & hoc vel per habitum, vel per ſpeciem intelligibilem, de quo quantùm ad modum intelligendi ſic, vel eſt duplex opinio modò non pertractanda. Dictum eſt tamen *diſtinctione* 3. *primi libri* *, quòd quiditas nota eſt intellectui coniuncto in ſpecie intelligibili, ita quòd ſpecies in ratione intelligibilis repræſentat quiditatem vt intelligibilem. Hæc autem ſpecies intelligibilis manet in intellectu coniuncto, & memoria intellectiua habitualitet ſine actuali conſideratione. *q.1.n.8.

Probat animam ſeparatam eodem modo eſſe ſubiectum ſpecierum, ſicut vnitam. Ex hoc arguitur ſic: ſi in intellectu coniuncto maneat ſpecies intelligibilis, ceſſante actu intelligendi, ergo manet in eo cùm ſeparatur à corpore, & poſtquam ſeparatus eſt ab eo.

Probatio conſequentiæ; quia per hoc, quòd anima, vel intellectus ſeparatur à corpore, non aliter ſe habet inquantùm eſt ſubiectum ſpeciei intelligibilis, quàm priùs; ipſa enim ſecundùm ſe, & non inquantùm perficit corpus, eſt ſubiectum talis ſpeciei: aliter Angelus, vel dæmon non poſſet eſſe ſubiectum talium ſpecierum: igitur ipſa ſeparata à corpore ſeruabit ſpecies intelligibiles, quas, priùs habuit coniunctas.

Aliter probatur conſequentia per exemplum, nam quia ſuperficies eſt immediatum ſubiectum coloris, ſiue ſit ſeparata à ſubſtantia, ſuis inhæreat ſubiecto: aliter ſe habebit inquantùm ſubiectum. Patet de quantitate, & ſuperficie immediatè fundantibus aliqua accidentia in Euchariſtia, vbi ſeparantur à ſubſtantia, ſicut ſi eſſent in ſubſtantia; igitur ſimiliter cùm anima nullo modo

do

do aliter ſe habeat in ſe in ratione ſubiecti ſpeciei intelligibilis ſeparata, & coniuncta, & ipſa ſecundùm ſe immediatè retineat, & conſeruet ſpeciem intelligibilem, quando eſt coniuncta, videtur quòd eodem modo retinebit illam, quando eſt ſeparata.

Anima ſeparata conſeruat ſpeciē ſicut coniuncta.

Sed vltrà intellectus habens obiectum intelligibile ſibi præſens in ſpecie, dicitur memoria perfecta. Memoria autem perfecta iſto modo ſumpta eſt principium gignendi notitiam actualem, & verbum perfectum. Patet per Auguſtinum 11. de Trinitate per totum, igitur anima ſeparata habens obiectum intelligibile ſibi præſens, eſt principium ſufficiens intelligendi quiditates, priùs, quando erat coniuncta, habitualiter cognitas.

6. *Obijcitur primò.* Sed contra iſtud obiicitur ſic: Si in anima ſeparata maneat vna ſpecies intelligibilis alicuius, quod priùs nouit, quando fuit coniuncta, eadem ratione & ſpecies alterius quiditatis, quàm priùs nouit, & per conſequens qua ratione eſſet in anima ſeparata memoria perfecta vnius, pari ratione & omnium, quæ priùs nouit. Sed habens priùs memoriam omnium perfectam, quæ priùs nouit coniuncta, non poteſt determinari primò ex ſe ad conſiderationem vnius quiditatis, & non alterius, quia æquè eſt in actu per quamlibet ſpeciem, nec poteſt determinatè primò moueri ad conſiderationem vnius, & non alterius ex imperio voluntatis, quia imperium voluntatis & actus voluntatis neceſſariò ſupponit actum intellectus; igitur vel ſimul habebit notitiam cuiuſlibet, vel omnino nihil intelliget, quia qua ratione intelligeret vnum, & aliud, & quælibet.

Secundò. Item, intellectio ſine phantaſmate abſolutè perfectior eſt intellectione cum phantaſmate, quia eſt entis perfectioris, vt Dei & Angelorū: ſed intellectio animæ ſeparatæ non eſt perfectior intellectione eius, vt eſt coniuncta cum corpore: quia eſt eius, vt habet *eſſe* imperfectius, quàm vt eſt coniuncta, quia vt ſic eſt eius vt partis, & non vt totius; pars autem eſt imperfectior toto; igitur ſi vt coniuncta non poſſit anima cauſare actum intelligendi, etiam habita ſpecie intelligibili ſine phantaſmatè, multò magis non poteſt hoc ſeparata, quando habet *eſſe* imperfectius.

Tertiò. Item tertiò ſic: Si ſpecies intelligibilis manet in anima ſeparata, quæ fuit in ea coniuncta, illa erit eiuſdem rationis in ea ſic, & ſic exiſtente: ſed ſpecies intelligibilis in anima coniuncta non fuit ſufficiens ratio ad cauſandum intellectionem ſine phantaſmate.

Quartò. Quartò ſic: operatio, quæ eſt totius compoſiti, non poteſt per ſe, & primò competere parti, quia tunc eſſet primò totius, & non primò totius, ſed primò partis, quia nec *eſſe*, quod eſt priùs totius compoſiti, poteſt eſſe primò materiæ, vel formæ. Patet ex Philoſopho 5. & 7. Metaphyſicæ, cùm illud ſit *eſſe* partis vt partis, & totius vt totius. Intelligere autem eſt propria operatio hominis, ſecundùm quòd homo eſt, perficiens ad *eſſe* ſpecificum, & conueniens ei quiditatiuè, & ſpecificè ſecundùm Philoſophum primo Ethicorum, cap. 9. vbi inquirens propriam operationem hominis, ſecundùm quòd homo, pertinentem ad eius *eſſe* ſpecificum, dicit quòd hoc eſt *intelligere*; conſtat autem quòd anima non eſt homo, ſicut nec corpus eſt homo; igitur talis operatio non eſt animæ, vt eſt pars diuiſa à toto.

7. *Ad obiectionem primam. De hoc in 2. d. 42. q. 4.* Ad primum iſtorum reſpondeo, quòd cum plura intelligibilia ſunt præſentia intellectui, ſiue habitualiter, ſiue actualiter per ſpecies ſuas, tunc illud, cuius ſpecies fortiùs imprimitur ſenſui, & efficacior eſt in repræſentando, in ipſo efficaciùs mouet intellectum ad conſiderationem ſui. Si enim ſunt duo ignes æqualiter approximati eidem ligno, qui eſt virtuoſior, & efficacior, citiùs & efficaciùs calefacit lignum. A ſimili, dico quòd ſi omnes ſpecies intelligibiles in intellectu eſſent æquales in repræſentando, ita quòd quælibet ſpecies, quantùm eſt ex ſe, æqualiter repræſentet ſuum obiectum, tunc illa ſpecies, quæ eſt perfectioris obiecti, efficaciùs, & citiùs mouebit intellectum ad conſiderationem obiecti eius, quàm alterius, quia ex quo eſt æqualitas in repræſentando, oportet dare aliquam inæqualitatem in vno obiecto in ſe reſpectu alterius, vel nunquam intelligeret magis vnum quàm aliud. Si autem ſpecies intelligibiles ſunt æquales, & æqualis obiecti, ita quòd æqualitas ſit in ſpecie in repræſentando, & in obiecto cognito, tunc vel intellectus inclinatur ad cognoſcendum vnum, magis quàm aliud, vel æquè. Si magis, tunc ſpecies illius obiecti, ad quod magis inclinatur, citiùs mouebit intellectum ad conſiderationem eius, quàm alterius. Si non, tunc magis, vel citiùs inclinatur intellectus ad cognoſcendum vnum, quàm aliud, ſed æquè intelliget vtrumque; quia nec ex ſe, nec ex parte obiecti, vel ſpeciei magis determinatur ad vnum, quàm ad aliud.

A quo determinatur anima ſeparata, ad hoc priùs illo intelligēdum.

Vniuerſaliter autem cauſa quare intellectus magis tendit in cognitionem vnius quàm alterius, hæc eſt, vel quia ſpecies vnius obiecti eſt efficacior, quàm alia in repræſentando; vel quia obiectum in ſe eſt perfectius; vel quia intellectus poſſibilis, vel paſſiuus magis inclinatur ad intellectionem vnius quàm alterius, & tunc ex qualibet iſtarum cauſarum poteſt voluntas magis imperare intellectionem vniùs quàm alterius, & ita intellectus poteſt conuertere ſe ad magis conſiderandum vnam ſpeciem quàm aliam.

Ex triplici capite prouenit intellectū tendere in cognitionem vnius præ alio.

8. *Ad ſecūdam.* Ad ſecundum, cùm arguitur quòd intellectio ſine phantaſmate eſt perfectior intellectione cum phantaſmate, dico quòd verum eſt permiſſiuè, ſed non formaliter, & poſitiuè; permittit enim intellectio ſine phantaſmate, & compatitur ſecum maiorem perfectionem, & nobiliorem intellectum, quàm ſit intellectus humanus, quia Angelicum & diuinum; ſed non ponit de ratione formali perfectionem maiorem, nec tantam. Exemplum huius eſt de animali, quod permittit ſecum perfectionem maiorem, quàm ſit ſpeciei perfectioris, vt animalis rationalis, in quo eſſentialiter ſaluatur, non tamen ponit ex ſe formaliter maiorem, neque tantam, quia ſpecies aliquam perfectionē addit eſſentialiter ſupra genus ſuum, cùm ſit poſterior ſecundùm naturam, & poſteriora dicuntur per appoſitionem ad priora ſecundùm Philoſophum 4. Metaphyſicæ. A ſimili in propoſito, intellectio ſine phantaſmate permittit maiorem perfectionem, quàm ſit in intellectione ſine phantaſmate, non tamen ponit formaliter maiorem.

Intellectio ſine phantaſmate eſt perfectior permiſſiuè, non poſitiuè quā cum phantaſmate.

Vnde ſi accipiatur illa propoſitio, quòd intellectio, quæ eſt ſine phantaſmate, eſt perfectior abſolutè, eſt falſa; fortè enim intellectio cum phantaſmate & ſine phantaſmate, ſiue in eadem ſpecie, ſiue in diuerſis ſpeciebus, vt homine, & Angelo ſunt eiuſdem ſpeciei.. Patet in 2. libro * de viſione, & fruitione animæ; & ita neutra ſimpliciter

* In Oxon. d. 1. q. 6.

pliciter perfectior altera, ſed ſe habent in aliquibus, ſicut excedentia & exceſſa. Similiter ex hoc, quòd aliqua operatio eſt ſine inſtrumento illo, quod priùs ad ſuum *eſſe*, & *fieri* neceſſariò concurrebat, non eſt ex hoc perfectior, ſed imperfectior, ſi eſſentialiter dependebat aliquo modo ex ea, vt ex cauſa; phantaſmata autem, vt poſteà dicetur, reſpectu intellectionis ad cauſandum eam, non habent niſi rationem inſtrumenti.

9. *Ad tertiam.* Ad tertium, dicitur quòd ſpecies intelligibilis eſt eiuſdem rationis in anima ſeparata, & coniuncta, ſicut albedo in ſuperficie, ſiue abſtracta à ſubſtantia, ſiue non.

Sed cùm dicis quòd anima coniuncta corpori habens ſpeciem intelligibilem in ſe, non poteſt in actum intelligendi ſine phantaſmate; igitur nec ipſa ſeparata intelligere poteſt ſine phantaſmate; nego conſequentiam propter diſſimilem ordinem iſtarum potentiarum in operando, quando anima eſt coniuncta, & quando eſt ſeparata. Quando enim anima eſt coniuncta, quicquid ipſa intelligit ſecundùm intellectum, phantaſiatur actu illud idem ſecundùm phantaſiam, nec hoc propter aliquam imperfectionem maiorem, quam habet in intelligendo, quando eſt coniuncta, quàm quando eſt ſeparata, ſed propter naturalem ordinem, connexionem, & concordiam iſtarum potentiarum in agendo circa idem, quando eſt coniuncta. Fundantur enim in eodem *eſſe* animæ, vt partes virtuales; & ideò ad operationem perfectam alicuius potentiæ omnes potentiæ concurrunt coagendo circa idem obiectum, quia quælibet nata eſt intendere actum alterius, propter concomitantiam earum naturalem, ſicut voluntas faciliter inclinatur ad volendum illud, quod appetit appetitus, non propter aliud, quàm propter earum ordinem naturalem in agendo, ſicut intellectus maximè inclinatur ad intelligendum id phantaſiabile, quod tunc actu phantaſiatur ab imaginatione, vel phantaſia, propter eandem cauſam; & iſto modo neceſſe eſt animam, quando eſt coniuncta, conuertere ſe ad phantaſmata, vt dictum eſt, & expoſitum *diſtinctione 3. primi libri* *, quia propter illum ordinem naturalem phantaſiæ, & intellectus pro ſtatu iſto, non poteſt intellectus intelligere, niſi quod phantaſiatur à phantaſia, nec tamen propter hoc phantaſma eſt cauſa intellectionis, niſi fortè remota, ſicut illud à quo fit abſtractio ſpeciei intelligibilis eſt cauſa, nec propter aliud requiritur conuerſio intellectus ad phantaſmata quando intelligit, niſi fortè ad intelligendum actum intelligendi, vt dictum eſt *diſtinctione 3. primi*.

Species non cauſat intellectionem in nobis niſi phantaſmate concurrente.

* q 4. n. 12.

Phantaſma non eſt cauſa intellectionis, niſi tantùm remotè & mediatè.

Talis ordo potentiarum animæ non requiritur neceſſariò, quando anima ſeparatur à corpore, & tunc non eſt imaginatio, vel phantaſia, cùm ſint operationes elicitæ à principio corporali, & innitenti organo corporali, & tamen intellectio, quia ſecundùm eam non vtitur organo corporali, ſed ſeparatur ſicut perpetuum à corruptibili 2. *de Anima*; quia ſic arguitur *primo de Anima*: Si intellectus inquantùm intellectus non haberet operationem ſeparatam, non poſſet ſecundùm ſe ſeparari.

10. *Ad quartam.* Ad quartum de primo Ethicorum, dico quòd propria operatio hominis ſecundùm quòd homo, eſt propria operatio animæ, & æquè primò eius vt totius, aliter non intelligeret, quando eſt ſeparata. Vnde propriè loquendo de operatione hominis, ſecundùm quòd homo, eſt operatio, quæ eſt primò totius, & non primò partis; hæc non eſt intellectio, ſed aliqua opera organica, quæ non eſt ipſius animæ, niſi inquantùm eſt coniuncta, & pars totius hominis: & hæc non eſt principaliſſima, nam *intelligere* priùs competit animæ, & non corpori, vel homini, niſi inquantùm anima eſt pars formalis eius. Vel dicerem, ſi hoc non eſt verum, quòd propria operatio hominis & ſpeciei, quæ primò eſt totius, æquè primò ſit operatio partis eius formalis, vel quòd nulla eſt per ſe primò operatio totius, nobilior operatione organica, quod non eſt verum.

Quomodo intellectio eſt propria totius hominis.

Sed quæ eſt ratio quare in propoſito operatio ſpeciei, quæ primò eſt totius hominis, eſt primò partis formalis, quæ eſt principium formale operandi, & non eſt ſic de aliis operationibus ſpecificis, quæ primò ſunt totius, & nullo modo ſic ſunt ipſius partis?

Dico quòd hoc ideò eſt in propoſito, & non in aliis, quia hîc pars formalis, quæ eſt principium operandi poteſt eſſe per ſe operans, quia poteſt eſſe per ſe, & quod poteſt eſſe per ſe, poteſt operari per ſe: ſed in aliis principium operandi non poteſt communiter eſſe per ſe, & conſequenter nec per ſe operari, ſed tantùm eſt principium operandi, & non operans. Vbicunque enim principium poteſt eſſe per ſe, ſicut eſt in propoſito, poteſt eſſe per ſe operans.

Operatio partis eſt per ſe, perfectiſſima in homine.

Sic igitur patet quòd anima ſeparata poteſt cognoſcere ea quæ priùs ſibi habitualiter erant nota per ſpeciem, quæ eſt principium formale cognoſcendi, per quam intellectus poſſibilis reducitur de potentia eſſentiali ad actum primum reſpectu primi actus, adhuc manentis poſt receptionem talis ſpeciei in potentia accidentali ad *intelligere*, & actum ſecundum, ad quem determinatur magis reſpectu obiecti vnius, quàm alterius, vel ex efficaciori ſpecie, vel ex natura obiecti, vel ex maiori inclinatione ad aliquod obiectum quàm ad aliud.

SCHOLIVM II.

Reijcit clarè opinionem aſſerentem animas ſeparatas intelligere per ſpecies infundendas ab Intelligentijs: tum, quia pluralitas non eſt ponenda ſine neceſſitate, & ſaluari poteſt, animas ſeparatas intelligere poſſe ſine nouo ſpecierum influxu; tum etiam, quia Angeli non poſſunt infundere ſpecies.

II. EX prædictis apparet improbatio illius opinionis, quæ ponit animam ſeparatam non intelligere, niſi per ſpecies infuſas à Deo, vel ab Intelligentiis: cuius opinionis ratio eſt iſta, quantò magis medium recedit ab vno extremo, tantò magis accedit ad aliud: anima intellectiua humana tenet medium inter ſubſtantias purè immateriales abſtractas à materia ſecundùm *eſſe*, & *operari*, quia ipſa eſt ſeparata ſecundùm operationem, & coniuncta ſecundùm *eſſe*, quia eſt forma corporis naturalis. Nam ſecundùm auctorem de Cauſis propoſit. 5. *Anima cauſatur ab impreſſione Angelorum, vel Intelligentiarum*; igitur quantùm anima humana recedit à corpore materiali, tantò magis accedit ad conditionem ſubſtantiæ immaterialis. Sed ipſa exiſtens in corpore, vt forma materiæ, non recipit formas intelligibiles infuſas à Deo, quia vt ſic non recipit à natura, & conditione ſubſtantiæ immaterialis: ergo ipſa omnino ſeparata à corpore, cùm magis accedat ad

ad naturam ſubſtantiæ incorporeæ, & immaterialis, ſic recipit ſpecies intelligibiles infuſas à Deo.

12. *Reijcitur primò.* Contrà: hæc opinio eſt irrationabilis, quia ponit plura ſine neceſſitate, quod eſt contra intentionem, & principium omnium Philoſophorum, verum eſt enim quòd Deus poteſt dare animæ ſeparatæ tales ſpecies intelligibiles, ad hoc quòd intelligat: ſed non eſt neceſſarium ſemper tales ſpecies ſibi dari ad hoc quòd intelligat, quia tunc daret neceſſariò tales ſpecies, & per modum naturæ, & inuoluntariè, quod eſt falſum.

Inſtantia aliorum non concludit. Per hoc patet quòd inſtantia aliorum contra hanc opinionem non valet, cùm dicunt quòd non agit in comparatione ad extrà per modum naturæ, quia tunc produceret neceſſariò Deus iſtas ſpecies; per te, non agit per modum naturæ; igitur contingenter, & voluntariè illas producit.

Iſtud non concludit contra iſtam opinionem, quia ipſi nolunt dicere quòd Deus ſic influit animæ iſtas ſpecies, quòd neceſſariò illas producat, ſed volunt dicere quòd Deus ex inſtitutione voluntatis ſuæ incommutabilis regulariter hoc facit, licèt voluntariè, & non per modum naturæ, & per conſequens non facit hoc neceſſariò. Sed tamen videtur quòd hæc ſit euaſio, & fictio, quia nulla videtur neceſſitas ex parte intellectus ſeparati, quòd Deus influat alias ſpecies, eo quòd per ſpecies acquiſitas poteſt ſupplere, quidquid daret virtutis per ſpecies influxas.

Secundò. Item, quando ſufficiunt propria principia, non oportet ponere extranea, vel extrinſeca: ſed propria principia ſufficiunt intellectui ſeparato ad hoc quòd poſſit concluſiones elicere, ſcilicet principia acquiſita ſine principiis infuſis; igitur & ſpecies acquiſitæ ſufficere videntur ad hoc quòd intellectus ſeparatus eliciat intellectionem.

Inſtantia. Sed contra hoc obiicitur de paruulo, qui nullas hîc habuit ſpecies acquiſitas; igitur ſaltem talis intellectus ſeparatus indigebit influxu talium ſpecierum, aliàs intelligeret ſine ſpecie, vel nihil intelligeret.

Soluitur. Dico quòd Deus ſupplebit in paruulis huiuſmodi ſpecies in reſurrectione, ſicut ſupplebit eorum membra imperfecta vſque ad ætatem 30. annorum. Sed in intellectu, qui habet ſpecies acquiſitas, videntur eſſe ſuperfluæ ſpecies influxæ.

13. *Tertiò.* Item, non ſolùm eſt inconueniens ponere huiuſmodi ſpecies influxas cum acquiſitis, imò etiam non videtur ſecundùm te poſſibile duas formas eiuſdem ſpeciei eſſe in eodem ſubiecto; ſed ſpecies roſæ acquiſita & influxa ſunt eiuſdem ſpeciei; igitur.

Reſponſio. Sed ipſi reſpondent ad hoc quòd ſpecies non ſunt formæ eiuſdem rationis, ſed diuerſæ ſpeciei, quia quæcunque habent cauſas diuerſas, & diuerſæ ſpeciei, differunt ſpecie, ſicut virtus acquiſita & infuſa: ſed ſpecies acquiſitæ, & infuſæ habent cauſas alterius ſpeciei, ſcilicet regulas hominis, & naturalis rationis, & regulas Dei ſupernaturales.

Virtus infuſa & acquiſita differunt ſpecie.

Impugnatur reſponſio. Sed hoc non valet, quia eiuſdem obiecti numero reſpectu eiuſdem potentiæ non poſſunt eſſe plures ſpecies diuerſæ rationis à quocunque agente, ſed hîc, & in patria erit idem obiectum, & idem intellectus; igitur, &c. ſpecies igitur acquiſita, & influxa erunt eiuſdem ſpeciei, & per conſequens non compatiuntur ſe in intellectu.

Ad rationem, quam pro ſe adducunt, quæ non eſt alicuius momenti; reſpondeo, quando enim dicitur quòd anima ſeparata eſt natura media inter corpora & ſpiritus, & quantò magis recedit ab vno, accedit ad aliud, dico quòd loquitur, vel de recedendo in *eſſe*, vel recedendo in *operari*: non autem loquitur ſecundo modo, quia non ſequitur quòd ſi anima recedit à corpore in eſſendo in morte, igitur in operando, quia ſi recederet à corpore in operando, tunc poſt reſurrectionem non intelligeret illa, quæ priùs intellexit in corpore, vel non ſicut intellexit ante reſurrectionem: eſt igitur intelligenda iſta medietas in materia, & in eſſendo, non autem in operando. 14. *Ad fundamentū huius ſententiæ.*

Similiter per rationem eorum poſſet concludi quòd nunc etiam anima exiſtens in corpore, intelligit per ſpecies ab Angelo influxas, cùm ſit natura media inter corpora, & ſpiritus; niſi fortè dicatur quòd Angelus non poteſt dare, vel influere nunc ſpecies, ſed poſt reſurrectionem tantùm. Séd hoc nihil eſt, quia tunc ſequitur quòd daret, vel influeret huiuſmodi ſpecies modo voluntario, vel gratiæ, non naturæ. Si enim daret modo naturæ, ita poſſet dare modò ſicut tunc. *Refutatur ratio adducta* n. 11.

Ad primum principale, quando dicitur 3. *de Anima*, ſicut ſenſibilia ad ſenſum, ſic phantaſmata ad intellectum; dico quòd verum eſt, quantùm ad primam acceptionem notitiæ intellectualis ratione ordinis naturalis potentiarum, quæ tunc non erit, ſicut nec phantaſma erit in intellectu ſeparato. 15. *Ad primum argumentum principale quæſt. prima.*

Similiter poteſt dici ad hoc quòd finis poteſt manere ſine his, quæ ſunt ad finem, quæ non ſunt niſi cauſa in *fieri*, ſicut ſanitas poteſt eſſe ſine poſitione, quæ eſt cauſa in *fieri* ſanitatis, & ſicut diſpoſitio, & ſic eſt in propoſito, phantaſmata ſunt cauſa in *fieri* tantùm noſtræ intellectionis, & ideò poteſt manere intellectio in prima ſine phantaſmate. *Phantaſma eſt cauſa in fieri ſpeciei, non in conſeruari.*

Ad aliud, quando dicitur *primo de Anima*, quòd intellectus, quantùm ad actum corrumpitur quodam interiori corrupto, dico quòd hoc verum eſt, quantùm ad ordinem naturalem potentiarum, ſine quo intellectus hîc nihil poteſt intelligere. Sic etiam voluntas corrumpitur quantùm ad actum, ſi interiora, ex quibus dependet naturalis ordo potentiarum, eſſent corrupta. *Ad ſecūdum. Quomodo intellectus corrumpitur.*

Ad tertium, quando dicitur quòd nullus intellectus formaliter intelligit, niſi poſſibilis, & ille corruptibilis eſt 3. *de Anima*, dicendum quòd intellectus paſſiuus vocatur ibi aliqua virtus ſenſitiua, puta cogitatiua ſecundùm aliquos, ſecundùm quòd eſt organica, & illa non remanebit. Certum eſt autèm quòd talis intellectus poſſibilis non eſt neceſſarius ad actualem intellectionem. *Ad tertium. Intellectus paſſiuus corrumpitur, explicatur.*

SCHOLIVM III.

Probat & declarat clariſſimè animam ſeparatam poſſe acquirere cognitionem tam abſtractiuam, quàm intuitiuam, aliàs foret imperfectior lapide, de quo fusè agit 2. diſt. 2. quæſt. 10. & 11. vbi iſta doctè probantur contra D. Thomam.

16. *Anima poteſt ſcire, quod coniuncta neſciuit, tam abſtractiuè, quàm intuitiuè.*

AD ſecundam quæſtionem, qua quæritur: *Vtrùm anima ſeparata poſſit acquirere aliquam notitiam ſibi priùs ignotorum.* Dico quòd ſic, tam de notitia abſtractiua, quàm etiam intuitiua. Primò igitur videamus de notitia abſtractiua, de qua ſic

ſic oſtendo. Actiuo & paſſiuo approximatis neceſſariò eſt actio: ſed in anima ſeparata actiuum & paſſiuum ſunt ſufficiéter approximata; igitur, &c.

Opinio D. Thom.

Hîc tamen eſt opinio cuiuſdam Doctoris, qui ponit vilificationem animæ & intellectus, quia dicit quòd anima ſeparata non poteſt acquirere notitiam priùs ignotorum, ita quòd intellectus ſeparatus non poteſt immediatè notitiam accipere à re extrà, niſi mediante phantaſmate, &c. vide *in Summa 1. parte art. 89.*

Hæc autem opinio ponit vilificationem naturæ intellectiuæ, ſicut prima opinio de ſpeciebus influxis, ponendo pluralitatem ſine ratione. Reſponſio igitur iſtorum talis eſt; oportet eſſe conuenientiam inter recipiens & receptum; ſed ſpecies recepta in ſenſu, ſiue in organo phantaſiæ conuenit cum re extrà, & non conuenit cum intellectu; immateriale enim eſt phantaſma quodammodo; ergo intellectus ſeparatus non poterit accipere immediatè ſpeciem à re exiſtente extrà, nec per conſequens acquirere notitiam, cùm non habeat intermediam phantaſiam.

17. *Huius opinionis fundamentũ euertitur primò.*

Sed hæc ratio nihil valet, quia vel non concludit propoſitum, vel eſt ex quatuor terminis, vnde benè ſequitur ſic dicẽdo: omne receptum eſt conueniens recipienti; lapis non eſt cõueniens intellectui; ergo non poteſt recipi in intellectu. Sed non ſequitur, ergo lapis non poteſt cauſare ſpeciẽ in intellectu agente præſente. Dico igitur quòd lapis poteſt cauſare ſpeciem agente præſente in intellectu ſeparato, ſicut mediante phantaſmate. Si autem accipiatur alia maior, ſcilicet quòd recipiens debet habere aliquam conuenientiã cum illo, à quo recipit, tunc cõcedo aliquo modo, quia conueniunt in ratione actiui, & paſſiui, ſiue ſicut patiens cum agente: ſed quãdo dicitur in maiori, quòd lapis non habet tantam conueniẽtiam cum intellectu, ſicut phantaſma; nego, quia licèt in ratione actiui, & paſſiui inſtrumẽtalis phãtaſma plus conueniat cũ intellectu, quàm res extrà; nõ tamen in virtute actiui, ſiue motiui principalis, & paſſiui.

Quomodò lapis habet tãtam conueniẽtiam cum intellectu, quantam phantaſma. Actio & paſſio requirunt diſſimilitudinem.

Et quando dicis quòd phantaſma eſt ſimilius, quia inmaterialius, quàm res extrà, quæ eſt materialior; dico quòd hæc ſimilitudo immaterialitatis magis impedit actionem, & paſſionem, quàm ſi eſſet diſſimilitudo, quia actio & paſſio requirunt diſſimilitudinem magis quàm ſimilitudinem. Sic igitur res extrà poteſt cauſare ſpeciem in intellectu ſeparato ſine phantaſia intermedia, & per ſpeciem fit ſimilis rei extrà, & ex hoc acquirere poteſt notitiam abſtractiuam.

18. *Anima ſeparata intelligit intuitiuè.*

Secundò declaro idem de notitia intuitiua, quòd ſcilicet poteſt intellectus ſeparatus huiuſmodi notitiam acquirere à rebus extrà, & facio talem rationem. Nõ eſt minùs proportionata res vt exiſtens eſt, intellectui ſeparato, quàm ſit quiditas eius. Vnde iſto modo credo quòd omniũ illorum, quæ ſunt ſibi propinqua in proportionata diſtantia, poteſt intelligere, non autem illa, quæ ſunt in diſtantia non proportionata intellectui ſeparato. Et quidquid dicant hîc Philoſophi, iſtud tamen dicit Auguſtinus de cura agenda pro mortuis, vbi dicit, quòd *animæ mortuorum neſciunt ea, quæ fiũt pro eis ab aliis, niſi monſtretur eis ab Angelis per velocitatem motus localis; vel per animas, quæ veniunt de terra.* Et iſtud, quicquid dicant Philoſophi, dixit Ioannes Mat. 11. *Tu es qui venturus es*, vbi gloſſa. *Miſſurus es Angelos ad limbos, &c.* Si igitur res vt eſt exiſtens, eſt proportionata intellectui ſeparato, ſicut quiditas; & quiditas cognitione abſtractiua poteſt intelligi ab intellectu ſeparato, vt dictum eſt, igitur res exiſtens poteſt cognoſci intuitiuè.

Auguſt.

Ad argumenta principalia iſtius quæſtionis. Ad primum, quando dicitur quòd ſi anima ſeparata poteſt acquirere notitiam priùs ignotorum; ergo fruſtrà vniretur corpori, quia forma eſt finis materiæ, & operatio finis rei: dico quòd illud ſit fruſtrà, quod caret omni fine, quia caret illo, ad quod ordinatur, finis autem partium hominis, vel in homine eſt *eſſe* totius. Vnde ſi aliqua perfectio adueniat vni parti, vel alij, tamen hæc perfectio non eſt per ſe finis, ſed tãtùm bonũ, quod eſt perfectio totius, dicitur finis illius. Eſto tamẽ quòd bonum partis ſit principalis finis; adhuc nõ ſequitur quòd ſit fruſtrà, quia finis ille intentus habetur per partes in talibus totis: nam *intelligere* & *velle* eſt per animam in homine, & iſte eſt modus conueniens in talibus vt habeatur perfectio, & finis totius per partem, ſicut in aliis habetur perfectio totius.

19. *Ad primum principale quæſt. 2.*

Vnio animæ eſt propter perfectionem totius, non è contra.

Ad ſecundum, quando dicitur quòd non tranſitur ab extremo ad extremum niſi per medium, & eſt fundamentalis ratio iſtorum; dico quòd hæc propoſitio non habet vnitatem, niſi quando ille tranſitus eſt medium alicui virtuti, tunc enim non ſit tranſitus ab extremo ad extremum ſine medio; quando verò eſt medium vni virtuti, puta increatæ, tunc non eſt neceſſe quòd fiat tranſitus per medium. Vnde, vt dixi ſuperiùs, in quadã quæſtione de reſurrectione *, quòd Deus potuit formare corpora alia, quàm priùs, ſcilicet denſiora, & tunc oportet cedere ſibi inuicẽ, &c. & quòd erit motus localis in inſtanti virtute diuina, & vacuũ, &c. Sed dico quòd motus localis poteſt eſſe in inſtãti, quia totũ quod dicit Philoſophus de motu à principio libri 4. Phyſicorũ, vſque ad principiũ 5. vbi diſtinguit motum à mutatione, indifferẽter verificatur de motu propriè dicto, & de mutatione, & tam de mutatione locali, quàm de motu locali. Nã motus dicitur æquiuocè de mutatione, & de motu propriè dicto, & eſt quoddam commune vtrique. Sic igitur motus localis, id eſt, mutatio localis, eſt in inſtanti. De aliis quæ dixi ſuprà in prima quæſtione de reſurrectione, ſcilicet de reunione, &c. non tangam modò. Sic ergo dico quòd non poteſt eſſe tranſitus ab extremo in extremum; quin tranſeat per mediũ, vbi iſte tranſitus eſt mediũ illi virtuti creatæ; ſed non ſic eſt mediũ virtuti increatæ, non enim ſic eſt mediũ Deo ſicut creaturæ. Sicut enim Deus poteſt facere immediatè de aceto vinum, & de pane carnes, ſicut facit in Sacramento, ſine alteratione intermedia, ſic poteſt mutare localiter corpus de loco ad locũ, non tranſeundo medium.

Ad ſecũdum.

Medium vni virtuti, poteſt non eſſe medium alteri.
* Diſt. 43. q. 2.

Ariſt. loquitur de motu vt abſtrahit à motu propriè & mutatione.

Ad propoſitum igitur dico, quòd phantaſma non eſt tale medium virtuti intellectiuę quantùm ad cognitionem intuitiuam. Si enim phãtaſma ſit agens, vel motiuũ ipſius intellectus poſſibilis, non erit niſi agens ſecundarium, & ſicut inſtrumẽtum, ſiue medium inſtrumentale reſpectu intellectus; tunc arguo. Si ratio illa, per quam phantaſma poteſt eſſe inſtrumentum in intelligẽdo æquè poſſit eſſe in aliquo alio, ſicut in phantaſmate, tunc illud poterit eſſe mediũ motiuũ intellectus ſicut phantaſma. Cùm igitur ratio illa, per quam phantaſma eſt medium motiuum, ſit ratio apprehenſionis, & hæc ratio poteſt æquè eſſe in obiecto extrà, ſicut in phantaſmate; igitur phantaſma nõ eſt medium neceſſariũ tali virtuti ad talem operationẽ. Vnde credo quòd modò intellectus agens abſtrahit immediatè à re extrà, nõ à phãtaſmate, & fortè ſemper ita eſt in omni cognitione intuitiua, & ideò licèt ſit poſſibile tale mediũ ad intelligendũ, non tamen credo quòd modò ita eſt. Cùm enim illud

20.

medium ita ſe habet, quando eſt cognitio abſtractiua,& quando eſt cognitio intuitiua;igitur cùm phantaſma ſit medium de neceſſitate ſecundùm iſtos, in cognitione abſtractiua, erit medium in intuitiua aliud à phantaſmate. Vnde oportet ponere in cognitione intuitiua ipſam rem eſſe medium. Vlteriùs dico quòd phantaſma non plus eſt medium in intelligendo, quàm res extra,imò eſt extremum; ſicut lapis, licèt quantùm ad aliquid benè ſit diſſimile de re ipſa,& de phantaſmate,ab vtroque tamen extremo mouetur intellectus ſine medio. Vnde licèt albedo, vel rubor ſint termini reſpectu dealbationis, vel rubrificationis; neutrum tamen eſt medium reſpectu ſubiecti ſui, & ſic eſt in propoſito.

Cognitio intuitiua non habetur mediante phantaſmate.

2 I. *Ad tertium. Improportionata diſtantia impedit cognitionem intuitiuam.*

Ad tertium,cùm dicitur quòd pari ratione habent animæ ſeparatæ notitiam quorundam priùs ignotorum,ſiue poſſunt acquirere notitiam indifferenter illorum ſicut aliorum, cùm non requirant certam diſtantiam,dico quòd requiritur debita diſtantia in cognitione intuitiua.

Ad probationem, quando dicitur quòd ſicut intellectus non eſt in loco,ita non dependet à loco quantùm ad cognitionem,dico quòd licèt non requiratur locus circumſcriptiuè, requiritur tamen definitiuè certa, & debita diſtantia. Vnde ſecundùm Philoſophum intelligentia mouens orbem, oportet quòd ſit. 8.Phyſ.tex.84. in dextera parte cœli,& 7. Phyſicorum dicitur quòd *mouens & motum oportet ſimul eſſe*, vel mediatè, vel immediatè; igitur habent vnam ſimultatem priorem cum illis, ratione quorum ſunt ſimul aliquo modo cum aliis ſicut media.

QVÆSTIO III.

Vtrùm anima ſeparata poſſit recordari præteritorum, quæ hîc nouit coniuncta?

D.Bonau.1.*diſt.*3.2.*p.art.*3.*q.*1.& 4.*diſt.*50.1.*p.art.*2.*q.*23. Henr.*quodl.*6.*q.*8.Greg.2.*diſt.*7.*q.*3. Mol.1.*p.q.*55.*art.*2. *diſt.*2.*m.*2.Scot.*in Oxon.hic q.*3.& 1.*Met.q.*3.& 2.

1. *Argument.1. negatiuum.*

ET videtur quòd non,quia Philoſophus *libro de Memoria* non ponit memoriam niſi in parte ſenſitiua:ſed memoria ſenſitiua non eſt in anima ſeparata; igitur.

Secundum. Damaſc.

Item, idem dicit Damaſcenus 2. *Sententiarum cap.*20.de memoratiuo.

Tertium.

Item,Philoſophus 3,*de Anima*, *eſſe* eſt obiectum intellectus; ſed tale *eſſe* non concernit aliquam differentiam temporis;igitur nec præteritionem; non poteſt igitur recordari præteritorum.

Quartum,

Item, ſi habet memoriam præteritorum;igitur anima beata poterit recordari peccatorum ſuorum hîc commiſſorum. Conſequentia patet,quia qua ratione anima recordatur de iſtis præteritis, pari ratione de omnibus; ſed conſequens eſt inconueniens, quia ſic beatus eſſet cum diſplicentia peccati,& per conſequens cum triſtitia. Conſequentia hæc patet,quia charitas viæ non poteſt ſtare ſine diſplicentia peccati, quãdiu recordatur actualiter illius, ſed charitas patriæ cùm ſit perfectior, eſt ſemper in actu recordationis; igitur ſemper erit ibi actualis memoria peccatorum;igitur habet propriam diſplicentiam, & actualem, ſiue pœnam perpetuam de recordatione peccatorum, eo quòd ſemper dolet de peccatis cõmiſſis. Impoſſibile enim eſt habere memoriam actualem de peccato commiſſo habenti charitatem viæ,niſi doleret;igitur multò fortiùs doleret habens charitatem patriæ,& tũc ſequitur quòd ibi ſit memoria,& dolor &per conſequẽs nó erit ſtatus beatus.

Et confirmatur per illud Iſaiæ 65. *Non erit ibi memoria priorum.* Contrà, de diuite & Lazaro, quando Abraham dixit diuiti epuloni Lucæ 16. *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua.* *Ratio ad oppoſ.*

Item,ſuper illud Pſalmi 108.*fiant filij eius orphani*,& 9.Confeſſionum ante medium, dicit Auguſtinus quòd *mortui habent memoriam noſtri.* Auguſt.

Item, ſi non habent memoriam peccatorum priùs commiſſorum,pari ratione nec habent memoriam præteritorum meritorum, nec mali habebunt memoriam præteritorum malorum, vel demeritorum; igitur mali non intelligerent ſe iuſtè puniri, nec iuſtè intelligerent ſe iuſtè præmiari,quod eſt contra Auguſtinũ 10. *de Ciu.c.*15. Auguſt.

SCHOLIVM I.

Eſſe in nobis memoriã, alioquin periret prudentia & politia. Rem totã declarat per ſeptẽ certa,& vnũ dubiũ. Occaſione accepta vẽtilat an ſit dãda memoria in parte ſenſitiua. Et pro parte negatiua arguit quadrupliciter.

2. *Sine recordatione præteritorum non eſſet prudentia.*

REſpondeo præmittendo vnum de memoria, cuius actus eſt recordari, an memoria ſit in parte intellectiua?Secundò ex hoc patebit ſolutio quæſtionis. Circa primum,dico quòd experimur intellectionem præteritorum in nobis, non ſolùm eorum, quæ ſunt præterita, imò inquantùm præterita,alioquin intellectio,ſiue memoria præteritorum non eſſet pars prudentiæ contra Tullium *lib.*2.*de Inuentione.* Similiter ex hoc ſequitur, quòd non eſſet iuſtitia in parte intellectiua, quia nulla eſſet recordatio de meritis, nec de peccatis commiſſis,& ſic nullus poſſet iuſtè præmiari, nec iuſtè puniri,quod,vt patet,eſt falſum.

Item,quando aliquid habet maiorem rationem entitatis,habet & cognoſcibilitatis; ſed præteritum habet magis rationem entitatis quàm aliquod futurum; quia præteritum eſt verum neceſſarium,& determinatum;futura autem ſunt vera, non neceſſaria,nec determinata, imò indeterminata;de futuris autẽ nõ ſolùm neceſſariis, ſed etiã cõtingẽtibus haberi poteſt cognitio à nobis,quia poſſumus ea opinari,vel cõiecturari;igitur veriori modo poſſumus habere notitiam de præteritis.

Recordatio eſt reſpectu actus præteriti, qui fuit in recordãte.

Iſtam autem notitiam correſpondentem actui de præteritis voco *recordari*, cuius obiectum eſt præteritum ſecundùm quòd præteritum eſt, ſed non quodcunque obiectum præteritum eſt obiectum memoriæ;ſiue actus recordatiui,ſed tantùm actus præteritus recordantis,inquantùm præteritus eſt,dicitur principium, & immediatum obiectum memoriæ.Poſito enim quòd cognoſcam me eſſe natum, non tamen recordor natiuitatis, & non eſt recordatio,quia actus natiuitatis meę non occurrit memoriæ, quia eſt obiectum immediatum iſtius recordationis. Ponatur autẽ per oppoſitũ quòd recorder te ſediſſe heri, nõ tamẽ modò cognoſcam te,qui ſedebas ratione actus præteriti, ſcilicet,quia vidi te ſedẽtẽ,eſt recordatio.Ex quo patet quòd actus recordantis præteriti ſecundùm quòd præteritus eſt, eſt obiectum recordationis.

3. *Prima concl.*

Ex iam dictis ſequuntur quatuor concluſiones. Prima eſt,'quæ ſequitur ex hoc, quòd quia obiectum recordationis eſt actus præteritus,vt præteritus eſt,ideò potentia recordãs, ſiue recordatiua, habet actum poſt tempus, ita quòd actus recordationis ſuccedit obiecto recordato, & ita recordatio fit neceſſariò in tempore,& in quodam diſcurſu, & ſucceſſione ab vno in aliud.

Secunda.

Secunda concluſio eſt, quòd potentia recordans percipit tempus,quia aliàs non nouiſſet præteritum

teritum, vt præteritum eſt, ſed tantùm præteritum ipſum. Vnde experimur quòd non recordamur diſtinctè de præterito, niſi inquantùm recordamur fluxum temporis medij.

Tertia. Obiectum recordationis debet eſſe præſens non in ſe, ſed in ſua ſpecie.

Tertia concluſio eſt, quòd neceſſe eſt vt obiectum recordatum, quando eſt recordatum, non ſit in ſe præſens, quia ſi eſſet in ſe præſens, tunc recordatio non eſſet præteriti, vt eſt præteritum, ſed eſſet alicuius præſentis.

Quarta concluſio eſt, quòd oportet obiectum, ipſum recordatum eſſe aliquo modo præſens potentiæ recordanti, non autem in ſe, vt dictum eſt, igitur oportet quòd ſit præſens in ſua ſpecie. Sic igitur patet quòd potentia recordatiua eſt ipſius ſpeciei primò, deinde ipſius actus, tertiò ipſius obiecti, ad quod terminatur ille actus. Potentiam autem recordatiuam voco integratam ex pluribus potentiis, quæ ſufficit ad actum recordandi, ſiue ſit vna ſimplex potentia, ſiue integrata ex pluribus, pro quanto ad actum recordandi, nõ tantùm ſufficit actus memoriæ, ſed actus intelligentiæ, & phãtaſiæ, ex quibus depẽdet perfectus actus recordandi, qui indiget tẽpore, & diſcurſu, vt dictũ eſt.

4. 1. *Concluſio.*

Ex hoc igitur quòd *recordari* eſt præteriti vt præteritum eſt, ſequuntur quatuor concluſiones.

Recordatio habet duo obiecta.

Prima eſt, quòd actus recordandi habet vnum immediatum obiectum, ſimiliter habet aliud obiectum mediatum, ſcilicet, id quod eſt obiectum actus recordati, qui tranſiit in obiectũ, quia ſecundùm hoc eſt recordatum alicuius, ſecundùm quod eſt actus terminati ad aliquod obiectũ recordatũ.

2. Concluſio.

Secunda concluſio ſequitur ex quarta præcedente, ex quo enim in actu recordationis oportet habere ſpeciem recordati, vt dictum eſt, neceſſe eſt obiectum ſpeciem imprimere in intellectu, dum manet actus, qui eſt proprium obiectum recordationis immediatum.

Tertia.

Sequitur tertium, quod eſt mirabile, quòd illud poteſt eſſe obiectum recordationis in vno, quod non eſt in alio obiectum proximum. Nullus enim poteſt recordari vt obiectum proximum, & immediatum, niſi actum proprium. Alienum autem actum nullus poteſt recordari, niſi ſit actus remotus, & quaſi extrinſecùs recordationis. Per alium enim actum non recordor te fuiſſe locutum, niſi quòd recordor me te audiuiſſe loquentem, ſiue quando tu loquebaris. Sed iſte, qui loquebatur, recordatur ſe fuiſſe locutum per aliquem alium actum ſuum.

Non fit recordatio actus alterius, niſi per actũ proprium.

Quarta.

Quarta concluſio ſequitur ex prædictis, quia potentia recordatiua actus præteriti poteſt recipere actum eundem, dum eſt præſens illi potẽtiæ. Iſta propoſitio eſt probabilis. Sed fortè negaretur hoc de ipſa potentia recordatiua in homine, ſicut & de alia potentia negatur in bruto, in quo non percipit actum.

5. *Duæ cõditiones potentiæ memoratiuæ, quæ in ſola in intellectiua reperiuntur.*

Ex his videtur ſequi quòd ſit dare memoriam intellectiuam, & poſſunt eſſe adhuc duæ rationes, quarum prima talis eſt. Duæ ſunt conditiones potentiæ memoratiuæ, ſiue recordatiuæ, vt dictum eſt, ſcilicet quòd potentia recordatiua percipit tempus, vt eſt prius & poſterius de ſua formali ratione, & ita percipit quòd tempus eſt numerus prioris, & poſterioris: ſed talia, quæ habent rationem prioris, & poſterioris, non cognoſcuntur, ſiue nõ percipiuntur, niſi per collationem eorum cum motu perceptorum: numerus prioris & poſterioris non videtur eſſe niſi in anima 4. *Phyſic. text.* 101.

Ex 2. conditione ſuadetur non dari memoriam ſenſitiuam.

Secunda conditio iſtius potentiæ recordatiuæ erat, quòd immutatur ab actu recordato, dum eſt præſens, ſed potentia ſenſitiua non percipit tempus, nec numerum, qui eſt prioris & poſterioris, nec eſſentialiter immutatur ab actu memorię ſenſitiuæ dum eſt, ſed tantùm ab obiecto rememorato. Licèt enim ſenſus ſuperior poſſit recordari de actu ſenſus inferioris, non tamen poteſt recordari de actu ſuo dum eſt; nec ſenſus eſſentialiter ſuperior, nec inferior poteſt recordari de aliquo actu, ſiue ſui, ſiue alterius, vt actus præteritus eſt, quia nullus actus potentiæ ſenſitiuæ eſt reflexiuus ſuper ſe; nec ſuperior ſenſus hoc poteſt, quia ſuperior quinque ſenſibus: quia viſio quæ actu eſt colorati nõ eſt viſibilis 2. *de Anima*, & ita eſt de actibus aliorum ſenſuum; ſic igitur cùm ad intellectionem tantùm pertineat actum proprium cognoſcere, & conditiones eius tanquam actu reflexo, ideò potentia recordatiua, quæ percipit tempus, tantùm pertinet ad intellectum, & non ad aliquam potentiam ſenſitiuam.

Nullus actus potentiæ ſenſitiuæ eſt ſuper ſe reflexiuus.

Item, per nullum actum brutorum animalium poteſt concludi recordatio præteriti, vt præteritum eſt, ſed tantùm cognoſcunt præteritum, quia omnes actus eorum præteritos poſſunt recordari, ſed non vt præteriti ſunt, inquantùm enim in bruto fit deductio ex phantaſmate alicuius, quod eſt præteritum, licèt non deducatur vt tale, ſiue vt præteritum, ſtatim mouetur ad fugam, vel ad proſecutionem illius.

Secundò.

Sed fortè dices quòd formica poſt repoſitionem vnius grani, iterum redit ad eundem locum, vnde acceperat illud granum; ſed hoc non poteſt eſſe, niſi recordetur præteriti, vt præteritum eſt, ſcilicet inquãtùm phãtaſma, quod habuit de grano, deducit ad notitiã actus præteriti, & hoc eſt recordari.

6. *Obiectio prima. Tres actus in brutis ſuadẽt ea recordari præteritorum. Secunda.*

Similiter multa animalia habent actum vindicandi poſt illationem iniuriæ præteritæ; ſed hoc non in quemcunque hominem, ſed in certas, & determinatas perſonas, à quibus iniuriæ fuerunt eis illatæ; ſed hoc non poteſt eſſe, niſi recordentur præteriti, vt præteritum eſt; igitur, &c.

Tertia.

Similiter multa ſunt animalia diſciplinabilia, ſicut patet *ex* 1. *Metaph. text.* 1. hoc autem non poteſt eſſe, niſi quia habent memoriam, nec memoriam diſciplinabilem poſſunt habere, niſi quia recordantur præteritorum, per quæ diſciplinantur; igitur potentia recordatiua non eſt ponenda in parte intellectiua, ſed magis in parte ſenſitiua.

SCHOLIVM II.

Soluit argumenta, quibus probatur memoria in brutis, ſaluando quomodo prouideant, nidificent, vindicent, & diſciplinentur ſine vlla memoria. Soluit etiam argumenta poſita pro altera parte, de quibus latiùs agit in Oxon. hìc à n. 8. Manet ergo Doctor in hac re problematicus; ſed magis inclinat, vt detur memoria ſenſitiua, quia, inquit, facilius ſoluuntur illa de brutis experientiæ, eam ponendo.

7. *Ad primam obiectionem. Prouidentia formicæ non arguit memoriam.*

REſpondeo quòd non cognoſcunt præteritum actum, nec recordantur eius, vt præteritus eſt, licèt hoc non ſit facilè demonſtrari. Vnde ad primum, quando dicitur quòd animalia vniformiter agunt actus ſuos, & redeunt ad eadem loca, ad actus tales, dico quòd iſti animali ſic agenti impreſſa eſt phantaſia de loco illo, ſicut priùs vidit per ſenſum locum, qui erat tunc ſibi delectabilis; ſic manet impreſſum phantaſma correſpondens illi loco, ceſſante igitur obiecto, ſiue præſentia obiecti, phantaſma fortiùs mouens occurret illi animali, & quia fuit ſibi locus delectabilis,

ideò primò ſibi occurrit tale phantaſma, & quærit eundem locum, in quo priùs fuit, non quòd recordetur de illo inquantùm eſt præteritum, ſed continuò mouetur à tali impreſſo phantaſmate, ac ſi præſens eſſet obiectum.

Ad ſecũdam. Vindicatio & beneficentia in brutis non arguit memoriam.

Ad illud de vindicatione animalium, reſpondeo quòd etſi non cognoſcant iſtum hominem verberaſſe, vel aliquam iniuriam intuliſſe, tamen ipſa verberatio, vel iniuria fuit triſtis talibus animalibus; ita & phantaſma triſte, vel alicuius triſtis fuit eis impreſſum. Modò ita eſt, quòd ſenſibilia diuerſa ſimul coniuncta ſimul imprimunt ſua phantaſmata in quodam confuſo, & non diſtincto, & ſic patet quòd perſona verberans, & ipſa verberatio ſimul imprimuntur in animali verberato, vt pars phantaſmatis, ſicut priùs quando actu iniuriam inferebat, ſic tunc occurrebat potentiæ phantaſma vindictæ, ſcilicet facta impreſſione.

Ad tertiam. Diſciplinatio in brutis non arguit memoriam.

Et hoc apparet magis in exemplo tertio, quod adducebatur de diſciplinatione quorundam animalium, quia cani percuſſo imprimebatur phantaſma percuſſionis, & comeſtionis carnium, quæ frequenter concomitantur, & hoc iudicat per proſecutionem aliquam, vel per fugam, ſcilicet per proſecutionem delectabilis, vel fugam triſtis, ita ſimul manent in cane ſic percuſſo phantaſma triſtis, & delectabilis, & ſi magis mouet triſte, quàm delectabile, tunc cauebit ſibi, quod non comedet carnes, ſicut in principio quando erat percuſſus.

§.

Ad rationes oppoſitas negantium memoriam ſenſitiuam.

Sed quidquid ſit de iſta concluſione, Philoſophus tenet oppoſitum in libello de Memoria & reminiſcentia, & concedit memoriam tantùm eſſe in parte ſenſitiua. Vtrùm autem talis memoria percipiat tempus, dubium eſt, Philoſophus tamen dicit in prædicto libro, quòd percipit tempus ſicut magnitudinem, & ſicut rem, & poteſt eſſe, quia eiuſdem potentiæ eſt cognoſcere permanens, & ſucceſſiuum; ſenſus autem cognoſcit magnitudinem, cùm ſit obiectum per ſe commune ſenſus 2. *de Anima*, nec impeditur quin tempus poſſit cognoſci per memoriam ſenſitiuam, inquantùm eſt continuum, quia magnitudo eſt cõtinua, quod eſt obiectum perceptibile per ſenſum, nec impeditur inquantùm tempus eſt numerus prioris, & poſterioris in motu; quia motus, & numerus eſt obiectum commune ſenſus, ſecundùm Philoſophos, & patet ex 2. *de Anima*.

Conditiones igitur aliquæ de memoria animalium ſunt manifeſtæ, & aliquæ ſunt dubiæ. Circa hoc dico tamen quòd ſi memoria, vel potentia recordatiua poteſt immutari in brutis dum manet, poſſe dici quòd ſenſus ſuperior poteſt recordari actuum inferiorum ſenſuum dum ſunt.

Quadetur memoria ſenſitiua. Quomodo viſio dicitur colorata.

Sed oportet aliquid dicere de potentia ſuperiori ſenſitiua in brutis. Dico quòd phantaſma in brutis recordatur actus proprij dum eſt, non per reflexionem, ſed pro quanto actus ſuus reducitur aliquo modo ad ſubiectum ſuum, non per alium actum, ſicut viſio aliquo modo dicitur colorata, & ideò quodammodo viſibilis, & inquantùm videt ſe videre, ſecundùm quòd videtur Philoſophus ſentire 2. *de Anima*, mouendo quæſtionem, vtrùm viſio ipſa ſit viſibilis; vel ſi hoc non placet, oportet dicere quòd in brutis non eſt virtus, vel potentia recordatiua, ſed tantùm in nobis, vbi potentia intellectiua, ſiue memoria intellectiua, recordatur de actu ſuperioris ſenſitiuæ in præterito, vt præteritus eſt, ſicut dictum eſt ſuprà.

SCHOLIVM III.

Probat ex Philoſopho dari memoriam intellectiuam, & ſoluit loca eius, quæ videntur aduerſa, de quo latiùs agit in Oxon. hîc à n. 15. reſoluens dandam memoriam intellectiuam, alioquin non poſſemus agere pœnitentiam de malis volitionibus, & intellectionibus, quia harum non recordatur ſenſitiua.

9. An memoria poſſit eſſe in parte intellectiua,

SEd eſtne memoria in parte intellectiua? Ariſtoteles in libello de Memoria dicit aliquid, quod eſt pro noſtro propoſito, dicit enim quòd memoria recordatur actuum intelligibilium, vt quòd triangulus habeat tres, quia didicit. Certum autem eſt quòd iſte actus recordandi non poteſt eſſe niſi actus intellectus: quod ſic oſtendo. Eius potentiæ eſt cognoſcere primum obiectum recordationis ſecundùm actum primum, cuius eſt cognoſcere ſecundùm obiectum, ſcilicet obiectum actus; ſed ſolius intellectus eſt cognoſcere triangulum habere tres, vt fuit obiectum primi actus, quia ſic cognoſcit de omni triangulo intellectus, quod non poteſt ſenſus cognoſcere. Sed reſpondetur, quòd licèt memoria poſſit eſſe quorundam intelligibilium, non tamen ſine phantaſmate, & ſic memoria non eſt partis intellectiuæ, ſed ipſius phantaſiæ, in virtute cuius intellectus recordatur.

Reſpõſio Hẽr. quodl. 13. q. 7.

Refutatur reſponſio primò.

Contra hoc, quia ſicut non eſt recordari ſine phantaſmate, ita nec contingit intelligere ſine phantaſmate ſecundùm Philoſophum ibidem, non tamen ſemper hoc ſequitur quòd intelligere non ſit partis intellectiuæ; & ſic oportet dicere de actu recordationis intelligibilium, licèt intellectus non poſſet ſine phantaſmate recordari.

Secundò.

Item, eiuſdem potentiæ eſt recordari, & reminiſci, licèt non ſint eadem, quia recordari poteſt eſſe ſine reminiſci, non tamen è conuerſo: ſed reminiſci eſt tantùm intellectus; igitur & recordari. Probatio primæ, quia reminiſci eſt quidem diſcurſus nõ ſyllogiſticus, vt docetur in libro de Memoria, & reminiſcentia: ſed reminiſci eſt ex quibuſcunque conſequentiis prioribus ſecundùm tẽpus, ex quibus poteſt recuperare perfectam memoriam eius, cuius priùs habuit imperfectam, vel imperfectè; quandoque tamen poteſt eſſe iſte diſcurſus reminiſcentiæ, vel recordationis actus ſyllogiſticus, vt quando priùs occurrunt memoriæ noſtræ principia, quàm concluſiones, & deducendo principia, reminiſcitur concluſionum, & recordatur. Et dico quòd iſte diſcurſus ſyllogiſticus eſt mirabilior, qui poſſit eſſe in homine; vterque tamen diſcurſus pertinet ad partem intellectiuam; in hoc tamen eſt differentia inter *reminiſci* & *recordari*, quia reminiſci eſt eius, quod priùs cecidit, & deletum eſt à memoria, & ita eſt actus intrinſecus, & diſcontinuatus; ſed *recordari* eſt eius quod priùs fuit in memoria imperfectè. Sed actus iteratus facit vt eius memoria perfectè habeatur. Probatio minoris, ſcilicet quòd reminiſci ſit partis intellectiuæ, & primò per rationem ſic. Diſcurſus ſyllogiſticus, ſiue argumentatio pertinet tãtùm ad partem intellectiuam, quia diſcurſus eſt actus ſolius rationis: ſed ad partem ſenſitiuam non pertinet ſyllogizatio, ſiue argumẽtatio, igitur nec talis diſcurſus, & per conſequens reminiſci non eſt niſi partis intellectiuæ. Sed credo quòd animalia bruta non habeant actum reminiſcẽdi. Secundò probatur eadẽ minor per auctoritatẽ, ſecundùm Auicẽnam 6. Naturaliũ parte 5. c. 3. *Reminiſci eſt actus proprius hominis*, igitur nõ cõuenit alicui bruto, necerit partis ſenſitiuæ in homine, ſed tantũ intellectiuæ.

Diſcrimen inter reminiſci, & recordari, & natura vtriuſque.

Reminiſcẽtia ex Auicen. ſoli homini propria.

Dico

10. Dico igitur ſecundùm *quod* primò fuit declaratum, quòd recordari non eſt partis ſenſitiuæ, ſed intellectiuæ. Recordatio enim non tantùm eſt in intellectu reſpectu obiecti vniuerſalis, imò reſpectu obiecti ſingularis, & actus volendi ſimiliter; aliàs oportet negare pœnas, & præmia, iuſtitiam & miſericordiam, & cætera huiuſmodi, ſicut priùs arguebatur. Vnde dico quòd iſta recordatio eſt propria intellectus, quæ non eſt alterius, ſed tantùm eſt recordatio actus ipſius intellectus & voluntatis. Sed alia eſt ſimiliter recordatio, quæ eſt communis ſibi & aliis, ſcilicet, parti intellectiuæ, & ſenſitiuæ, nam quædam eſt recordatio potentiarum inferiorum, ſcilicèt ſenſitiuarum; ſicut enim intellectus poteſt percipere actum meum intuitiuè, vel abſtractiuè, intelligendo, ita poſſet ſenſus recordari, ſiue ſit actus proprius intellectus, ſiue aliarum potentiarum.

Recordatio vna ſẽſitiua, intellectiua alia.

SCHOLIVM IV.

*Reſoluit memoriam intellectiuam ponendam eſſe in anima ſeparata, ſed non ſenſitiuam. Vide latiùs eum in Oxon. hîc num.*20.

11. *Reſolutio Doctoris.*

EX his igitur ad propoſitum deductis patet ſolutio quæſtionis, quia ex prædictis poteſt deduci, quòd recordatio remanet in anima ſeparata, quia ſicut heri * arguebatur, nulla mutatio eſt ex hoc facta in anima, vel circa animam, vt eſt ſuſceptiua actus recordati, ſed hoc benè verum eſt, quòd anima ſeparata non poteſt omnium recordationum recordari, quarum priùs recordabatur, poteſt tamen omnium recordationum intellectus, quorum & in corpore poterat recordari, & licèt non poſſit recordari recordationum potentiarum ſenſitiuarum, quarum inſtrumenta non habet, poteſt tamen recordari omnium recordatorum, quæ priùs per ſenſus potuit recordari.

* Videtur hæc ita ſcripta eſſe ſicut lecta ſũt in Schola.

Anima ſeparata, ſed non ſenſitiua.

Anima ſeparata recordatur omnium quorum coniuncta recordabatur.

12. *Ad primum principale*

Ad primum principale, quando arguitur de Philoſopho, qui non ponit memoriam, niſi in parte ſenſitiua, dico quòd Philoſophus negat memoriam eſſe in parte intellectiua, quantùm ad duas eius conditiones, ſicut priùs dicebatur. Sed attendendum eſt hîc, quòd in ſuo primo obiecto, ſcilicet memoriæ, quod eſt actus præteritus, de neceſſitate eſt præteritio, ſed in ſuo obiecto remoto, quod eſt obiectum recordatum, quandoque eſt præteritio, & quandoque non. Exemplum, heri ſpeculabar iſtam propoſitionem, quòd *triangulus habet tres*, non tantùm pro illo *tunc*, in quo ſpeculabar, ſed pro ſemper, hodie igitur recordor me ſpeculatum fuiſſe heri non ſolùm pro tunc, ſed pro ſemper, triangulum habere tres, & ideò licèt quantùm ad actum ſpeculationis heſternæ ſit præteritio, qui eſt primæ recordationis obiectum, non tamen quantùm ad obiectum recordatum, quod eſt *habere tres*, quod eſt obiectum remotum, eſt præteritio, & ita eſt ſemper quandocunque eſt cognitio abſtractiua in intellectu, quòd ſcilicet in primo obiecto recordationis eſt neceſſariò præteritio, ſed non in obiecto remoto. Exemplum de recordatione actus ſentiendi: heri vidi te ſedere, hîc eſt præteritio ratione vtriuſque obiecti, dummodò recordor te heri ſediſſe, nam actus videndi, qui eſt primum obiectum immediatum recordationis, tranſiit, & actus ſeſſionis, qui eſt obiectum remotum, ſimiliter præterit.

Aristot. negat memoriã intellectiuam quoad duas eius conditiones.

In obiecto proximo memoriæ ſemper datur præteritio, in remoto verò quãdoque.

Exemplum primi.

Exemplum ſecundi.

Vnde dico vniuerſaliter, quòd in omnibus ſenſibilibus, vel actibus ſentiendi, vel eſt præteritio ratione vtriuſque obiecti, & impoſſibile eſt habere certitudinem de actu præterito ſenſitiuo, niſi prout tunc ſe habuit, dum erat præſens in ſenſu: ſed in recordatione intelligibili poteſt eſſe præteritio reſpectu vtriuſque obiecti, puta dum recordor per intellectum te ſediſſe heri: ſed interdum poteſt eſſe actus recordationis intellectualis cum vna præteritione tãtùm vnius obiecti, & poteſt eſſe ſine vna præteritione, ſcilicet obiecti remoti, quod poteſt eſſe neceſſarium, & ſemper; ſed hoc eſt verum vniuerſaliter de omni recordatione, ſiue intellectiua, ſiue ſenſitiua, quòd ſemper eſt præteriti, vt primi obiecti, & reſpectu huius ſemper eſt præteritio.

13. *Memoria ſenſitiua eſt ſufficiens ſine intellectiua, non è contra.*

Ad propoſitum dico igitur, quòd recordatiua ſenſitiua eſt per ſe ſufficiens ſine memoria intellectiua, non tamen è conuerſo, ideò Ariſtoteles ponit huiuſmodi potentiam recordatiuam, vel memoratiuam potiùs in parte ſenſitiua, quàm in parte intellectiua. Vnde Ariſtoteles non vocaret benè recordatũ propter recordationẽ intellectus, ſed magis propter recordationem potentiarum inferiorum, ſicut nec Ariſtoteles ponit *intelligere* ſine phantaſmate, quia ponit fortè intellectum vnum omnium noſtrùm non variari, niſi penes phãtaſmata, ſicut Auerroës videtur ſibi imponere.

Ad hoc facit illud Themiſtij ſuper primum Poſteriorum de ſeruo fugitiuo; licèt enim hoc non concludat in demonſtratione, concludit tamen in recordatione. Vnde ſi arguitur ſic, iſte reminiſcens, aut nouit illud, quod priùs ſciuit, aut non? argumentum eſt bonum quantùm ad *reminiſci*, quia aliquid remanet apud ipſum per quod reminiſcitur illud, quod priùs nouit. Iſta non aſſero, ſed hoc aſſero quòd vna recordatio poteſt eſſe ſine alia, & non è conuerſo.

Ad ſecũdum ex Damaſc.

Ad dictum illud Damaſceni, patet per iam dicta ſuperiùs.

Ad tertium.

Ad aliud, quando dicitur quòd vniuerſale eſt obiectum intellectus, quod non concernit differentiam temporis, quòd de ſingulari, vtrùm poſſit intelligi, dicetur aliàs *. Ad propoſitum tamen dico, quòd cognitio intuitiua non eſt tantùm ſingularis, inquantùm eſt cognitio intuitiua, ſed eſſentialiter eſt ipſius naturæ exiſtentis, vt exiſtens eſt, quia priùs competit eſſe naturæ, quàm ſit vt hæc, ſiue vt ſingulare, eo quòd eſſentia ſit eiuſdem rationis in omnibus ſingularibus, non autem ſingularitas ipſa eſt eiuſdem rationis in omnibus, ſed diuerſa in quolibet ſingulari vnius eſſentiæ, ex quo ſequitur quòd eſſentia poteſt cognoſci, non tamen ſingularitas eius. Cùm igitur ad recordationem non requiritur niſi præteritum priùs exiſtens, licèt non vt ſingulare, idcirco eſto quòd ſingulare, vt tale, non intelligitur ab intellectu; intelligitur tamen aliquid ſingulare, non vt ſingulare, ſed vt exiſtens intelligitur, & tale ſingulare, vt exiſtens, non recedit ab vniuerſali, licèt à quiditate abſtractiua per intellectum recedat, quia roſa nunc exiſtens non recedit à roſa vniuerſali, de qua ſcientia eſt, licèt non ſit vniuerſale in vltimo gradu abſtractionis; & ita dico quòd anima ſeparata recordari poteſt de tali natura exiſtente, licèt non vt ſingularis.

* In 2.d.12. q. 8. n. 6.

Singularitas eſt diuerſa in omnibus eiuſdem eſſentiæ.

Quomodo ſingulare, vt exiſtens non recedit ab vniuerſali.

14. *Ad quartam.*

Ad aliud, quando dicitur, quòd ſi anima ſeparata haberet memoriam, recordaretur peccatorum præteritorum, &c. hæc eſt bona difficultas, & poſſet eſſe pro prima diſtinctione primi libri *, ſed communiter reſpondetur hîc, quòd non eſt inconueniens quòd Beati recordentur præteritorum

* Ibi enim q. 3. agitur de delectatione, quæ conſequitur ad fruitionẽ.

rum peccatorum, quia nunc non habent actualem diſplicentiam, vel dolorem de eis, ſecundùm quod dicit Gregorius ſuper illud Pſalmi 88. *Miſericordias Domini in æternum cantabo*, dicit enim ibi, *quòd ſæpè lati triſtitiæ meminimus abſque pœna.* Et ſic poteſt dici in propoſito, quòd benè recordantur peccatorum præteritorum abſque diſplicentia, quia Deus remiſit peccata commiſſa Beatis.

Rich.d 43.a. 7. reſponſio.

Cõtra inſtatur primò.

Sed licèt hoc reſpondeatur communiter, tamen non videtur eſſe niſi fuga, quia Beatus non poteſt habere memoriam de remiſſione peccatorum ſuorum, niſi recordetur aliquando commiſſorum, & ſic intellectus poteſt ſeparare commiſſionem peccatorum à remiſſione, & per conſequens habebit dolorem, & diſplicentiam; ergo non erit perfectè beatus.

Inſtatur 2.

Vel eſto quòd iſta duo ſint ſimul conſiderabilia ab intellectu Beati, quæro à te, an voluntas habeat aliquem actum circa peccatum commiſſum, an non? Sed non poteſt dici, quòd voluntas nullum actum habeat circa actum conſiderationis de commiſſo peccato, igitur habet aliquem actum; non autem habet *velle*, igitur *nolle*, ſed *nolle* eius, quod euenit, cauſat triſtitiam, & diſplicentiam; igitur, &c.

Ad primã inſtantiam reſpondet Doctor.

Memorari turpia miſerum eſt.

Ad Gregor. auctoritatẽ.

Reſpondeo igitur, & dico quòd ſi placeret Deo, poſſet delere memoriam, vnde non recordaretur peccati commiſſi; vnde apud Ariſtotelem 3. Topicor. cap. 10. *memorari turpia miſerum eſt.* Illud autem Gregorij, quando dicit, *qui miſeriæ non meminit, quomodo miſericordiam cantabit?* Intelligendum eſt quòd meminit miſeriæ in vniuerſali, & ex tali recordatione non cauſatur triſtitia, quia non conſiderat in particulari.

Ad 2. inſtantiam.

Ad rationem tamen factam de actu voluntatis, reſpondeo quòd Beatus conſiderans peccatum priùs commiſſum, habet actum nolendi, nec ſequitur, igitur habet triſtitiam; quia cauſa naturalis poteſt impediri ab effectu ſuo per impedimentum, vel prohibitionem agentis ſuperioris, & fortioris, ſicut dicitur de paſſione animæ ſeparatæ, quæ non eſt tanta, quanta erit cum corpore, & de tribus pueris, quos ardor ignis omnino non tetigit, & huiuſmodi. In Beatis igitur eſt *nolle* quantùm ad peccata commiſſa ſine effectu conſequente, virtute diuina præſeruante in inſtanti illo, nè occurrat Beatis aliquis actus triſtitiæ, vel diſplicentiæ. In damnatis autem eſt *nolle* cum effectu, & cum triſtitia. Sed in Beatis Deus conſeruat, & præſeruat *nolle* à triſtitia, & ponit tantùm gaudium, & delectationem, quod excludit omnem dolorem, & triſtitiam, non ſolùm contrariam, imò quantumcunque contingentem, & corporalem, quæ delectatio à Deo cauſatur mediatè, & ab obiecto, vel fruitione immediatè.

Quare in beatis eſt nolle peccati cõmiſſi ſine triſtitia, in damnato cũ triſtitia.

Inſtantia.

Sed contra hoc diceretur, quòd talis voluntas, cuius *nolle* non eſt cum effectu, non implebitur, nec erit perfecta, & per conſequens nec beata, quia perfecta voluntas non debet nolle offendiſſe Deum, ſiue peccaſſe, ſine diſplicentia; igitur tale *nolle* non ſuſpenditur.

Soluitur. Quomodo voluntas beatorum impletur & habent quidquid volunt.

Reſpondeo quòd voluntas Beatorum implebitur quantùm ad ſuum *velle*, vel *nolle* de præſentibus, & futuris, ſed non de præteritis, quia hoc eſt impoſſibile, cum ſit neceſſarium omne præteritum euenìſſe. Confirmatur hoc ex ſuperiùs dictis * de ſenſu Beati poſito in Inferno; ſentiret, non tamen doleret.

* d.44.q 3.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm Beati cognoſcant orationes noſtras, quas eis offerimus?

D. Thom. 2.2. *quæſt.* 83. *art.* 4. & 3. *part. quæſt.* 10. *art.* 2. & *hic quæſt.* 3. *art.* 2. D. Bonauent. *art.* 3. *quæſt.* 23. Bellarm. *lib.* 1. *de Beat. ſanct. cap.* 17. Suar. 1. *part. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 28. Feuard. *tom.* 1. *lib. cap.* 10. & 12.

QVÆSTIO intelligitur tam de Angelis, quàm de animabus beatis, & videtur quòd non, per illud Iſaiæ 63. ſicut arguebatur in quæſtione præcedente, vbi gloſſa Hieronymi: *Tu pater Abraham non noſti nos*, &c. Item, Auguſtinus de cura agenda pro mortuis dicit quòd *animæ mortuorum neſciunt ea, quæ hîc fiunt pro eis*, &c. Item, *Solus Deus nouit ſecreta cordium*, 3. Reg. 8. ſed oratio eſt quoddam ſecretum cordis; igitur, &c. 1. *Argum. primum.* *Secundum.* *Tertium.*

Item, non oportet eas cognoſcere, niſi vt orent pro nobis: ſed hoc eſt inconueniens, quia non ſunt in ſtatu meriti, & in tali ſtatu, ſcilicet extra ſtatum meriti fruſtrà fit oratio, igitur, &c. *Quartum.*

Sed contrà, iſte error attribuitur Vigilantio à Hieronymo, quia ille Vigilantius detraxit reliquiis Sanctorum, & poſſet dici magis Dormitantius, quàm Vigilantius. *Ratio ad opp.*

SCHOLIVM.

Primum dictum, Animam ſeparatam acquirere poſſe notitiam, tam abſtractiuam, quàm intuitiuam. *De quo latè iam dictum eſt, quæſt.* 2. *de hac duplici ſcientia agit Doctor in Oxon.* 1. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. & *d.* 8. *quæſt. pen.* & 2. *d.* 2. *quæſt.* 9. *Secundum*; Poteſt anima ſeparata naturaliter videre cogitationes cordium, ſi ſint debitè approximatæ, & ſibi relinquatur. *Ratio, quia eius obiectum eſt ens infinitum. Idem habet Doctor* 2. *d.* 9. *q.* 2. *ad primum*, & 4. *diſt.* 10. *quæſt.* 8. *ad* 3. *Oppoſitum tenent Thomiſtæ* 1. *part. quæſt.* 57. *art.* 4. *Scotum ſequuntur Ocham* 2. *quæſt.* 20. & *quodl.* 4. *quæſt.* 13. *Gabr.* 2. *d.* 9. *quæſt.* 2. *art.* 2. & *lect.* 3. *in can. Baſſol. ibid. quæſt.* 2. *Maior. quæſt.* 3. *Holcot* 2. *q.* 4. & *omnes Scotiſtæ. Tertium dictum*, Etſi id ad beatitudinem non requiratur, preces, quas fundimus ad Sanctos, reuelantur eis. *De quo Bellarm. Feuard. Suar. citati. Quòd verò ipſi pro nobis orent, ex Patribus latè probatur apud eoſdem.*

RESpondeo ad quæſtionem, & dico quòd ſi Beati non dimitterentur naturæ ſuæ, vt eſſent liberi, non eſſent ſine miſeria, quia non dimitterentur naturæ ſuæ, vt eſſet libera, quia libertas eſt de natura animæ intellectiuæ. Vnde dico quòd ſi anima ſeparata dimittatur naturæ ſuæ, poteſt cognoſcere quidquid eſt intelligibile de ordine vniuerſi, & æqualiter cognoſcere quodcunque intelligibile, ſi ſit in diſtantia debita, & ſibi proportionata. Poteſt enim cognitione intuitiua cognoſcere exiſtentiam rerum ſenſibilium, & per conſequens exiſtentiam rerum intelligibilium. Si igitur eſſet aliqua ſubſtantia approximata animæ indebita, & certa diſtantia, poteſt cognoſcere quidquid ſenſibile, vel intelligibile exiſtit in ea cognitione intuitiua, non autem poteſt cognoſcere ſi ſit in diſtantia improportionata. 2. *Libertas eſt de natura animæ intellectualis.* *Anima ſeparata poteſt cognoſcere quodlibet intelligibile in diſtantia proportionatam.*

Sed contra hoc, ſi obiiciatur quòd anima ſeparata, & coniuncta habent idem obiectum naturaliter: *Obiectio.*

liter: ſed coniuncta extendit ſe tantùm ad ſenſibilia; non autem ad intelligibilia, niſi per quandam abſtractionem à ſenſibus; igitur motus voluntatis, qui fit in oratione, non poteſt naturaliter cognoſci ab anima ſeparata.

Reſponſio. Reſpondeo quòd idem eſt obiectum naturaliter correſpondens potentiæ in anima coniuncta, & ſeparata: ſed anima coniuncta pro ſtatu iſto viæ non poteſt exequi actum ſuum, & ideò, ſi loquimur de obiecto, circa quod poteſt coniuncta, & ſeparata exequi actum ſuum, non eſt idem obiectum; quod patet in anima coniuncta, cuius pro ſtatu iſto ligatur potentia, vt non poſſit niſi circa quiditatem ſenſibilem, vel ſenſibilium. Sed hoc non eſt ratione potentiæ, aliàs nunquam intelligeret, niſi tales quiditates, & ſic non poſſet intelligere, nec cognoſcere Deum, nec ſubſtantias ſeparatas, quod nullus ponit; igitur quòd nullo modo poſſit huiuſmodi intelligere, non eſt ratione potentiæ, ſed ratione ſtatus, & modi intelligendi: ſed gloria non aufert naturam, nec per conſequens potentiam animæ, vt oſtenſum eſt *in primo libro* *, igitur, &c.

Anima ſeparata & coniuncta quomodo idem ſit obiectum.

* Diſt. 1. quæſt. 2.

3.

Dico igitur quòd beatitudo eſſentialis cuiuſcunque Beati poteſt in cognitionem Dei ferri, & in cognitionem omnium quiditatum, quæ ſunt ex ordine vniuerſi; oratio autem neutrum horum eſt. Arguere igitur ex beatitudine quòd anima ſeparata, vel Angelus poſſint cognoſcere orationes noſtras, & motus voluntatis interiores, non eſt ſufficiens argumentum. Sed cum iſta beatitudine communicatur ſibi aliquod donum vlteriùs in ſpeciali, vt ſit cooperatio Dei ad ſalutem electorum, hoc autem fit impetrando, & petendo aliquod donum, quod ſit ad ſalutem iuſtorum: ſed hoc non poſſet eſſe regulariter, niſi cognoſcant orationes iuſtorum. Congruit ergo Beatis non ex ratione eſſentialis beatitudinis cognoſcere orationes noſtras, & motus voluntatis, non tamen hæc cognoſcunt cognitione ſupernaturali neceſſariò, & regulariter ſine reuelatione ſpeciali, & magis congruit hoc iſtis, vel illis reuelari quàm aliis, inquantùm magis attinet eis.

Orationes noſtras noſcunt beati ex reuelatione ſpeciali.

Obiectio. Sed contra iſta inſtatur ſic, quòd ſi Angelus, vel anima beata videt orationes noſtras, igitur videt Deum velle hoc, quod viator petit à Deo: igitur fruſtrà orant Sancti pro nobis. Si autem vident Deum hoc nolle, igitur inconueniens eſt tunc Deum orare pro nobis. Si verò nec videant Deum velle, nec nolle, igitur orant de incerto.

Soluitur. Reſpondeo quòd ſicut reuelatur Beatis oratio, ita eis reuelatur quod eſt beneplacitum Deo, quòd exaudiantur, & ſi reuelatur ſibi quòd Deus non vult exaudire illud, pro quo orant, tunc non orant Sancti pro tali orante.

Ad rationem igitur, quando dicitur quòd aut Deus vult, aut non vult, &c. Dico quòd Beati poſſunt velle talem ſaluari in terra dupliciter, vel actuali volitione, vel habituali; nunc autem de actuali volitione, quæ eſt in oratione eorum, nunquam volunt aliquem ſaluari, niſi videant Deum hoc velle. Vnde ſicut reuelatur eis quòd talis fundit preces ad eos, ſic reuelatur eis quòd Deus vult talem ſaluari, vel non vult. Et tunc nunquam volunt talem ſaluari volitione actuali: ſi reuelatur eis quòd Deus vult eum ſaluari, non fruſtrà orant pro eis: quia ſicut vult talem ſaluari, ſic vult per certa media hoc fore. Nunc videmus quòd licèt aliquis Rex velit aliquid facere alicui, hoc vult alium ſuperiorem rogare pro eo, & benè præordinat quòd ſuperiori concedet quod rogat pro eo: quia fortè alius non fuit dignus exaudiri. Loquendo tamen de oratione habituali, ſeu volitione, dico quòd ſemper orant & ſemper volunt nos ſaluari, ſiue reueletur eis Deum hoc velle: ſiue non.

Ad primum principale. Ad primum principale de Iſaia, ſiue de Hieronymo ſuper Iſaiam; dico quòd quando dixit hoc; Abraham erat in Limbo, & adhuc non erat beatus, & tunc non nouit nos. Vnde non ſequitur ex hoc quin Beatis reuelentur in Verbo orationes Sanctorum.

Ad ſecundum. Ad aliud quando dicitur de Auguſtino, patet ſolutio ſicut ad primum.

Ad tertium. Vide diſficultatem hanc in 2. d. 9. quæſt. 2.

Ad aliud, cùm dicitur quòd ſolus Deus nouit ſecreta cordiũ, licèt ſit quæſtio per ſe an Angeli, vel animæ ſeparatæ poſſint videre cogitationes cordiũ; tamen reſpondeo quantùm capio ad propoſitum, quòd videtur quòd cuilibet Angelo quælibet intellectio noſtra, & quælibet volitio creata ſit nota, ſicut albedo nobis, vel aliquid ſenſibile; imò magis, vt videtur, quia magis eſt proportionata quælibet intellectio, & volitio noſtra intellectui Angelico, quàm ſit aliquid de genere ſenſibilium, inquantùm intelligibile eſt, & per conſequens nihil intelligibile videtur poſſe latere, ſi alia non impediant, ſcilicet diſtantia improportionata, vel aliquid huiuſmodi. Et vniuerſaliter dico, quòd quæcunque poteſt Angelus intelligere, ſecundùm quæ poteſt intellectus meus immutari, & quamcunque intellectionem, & volitionem ego poſſum intelligere, & ipſe ſimiliter. Nec eſt ita ſecreta cogitatio in nobis quin poſſit eam intelligere: Angeli tamen mali non permittuntur intelligere cogitationes: multa enim poſſunt potentia naturali, quæ non permittuntur eis, licèt poſſent, ſi permitterentur potentiæ ſuæ. Poſſent enim mouere totam terram, ſed quandoque non permittuntur mouere lapidem. Quando igitur dicitur quòd *Deus ſolus nouit ſecreta cordium, & nemo alius nouit, quæ ſunt hominis:* hoc probat quòd Beati non poſſunt cognoſcere omnia ſecreta.

Cogitationes cordium ſunt obiecta proportionata intellectui beati.

Angeli mali & animæ damnatæ non permittuntur videre cogitationes noſtras.

5.

Reſpondeo igitur quòd Deus, tanquam iudex reſeruans ſibi vniuerſale iudicium, non vult quòd alteri hoc concedatur, quia hoc eſt tanquam proprium iudici vniuerſali, ſcilicet cognitio omnium ſecretorum. Sicut igitur Deus non vult tribuere alicui iudicium vniuerſale, ita nec alicui vult concedere ſcientiam, vel notitiam vniuerſalem meritorum, vel demeritorum, & ita non permittuntur Angelo bono ſcire omnes cogitationes cordis, neque malo, niſi valdè pauca.

Quomodo dicitur, ſolus Deus nouit abſcondita cordis.

Ad aliud, quando dicitur de oratione extra ſtatum meriti, dico quòd oratio habet duplicem rationem meriti, ſcilicet in actu elicito; ſecundò in actu exauditionis, & impetrationis. Poteſt igitur ſeparari ſecundum à primo, & ſic poſſunt orare pro nobis, & non eſt neceſſe ad hoc cognoſcere orationes noſtras. Nec eſt inconueniens, nec fruſtrà ſic orare pro nobis, licèt non cognoſcant orationes noſtras: ſicut enim in nobis eſt meritum orando, ita & in Sanctis intercedendo: vt videtur in Regum & Principum amicis, qui intercedunt pro aliis. Vel poteſt dici, quòd ſi non ſit meritum illis, eſt tamen aliis meritum, ſicut dicitur de Chriſto, quòd poſt primum inſtans conceptionis ſuæ, ſiue infuſionis animæ in corpore, nihil meruit ſibi, ſed fuit beatus in ſe, tamen pòſt

meruit, non ſibi, ſed aliis. Et ita poteſt dici in propoſito de Angelis, &c.

DISTINCTIO XLVI.

De miſericordia & iuſtitia Dei.

QVÆSTIO I.

Vtrùm in punitione malorum concurrat miſericordia cum iuſtitia?

Alenſ. 1. *p. q.* 39. *n.* 2. D. Bonau. *hîc art.* 2. *per totum.* Rich. *a.* 2. *q.* 3. D. Thom. *q* 2. *a.* 2. Argent. *q.* 1. *a.* 3. Baſſol. *quæſt.* 1. *a.* 3. Scot. *in Oxon. hîc quæſt.* 4.

1. *Argument. primum negatiuum. Auguſt.*

VIDETVR quòd non. Auguſtinus in libro 83. quæſtionum, quæſt. 3. *Nullo ſapiente auctore fit homo deterior*; igitur multò magis Deo auctore, cùm Deus maior ſit omni ſapiente, non fiet homo deterior; ſed qui addit malum malo, facit totum deterius, ſicut addens bonum bono, facit totum melius, *Topic.* 3. vt igitur ſit conſummata iuſtitia, videtur quòd malum pœnæ debeat correſpondere malo culpæ ſine miſericordia.

Secundum. Item, quòd non ſit iuſtitia in punitione malorum, quia *ſecundùm modum delicti eſt & plagarum modus*, Deuter. 25. ſed delictum non eſt æternum; igitur non eſt iuſtitia, ſi ſit æterna punitio ſecundùm plagarum modum, &c.

Tertium. Item, iuſtitia iuſti eſt ad correctionem, non ad condemnationem ipſius in Pſalmo 140. *corripiet me iuſtus in miſericordia*, & Philoſophus dicit 3. Ethicorum quòd pœnæ ſunt ſicut medicinæ malorum, non deſtructiuæ.

Quartum. Item, quòd non concurrat miſericordia, videtur, quia Iacob 2. dicitur, *fiet ei in iudicium ſine miſericordia.*

Quintum. Item, Auguſtinus ſuper Pſalm. 24. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.*

Sextum. Item, in Apocalypſi 18. dicit, *quantum glorificauit ſe in delicijs, tantum date ei tormentum, & luctum*, &c.

Ratio ad oppoſitum. Contrà, in Pſalmo 24. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas*, igitur nunquam erit iuſtitia Dei ſine miſericordia, nec è conuerſo.

Item, Caſſiodorus ſuper Pſalm. 50. dicit hoc expreſsè.

Item, Gloſſa ſuper illud Pſalm. 10. *Pluit ſuper peccatores laqueos*, &c. dicit quòd ſicut Deus eſt iuſtus, ſic & miſericors, &c.

QVÆSTIO II.

Vtrùm in Deo ſit iuſtitia?

D. Thom. 1. *part. quæſt.* 21. *art.* 1. & 1. 2. *quæſt. vlt. art.* 1. & *hîc quæſt.* 1. *art.* 1. Richard. *a.* 1. *q.* 1. Vaſq. 1 *p. d.* 85. & 86. & 1. 2. *d. vlt.* Suar. *opuſc. de iuſtitia, qua Deus reddit præmia.* Scot. *in Oxon. hîc q.* 1.

2. *Primum arg. negatiuum.*

VXTA hoc quæro ſecundò, *Vtrùm in Deo ſit iuſtitia?* Videtur quòd non. Philoſophus 5. Ethicorum, cap. 11. *Domini ad ſeruum non eſt iuſtitia*, quia non eſt ibi æqualitas, in qua conſiſtit ratio iuſtitiæ: ſed Deus omnium eſt Dominus; igitur,

Secundum. Item, Philoſophus 10. Ethicorum, cap. 8. dicit quòd inconueniens eſt Deum laudari ab actibus virtutum; ſi igitur non conuenit ei laus, multò fortiùs non conuenit ei virtus iuſtitiæ.

Tertium. Item, temperantia non ponitur in Deo; igitur nec iuſtitia.

Quartum. Item, iuſtitia eſt quidam habitus inclinans voluntatem ad debitum reddendum: ſed Deus nihil debet; ergo non eſt neceſſarium in Deo ponere iuſtitiam.

Ratio ad oppoſitum. Contrà, Pſalm. 47. *iuſtitia plena eſt dextera tua*, &c.

QVÆSTIO III.

Vtrùm in Deo ſit miſericordia?

Alenſ. 1. *p. q.* 30. *m.* 1. D. Thom. 1. 2. *q.* 30. & *hîc q.* 2. *a.* 1. Rich. *a.* 2. *q.* 1. Argent. *q.* 1. *a.* 4. Scot. *in Oxon. hîc q.* 2.

3. *Arg. primum negatiuum.*

VRSVS iuxta hoc quæro tertiò, *Vtrùm in Deo ſit miſericordia.* Videtur quòd non. Damaſcenus *lib.* 2. *cap.* 13. iuſtitia non differt à miſericordia, ſed in Deo nullum iſtorum eſt; igitur, &c.

Secundum. Item, Deus quaſdam miſerias infligit vt pœnas, & quædam aliæ permittuntur à Deo, vt culpæ; ſed ſi eſſet in eo miſericordia, poſſet impedire hoc, quod non facit; igitur in Deo non eſt miſericordia.

Ratio ad oppoſitum. Contrà, Pſalm. 101. *In multitudine miſericordiæ tuæ*, &c.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm in Deo diſtinguantur iuſtitia & miſericordia?

Alenſ. 1. *p. q.* 48. *m.* 3. D. Bonau. *hîc a.* 2. *q.* 2. Henr. *quodl.* 5. *q.* 3. D. Thom *q.* 2 *a.* 3. Argent. *q.* 1. *art.* 3. Baſſol. *quæſt.* 1. *art.* 3. Scot. *in Oxon. hîc quæſt.* 4.

4. *Arg. primum affirmatiuè.*

VXTA hoc quæro quartò, *Vtrùm in Deo diſtinguantur iuſtitia & miſericordia?* Videtur quòd ſic. Dicit Caſſiodorus ſuper Pſalm. 50. *hæ duæ res*, &c.

Secundum. Item, ſi eſſent idem, ab eis procederet idem effectus: ſed iuſtitiæ & miſericordiæ ſunt effectus diuerſi, & oppoſiti, quia iuſtitiæ effectus eſt retribuere ſecundùm merita; opus autem miſericordiæ eſt tribuere aliquid ſine meritis; ſicut habetur de iuſtitia, Pſalm. 61. *Tribuit vnicuique iuxta opera ſua*, & de miſericordia habetur in Pſalm. 78. *Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ*, &c.

Ratio ad oppoſitum. Contrà, Auguſtinus 11. de Ciuitate Dei, c. 10. *ſimplicitas diuina, quia eſt quidquid habet, exceptis oppoſitis relatiuè:* ſed iuſtitia, & miſericordia non ſunt proprietates relatiuæ, nec perſonales, ſed magis ſunt eſſentialia & communia attributa; igitur non diſtinguuntur in Deo.

SCHOLIVM I.

Ponit definitionem iuſtitiæ generaliorem ex Anſelmo, & ſpecialiorem ex Philoſopho, & diuidit in iuſtitiam ad ſe, & iuſtitiam ad alterum. Et hæc ſecunda tantùm eſt ſimpliciter iuſtitia. Reſoluit iuſtitiam in Deo non diſtingui à voluntate, alioquin tenderet in aliquod obiectum contra iuſtitiam, quia hæc non tendit in contraria. Habetur ex Anſelm. cit. & ex Auguſt. ſerm. 16. *de verb. Apoſt. Bernard. ſerm. de annuntiat.*

tiat. D. Thom. 1 2. q. vlt. a. 1. de quo latè Vasq. 1. 2. d. 86. vbi ad vires agit contra Suar. Ait demum quidquid facit Deus circa creaturam iustum esse, & si faceret oppositum, etiam iustum esset: & per hæc expeditur secunda quæstio.

5. REspondeo primò ad secundam, & tertiam, & ad quartam quæstionem, deinde vltimò soluenda est quæstio prima. De secunda igitur quæstione, qua quæritur, *Vtrùm iustitia sit in Deo*, dicit Anselmus in libro de veritate, cap. 12. quòd *iustitia est rectitudo voluntatis sola mente perceptibilis*. Vnde ista ratio competit omni iustitiæ in communi acceptæ, respectu cuiuscunque actus, & æqualiter isto modo hæc definitio competit misericordiæ, quia misericordia est rectitudo voluntatis, &c. oportet igitur specificare rectitudinem iustitiæ, vt distinguatur à misericordia: specificatur autem iustitia in operibus *ad alterum* secundùm Philosophum 5. Ethicorum, *cap.* 3. ex hoc igitur sequitur quòd in Deo sit iustitia, eo quòd Deo competit actio voluntaria in respectu ad alterum, in quantùm habet actionem, siue operationem vniuersalem respectu cuiuslibet creaturæ. Vnde cuilibet creaturæ verè potest dici illud Apostoli, *Quid habes quod non accepisti?* Iustitia autem erit in voluntate eius, quæ omnino impeccabilis est, quia immutabilis, & inuariabilis est, & ideò non est iustitia in Deo respectu sui ipsius, sed ipsa iustitia Dei est semper ad alterum, iustitia autem in voluntate nostra semper vel est ad alterum, vel quasi ad alterum. Dico autem *quasi ad alterum*, quia pœnitentia est quædam iustitia, quæ est ad se, sed tamen non est ita ad se, quin sit æqualiter vt ad alterum, quia est quædam satisfactio Dei. Potest igitur Deus considerari vt alter à se, & sicut dicunt Doctores, quòd voluntati diuinæ competit facere quod debitum est, & quicquid condecet fieri, & sic iustitia quædam ad se dicitur vno modo.

Anselm. *Duplex iustitia definitio.*

Iustitia est in Deo secundùm vtramque definitionem.

6. Alio modo dicitur iustitia vt ad alterum simpliciter, vnde voluntas diuina rectè per iustitiam operatur ad alterum, id est, ad creaturam dupliciter, scilicet distribuendo, & commutando, distribuendo verò operatur Deus ad alterum per æqualitatem proportionis. Ista autem iustitia distributiua Dei requirit duas proportiones in creaturis, & similitudinem inter eas. Vt sicut se habet natura ad naturam secundùm similitudinem in entitate, ita se habeat natura ad naturam in perfectione, id est, perfectio vnius naturæ ad perfectionem alterius secundùm æqualitatem, & perfectionem virtutis.

Iustitia ad alterum vna distributiua, altera commutatiua.

Iustitia distributiua supponit duas conditiones, similitudinis & æqualitatis.

Similiter est in Deo quodammodo iustitia commutatiua. In commutando autem requiritur æqualitas quantitatis, & vbi non potest seruari talis æqualitas, tunc seruanda est æqualitas proportionis, sicut potest esse æqualitas secundùm proportionem inter superiorem & inferiorem. Vnde inter meritum & præmium non est simpliciter æqualitas quantitatis, nec inter pœnam & demeritum; ergo est in hoc talis proportio, quia decet Deum dare magna præmia; cuiuslibet enim est facere secundùm statum suum. Deus enim non est Rex Alexander *, qui noluit dare magnum, nec paruum. Hoc autem dicitur de habitu, secundùm quod congruit voluntati suæ.

In iustitia mutatiua requiritur æqualitas quantitatis, vel proportionis.

* Legendum potiùs *Antigonius*, qui Cynico negauit talentum, quod plus esset quàm Cynicum petere deceret; & denarium, quod minus esset quàm deceret Regem dare.

Patet igitur secundùm prædicta, quòd in Deo est duplex iustitia, vna est rectitudo voluntatis, quæ consistit in actionibus ad alterum, vel quasi ad alterum; & hæc est in ordine bonitatis suæ, siue in ordine ad condecentiam bonitatis suæ, qua est communicatiuus aliis, & præter istam iustitiam nunquam agit Deus. Alia autem est iustitia in Deo ad alterum, secundùm exigentiam, & decentiam Dei, & hoc dupliciter, vt dictum est, vel commutando, vel distribuendo aliis, & præter hunc ordinem iustitiæ aliquando agit, non enim semper agit per talem iustitiam, imò eam aliquando prætermittit.

7. Ista igitur est via, & modus vnus * dicendi in quæstione ista, & colligitur ex dictis Sanctorum. Vnde de istis duabus iustitiis loquitur Anselmus in suo Prosologio, cap. 10.

Huc procul dubio alludit Scotus. *Vide Plutar. in Apoph. Reg. Deus semper agit iuxtæ iustitiam in ordine ad condecentiam suæ bonitatis.*

* *Opinio S. Thomæ.*

Anselm.

Alia autem est via *, quæ dicit quòd non potest poni in Deo alia, & alia iustitia, sed vna & eadem. Magis enim debet esse vna in Deo, quàm in nobis; sed in nobis idem est habitus iustitiæ, qui inclinat ad finem proprium, & ad alia, quæ sunt ad finem ordinata; igitur in Deo videtur quòd sit iustitia vna, & eadem, re & ratione.

* Rich. hîc art. 2. q. 2.

8. Dicetur fortè ad hoc, verum est, est eadem in se, sed alia, & alia, quia est ad effectum alium & alium.

Sed quantùm ad illud, quod dicebatur suprà, in alia via, siue modo dicendi, scilicet quòd Deus nunquam prætermittit primam iustitiam, sed semper agit per eam, dicit quidam Doctor *, quòd Deus non potest iustè secundùm primam iustitiam, quæ est in ordine ad condecentiam bonitatis diuinæ damnare iustum, nec saluare damnatum. Sed Deus secundùm aliam iustitiam, quæ est secundùm exigentiam, & decentiam Dei in distribuendo, & commutando, benè potest saluare damnatum, & damnare iustum, quia Deus aliquando talem iustitiam prætermittit.

* S. Thom. hîc q. 1. & 2. *An Deus possit saluare damnatum & condemnare iustum.*

Sed contra hoc sic arguo: Voluntas diuina, quæ est prima regula omnium agibilium, & omnium actionum, & actio diuinæ voluntatis, ex quo est prima regula, est prima rectitudo. Ex hoc enim quòd aliquid competit voluntati diuinæ est rectum, & quamcunque actionem Deus possit habere, absolutè est recta; sed quodlibet quod non includit contradictionem, non repugnat voluntati diuinæ absolutè; igitur quidquid Deus faciat, vel agat, erit rectum, & iustum. Sic igitur iustitia Dei erit æquè ampla, sicut potentia absoluta Dei, & per consequens iustitia in Deo non erit, sicut habitus, qui determinat ad aliquid determinatum, & ad vnam partem contradictionis, quia nullus habitus potest inclinare ad opposita; sed potentia voluntatis diuinæ absoluta est ad opposita; igitur & iustitia in Deo est ad opposita.

Reijcitur hoc postremum.

Quicquid Deus agit iustum est.

Sed quomodo iste Doctor hîc loquitur, nescio, quia dicit quòd de potentia ordinata Deus non potest, sed de potentia absoluta; & alibi dicit quòd voluntas diuina est prima regula, & ex hoc sequitur quòd omnis actio Dei sit prima rectitudo voluntatis Dei; igitur nihil potest agere nisi secundùm iustitiam, siue damnet iustum, siue damnet iniustum.

9. Dico igitur ad ista, quòd iustitia Dei secundùm condecentiam voluntatis non limitatur per aliquid extrà, sed est indifferens omnino, & indeterminata. Potest igitur dici secundùm hoc, quod in Deo non est nisi vna iustitia re & ratione, & quòd non inclinat nisi ad vnum actum, & vnum obiectum re & ratione. Vnde iustitia & rectitudo voluntatis diuinæ propter bonitatem diuinam, & inclinantis ad actum rectum propter diuinam bonitatem, & secundùm hoc non oportet addere ad definitionem Anselmi illud, quod dicitur ab isto,

Iustitia Dei est rectitudo suæ voluntatis.

iſto Doctore: ſcilicet, *propter ſe*. Dico igitur quòd non includitur iſta iuſtitia ad voluntates poſteriores Dei; ſed præcisè ad iſtum actum amandi propter ſe, ſed tamen quia potentia poteſt habere plures actus, non quemlibet actum modificat iſta iuſtitia reſpectu diuerſorum obiectorum, quemlibet autem actum regulat; & licèt iſtum actum amandi Deum propter ſe modificet, non tamen ad hunc actum inclinat, quia indifferens eſt talis iuſtitia Dei, & indeterminata ad oppoſita, ſicut potentia Dei, ſiue voluntas eius. Et ideò quidquid voluntas Dei poteſt velle, abſolutè poteſt ſecundùm hanc iuſtitiam velle, & ſic condecet, quicquid eſt in creatura, & quicquid fieri poteſt à Deo, quia voluntas Dei hoc vult.

Iuſtitia Dei eſt indifferēs ad oppoſita.

10. *Quomodo iuſtitia & miſericordia in Deo differūt.*

Ad propoſitum igitur diſtinguendum eſt de *iuſtitia*, & dicendum quòd iuſtitia poteſt comparari ad actum, ad quem inclinat, & iſte tantùm vnus eſt, & non poteſt in oppoſitum illius actus, quia eſt prima rectitudo voluntatis diuinæ, ſicut voluntas Dei eſt prima regula omnis actus, & ideò nullus actus à Deo poteſt non eſſe rectus, ſiue non regulatus; ſed ſemper rectus, & iuſtus. Secundò, iſta iuſtitia Dei poteſt comparari ad actum, quem modificat, & ſic diſtinguitur in Deo à miſericordia, & à perfectionibus aliis.

Quid ſit iuſtum in Deo reſpectu creaturæ.

Alia verò eſt iuſtitia Dei in rebus correſpondens creaturæ ad creaturam, ſed ſecundùm hanc iuſtitiam dicitur quòd iuſtum eſt quòd terra ſit deorſum, & ignis ſurſum. Iſta autem iuſtitia non eſt, Deus tamen ita facit ſecundùm iuſtitiam ſuam, licèt ex ſe non inclinetur ad hoc magis quàm ad ſuum oppoſitum. Poteſt enim Deus ſecundùm iuſtitiam ſuam iuſtè agere, quòd terra ſit ſurſum & ignis deorſum, & poteſt facere ſecundùm oppoſitum actum, faciendo ignem frigidum, &c. Vnde ſic poteſt dici, quòd iuſtitia quantùm ad vnum actum eſt limitata, ſcilicet quantùm ad primum actum, qui eſt rectitudo à prima regula, ſed quantùm ad omnes alios actus poſteriores eſt illimitata.

11. *Inſtantia.*

Sed contra hoc dicetur, quòd ſecundùm prædicta Deus poteſt velle iuſtè ratione primi actus, & iniuſtè ratione nolti, ad quod terminatur quod eſt iuſtum.

Soluitur.

Reſpondeo, quòd legiſlator reſpicit vnum iuſtum ſimpliciter, quod eſt iuſtum ſecundùm ſe, & hoc eſt bonum communicantis. Alia eſt iuſtitia particularis, quæ in caſu eſt contra primam iuſtitiam, quod eſt ſimpliciter, & ſecundùm ſe iuſtum, ſcilicet, ſi iſta iuſtitia particulari ſeruata deſtruitur prima. Aliquando autem iſta iuſtitia particularis eſt cum iuſto primo, reſpectu cuius eſt iuſtitia; nam iuſtitia particularis dicitur reſpectu iuſti, ſecundùm *quid*, quia in ordine ad primum iuſtum, & ad primam iuſtitiam. Sic igitur in propoſito ſe habet eodem modo, nam iuſtitia in creaturis eſt ſecundùm *quid*, quantùm in ipſis eſt, ſed iuſtū ſimpliciter dicitur quodcūque Deus vult voluntate ſua, ſiue velit vnū fieri, ſiue oppoſitū eius, excepto primo iuſto, quod correſpondet primæ iuſtitiæ, cuius oppoſitum non poteſt velle.

Nihil quod à Deo fit eſt magis iuſtum ſimpliciter quàm eius oppoſitum.

Dico igitur ad formam argumenti, quòd non eſt iniuſtè factum ratione obiecti noliti, ſiue quia obiectum eſt iniuſtum, quia illud eſt iniuſtum ſecundùm *quid*, & ideò relatum ad primam regulam, quæ eſt voluntas diuina, eſt iuſtum ſimpliciter, vel ipſum erit iniuſtum ſimpliciter, & aliud oppoſitum relatum ad primam regulam, ſcilicet ſuperioris, erit ſimpliciter iuſtum. Iſta eſt ſententia Anſelmi ſuprà citati dicentis *illud eſt iuſtum, quod ius, & iniuſtum, quod non ius.* Vnde non eſt hæc iuſtitia in creatura, nec per intellectum practicū, nec per intellectum ſpeculatiuum; ſed eſt iuſtum diuina iuſtitia, ſcilicet ratione diuinæ voluntatis. Iuſtum autem aliud in creaturis non eſt tantùm iuſtum, quia Deus vult niſi antecedente, inquantùm Deus dedit creaturis naturam illam, ſed eſt iuſtum correſpondens mutuò inter creaturas. Vnde iſta iuſtitia Dei non eſt reſtrictiua ad vnam partem plus quàm ad aliam, ſicut eſt iuſtitia in me & in te ad fieri, vel non fieri, ſicut ad ſeruandos actus diuini præcepti. Iniuſtum enim eſſet actus præcepti non ſeruare, ſed diuina iuſtitia non reſtringitur ad hoc, vel ad illud.

Sed contra hoc inſtatur. Non enim videtur ſecundùm hoc, quòd iuſtitia ſit virtus, eo quòd iuſtitia, quæ eſt virtus, ſequitur conditionem intellectus practici, quæ eſt in operatione ad finem. 12. *Inſtantia.*

Soluitur.

Reſpondeo, ſi virtus eſt recta, quia eſt conformis practicæ, multò magis quando eſt conformis principio practico, & ſecundùm illud principium practicū poteſt voluntas inclinare ſolùm ad opus; principia enim practica ſunt non ſequi neceſſariò ex concluſionibus. Si autem ſecundùm concluſiones practicas inclinatur voluntas, hoc eſt inquantùm principium practicum, & voluntas concurrunt, & de neceſſitate tales concluſiones ſequuntur ex principiis, & non pono practica, niſi omnia deducta ex principiis ſpeculabilibus. In Deo autem non eſt iuſtitia reſpectu concluſionum. Nulla eſt concluſio practica, quæ de neceſſitate ſequitur ex principio practico in diuinis, vt quia Deus vult bonitatem ſuam, non propter hoc ſequitur Petrum fore ſaluandum, ſiue Petrum ſaluari, ſiue aliquid huiuſmodi; imò omnino effectus quicunque reſpectu diuinæ voluntatis contingens eſt, & non ſequitur de neceſſitate.

Ad primum ſecundæ quæſtionis, quando dicitur quòd *domini ad ſeruum non eſt iuſtitia*, dicendū quòd alia iuſtitia eſt in Deo, quàm ſit domini ad ſeruū, quæ eſt rectitudo prima præcedens à prima regula, quæ eſt diuina voluntas, vt dictū eſt ſuprà. 13. *Ad primum principale 2. quæſtionis.*

Ad aliud, quando dicitur quòd *Deus non eſt laudandus ab actibus virtutum*, dico quòd laus & virtus non attribuuntur Deo propter imperfectiones, quæ ſunt in eis: nihil autem imperfectionis attribuimus Deo. *Ad ſecundum.*

Ad aliud, quando dicitur quòd *temperantia non eſt in Deo*, dico quòd temperantia ſtrictè loquendo non eſt in Deo, largè tamen accipiendo temperantiam, vt dictum eſt in tertio libro *, ſic non eſt inconueniens temperantiam ponere in eo, ſic per oppoſitum accipiendo largè *luxuriam* pro immoderata delectatione, poteſt poni in Angelis malis. Non enim credo quòd primum peccatum Angeli fuerit ſuperbia, ſed malis talis delectatio, vt oſtenſum eſt in ſecundo *, ſed iuſtitia non reſpicit tales paſſiones, ſicut temperātia; ideò nō eſt ſimile, quia ſi tēperātia propriè dicta nō ſit in Deo, nō propter hoc concluditur quin ſit ibi iuſtititia. *Ad tertium. Cur potiùs in Deo ſit iuſtitia quàm temperantia.* * In Oxon. diſt. 34. *Primum peccatum Angeli immoderata delectatio.* * In Oxon. diſt. 6. q. 2. *Ad quartum.*

Ad aliud, cùm dicitur, quòd iuſtitia eſt quidem habitus inclinans ad debitum reddendum: iam ſolutum eſt, quia iuſtitia in Deo non eſt habitus inclinans ad vnum determinatè, ſed eſt prima rectitudo voluntatis diuinæ.

SCHOLIVM II.

Ad tertiam quæſtionem explicat duo, quæ regulariter in miſericordia ſunt, ſcilicet triſtitiam & volitionem ſubleuandi, vel nolitionem miſeriæ alterius. Quoad primum nequit eſſe in Deo, qui eſt gaudium per eſſentiam: quoad

quoad ſecundum, eſt in eo ſimpliciter quoad electos, à quibus omnem miſericordiam aufert: & ſecũdùm quid, quoad reprobos, quos mitiùs punit quàm demerentur.

14. *Miſericordia duplex.*

AD tertiam quæſtionem, quando quæritur, *Vtrùm miſericordia ſit in Deo?* dicendum quòd *miſericordia* poteſt accipi dupliciter; miſericordia enim dicitur *quæ eſt nolle miſeriam miſeri.* Alio modo poteſt accipi *miſericordia* pro quadam paſſione conſequente nolitionẽ, quia ex nolitione ſequitur triſtitia quædam, quæ poteſt dici cõpaſſio inquãtùm miſeriam alterius facit ſuam. Vnde inquãtùm eã nollet ineſſe iſti, ſequitur triſtitia, & ſic miſeria facit miſerũ cor. Sic autem fortè poſſet dici, quòd miſericordia eſt virtus contenta ſub amicitia.

Miſericordia vt dicit nolitionem miſeriæ eſt in Deo, non verò vt dicit paſſionem, ſeu triſtitiam.

Ad propoſitum igitur dico quòd miſericordia ratione paſſionis, & triſtitiæ, non eſt in Deo, ſed tãtùm ratione nolitionis præcisè, & propriè eſt in Deo, Deus enim habet *velle* reſpectu cuiuſcũque, quod euenit poſitiuè, & habet ſimiliter *nolle* reſpectu eorum, quę prohibentur euenire. Sed *non velle*, ſiue *nolle* Dei nõ explicatur in creaturis ſicut *velle*. Diſtinguo igitur, quoniã miſericordia Dei diuerſimodè eſt in Deo, quia miſericordia in Deo, vt dictum eſt, eſt nolle miſeriã miſeri. Et hoc eſt dupliciter, vel nollo antecedẽter, vel nolle conſequenter. Primum *nolle* eſt in antecedẽtibus rem ipſam, ſecundũ eſt rei in ſe. Similiter nolle conſequenter eſt dupliciter, quia Deus poteſt habere *nolle* reſpectu ipſius miſeriæ, vel ſimpliciter, id eſt, totam miſeriam; & iſtud eſt miſericordia liberans totaliter à miſeria, & hæc miſericordia eſt in Deo reſpectu aliquorum, ſcilicet electorum. Alio modo Deus habet *nolle* reſpectu noſtræ miſeriæ ſecũdùm *quid*, & dico *ſecundùm quid*, id eſt, aliquam partẽ, & hæc dicitur miſericordia parcens, non liberans niſi à parte; & eſt ſimiliter in Deo reſpectu aliquorum in hac vita miſera; loquendo autẽ de miſericordia primo modo, quæ eſt nolle miſeriam, eſt in Deo, prout eſt nolle antecedenter, & eſt ibi ſufficienter miſericordia quãtùm in ſe eſt, nõ tamẽ eſt ibi miſericordia, quę eſt nolle miſeriã, conſequenter pro quãto eſt in re ipſa, quã conſequitur miſeria talis.

In Deo eſt nolle antecedenter & conſequenter ſicut & velle.

Miſericordia tam liberans quàm parcẽs eſt in Deo.

15. *Ad 1. Arg. q. 3. Miſericordia quà moderatiua paſſionis nõ eſt in Deo, ſed quà releuatiua miſeriæ. Ad ſecũdum.*

Ad primum tertiæ quæſtionis iſtius, quando dicitur de Anſelmo in Proſologio vbi definit miſericordiam, dico quòd talis definitio dicatur per remotum effectum, & talis effectus eſt paſſio quædam, & triſtitia, quæ non eſt in Deo, vt dictum eſt, ſed effectus propinquus eſt nolle miſeriam, & hoc modo miſericordia eſt in Deo.

Ad aliud, quando dicitur, infligit miſerias, & alias permittit; dicendum quòd miſericordia, ſiue liberans, ſiue parcens, debet eſſe, & eſt ſecundùm rectam rationem, & non eſt recta ratio omnes æqualiter liberari à miſeria, & à pœna, vt dicit Anſelmus lib. *Cur Deus homo, &c.*

SCHOLIVM III.

Tenendo in Deo eſſe duplicem iuſtitiam, quà reſpicit ſe & creaturam, miſericordia eſt pars eius: tenendo autem in eo eſſe tantùm vnam iuſtitiam re, & ratione, diſtinguitur formaliter à miſericordia, quia illa reſpicit exigentiam meritorum, hæc non. de diſtinctione formali attributorũ, vide Doct. in Oxon. 1. d. 8. q. 4. & aliàs ſæpè.

16. AD quęſtionem quartam, qua quæritur: *Vtrùm iuſtitia & miſericordia diſtinguantur in Deo?* Dico tenendo diſtinctionem, quam feci de iuſtitia, ſcilicet in comparatione ab bonitatem diuinam, & in comparatione ad creaturas, quia miſericordia non diſtinguitur in Deo à iuſtitia primo modo dicta, imò miſericordia eſſet quædam iuſtitia. Si autem accipiatur *iuſtitia* ſecundo modo dicta, ſic miſericordia non eſt iuſtitia, nec è conuerſo, quod patet, quia iuſtitia requirit exigentiam illius, cũm ſit diſtributio, vel commutatio; miſericordia autem non requirit hoc. Vnde ſecundùm hoc miſericordia plus eſt in Deo, quàm iuſtitia, quia Deus tantùm bonitate ſua mouetur, vt miſereatur. In operando autem opus iuſtitiæ, accipiendo *iuſtitiam* ſecundo modo dictam, non ſolùm bonitas diuina eſt motiua, ſed aliquid in creatura, quod exigit. Vnde quia primũ obiectũ eſt bonitas diuina, & priùs quàm aliud, quod ſit in creatura, ideò ratio iuſtitiæ in Deo prior eſt quàm miſericordia, & quodam ordine ab inuicẽ ſunt diſtincta. Et quia ratio miſericordię in diuina voluntate eſt reſpectu creaturę, ideò in Scriptura multùm commendatur Dei miſericordia, & quaſi parui pẽditur iuſtitia. Iuxta illud Eccl. 7. *Noli eſſe iuſtus multùm.*

Miſericordia & iuſtitia diſtinguũtur.

Quis ſit ordo iuſtitiæ & miſericordiæ in Deo?

Tenendo autem ſecundam opinionem de iuſtitia, ſcilicet quòd iuſtitia dicta primo & ſecundo modo, dicit eandem rem, ſecundùm rationem diuerſam, ſic dico quòd iuſtitia eſt alia à miſericordia, & manifeſta eſt differentia inter ea, quia iuſtitia reſpicit aliquid intrinſecum, quod non reſpicit miſericordia, & in creaturis patet æqualiter ordo, & diſtinctio inter iuſtitiam & miſericordiam, & iuſtitia eſt prior, vt dictum eſt.

17. *Ad 1. Arg. 4.*

Ad primum quartæ quæſtionis, quando dicit Caſſiodorus, quòd *ſunt duæ res in Deo*, dico quòd intendit dicere, quòd ſint duę perfectiones in Deo extendendo ad huiuſmodi rationes reales. Tenendo tamen opinionem iſtam poteſt dici aliqua dualitas realis. Ad aliud, quando dicitur, quòd *à iuſtitia & miſericordia procedunt diuerſi effectus*, dicendum eſt quòd aliqui multùm nituntur reſpondere huic argumento, quòd ſunt diuerſa in Deo, ſecundùm quòd dicunt aliud & aliud connotatum, & tamen ſequitur ex dicto Magiſtri, quòd *iuſtitia & miſericordia* in Deo important relationes rationis, & per conſequens non ſunt nomina ſynonyma, pro quanto eandem rem ſignificant, non ſub vna ratione, ſed ſub diuerſis.

Ad ſecũdum. Reſpõſio aliorum & Richardi vbi ſuprà.

Sed qui ſic ſoluunt, non euadunt argumentum, quia relatio rationis non eſt cauſa effectus realis; ſed effectus miſericordiæ & iuſtitiæ ſunt reales. Ergo oportet dare diſtinctionem inter ea vt ſunt principia effectuum realium.

Reiicitur. Relatio rationis non eſt cauſa effectus realis. Solutio Doct.

Reſpondeo igitur quòd Deus, ſiue intellectus diuinus, ita eſt intellectus, ac ſi non eſſet voluntas in Deo. Sic in propoſito dico, quòd ita eſt iuſtitia in Deo, ac ſi non eſſet ibi miſericordia: ſimiliter ibi eſt cauſa effectus realis, ac ſi aliqua alia cauſa non eſſet in Deo. Vnde de diſtinctione iſtorum dicendum eſt, ſicut dictum eſt in primo* de diſtinctione attributorum in diuinis, eãdem enim diffi cultas hîc, & ibi, in attributis eſt ſola diſtinctio quiditatiua, id eſt, non identitatis formalis, quæ non eſt tantùm diſtinctio rationis, ſed ex parte rei præter negotiationem intellectus.

* In Oxon. d. 8. q. 4. *Dei iuſtitia & miſericordia diſtinguuntur formaliter.*

SCHOLIVM IV.

Primum dictum pro hac quæſtione ſoluenda; in omni opere Dei cõcurrũt miſericordia & iuſtitia, *& explicat quomodo. Secundũ.* in dãnatis ſunt duæ priuationes pœnales; *prima eſt boni honeſti, ſcilicet, gratiæ; quæ non eſt aliud, quà obſtinatio in peccato; hæc eſt à Deo non poſitiuè, ſed deſertiuè: ſecũda eſt cõmodi, ſeu beatitudinis, & eſt pœna damni, & à Deo tãtùm negatiuè. Tertiũ,* in iiſdẽ ſũt quatuor pœnę poſitiuę, ſeu triſtitię. *Prima ſequitur nolitionẽ priuationis honeſti, ſeu peccatũ nolitũ, nõ propter Deum, ſed quatenus tollit immoderatè concupi-*

concupitum & dicitur vermis. Secunda, ſequitur priuationem commodi, ſeu beatitudinis, & dicitur abſorptiua. Tertia, detentionem localem ignis, & dicitur incarceratio. Quarta, ſequitur conſiderationem perpetuam & nolitam eiuſdem ignis, & dicitur excæcatio. Iſta quatuor pœnæ ſunt à Deo mediatè, & à creatura immediatè. Puto immediatam cauſam eſſe nolitionem diſconuenientis poſiti in eſſe, *de quo in 3. d. 15. Vide Doct. in Oxon. hic fuſius q. 4. vbi art. 3. explicat in particulari, quomodo iuſtè ſingulis pœnis præfatis puniatur dãnati.*

18. *Prima quæſt.*

AD primam igitur quæſtionem, qua quæritur, *Vtrùm in punitione malorum concurrat miſeritordia cum iuſtitia?* dico primò de veritate quæſtionis, quæ ſatis patet per auctoritatem illam Pſ. 24. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.* Ex quo patet quomodo Deus in omni actione ſua ita eſt iuſtus quòd miſericors, & è conuerſo.

In omni opere Dei miſericordia & iuſtitia conuertuntur.

Primum igitur, ſcilicet quòd Deus in omni opere ſit iuſtus, declaro ſic: ille artifex eſt iuſtus, qui producit artificium vniformiter ad artem ſuam, non fallentem: ſed Deus omnia producit, & facit vt artifex in conformitate primæ regulæ, quæ eſt voluntas eius, vt dictum eſt ſuprà; igitur Deus eſt iuſtus in omni opere.

Iuſtitia Dei probatur.

Miſericordia Dei probatur.

Secundum, ſcilicet quòd Deus ſit miſericors, ſic oſtendo: Ille eſt miſericors, qui ſubuenit indigenti; Deus omni ſubuenit indigenti; ergo eſt miſericors. Et ſicut eſt miſericors quia ſubuenit indigẽti, ſic eſt iuſtus, quia producit vniformiter regulæ nõ fallenti. Ex his patet quòd *omnes viæ Domini miſericordia & veritas*, Pſ. 24. & per cõuerſionẽ viæ noſtræ debent eſſe tales; igitur ſi opera noſtra ſunt talia, quę inclinẽt ad veritatem, & miſericordiam, tunc participãt de diuina iuſtitia & miſericordia.

19. *An iuſtitia punitionis ſit à Deo.*

Vlteriùs ſi quæratur: *Vtrùm iuſtitia punitianis ſit à Deo*, dico quòd punitio non eſt niſi priuatio, ſiue carentia boni conueniẽtis, & illatio mali diſconuenientis. Bonum autem eſt duplex, ſcilicet honeſtum, & hoc eſt bonum gratiæ: & commodũ, quod eſt bonum perceptibile, & ſecundùm hoc eſt duplex priuatio, ſiue carentia boni. Nam bono honeſto & gratiæ correſpondet culpa, & bono commodo correſpondet pœna pro carentia, ſiue priuatione, & requiritur quòd talis carentia boni, vel illatio mali ſit perceptibilis. Sed quid ſit in damnatis bonum commodum, dicetur in ſecundo *, de peccato & obſtinatione malorum. Alia eſt carentia boni commodi, & conuenientis, & vocatur *pœna damni*. Sed carentia prima, quæ eſt priuatio boni honeſti, licèt ſit maior, quàm ſecunda, quia eſt priuatio gratiæ, quæ ſemper eſt cum culpa, non tamen habet formaliter aliquam cauſam poſitiuam, ſed diſpoſitiuam, id eſt, culpam. Et hoc dico inquantùm eſt carentia gratiæ formaliter, & hæc habet cauſam poſitiuam, ſcilicet actũ peccati ſubſtratum deformitati culpæ, & habet eſſe iuſtitiam in Deo, qui non agit influendo gratiam propter indiſpoſitionem, quæ eſt in creatura; ſed malum diſconueniens non poteſt eſſe communiter niſi triſtitia: quia non poteſt eſſe aliquis actus intellectus, vel voluntatis, quia nullus talis eſt diſconueniens, quia *intelligere* non diſconuenit intellectui, neque *nolle* voluntati: ita enim conuenit voluntati nolle aliquid, ſicut velle aliud, & ideò malum diſconueniens eſt paſſio conſequens actum voluntatis, ſcilicet triſtitia. Vnde triſtitia conſequitur carentiam boni commodi, id eſt, beatitudinis, & ſic ſi percipiat ſe carere bono commodi, ſiue beatitudinis, triſtatur.

Priuatio boni duplex ſicut & bonum, cui correſpondet.

* diſt. 6. q. 2.

Malum diſconueniens eſt triſtitia.

20. Sed de pœna damni triſtatur, inquantùm eſt cum carentia commodi, quia illa priuatur beatitudine. De cauſa autem carentiæ commodi, ſcilicet de cauſa diſpoſitiua, vel defectiua pœnæ damni, quę eſt culpa, triſtatur & dicitur *vermis* inquantùm diſpliceat eis commiſiſſe peccatum, non quòd eis diſpliceat inquantùm commiſerunt contra iuſtitiam, ſed inquantùm eſt ſibi ablatio commodi, ſiue beatitudinis. Si autem *triſtitia* accipiatur, vt eſt in intellectu & voluntate, ſic eſt triſtitia alia à prima, non quòd triſtitia ſit in actu voluntatis, niſi quia ab obiecto diſconueniente, quia nolitio inquantùm eſt contra volitionem liberam, & contra imperium voluntatis, & ſi eſt ibi obiectum nolitum diſconueniens inquantùm determinatur diffinitiuè contra imperiũ voluntatis ad aliquod obiectũ nolitũ, vtſuprà dictũ eſt, de igne afflictiuo.

Pœna vermis quid.

Quadruplex triſtitia & duæ priuationes in damnatis.

Sic igitur patet ex dictis quomodo ſunt quatuor poſitiones mali diſconuenientis; ſcilicet quatuor triſtitiæ, quæ ſunt quædam formæ diſplicientiæ, & contra voluntatem; duæ autem ſunt priuationes boni conuenientis, & quia iſtæ triſtitiæ ſunt entia poſitiua, & dicunt aliquid poſitiuè, ideò poſſunt eſſe à Deo, licèt non immediatè, ſed mediante aliqua diſpoſitiua, vel defectiua cauſa: aliæ autem non ſunt à Deo, quia ſunt priuationes vt dictum eſt.

SCHOLIVM V.

Explicat quomodo concurrit iuſtitia in punitione, & etiam miſericordia, non liberans à toto malo, ſed parcens, id eſt, citra condignum puniens. Quod verò Deus ſic puniat, tenet Aug. 21. Ciu. c. 24. Caſſiod. in Pſal. 51. D. Thom. hîc q. 2. art. 2. & 1. p. q. 21. art. 4. cuius rationem ad hoc Doctor efficaciter reiicit. Quod verò Deus vltra condignum præmiet, omnes admittunt, & conſtat ex illo, non ſunt condignæ paſſiones, &c. *Vide Doct. latiùs de hoc in Oxon. hîc q. 4. art. 4.*

21. *An in punitione malorũ concurrat vtraque iuſtitia cum miſericordia.*

DE ſecundo principali, an ſcilicet *concurrat in punitione malorum vtraque iuſtitia cum miſericordia, & vtroque modo?* Reſpondeo quòd vtroque modo concurrat, ſcilicet iuſtitia prout eſt in Deo, & vt iuſtitia eſt correſpondens in creaturis. Correſpondet enim diuinæ bonitati, & eſt quædam correſpondentia inter malum culpæ, & pœnam, quæ ordinet culpam. Hoc autem ſuadetur ſic: ſicut enim eſt duplex bonum in genere, ſcilicet delectabile & honeſtum; bonum enim vtile ordinatur ad iſta duo bona; bonum autem honeſtum eſt, quo modo homo benè meretur, bonum verò commodi eſt quod redditur ei pro præmio, & habet quandam habitudinem bonam ad bonum meriti, ſcilicet iuſtitiam; ita eſt in propoſito, quia malum inhoneſtum culpæ, & malum incommodi pœnæ habent habitudinem iuſtitiæ. Sicut enim eſt habitudo inter duo bona prædicta, ſic eſt habitudo quædam iuſtitiæ inter hæc duo mala eis oppoſita. Hoc autem patet per Boëtium quarto de conſolat. probat enim ibi quòd *non poteſt eſſe melius manenti malo quàm pœna.* Quando enim additur peccatori malum pœnæ, inter malum culpæ illius & pœnam non eſt niſi bonum iuſtitiæ, quia ſi non eſt in illo bonum iuſtitiæ, nullum bonũ eſt in eo, ſcilicet in peccatore, niſi natura, ſed deficit habitudo bona; & reſpectus additus culpæ, per quem habet culpa bonum ſuperadditum, ſcilicet iuſtitiam, reſpectu pœnæ ſuperadditæ culpæ.

Habitudo pœnæ ad culpam bona eſt, etſi mali ad malum.

Sic igitur patet quòd ſecundùm vtramque opinionẽ cõcurrit duplex iuſtitia, ſcilicet iuſtitia, quę eſt in Deo, & iuſtitia in habitudine ad creaturas (nã ſecundùm primã opinionẽ eſt duplex iuſtitia,

ſcili

ſcilicet iuſtitia,quæ eſt in Deo,& iuſtitia,quæ eſt in habitudine ad creaturas:prima eſt quaſi principium,& alia quaſi effectus,& ſecundùm aliam opinionem, iuſtitia ſecundùm nolitionem diuinam eſt in nolito,& ſecundùm aliam opinionem eſt in vno tantùm iuſtitia.

22. *Miſericordia parcens tantùm cõcurrit in punitione. Ratio D. Tho. non placet.*

Sed éſtne in punitione malorum miſericordia? Reſpõdeo:dixi ſuperiùs de miſericordia, quæ eſt totaliter liberans,& illa nõ eſt ibi,ſed eſt ibi miſericordia parcens, quæ non vult totam pœnam illam,ſed partem, quia eſto quòd illa pœna, vel punitio debeatur alicui ſecundùm ſtrictã iuſtitiã vſque ad decẽ gradus, Deus nõ punit in decimo gradu,ſed citra illum gradum. Ponitur autem ad hoc talis ratio,quæ mihi nõ placet:Agens & patiens ſunt proportionabilia,& quando ſunt inæqualia non ſe habent in eadem proportione niſi ad inæqualia. Si igitur agẽs eſt inæquale paſſo,& actio erit inæqualis paſſioni. Deus autẽ eſt ſicut agens,& datio Dei ſicut actio; punitio autem & priuatio ſicut paſſio:Deus verò excedit magis in liberalitate in dando quàm competat receptio recipienti.Eodem modo eſt de donatione minùs boni,quod eſt malum, vt inferre malum pœnæ citra condignum eſt aliquod bonum, licèt ſit malum pœnæ ſecundùm Philoſophũ in Ethicis.

Ratio D. Tho. reiicitur dupliciter.

Dico igitur,quòd ratio pulchra eſt,ſed nõ cogit;concedo tamen concluſionem. Ratio autem ita infirmatur:quia cùm Deus incomparabiliter excedat creaturam totam in infinitum,igitur infinitum debet dare creaturę,ſi ratio dicta valeret. Similiter non intelligo aliud dictum, quando dicitur,quòd tota actio, vel totus effectus,non recipitur in paſſo, quia tunc non ageret in paſſum ſecundùm illud quod non recipit. Vnde in agentibus æquiuocis totũ recipitur in paſſo proportionabiliter,nam ſi tota actio,vel totus effectus, non recipitur in paſſo,igitur agẽs aliquid efficit, & non in paſſo, quod eſt impoſſibile; & dico quòd ſicut in vniuocis agentibus,ita in æquiuocis totus effectus recipitur in paſſo.

23. *Cõgruentia Doctoris pro concluſione.*

Poteſt ad hoc poni ratio congrua, ſiue congruẽtia Apoſtoli Iacobi 2.cap. *Superexu'tat miſericordia iudicio.*nunquam enim eſt ita congruum iudicium ſecundùm iuſtitiam in creaturis, quin miſericordia excedat iudicium, tam ex parte pœnæ inflictæ,quàm ex parte iudicis; in ſubtrahendo mala, ſemper miſericordia in Deo ſuperexaltat iudicium.

Inſtantia remouetur.

Si dicis quòd miſericordia deſtruat iudicium; ergo non ſuperexaltat, ſed deſtruit. Reſpondeo quòd in nobis ſubtrahere bonum debitum, vel infligere malũ indebitum eſt iniuſtitiæ, ſed dare alicui,quod non eſt debitũ,nec eſt iniuſtitiæ,nec malum.quia ſic liberalis eſſet iniuſtus,& malus; liberalitatis enim eſt dare alicui bonum indebitum. Licèt igitur bonis ſit debitum bonum dare, non tamen peccatoribus eſt debitum;ſed ſi datur eis,eſt liberalitas,& miſericordia. Eodem modo eſt infligẽdo mala,poteſt enim Iudex minùs punire,& minùs infligere pœnam pro peccato cõmiſſo in eum,licèt pro commiſſo contra iuſtitiã non deberet minus malum infligere. Similiter Deùs cùm dicitur minus malum infligere,quàm deberet debitum peccatori,eſt quoddam bonum dare,& pro tanto eſt quædam miſericordia,quæ non deſtruit iuſtitiam nec iudicium, vt dictum eſt, ſed tollẽdo bonum, quod debet; vel maius malum infligere quàm deberet, hoc eſſet iuſtitia.

Quid ſit iniuſtitia in puniendo vel præmiando.

SCHOLIVM VI.

Ad ſecundum,explicat æternitatem pœnæ ideò iuſtè reſpondere culpæ temporali,quia hæc durat in æternum, & probat ex Aug. ait tamen illam æternitatem nõ eſſe de per ſe ratione pœnæ peccati mortalis,quia iuſtè poſſet puniri pœna tẽporali,ſi peccator annihilandus eſſet: iuſta tamen eſt æterna punitio pro temporalibus culpis, ſicut & æterna retributio pro meritis temporalibus, ſuppoſito Dei pacto. Vide ſchol. in Oxon. hîc num. 20. & Doct. d. 49. q. 6. art. 1. vbi ait æternitatẽ beatitudinis cadere ſub meritũ iuſtitiæ liberalis, ſuppoſito Dei pacto.

24. *Ad primum principale q 1.*

AD primum argumentum huius quæſtionis, quando dicitur quòd *nullo ſapiẽte ſit homo deterior*, dicendum quòd Auguſtinus loquitur ibi de malo culpæ,non de malo pœnæ.

Inſtantia remouetur.

Sed dices quòd iſte damnatus, & ſic punitus, eſt ſimpliciter deterior propter pœnã damnationis. Reſpondeo quòd ſtante primo malo, ſcilicet culpæ,iſte non eſt ſimpliciter deterior,loquendo de bonitate in ordine ad bonum vniuerſi, nõ tamẽ loquendo de bonitate ſibi propria. Exemplũ patet in natura,nam defectus viſus in cæco nato mãius bonum fuit in ordine vniuerſi,quàm ſi vidiſſet in natiuitate;tunc enim non fuiſſet factum miraculum à Chriſto in illo cæco nato, nec per eum aliqui credidiſſent fideles,licèt cæcitas non eſſet ſibi tantum bonum ſimpliciter ſicut viſus. Iſta igitur ſtãt ſimul,ſcilicet quòd aliquid ſit malum iſti,& quòd ſimpliciter ſit bonum in ordine vniuerſi. Sic autem eſt in propoſito,nam iſte ſic punitus,& damnatus,habet modò bonum,id eſt, pœnam debitam,& inconuenientem pro peccato,& priùs non habebat hoc, quod congruebat illi,modò tamen habet,quando eſt ei pœna inflicta,licèt ſibi non ſit bonum,eſt tamen bonum in ordine vniuerſi.

Malum particulare quãdoque eſt bonum vniuerſi.

25. *Ad ſecundũ.*

Ad aliud, cùm dicitur quòd *ſecundùm modum delicti erit & plagarum modus*;ſed delictum non eſt æternum; igitur nec punitio debet eſſe æterna. Reſpondet ibidem Gregorius. Et ſi arguas quòd iſte peccauit cum propoſito pœnitendi;ergo pœna non debet eſſe perpetua. Reſpondeo, quòd iſte quantùm eſt in ſe, quãdo peccat,facit actum voluntarium, ad quem quantùm eſt ex natura actus,ſemper habebit eſſe in peccato, quia non poteſt per ſe reſurgere à peccato, & ſic in primo peccato ſe exponit vt in perpetuum ſit in damnatione & in pœna æterna. Sicut ſi aliquis eligeret ſaltare in foueam,& præcipitaret ſe ipſum, à qua non poſſet reſilire,nec reſurgere.

Greg.

Quomodo pœna infinita reſpondet culpæ temporali.

Dico igitur ſicut dicit Auguſtinus. 21. *de Ciuitate Dei,c.* 11 Videtur enim ibi dicere quòd tanta pœna debetur tantæ culpæ, & quia perſona eſt æterna,ideò & perpetua pœna,& Deus non vult naturam deſtruere, neque perſonam,& hoc beneficium quoddam eſt. Vnde ex hoc videtur quòd pœna perpetua non ſit ex ſe infinita, & perpetuò inflicta, & hoc accidit ratione perſonæ,quam Deus vult perpetuò eſſe.

Auguſt.

Inſtantia.

Si dicas quòd ſi Deus infligeret pœnam peccatori intẽſiſſimam,& quòd ſtatim ceſſaret, eſſet pœna condigna abſque perpetuitate. Reſpondeo quòd dum grauis fuit culpa cõtracta, & perſona ſit perpetua ſub culpa:ideò infligenda eſt pœna continua,& perpetua. Et iſtud cõgruit,quia iuſtè poſſet, vel deberet Deus infligere pœnam intẽſiſſimam:ſed Deus illam remittit quantùm ad intenſionem, non quantùm ad extenſionem,quia

Soluitur.

culpa manet,& perſona, & ideò Deus neutrum vult delere.

Ad tertium. Pœna alia curatiua, alia præſeruatiua ſicut medicina.

Ad aliud,quando dicitur quòd pœnæ iſtæ sũt ad correctionẽ,& quòd ſunt ſicut medicinæ,&c. Dico quòd pœnæ non ſolùm ſunt correctiuæ,ſeu pro correctione,ſed etiã pro præſeruatione.Et ſi dicas,quòd in Inferno nulla pœna preſeruat,quia quælibet eſt afflictiua & conſequẽter potiùs deſtructiua.Dico quòd ſicut medicinæ ſunt præſeruatiuæ,& curatiuæ,ita & pœnæ.Licèt autem iſtę pœnæ nõ ſint præſeruatiuæ,nec ſanatiuæ reſpectu damnatorum,ſunt tamen tales, quando ſunt iuſtè taxatæ, non quando ſunt actu infligtæ;ſiue quando infliguntur; quando enim taxantur pœnæ,tunc homines cohibentur.

Ad quartum.

Ad aliud,quando dicitur Iacob.2.*ſiet ei iudicij ſine miſericordia:* Dico quòd eſt verũ de miſericordia totaliter liberante, nõ tamen fiet ei iudicium ſine miſericordia miſerante,& parcente : ſemper enim Deus miſericorditer punit peccatorem, vt dictum eſt.

Ad quintum.

Ad aliud,quãdo dicitur,*quantũ glorificauit ſe in deliciis,tantũ date ei tormẽti*,&c.Dico quòd verum eſt,intelligendo *tantum* & *quantum*,ſecundùm æqualitatem proportionis,non ſecundùm æqualitatem quantitatis,ſed ſecundùm æqualitatem in iuſtitia diſtributiua,id eſt, comparando iſta quatuor, ſcilicet duas perſonas, & duo peccata ad duas pœnas, ita quòd ibi quatuor extrema faciant æqualitatem proportionis,&c.

DISTINCTIO XLVII.

De generali Iudicio.

QVÆSTIO I.

Vtrùm Iudicium generale omnium ſit futurum?

Alenſ 3.*p.q.*25.*m.*4.D.Thom.3 *p.q* 59.*art.*5 *& hic q* 1 *art* 1. D.Bonau *art* 1.*q.*3 Rich *art.*1.*q* 1.Durand.*q* 1 Suar 3.*p. tom* 2.*d.*53 *ſect.* 1. latè Cocciꝰ *tom.*2.*lib.*10.*art.*5.Scot. *in Oxon.hic q.*1.

1. *Arg. primum negatiuum.*

VIdetur quòd nõ:Ioan.11.*Nũc iudicium eſt mundi*; igitur non oportet ponere futurum iudicium.

Secundum.

Item,Nahum primo capite. *Non iudicabit Dominus bis in idipſum.*

Auguſt.

Item, ſicut dicit Auguſtinus in quadam epiſt. ad Heſychium:*In quo quẽ inuenit vltimus dies eius, in eo, inueniet eum vltimus dies ſæculi.*

Confirmatio.

Item confirmatur hoc,quoniam ſententia datur ante executionem, eo quòd iudicium præcedit ſententiam:ſed modò ſunt plures damnati, & aliqui ſunt modò beati; ergo ſi debet eſſe generale iudicium omnium,ſaltem iſti habebunt executionem Iudicij ante Iudicium, quod videtur eſſe inconueniens.

Tertium.

Item,Pſalm.1.*Non reſurgent impij in iudicio:* ergo non erit iudicium generale, quia non erit quantùm ad illos.

Quartum.

Item,Matth.19. *Sedebitis vos ſuper ſedes duodecim,iudicãtes duodecim tribus Iſrael.* Igitur nõ iudicabũtur Apoſtoli,& ſic nõ erit generale iudiciũ.

Ratio ad oppoſitum. Auguſt.

Contrà,Auguſtinus 20. *de ciuit.Dei.* Vide ibi auctoritatem.

SCHOLIVM I.

Poſita varia acceptione,& definitione iudicij,*docet illud eſſe futurũ,nõ tamẽ poſſe probari ratione(quia nec reſurrectio ſic probari poteſt, vt dictum eſt d.43.q.2.) ſed fide habetur ex ſacra Scriptura, vt Matth.*11. *&* 12.1.*Theſſ.*2.1.*Pet.*3.*& ex Symbolis. Vide loca Patrum apud Coccium.*

2. *Quid ſit iudicium & quotuplex?*

REſpõdeo,vbi primò declaro,quid ſit *iudiciũ.* Dicitur autẽ *iudiciũ,quicũq; actus cognoſcẽdus certus,*& ſic ſenſus poteſt iudicare. Propriè tamẽ dicitur *iudiciũ*, actus qui eſt cognitio intellectiua,& certa apprehẽſio de principio cõplexo.Sed magis proprie dicitur iudiciũ de cõcluſione demõſtrata,cuius iudiciũ pendet ex principiis. Adhuc autẽ magis propriè dicitur de concluſione practica,quàm de concluſione ſpeculatiua.Vnde iudicium practicum ordinatur ad iuſtitiam,& eſt circa agibilia magis quam circa ſpeculabilia.

Itẽ,in ſpeciali nõ ſunt iſtæ leges præciſæ,ſicut de proſequendis & fugiendis,appetendo bonũ,& vitando malũ, ſed magis alliciuntur homines ad proſequendũ bonũ cõmodi ſpe boni promiſſi,& arcentur ab inhoneſto, timore pœnæ,ſecundùm Auguſtinum 83.*quæſt q.*30.& ſic propter bonum commodi alliciuntur homines ad bonũ honeſtũ, & propter malũ pœnæ retrahũtur ab inhoneſto, &ideò leges honeſtæ ordinatæ ſunt,& deſignata præmia pro bonis,& punitiones pro malis.Vnde magis propriè debet dici iudiciũ de lege punitiua,vel priuatiua applicãdo ad effectũ,quã de aliqua alia lege practici.Licèt enim omne dictamẽ intellectus practici ſit iudicium,tamen iudicium ſecundùm quòd pertinet ad Iudicẽ, magis datur de pœnis & præmiis,quàm illa iudicia,quæ pertinent ad honeſtum,de quo magis eſt conſilium, quàm lex, vel præceptum,niſi de tali bono honeſto ſit certa lex data in aliquibus caſibus.

Auguſt.

Quare dãtur leges de pœnis & præmiis.

3. *Deſcriptio iudicij ſpecialiſſimè ſumpti.*

Sed adhuc nec de iſtis eſt proprie iudiciũ, cò quòd quilibet indifferenter poteſt iudicare hoc eſſe faciendũ, ſiue puniendũ,ſiue præmiandũ;& ideò in ſpeciali ad iudiciu pertinet,ſiue requiritur auctoritas.Vnde dicitur quòd *iudiciũ* propriè ſumptũ *eſt efficax determinatio pœnæ,vel præmij,correſpondẽs merito,à Iudice habẽte auctoritatẽ determinandi,vel imperandi.*Iſta autem determinatio non ſolùm debet eſſe ab intellectu practico dictãte, ſed per actũ voluntatis cõplacentis, debet pœna infligi,vel præmium reddi; ſed velle imperando non competit niſi habẽti auctoritatẽ,& ideò addendũ eſt in deſcriptione Iudicij, quòd ſit *determinatio efficax ratione voluntatis imperantis.*Similiter loco *determinandi* ponatur *imperandi*, quia determinare per intellectũ eſt præambulum ad actũ imperandi, & ſic patet quòd *iudicium eſt imperium efficax voluntatis alicuius habentis auctoritatem ad reddendum præmia pro meritis,& infligendum pœnas pro malis* ; & ſecundùm hoc eſt futurum generale iudicium.

Ad iudicium requiritur imperium efficax habentis poteſtatẽ.

4. *Congruentia iudicij vniuerſalis.*

Iſtud autẽ Iudiciũ probari nõ poteſt, ſicut nec reſurrectio,per rationes naturales, ſed eſt articulus fidei,& ideò nõ eſt demõſtrabilis.Attamẽ sũt rationes cõgruæ.cõgruẽtia enim eſt,vt fiat ſegregatio bonorum à malis. Vnde Auguſtinus *ſuper Pſal.*54.(& legitur in triduo ante Paſcha)aſſignat duas rationes quare malus eſt cum bono. Vna eſt, *vt bonus inde exerceatur*; alia, *vt malus conuertatur.* Vnde hoc dictat ratio naturalis,quia cõmunicatio boni cũ malo nõ debet eſſe in cõuiuendo,niſi propter

Auguſt.

propter bonũ,quod inde poteſt ſequi. Sed nulla prædictarum rationũ erit in alia vita, vbi nullus bonus exercitatur, nec cõuertitur aliquis malus; igitur ibi erit iudicium diſcretiuũm malorum à bonis,& rationabile eſt vt ab inuicem ſegregentur, & hoc fiet per imperium efficax habentis auctoritatem.

Secunda congruentia.

Secunda ratio,vel congruentia,eſt in ſecretis Dei iudiciis,quibus iudicãtur perſonæ ſingulares in hac vita,& eſt ibi iuſtitia,& iudicium.Sed non relucet hîc talis iuſtitia manifeſtè, nec rectitudo diuini iudicij, propter quod clamat Apoſtolus Rom.11.*O quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius!* Rationabile igitur eſt quòd Deus oſtendat in communi iudicio ſua iudicia eſſe iuſta,vt iudicia iſta particularia de quolibet manifeſtentur ibidẽ.

Tertia congruentia.

Tertia ratio,vel congruentia eſt,quia ſicut res ſunt à Deo,ita reducũtur ad eum præcipuè creaturæ intellectuales:ſed præter opus,quod correſpondet gubernationi, quo producuntur res in ſingulari ſuis temporibus de quo dicitur Ioan.5. *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor*, fuit vniuerſalis productio in principio,ita conuenit, vt præter particularia iudicia ſit vnum iudicium generale,quo omnes homines generaliter reducantur in finem generalem.Igitur fiet iſtud iudicium, ſiue ſegregatio vniuerſalis, ſeu iudicium diſcretiuum, vt boni ad Deum reducantur, & mali pœnis quas meruerunt,deputentur.

SCHOLIVM II.

Apoſtoli & profeſſores voluntariæ paupertatis non iudicabuntur,ſed ſedebunt cum Chriſto iudicantes.Ita Auguſt.20.Ciuit.5.& ep.89.c.4.Beda ſerm.de natali S.Bened. Hieron.ep.28.In quo autem conſtet hæc ſeſſio, & iudicatio,variè explicatur. Vide in Oxon.ſchol.hîc n.8.Vt incertum relinquit cum Aug. 20.Ciuit.1.quamdiu durabit iudicium:veroſimilius eſt,quòd diſceptatio erit ſenſibilis,& ſic in tempore, ſed breuiſſimo,iuxta id Malachiæ,.Ero teſtis velox maledicis adulteris, *&c. Locum iudicij eſſe vallẽ Ioſaphat,tenet communis (licèt ſit incertum)ex Ioel.3.*Adducam omnes gentes in vallem Ioſaphat.*Doctor ait id tãtũ eſſe quoad malos,quia boni* recipientur in aëra obuiã Chriſto, *1.Theſſ.4.omnium merita & demerita eſſe propalãda, tenet communis cũ Anſelm.lib.de ſimilitud. & in Elucidario. Aug.lib.medit.cap.4. Hug.Vict.3. de Anima cap.23.colligitur ex Matth.25. Apoc.20.Daniel.7.& 1.ad Cor.4.an verò hæc omnia in ſpeciali ſingulis apparebunt,certũ nõ eſt,& fortè impoſſibile eſt.Vide Doct. in Oxon.hîc n.6.vbi explicat varios modos,quibus dici poſſit omnia facta propalãda.Non reſoluit an ſententia erit vocalis;videtur quòd ſingulorum ſententia mentaliter tantum ferentur, & hoc in inſtanti fieri poteſt:generalis tamen ſententia feretur vocaliter,vt vult Anſelm.in Elucidario.*

5. Obiectio.

SEd contra hoc ſic poteſt argui;quia ſi omnium erit generale iudicium:igitur omnes ſunt iudicandi,quod eſt contra Gregorium,*Moraliũ 26.* & allegatur à Magiſtro in litera; ſic enim totum collegium bonorum, ſcilicet boni Angeli cum bonis hominibus,& totum collegium malorum, mali Angeli cum malis hominibus,ſeparabuntur ab inuicem,& iſti ab illis.

Soluitur.

Reſpondeo quòd in iudicio erit vnum præmiũ remotius,quod erit innoteſcẽtia cauſæ,ſuper qua feretur iudiciũ; & quoad iſtud nõ omnes iudicabuntur,quia nõ Angeli boni nec mali,nec innocẽtes,nec pueri,qui baptizati deceſſerunt,ſed tã-

Quomodo omnes ſunt iudicandi?

tũ iudicabuntur mediocriter boni,& mediocriter mali in fide;quia quantũ ad iſtos fiet innoteſcẽtia cauſæ.Sicut enim cauſa ante innoteſcẽtiã,& ante iſtud iudiciũ nõ erat de omnibus nota,quia nõ de mediocriter malis,ita nec ſententia erat de eis nota omnibus,tamen ſententia erit tunc omniũ, prout omnes boni eligẽtur ad aulam,& alij ſcilicet mali cõiiciẽtur in carcerẽ. Et iſta sẽtẽtia proferetur,quando dicetur bonis:*Venite benedicti patris mei*,&c.Et quantũ ad malos.*Ite maledicti*,&c.

In iudicio vniuerſali erit aliquod gaudium ſpeciale beatis & malum damnatis.

Quantùm igitur ad diſcuſſionem erit tunc iudicium generale, & ſic venient boni ad collegiũ bonorũ,vbi accreſcet gaudium Angelis bonis,& hominibus & gloria,ex hoc quòd tunc erit ciuitas integra;& damnatis accreſcet pœna, ex hoc quòd tũc carcer erit plenus.Ex iſto apparet quòd iſtud iudiciũ non erit tantùm reprobatiuum,ſed condemnatiuum,& punitiuum,nec tantũ approbatiuum,ſed retributiuũ; nam retributiuum erit quoad bonos,& punitiuum quoad malos. Tamẽ apud homines non fiunt iudicia niſi ad condemnationem nocẽtis & rei,& ad excuſationẽ innocentis.Sed in illo generali iudicio plus fiet; non enim tantùm ad excuſationem innocentis,& ad approbationem boni, ſed ad præmiationem,ſiue retributionem iuſti.Et è contra de iudicio mali.

Iudicium generale erit ſimul condemnatiuum,& retributiuũ.

6.

Quantum durabit iudicium vniuerſale,& an fiet in inſtanti?

Ex hoc apparet ſecundò quoddã aliud,ſcilicet, quantũ protẽdetur illud iudicium; cùm enim illa cauſa,ſiue iuſtitia,innoteſcat omnibus, oportet quòd ſi iudicium innitatur iuſtitiæ,appareat cauſa per diſcuſſionem.Si autẽ ſinguli diſcuterentur quantùm ad conſciẽtias ſingulas,tunc requireretur magnũ tẽpus ad iſtud iudicium.Sed hoc iudiciũ fiet celeritate mirabili ſecundùm Auguſt.19. de Ciuit.cap.15.vbi dicit quòd *cuilibet conſcientiæ erit nota culpa,& erit ipſa conſcientia accuſans.*Celeritas autem, vel velocitas eſt differẽtia temporis. Ponamus igitur quòd illud iudicium protendatur pẽr mediã horã,tũc nõ poſſent diſcuti cõſcientiæ ſingulorum. Imò ſi quilibet debet de quolibet agnoſcere,oportet iudicium protẽdere plus quã per annũ.Et ideò oportet dicere, vel quòd iudiciũ fiat quadã celeritate ſucceſſiua;vel quòd ſucceſſiuè merita omnia,vel demerita cognoſcantur ab omnib⁹, vel in ſpeciali,vel ſaltẽ in vniuerſali. Vel oportet dicere, quòd omnes cognoſcant de omnibus in vno inſtanti virtute diuina,vel quòd ſaltẽ in vniuerſali cognoſcãtur ab omnib⁹, quod omnes remanentes in terra ſint mali: omnes illi qui rapientur in aëre cognoſcantur eſſe boni, & quãdo eis dicetur illud Matth.25. *Venite benedicti patris mei*,tunc illa diſceptatio non erit tantum in generali.

Auguſt.

Quibus modis ſinguli in iudicio innoteſcere poſſunt omnium merita & demerita.

Sed quid eſt quod dicitur in Daniele c.7. *libri aperti ſunt ei,& antiquus dierũ ſedit*,&c.Reſpõdeo *libri aperti ſunt*,id eſt,conſcientiæ nudæ erunt,ſecundũ quod dicit Apoſtolus Apoc.20.Vel ſi hoc nõ placet,poteſt dici quòd *libri aperti ſunt ſibi*,ſcilicet,Iudici,vel quòd aperti ſunt cuilibet ſecundùm aliquem modum quatuor prædictorum. Iſtud dictum ſit de mora.

Locus Daniel variè explicatur.

7.

An diſceptatio fiet vocaliter in iudicio vniuerſali.

Sed quid erit,& quomodo de diſceptatione iudicij,quod eſt ſecũdum principale. De hoc dicit Magiſter in litera,quòd illis exiſtẽtibus in terra, & aliis in aëre poteſt fieri & vocaliter, & mẽtaliter, ita quòd vox ſit immutatiua localiter, vel quòd mentaliter moueat. Poteſt enim fieri quòd Deus immutet aures omnium: vel aliter quòd Deus,qui eſt Iudex, immutet mentes omnium, ita quòd cuilibet bono ſit impreſſũ pro ſe,& pro

omnibus bonis;*vos feciſtis hoc,& hoc pro me*,& cuilibet malo ſit impreſsū pro ſe, & pro ſociis,*vos nō feciſtis hoc & hoc pro me*,&c. ſicut habetur Matth. 25.Et ſicut dictū eſt de diſceptatione prima,quòd poteſt fieri vocaliter,vel mētaliter,ita poteſt dici de ſententia lata,quòd poteſt fieri ſic,vel aliter.

8. *De loco iudicij.* Sed de *vbi* iudicij aliqui dicūt quòd erit in valle Ioſaphat,ſed hoc non eſt adeò certū,neque videtur veroſimile,vt trahātur omnes de omnibus terræ partibus,vſque ad vallē illam, quia ſufficit quòd ſciant vbi erit iudiciū ſuum, & ita mali ex quocunque loco citò deſcendent in Infernum: quia omnes partes circumferentiæ æqualiter diſtant à cētro,&c.Neque enim boni,tunc deſcēdent in terrā, ſed potiùs perueniēt fortè ad locū aëris vbi Chriſtus euanuit ab oculis diſcipulorū in Aſcenſione ſua,vel ad locū vbi ſe transfiguarauit corā diſcipulis oſtenſurus gloriam futuram. Fortè tamen aliqui mali erunt in valle Ioſaphat, & in locis, qui ſunt in circuitu; non enim poſſent in valle illa eſſe omnes mali.

9. *Ad primum arg principalo.* Ad primū,quando dicitur quòd *nunc iudiciū eſt mundi*;Dico quòd nūc iudiciū eſt mundi,ſcilicet, liberans mundum in morte de manu diaboli qui erat princeps mundi de quo ſequitur, *nunc princeps mundi huius eiicietur foras*;quia vſque ad mortem Chriſti iniuſtè detinebat homines, & ideò iuſtè amiſit poteſtatem hominis.

Ad ſecundū. Ad aliud,quādo dicitur quòd Deus bis iudicaret homines,&c. Dico quòd ad eundem finē nō fertur bis ſententia propter idem peccatū,vel factū: ſed iſta perſona dupliciter poteſt accipi,vel vt eſt ſingularis perſona,& ſic primò fertur iudiciū,ſiue Deus iudicat merita iſtius, vt ſunt iſtius perſonæ ſingularis. Secundò poteſt iſta perſona accipi,vt eſt pars talis collegij,& ſic ſecundo iudicio aſcribit eum tali ſocietati,& ſic non eſt inconueniens quòd ſit duplex iudiciū circa eandē perſonā ad diuerſos fines.Et quod dicit Auguſtinus in epiſtola illa ad Heſychium,dico quòd verum eſt,quòd vltimo die vitæ cuiuſlibet erit iudicium,vt eſt ſingularis perſonæ,non tamen erit adſcriptus ſocietati, vel collegio,cui adſcribitur per ſententiam in iudicio generali.

Quomodo quilibet bis iudicabitur.

Ad tertium. Ad aliud,quādo dicitur,*nō reſurgēt impij in iudicio*, verum eſt, de reſurrectione ad vitam, & ad collegium iuſtorum,vt ibidem dicitur.

Ad vltim. Ad aliud, quando dicitur, quòd duodecim Apoſtoli ſedebunt iudicantes tantùm duodecim tribus Iſraël,& ſi tantùm duodecim, vbi iudicabitur tribus Leui?Reſpondeo quòd per illos datur intelligi vniuerſitas iudicandorum ſicut per duodecim Iudicantes vniuerſitas ſaluandorum, & ita erit omnium Iudicium generale.

QVÆSTIO II.

Vtrùm mundus purgabitur per ignem?

D.Thom.*in addit.q 97 art.5 & d,44 q.3.art.2.* D Bonau. *hic art.2 q.1.* Rich.*art.2 q.2 &* 4.Suar.3.*part. tom.2 d.57. ſect.1.* Scot.*in Oxon.hic q.1.*

1. *Arg megatiuum.* VIdetur quòd non quia tunc idem purgabit ſe:quia ignis eſt pars mundi.

Ratio ad oppoſitum. Contrà,& eſt notabilis auctoritas, *Ignis ante ipſum præcedet.in Pſalm.96.*

SCHOLIVM.

Quòd ignis præcedet iudicium,conſtat ex illo Pſal. 96.Ignis præcedet,*&c.& 2.Pet.3.& Iſa.66.1.Cor.* 3.*Daniel.7. Alij putant quòd præcedet reſurrectionē, alij è cōtra.Vide in Oxon.hic ſchol. Si ignis ille creabitur; oportet aliqua alia corpora nihilari ne detur vacuum: & idem erit,ſi generabitur, vel ſaltem corpora condenſabuntur,vel in denſiora conuertentur,vide hæc explicata ibidem n.2.vt hæc recitet,inſinuat, quod non erit verus ignis, ſed qualitas ignita, ſicut in ferro ignito,materia accendenda, erit vapores,quorum fortè combuſtio erit conflagrata. Vide Doctorem ibid. num.3.*

An ignis conflagratio erit in determinato loco, vel circumdans totam terrā

HIc dicitur quòd iſte ignis oportet quòd ſit compoſitus ex materia & forma,& ſi cauſetur,vel generetur,oportet quòd alia corpora corrumpantur,quæ cedent potentiæ ignis,qui futurus eſt vſque ad medium interſtitium aëris, & flagrabit,ſiue purgabit terram,& aquam,& aërē, vſque ad medium, ſicut aquæ diluuij quindecim cubitis ſuper cacumina montium. Si igitur purgabit terram habitabilem,aquam,& aërem, eſto quòd decima pars terræ ſit habitata: & pars illa habitata ſit purganda, & ignis generetur de terra,erit ille ignis in centuplo maior totā terrā,de qua generatus eſt; vbi igitur erit ille ignis? ſic enim oporteret habere centum loca, in quibus reciperetur ille ignis.

Præterea, ſimili difficultate ſuppono quòd ignis generabitur de vigeſima parte aëris, & de vna parte aëris generabitur ignis æqualis dimidio totius aëris qui purificabitur,& tunc omnes partes aëris erunt in ignem reſolutæ, ſiue corruptæ;tunc totus ignis generatus de omnibus partibus aëris habebunt loca centuplo plura, quàm terra, & cum hoc habebunt locum correſpondentem dimidio aëris, quia remanebit medietas partium aëris non combuſta,quæ videntur difficilia.

2. *Conflagratio eſt ignitio nō ignis.* Quicquid autem Deus poteſt facere non nego,& de igne, vel aqua, vel aëre multa poſſent hīc obiici.Sed reſpondeo quòd ignis ille erit, vt credo,ſicut ferrum ignitum, vbi tantùm eſt forma ferri,non ignis,niſi qualitates actiuæ. Vnde oportet dicere quòd ſi non ſit ignis,quòd ſaltem ſit vera ignitio, non enim duæ formæ diſtinctæ, & ſeparatæ,ſiue diſparatæ,poſſunt eſſe in eadem materia:& ſi ſit ignitio,non oportet quod occupet maiorem locum,niſi quòd iſta elemēta ignita condenſabuntur in vna parte ſphæræ ſuæ.Erit igitur terra,& aqua ignita. De aëre eſt dubium. De ſordibus etiam elementorum, ſiue fæcibus neſcio,ſed erit quædam recōciliatio,ſicut Eccleſia reconciliatur,& purgabuntur elementa,ſicut metalla in quadam colatura, pro qua purgatione præceſſit ignitio. Et nihil generabitur per aſpectum cæli de terra.Et ſi ſit verus ignis probabiliter non producet eum Deus de nihilo,igitur faciet eum de aliquo elemento,vel mixto, & illud neceſſariò corrumpetur,inquantùm generabitur inde ignis,& fiet ignis maior in centuplo, vel in duplo, vel in aliqua proportione maiori, quàm corpus,de quo generatus eſt talis ignis. Et fortè videtur dicendum, quòd talis ignis non erit ita magnus,ſicut iſti dicunt:quia non erit in immodica parte aëris determinata, & procedet vſque ad quantitatem determinatam, & conſumendo ſucceſſiuè, & purgando elementa, & tunc ſecundùm hoc multum oportet ponere de tempore antequam purgatio fuerit conſummata, & peruenerit ad effectum.

Ad arg in contrarium. Ad argumentum in oppoſitum,dicendū quòd omnia

omnia mixta purgabuntur,& partes elementorũ, excepto igne ſecundùm iſtos, quia ignis nõ indiget purgatione,ſed terra, & aqua,& aër,propter fumum idolorum,& infectiones peccati,quæ de terra aſcenderunt ad aërem, quia nulla infectio aſcendit ad ignem,ideò non indiget purgatione, ſicut nec fuit purgatus per diluuium, quia ibi non eſt aliqua impuritas.Si autem aliquis vapor aſcendit in ignem,ſicut creditur à multis, citò cõuertetur in ignem, & ita ignis nõ purgabitur.

Ignis nõ purgat ſe,ſed alia elementa.

DISTINCTIO XLVIII.

De forma Chriſti Iudicis.

QVÆSTIO I.

Vtrùm Chriſtus in forma ſuæ humanitatis iudicabit?

D.Thom. *in addit, quæſt. 90. art. 2. & hic quæſt. 1. art. 2.* D.Bonauent. *art. 1. quæſt. 1.* Richard. *art. 1. quæſt. 2.* Argent *quæſt. 1. art. 1.* Sotus *quæſt. 2. art. 1.* Suarez *3. part. tom. 2. d. 57. ſect.* 9.Scot. *in Oxon. hic q. 1.*

1. *Arg. primum negatiuum. Secundum. Auguſt.*

VIdetur quòd non,quia Chriſtus ſecundùm hanc formam frater noſter eſt,nõ dominus: igitur non erit Iudex ſecundùm formam ſeruj.

Item,Auguſtinus ſuper Ioan.tract. 22. & ponitur in litera,Chriſtus ſecundùm quòd Deus,ſiue Chriſto ſecundùm formam Dei,competit iudicare animas,& ſecundùm formam ſerui corpora etiam ſuſcitare:*Per Verbum*,inquit,*Filium Dei ſit animarum reſurrectio,per Verbum factum in carne filium hominis,ſit corporum reſuſcitatio.*

Tertium.

Item,ſi Chriſtus iudicaret in forma hominis, igitur aut in forma hominis glorioſi,aut non glorioſi:ſed nõ primo modo, quia ſic mali,& iudicati lætarentur,quod ſolis beatis eſt datum;nec iudicabit in forma hominis non glorioſi, quia Chriſtus venit ad iudicium cum poteſtate magna,quod pertinet ad gloriam;igitur nullo modo Chriſtus iudicabit in forma hominis,ſiue ſerui,

Ratio ad oppoſitum.

Contrà,Ioannis 5. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere,quia filius hominis eſt.*

Item, Iob 36. *Cauſa tua quaſi impij iudicata eſt* (ſcilicet à Pilato, vt exponit gloſſa)*ideò iudicium, cauſamque ſuſcipias*,ſcilicet,vt cauſam iudices; igitur in forma hominis Chriſtus debet iudicare.

QVÆSTIO II.

Vtrùm motus corporum cæleſtium ceſſabit tempore Iudicij, vel poſt?

D.Thom. *in addit q. 90. art 2. & hic q. 2. art. 2.* D. Bonau. *art. 2. q. 1.* Durand. *q. 5.* Argent *q. 1. art. 3* Suar. *3 p. tom. 2. d 58 ſect. 3* Scot. *in Oxon. hic q. 2. & 5. Met. q. 1. & 10. & 4. Phyſic. q 15. & 17 & 2. d. 2 q 2.*

2. *Arg. primum negatiuum.*

VIdetur quòd non. Geneſis primo,*Fiant luminaria in firmamento cœli, vt diuidant diem, ac noctem :* & hic eſt finis luminarium. Si igitur motus cælorum,vel corporum cæleſtium quieſceret,ſiue ceſſaret,fruſtrà eſſent.

Secundum.

Item,Geneſ.8.*Cunctis diebus vitæ hominis frigus, & æſtas*,ſed hoc non eſt niſi per motum aſcenſus, & deſcenſus Solis in ſphæra ſua;igitur nõ ceſſabit aliquando.

Tertium.

Item, 9. *Metaphyſ text.* 17. dicit Philoſophus quòd ſemper aget Sol, nec timendum eſt quòd aliquando ſtet.Similiter 2.*de Cælo & mundo text.* 2. dicitur quòd cælum nunquam fatigabitur in mouendo.Ex hoc arguitur ſic: Illud mouens, quod nunquam fatigatur in mouendo,ſemper mouet; ſed cælum eſt huiuſmodi ſecundùm Philoſophum:igitur,&c.

Quartum.

Item, nulla perfectio tolletur elementis in mundi innouatione;igitur multò minùs tolletur in corporibus cæleſtibus;ſed motus circularis eſt de perfectione corporis cæleſtis,2.*de Cælo & mũdo,text.* 18.igitur nunquam ceſſabit.

Quintum.

Item,nihil naturale tolletur corporibus remanentibus; ſed motus cæleſtium corporum eſt eis naturale;nullum enim violentum eſt perpetuum ſecundùm Philoſophũ *Primo de cælo & mũdo,text.* 15.ſed motus cæleſtis eſt perpetuus, *ibidem*:ergo.

Ratio ad oppoſitum.

Contrà,Magiſter in litera exponens illud Iſai. 6,*Non erit tibi amplius Sol*,ſcilicet ad lucẽdum per diem, *nec ſplendor Luna illuminabit te, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.*

Iſidor.

Item,Iſidorus *in lib. 4. Etymol. c.* 5.addit ad hoc, exponens illud verbum Iſaiæ,& dicit ſic:*Creatura poſt iudicium laboris ſui mercedem ſuſcipient. Vnde Propheta dicit Iſaiæ 30. lucebit ſeptempliciter*,& ſubdit Iſidorus,*non veniet ad occaſum,nec Sol,nec Luna, ſed in ordine,quo creati ſunt,ſtabit*, ſcilicet *Sol in capite Orientis,& Luna in Occidente rectè ei oppoſita.*

SCHOLIVM I.

Sententia,quæ videtur D.Thom.ait Chriſtum iudicaturum,quà homo.Ponit etiam quòd iudicandi nõ videbunt Deum, quia nõn poſſent non gaudere. Reiicit Doctor breuiter vtramque,quia Chriſtus,quà homo,nõ eſt iudex principalis: & poteſt videri eſſentia diuina ſine amore eius,de potentia Dei,de quo 1.d. 1. q. 4. & collat. 15. 16. & 17.

3. D.Tho.præſ. d.q.1.

AD primam quæſtionem dicitur quòd Chriſtus iudicabit in forma ſerui,ſiue hominis. Secundò dicũt quòd Chriſtus in illa forma omnibus apparebit.Tertiò quòd non apparebit omnibus ſecundùm formam deitatis, quia non niſi Beatis.De primo aſſignatur duplex ratio, prima eſt,quia ſecundùm formam hominis Chriſtus eſt Dominus omnium,& Redemptor omnium. Si igitur Chriſtus vt homo,eſt Dominus, & Redẽptor, ei competit iudicare ſecũdùm quòd homo, & ideò Apoſtolus dicit Rom. 14. quòd *Chriſtus reſurrexit,vt dominetur viuorum & mortuorum*,Domino autem, vt dictum eſt, congruit iudicare; igitur,&c.

Item,iudiciũ eſt ſecundùm illam formam,ſiue per illud,per quod aperitur regnum cælorũ, vel clauditur, ſed per Chriſtum, vt Redemptor eſt, Ianua eſt nobis aperta,ſcilicet per Paſſionem,& hoc eſt ſecundùm formam hominis:igitur,&c.

Secunda concluſio eſt,quòd in illa forma ſẽrui videbitur ab omnibus iudicatis,non tamen in forma deitatis; quòd autem in forma hominis, apparet per illud,Apoc.1.*Videbunt,in quem pupugerunt,& tranſfixerunt.*

Quòd autẽ nõ in forma deitatis,probatur,quia nullus damnandus,vel iudicãdus videbit eum in ſua beatitudine:ſed deitas non poteſt videri ſine

gaudio beatitudinis, & gloria: igitur, &c. Minor probatur, quod eſt ratio formaliter eſſendi tale, nunquam poteſt eſſe niſi tale, vt albedo non poteſt eſſe niſi albedo, quæ eſt formalis ratio albi, licèt participans illam rationem formalem, vt album poſſet aliquando non eſſe tale. Sed deitas eſt per eſſentiam beata, & bonitas Dei per eſſentiam eſt ratio formalis delectandi, eo quòd eſt ratio formalis appetibilitatis, quæ nullo modo poteſt non eſſe appetibilis, vel non delectabilis: igitur non apparebit Chriſtus in iudicio ſecundùm formam deitatis, ſed tantùm ſub forma humanitatis. Similiter prædicta minor probatur per illud Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum*; igitur non apparebit iudicandis vt Deus.

Ioann. 17.

4. *Aperitur ſenſus quæſtionis.*

Dè primo aliquid dicitur hîc expreſsè, & aliquid eſt dubium, & imperfectè dictum. Aliud enim eſt dicere, quòd Chriſtus in forma hominis iudicabit, & aliud, quòd ſecundùm formam hominis iudicabit, quia intelligendo primo modo, omnia opera deitatis competunt Chriſto; non enim falſa eſt iſta: Chriſtus in forma hominis creat, & in forma hominis eſt media perſona in Trinitate. Vnde eſt ſenſus: Chriſtus, qui eſt in forma hominis iudicat, vel creat; & ſecundùm hunc ſenſum quæſtio eſt irrationabilis, & nihil eſt quærere. Sed intellectus quæſtionis eſt; Vtrùm Chriſtus ſecundùm naturam humanam, ſiue ſecundùm formam ſerui iudicabit, ita quòd natura ſit ratio exercendi tale iudicium. Vnde rationes adductæ, quòd Chriſtus iudicabit in forma ſerui, non arguunt, nec concludunt propoſitum, & intentionem quæſtionis, niſi primo modo quæſtio intelligatur.

Aliud eſt iudicare in forma humana, & ſecundùm formam humanam.

5. *Prima ratio D. Thom. retorquetur in ipſum.*

Si autem quæſtio intelligatur ſecundo modo, id eſt, ſub ſeſu. ſub quo proponitur, quòd ſcilicet forma humanitatis ſit ratio iudicandi, tunc de hoc nihil concludunt rationes adductæ. Ratio enim prima eſt ad oppoſitum, quia ſolùm illi & ſecundùm illud competit iudicare, ſecundùm quod habet auctoritatem imperandi, ſiue imperium efficax præmiandi, vel puniendi, dando præmium correſpondens merito, & infligendo pœnam correſpondentem demerito: ſed Chriſtus ſecundùm humanam naturam non habet auctoritatem imperandi præmium Beato, imperio efficaci, quia ſolus talis debet habere, vel habet auctoritatem, qui poteſt facere, vt imperium mandetur executioni effectiuè. Anima autem Chriſti non poteſt effectiuè facere quemcunque beatum, nec quòd aliqua anima videat Deum, & ſic non habet auctoritatem imprimendi viſionem beatam imperio efficaci: quantumcunque enim anima Chriſti habeat de dominio poſt iudicium, vel ante, hoc non eſt niſi per participationem quandam, & meritoriè.

Solus Deus, qua Deus principaliter iudicat.

Secunda ratio reiicitur.

Similiter illa ratio de introductione ad regnũ, & de apertione ianuæ, quæ fit mediante paſſione Redemptoris, & ſecundùm formam humanitatis, hoc eſt ratione meriti, ſed non per imperium efficax: igitur Chriſtus non iudicabit ſecundùm formam humanitatis.

Similiter ratio tertia.

Tertia ratio de forma deitatis non concludit, quando dicitur quòd non poſſunt videre Deum, quin gaudeant (eo quòd Deus eſt eſſentialiter beatus) dico quòd iſta propoſitio, quâ dicitur, quando duæ res, ſiue realitates diſtinctæ abſolutè ſunt in aliquo, Deus poteſt ſeparare vnum ab alio, vera eſt, & omnes Theologi eam concorditer concederent, licèt non concederent eam Philoſophi, qui poſuerunt neceſſitatem in cauſis ſecundis reſpectu ſuorum effectuum. Cùm ergo viſio, & fruitio, ſiue gaudium, vel delectatio, ſint duo & diuerſa ſimpliciter, & abſolutè, ſiue contradictione poteſt viſio ſeparari a fruitione, ſiue delectatione, & gaudio, ita quòd videns non gaudebit, nec triſtabitur, ita quòd Deus poteſt ſuſpendere gaudium, vel triſtitiam à viſione ſuæ eſſentiæ, & poteſt ſe offerre, vt delectabile ſimpliciter, vel vt triſtabile iſti damnando.

De potentia abſoluta viſio Dei poteſt dari ſine amore vel gaudio, de quo in 1. d 1. q. 4.

Ad rationem igitur eorum dicendum, quòd etſi non poteſt diuina eſſentia non eſſe delectabilis, tamen poteſt eſſe, vt non cauſet actum ſecundum delectationis, ſicut prius poteſt eſſe ſine poſteriori; ignis enim etſi non poteſt eſſe non calidus, poteſt tamen eſſe non calefactiuus actualiter.

6. *Ad rationem contrariam.*

Ad aliud de Ioanne, *Hæc eſt vita æterna*, &c. dico quòd ſecundùm Philoſophum 12. *Metaphyſicæ text.* 39. actus intellectus eſt vita, & videre Deum eſt vita, & quælibet actio intellectualis eſt vita, & ſi eſt vita perpetua, eſt æterna.

Explicat & retorquet illud Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcãt te.

Et ſi dicas, *hæc eſt vita æterna*, hoc eſt, beatitudo, concedo, ſed diligere Deum ita eſt beatitudo, ſicut intelligere, vel cognoſcere, ſiue videre, & tunc ratio nihil facit pro eis: igitur ſicut tu gloſſas, *videndo te*, ſimiliter ita gloſſo ego: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te*, ideſt, *diligendo te*, & ad literam ita debet exponi Euangelium, nec eſt extorta expoſitio ſecundùm hoc, magis quàm ſecundùm illud, quod tu dicis.

SCHOLIVM II.

Reſolutio: Chriſtum ſecundùm naturam humanam non iudicaturum principaliter, ſed benè inſtrumentaliter, ſeu commiſſariè, excellenter; & explicat, in quo ſtat hæc excellentia, nulli puræ creaturæ competens.

7. *Reſolutio Doctor.*

DIco igitur quòd ſecundùm naturam agere, eſt eſſe principium actionis ſecundùm naturam: igitur ſimiliter iudicare ſecundùm humanam naturam, eſt humanam naturam eſſe principium iſtius actionis, quæ eſt *iudicare*. Accipiendo igitur *iudicare* pro actu primo, ad quod ſequitur determinare imperio efficaci, id eſt, ad quod imperium ſequitur effectus beatitudinis, hoc non conuenit ſibi ſecundùm naturam humanam, vt ſerui, ſed tantùm ſecundùm naturam deitatis, quantumcunque anima Chriſti eſſet glorioſa. Imò ſi anima Chriſti eſſet tota creatura, non poſſet eſſe cauſa effectiua, vt determinata creatura, vel aliqua anima videat eſſentiam diuinam, vt dicat imperando, *ſis beatus*; nec poteſt habere imperium, quo ſequatur imperatum efficaciter.

Chriſtus iudicabit ſecũdùm naturã humanam inſtrumentaliter, vũ principaliter.

Si autem loquamur de *iudicare* pro determinare per intellectum, & pro imperio efficaci, non tamen efficaci illius naturæ, qua imperet, ſed illius perſonæ, cuius eſt anima principium coniunctum illi perſonæ, id eſt, Verbo; ſic conuenit Chriſto iudicare ſecundùm animam, ſiue ſecundùm formam humanitatis, ita quòd imperium iudicandi erit efficax non illi naturæ, ſed illi perſonæ, cui eſt coniunctum, quia Verbo.

Primo modo accipitur *iudicare* pro *determinare*, & *imperare*; & iſto modo non iudicabit niſi Deus; ſecundo autem modo iudicabit Chriſtus ſecundùm formam ſerui, quod non conuenit ſolum

lum personæ Verbi. Vnde isto modo glossatæ sunt auctoritates multæ in Scriptura, sicut illud Ioannis 5. *Pater dedit filio iudicium facere, quia filius hominis est*; scilicet inquantùm genitus est à Patre æternaliter gignendo. Vnde filius hominis sic habet iudicare secundùm formã hominis, & nulli alteri creaturæ rationali conuenit, nec posset conuenire etiam beatæ Virgini. Vnde beata Virgo habet auctoritatem impetrandi, non imperãdi. Et si habet auctoritatem, vel actum imperãdi, nõ tamẽ impletur imperiũ efficaciter, nec ab illa natura, nec ab illa persona. Sed in Christo est natura coniuncta cum persona Verbi, & ideò isto modo secundo potest solus iudicare secundùm formam hominis.

Ita intelligũtur omnes auctoritates Scripturæ & Patrum. Ioann 5. *Excellentia commissionis iudiciariæ Christi. nulli alteri creaturæ conuenire potest.*

8. *Ad primum argum. q. 1.* Ad primũ istius quæstionis, quãdo dicitur quòd Christus secundũ formã serui videtur frater noster, & non dominus; dico quòd oportet quòd sit supremus dominus, ad hoc quòd iudicet primo modo, scilicet imperio efficaci, & hoc est tantùm secundùm formam deitatis, non humanitatis; tamen secundo modo potest ei competere iudicium secundùm formam humanitatis, secundùm quàm Christus non est dominus supremus, sed habet super se maiorem.

Ad secundũ. Ad aliud Augustini, quando dicitur quòd *Per Verbũ filium Dei fit animarũ resurrectio, & per Verbum factum in carne filiũ hominis fit corporum resuscitatio*; Dico quòd licèt istud dictum sit per quandã appropriationem, tamen vtrumque conuenit ambobus per cõmunicationẽ idiomatũ; potest enim dici verè quòd Christus filius hominis suscitat corpora, & animas; & Christus filius Dei similiter vtrumque.

Ad primum. Ad aliud, quãdo dicitur, quòd non iudicabit in forma hominis glorioſi, quia tunc iudicandi lætarentur videndo gloriã Christi; dico quòd Christus iudicabit in forma hominis glorioſi. Ex quo enim aliquis est glorioſus, nõ potest nõ esse glorioſus, nec videtur nõ glorioſus, licèt fortè posset videri non vt glorioſus, id est, non sub illa forma hominis glorioſi, sicut ostẽdit se discipulis, vt peregrinus, & sub alia forma, quã esset, fuit visus. Sic in die iudicij sub alia forma erit visus, quàm sub specie glorioſi à dãnandis. Vel potest dici, quòd Christus videbitur in forma glorioſa, & tunc quando dicitur; ergo gaudebunt de visione gloriæ, quod tantùm cõuenit Beatis: dico quòd quia iudicandi sunt inimici, tristabuntur, sicut è conuerso alij, quia sunt amici, gaudebunt.

Christus apparebit in iudicio etiam malis in forma glorioſa iuxta communem.

9. *Soluuntur argumenta pro opinione prima n. 3. posita.* Ad argumenta pro alia opinione. Ad primum, quando dicitur quòd Christus secundùm formã humanitatis est dominus omniũ, & redemptor, & introductor ad regnum: dicendum quòd Dominus & principalis Dominus est in illa persona, sed non est principalis Dominus secundùm naturam humanam, nec Dominus. Illa tamen natura humana est ratio & principium cuiusdam dominij, scilicet principium reparationis nostræ redemptionis in ratione causæ meritoriæ, non in ratione causæ effectiuæ, vt dictum est; meritum enim erat animæ Christi, non Verbi, nisi concomitanter. Vnde illi naturæ humanæ in Christo obligamur sicut dominæ, naturæ tamen sub domino, quia adhuc est sub supremo Domino, inquantùm Deus est Dominus omnium, &c.

Ad secundũ. Ad aliud de introductione, & apertione Ianuæ, quòd factum est per passionem Christi, dicendum est eodem modo; meritoria enim causa est introductionis, non autem effectiua.

SCHOLIVM III.

Philosophus ponit motũ cæli esse perpetuum, & probat tribus rationibus. Negant Theologi, & adducunt duo loca Scripturæ, quæ tamẽ glossari possunt secundùm Doctorem. Reiicit clarè rationem D. Thomæ, qua hoc probat; tenet tamen vt probabilius motum cæli cessaturum; sed contra hoc obiicit quadrupliciter, & soluit exactè.

AD secundam quæstionem, qua quæritur: *Vtrùm motus corporum cessabit tempore iudicij?* videnda sunt duo. Primò quid sentit Philosophus. Secundò, quid alij, scilicet Theologi. 10. *Decisio q. 2.*

Opinio igitur fuit Philosophi, quòd motus cæli nunquam cessabit. Probatur autem quòd nullo modo cesset, *in 8. Physicorum, text. 39. & 12. Metaphysicæ*. Sunt autem rationes fundamentales Philosophi istæ, quia *impossibile est nobilissimam substãtiam non sortitam esse nobilissimum finem, & optimũ*, qui est in communicando, & influẽdo *esse* alteri, hoc autem non fit nisi per motum; sed quælibet substantia separata est nobilissima substantia, & optima: igitur sortitur istũ nobilissimum finem, & per consequens sequitur quòd quælibet substantia separata necessariò mouet. *Opinio Arist. & eius rationes quòd motus cæli nunquam cessabit.*

Ista ratio reputatur futilis ab aliquibus, & dicunt quòd finis nobilissimus substantiæ separatæ est speculatio veritatis, & nõ moũere, vel influere in orbem, causando motum, & *esse* in istis inferioribus. *Aliqui dicunt hanc rationem Philosophi.*

Sed Auicenna *primo Metaphysicæ* distinguit duplicem vtilitatem; prima est sicut seruus est vtilis domino, quia ordinatur ad dominum; secũda vtilitas est è cõuerso, quia dominus est vtilis seruo, non quia dominus ordinetur ad seruum, sed quia ex dono, siue bono domini prouidetur seruo. Isto modo substantiæ inferiores ordinantur ad superiores primo modo, & superiores ad inferiores è conuerso, sicut eis vtiles secundo modo. Similiter in proposito duplex est finis; vnus qui est imperfectus, vel in perficiendo alia; & alius perfectus, scilicet ad quem est in cognoscendo, & diligendo, quia iam substantia separata habet Deũ vt cognitum, & vt desideratũ, & iste finis perfectus correspondet primæ vtilitati; & alius finis, qui non perficit rem, sed est de perfectione rei, correspondet secundæ vtilitati. Nõ autem intelligit Philosophus quòd finis substantiæ separatæ sit motus, sed finis, qui perficit rem. Perfectio intelligentiæ est intelligere Deum, quem intelligit necessariò, & in quo delectatur, & ex hoc fine sequitur ex quo amat vt desideratum, & amatũ, consequitur eius finis in dando *esse* aliis, & communicando, & sic quælibet substantia separata vult conformari primo mouenti, nõ solùm in interioribus, quia iam quælibet, vt dictũ est, habet eum, vt cognitum, desideratum, & amatum. Imò vult ex hoc consequi finẽ vltimum, quem potest habere, & hoc est dare alteri *esse*, siue cõmunicare: hoc autem nõ poterat esse nisi per motum: in interioribus enim prima Intelligentia assimilatur primæ substantiæ in amando, sed non in exterioribus, vt patet quòd ista non est perfectio Intelligentiæ, vt moueat orbem. *Vtilitas duplex. Finis duplex perficiens, & vltimum cõsequens ex perfectione rei.*

Item, ad hoc est alia ratio sua, scilicet, Philosophi secunda, talis 8. *Physic. 1. & 2. cæli, & 12. Met.* Perpetua & permanentia semper habent eandẽ vniformem habitudinem; sed Intelligentiæ sunt perpetuæ: igitur inter eas nulla est difformis ha- 11. *Secunda ratio Arist.*

bitudo;igitur ſi Intelligẽtia modò mouet,ſemper mouet,vnde nunquam haberent difformitatem, niſi mediãte aliquo difformi,& ideò ſemper vniformiter ſe habet ad mouibile,& per conſequẽs ſemper mouet: ſed motus habet partes,& ideò ſecundùm hanc partẽ habitudinis, & ſecundùm aliam poteſt eſſe difformitas in iſtis inferioribus, & ſecundùm hanc diuerſam habitudinem partiũ motus orbis, & ſecundùm diuerſum eius aſpectum eſt generatio & corruptio in eis.

Tertia ratio Philoſ.

Item,tertia ratio eſt ad hoc talis 2. *Phyſic.text. c.*48. quicquid eſt in entibus, vel eſt neceſſariò, vel vt in pluribus, vel vt in paucioribus; ſed in cælo nihil eſt niſi neceſſarium,& non vt in pluribus,quantùm ad motum:igitur nec aliquid erit ibi,vt in paucioribus, quia vbi eſt vnum in pluribus,neceſſariò eſt aliquid in paucioribus, quia nihil euenit vt in pluribus,niſi tantùm oppoſitũ euenit in paucioribus. Et ideò ſequitur quòd quidquid eſt ibi, eſt ſimpliciter neceſſarium, & neceſſitas, quia nec ex parte agẽtis,nec ex diſpoſitione materiæ eſt ibi aliquid in paucioribus;nec per conſequens erit ibi aliquid,quod ſit in pluribus;igitur nunquam motus cæli ceſſabit.

12. D.Tho.ar.2. q.2 Rich. præſd art.2. q 2. Henr. quodl 4.q. 12.

Reſpondeo cùm Theologis oppoſitum huius, ſcilicet quòd motus cæli aliquãdo ceſſabit.Tamẽ auctoritates Scripturæ nõ ſunt ad hoc expreſſæ. Vnde illa auctoritas Iſaiæ 60. non cogit,quando dicit quòd*Sol nõ occidet*,&c.id eſt,Deus tuus,qui erit ibi ſicut Sol,& Luna.Ad hoc tamen videtur eſſe vna auctoritas,ſi tamen ſit expreſſa, Apocal. 10. *Amplius nõ erit tẽpus cùm cecinerit tuba alius Angelus.* Sed tamẽ poteſt exponi,dicẽdo quòd nõ erit tempus,quale priùs fuit,ſcilicet delectationis.

Hæ auctoritates non cõuincunt.

Ratio D Tho. & Henr.vbi ſuprà.

Dico tamen quòd ceſſabit motus cæli, & ad hoc poteſt eſſe ratio talis. Actio agentis eſt propter finem; ſed generatio hominis ceſſabit aliquando, qui eſt finis omnium motuum corporũ ſuperiorum;ergo motus cæli ceſſabit,& corporũ ſuperiorum. Confirmatur iſta ratio ex 2.de Generatione in fine text.com. 56. de latione Solis in Zodiaco.

Reiicitur. Ignobilius nõ eſt finis nobilioris.

Sed hæc ratio eſt nulla,& friuola,apud Philoſophum,quia ſuperiora corpora ſunt perfectiora iſtis inferioribus, & ideò non ceſſaret motus cæli, licèt ceſſaret generatio hominis: generatio enim hominis non eſt finis motus cæleſtis, niſi ſicut dictum eſt, ſcilicet, quia motus cæli vtilis eſt propter generationem hominis, non quòd ordinetur ad illam,ſicut ad finem,& perfectionẽ eius Tamen dato quòd generatio eſſet finis motus cæli,adhuc non ceſſabit primus finis.

Dico tamen quòd iſta ratio poteſt colorari,& habere robur ex auctoritate Scripturæ, Deuter. 10.vbi dicitur quòd *omnia creata ſunt ad ſeruitium hominis*; quando igitur non erit tale ſeruitium, fruſtrà eſſet talis motus.

Alia congruentia cur motus cæli ceſſabit.

Item,poteſt eſſe alia ratio ab efficiente, quæ mihi videtur probabilior,licèt Philoſophus derideret: motus cæli eſt ab Intelligentia mouente immediatè voluntarie, ſicut dicit Auicenna 9. *Metaphyſ.*2. cùm igitur moueat voluntariè, & non neceſſariò, poteſt ceſſare à motu,vt videtur, ſine inconuenienti.

13 Dico igitur quòd non ſunt ad hoc rationes demonſtratiuæ.ſed quædam congruentiæ.Quòd autem Intelligentia moueat voluntariè, probat ibi Auicenna per duas rationes. Prima talis eſt; quando aliquid ordinatur ad aliquem finem, vel terminum,habito, vel adepto termino,ad quem eſt,ceſſat naturaliter ab illo motu,mediante quo ordinabatur ad illud: ſed habita generatione rerum per motum cæli, adhuc non ceſſat motus, quin res tendãt ad corruptionem;igitur videtur quòd motꝰ orbis ſit volũtarius ex parte mouẽtis.

Item,ratio ſecunda eſt,quòd in motu circulari ſi acceſſus ad vnum terminum,vel ad vnum punctum eſt naturalis,& neceſſarius,tũc receſſus ab illo puncto, vel termino erit naturalis,& ſic inuolũtarius,& inuiolentus,& neutrũ iſtorũ de per ſe eſt perpetuũ;igitur motus aliquando ceſſabit.

14. *Obiectio prima.*

Dico igitur quòd motus cæli ceſſabit.Sed tũc videtur quòd ſi motus ceſſet,quòd tempus ceſſabit,quod videtur inconueniẽs; tum,propter corpora damnatorum,& paſſiones eorum;tum,propter cogitationes bonorum, ſiue beatorum,quæ tunc non menſurarentur tẽpore,ſed æuo,vel alia menſura permanenti.Hæc eſt vna dubitatio.

Secunda.

Item ſequitur ſimiliter ſi ſtarẽt corpora cæleſtia,& ceſſarent à motu, tunc haberent aliquam actionem inordinatam,& immoderatam ad corruptionem aliquorum, tam elementorum,quàm iſtorum inferiorum,ſicut modò ſi duæ ſtellæ manent diu,corrumpuntur inferiora ex immoderatione,vel influẽtia earum;quod patet, quia in æſtate generãtur elemẽta ſuperiora,ſcilicet aër, & ignis:ſed in hyemẽ iſta inferiora,vt aqua & terra.

Tertia.

Item,ſi motus corporũ cæleſtiũ ceſſet, tũc videtur quòd nullus alius motus erit, quia cùm ſit primus motus illo nõ exiſtente nullus erit,quod falſum eſt,& ſi alij motus manent, tunc oportet primum motum cæli eſſe, quia amoto primo, ceſſant poſteriora.

Quarta.

Item, ſequitur quòd erit perpetua tenebra in aliqua parte terræ, quia ſi cælum ceſſat à motu, tunc neceſſariò Sol ſtabit;igitur in parte oppoſita Soli erit perpetua tenebra.

15. *Ad primam obiectionem.*

Reſpondeo ad hoc,& dico quòd non oportet ponere duas ſucceſſiones temporis, nec credo quòd tempus eſt in motu, ſicut quantitas ſuper quantitatem,ita quòd ſint duæ ſucceſſiones. Sed dico vnam ibi eſſe quantitatem permanentem, & in illa aliam ſucceſſiuam,& tempus erit paſſio non de genere Quantitatis,quidquid ſit illud,ſiue ſucceſſio,ſiue relatio aliqua, & illud tempus non erit ceſſante motu cæli.

Ceſſante motu cæli eſſent alij motus.

Et quando arguitur, quòd tempus tunc non erit,quia motus localis non erit, dico quòd erit ibi motus progreſſiuus,vt infrà dicetur. Et ſi dicitur quòd nõ erit ibi tempus, quia primus motus non erit. Dico per interpretationem, quòd imò erit tempus,quia menſuræ quantitatiuæ nõ dependent eſſentialiter à ſua menſura; & licèt motus certus, & regularis non manet, nec per conſequens tempus,vt menſurat illum motum, tamen illa non manente alia menſurata quantitatiuè menſura accidentali remanebunt. Vnde patet hoc,quia tempore Ioſue erat motus hominum,& iſtorum inferiorum quando Sol ſtetit,& tamen tunc(ſicut poteſt probabiliter dici) nullũ corpus cæleſte mouebatur, ex quo corpus Solis, quod eſt in cælo nobiliſſimũ,ſtabat. Et licèt aliqui hoc dictum derideant,tamẽ multùm,vt dixi, videtur probabile, quòd omnia corpora cæleſtia ſteterunt tunc, propter harmoniam corporum ſuperiorum,quæ poſteà non fuiſſet ſeruata,ſi tãtùm Sol ſtetiſſet,& non alia corpora.Dico igitur quòd tempus dicit relationẽ menſuræ, nõ actualis,ſed aptitudinalis tantùm; nec mẽſuratio temporis eſt reſpectu alicuius mobilis, vel cæli actualiter

Menſuratum poteſt eſſe ſine menſura accidentali non verò ſine eſſentiali.

Sole ſtante tempore Ioſue totum cælum ſtetit.

Tempus eſt eſſentialiter tantùm menſura aptitudinalis.

actualiter menſurati, ſed aptitudinaliter conſiſtit in aliquo communi, quod menſuratur tempore, ita quòd tempus aptitudinaliter non reſpicit hoc corpus vt menſuratum plus quàm aliud, licèt actualiter, & quaſi accidentaliter plus reſpicit motum primi mobilis.

16. *Ad ſecundã obiectionem.* Vide articulos Pariſienſes. *Articulus damnatus quod alia inferiora non agerent non moto cælo.*

Ad aliud argumentum, quando dicitur quòd *ceſſante primo motu tunc nullus alius erit motus*; dico quòd iſte articulus eſt condemnatus. Et poſito quòd non eſſet articulus, non eſſet aliqua cauſa naturalis impedimentũ, quin aliquod agẽs poſſet agere, quare ignis non poſſet calefacere, quia ſi ignis, vel aliud agẽs, habet formã æquè perfectã, mediãte qua agit, & paſſum æquè diſpoſitũ, & approximatũ, ceſsãte motu cæli; igitur aget. Articulus enim Epiſcopi Pariſienſis aliter damnat, vt dictum eſt, & licèt quãdo eſt motus in iſtis inferioribus, nõ poſſit eſſe niſi in habitudine ad cælum, non tamen vt ad primam cauſam mouentẽ; imò eandem habitudinem habet ad cœlum quieſcẽs, ſicut priùs habebat ad cœlum mouens; & ideò ſi ceſſat motus in cœlo, non propter hoc ceſſabit motus in iſtis inferioribus, quia non ceſſat habitudo. Patet igitur ex iſtis, quòd ad ceſſationẽ motus corporũ cæleſtiũ, nõ ſequũtur tot correlatiua ſicut iſti ponũt, vt quòd nõ eſſet alteratio in elementis, & quòd corpora damnatorum erunt immortalia, & impaſſibilia, & alia multa. Dico enim quòd nullum eorũ ſequitur; motus enim cæli nõ eſt principiũ generãdi, nec motus localis, nec alterationis in iſtis inferioribus, nec eſt ratio agẽdi, ſed eſt prima diſpoſitio generãdi, vel alterãdi, ita quòd tantum adducit generans approximans quantum agens paſſo ſecundùm viam Phiſophi.

Motus cæli non eſt ratio agendi iſtis inferioribus, ſed tantum diſpoſitio.

17. *Ad tertiam obiectionem.*

Ad argumentũ, quando dicitur quòd ceſſante, vel deficiente primo motu, ceſſant & alij poſteriores, quia remoto primo, remouentur & ea quæ ſunt poſt; dico quòd quãdo à primis ad poſteriora eſt dependentia eſſentialis, tunc argumentũ concludit; ſed motus primi ad alios non eſt eſſentialis dependentia ſed eſt primitas accidẽtalis, quia nõ habet eſſentialem habitudinem ad iſta inferiora, nec cauſalitatem. Et ideò deſtructo, vel ceſſante primo motu, non ceſſant alij, quia eſt ſicut diſpoſitio præuia, & extrinſeca ad id, quod primum eſt, quia motus eſt diſpoſitio adducens cælum, quod eſt cauſa iſtorum inferiorum, nunc ad hanc partem terræ, nunc ad aliam, & cælum per formam ſuam agit.

Alij motus non dependẽt niſi accidentaliter à motu cæli.

Inſtantia.

Sed tunc arguo contrà, quia tunc cælum ſtans aget per formam ſuam, non mediante motu, & ſic erit corruptio aliquorum inferiorum propter continuam influentiam ſuper eadem corpora, vt ſuprà argutum fuit.

Soluitur. Quomodo ſi cæli ſtarent non corrumperẽtur inferiora. Alia inſtãtia remouetur.

Reſpondeo, quòd propter eãdem rationẽ propter quam nõ corrumpitur corpus damnati, propter eandem non corrumperentur alia inferiora in terra, ſi cælum ſtaret poſt Iudicium, quia Deus diſponeret non agere per motũ corporũ celeſtiũ.

Si dicas quòd illud erit miraculũ quòd ſtẽt, & ita non eſſet naturale; Dico quòd eadem immobilitate, qua diſponit agere ante iudicium; ita eadem immobilitate diſponit agere poſt, & per conſequens ita naturale erit corporibus cæleſtibus non agere per motum, ſicut eſt modò naturale eis agere mediante motu.

18. *In quo ſitu ſtabunt Sol & Luna ceſſante motu cæli.*

Sed dubiũ eſt, quomodo iſta corpora ſtabũt, & in quo ſitu ſicut Magiſter interrogat in litera? Hîc dicunt aliqui quòd nõ ſtabunt in eodẽ ſitu, in quo fuerũt creata, propter eos qui erunt in Inferno, & habetur ab Iſidoro, vide Magiſtrum in litera.

Dico igitur quòd congruũ eſt quòd nõ ſint in eodem ſitu, in quo fuerunt creata, & hoc duplici ratione. Primò, quia in loco oppoſito cõgruit cælũ quieſcere illi parti, à qua incepit moueri. Secũdò, quia ille ſitus, in quo incepit cælum moueri, magis congruebat ad productionẽ rerũ; igitur in oppoſito debebunt eſſe quando quieſcent, quia tunc non erit neceſſariũ quòd cælum moueatur ad productionem rerũ, & ideò in illo ſitu, in quo tũc inueniẽtur huiuſmodi corpora, in illo ſtabũt, & quieſcent. In iſto igitur hemiſphærio, vbi generatio hominum ceſſabit, ſtabit cælum, & Sol & Luna, niſi fortè Deus tunc transferat iſta, ſicut tranſtulit Lunam in Paſſione Chriſti.

Cælum Sol & Luna ſtabunt in ſitu in quo inuenientur in die iudicij.

Sed quare plus ſtabũt in illo ſitu, quàm in alio? Dico, quia quilibet ſitus eſt naturalis, tamen de Sole & Luna, quæ facta ſunt propter homines, ſtabũt ſuper hemiſphæriũ, vbi habitãt homines; ex quo ſequitur neceſſariò quòd erit perpetua vmbra terræ, & tenebra ex oppoſito pyramidis.

19. *Ad primum principale.*

Ad primum de generatione, quòd finis luminarium eſt, vt diuidant diem ac noctem, lucem ac tenebras; Dico quòd hic eſt finis ſub fine, quia alius finis eſt iſtorum luminarium, vt ſeruiant homini, ſicut dicitur Deuteronom. 4.

Ad ſecundũ.

Ad aliud, quãdo dicitur *cũctis diebus vitæ hominis æſtas & hyems*, &c. Verum eſt in tempore ſemẽtis & meſſis, & quando illa erũt tunc mutabitur tẽpus. & erit motus cælorũ, & luminarium; quãdo autem non erunt iſta, ſcilicet ſementis & meſſis, non erunt motus luminarium, & cælorum.

Ad tertium.

Ad aliud, quando dicitur quòd Philoſophus, 9. *Metaphyſ.* dicit quòd Sol ſemper aget, & nõ eſt timendum quòd ſtet aliquando; Dicendum quòd intentio Philoſophi fuit, quòd cælũ nunquã ſtaret, imò diceret quòd non plus ſtabit Cælum, quàm terra acciperet alas, & volaret per cælum, vtrumque enim fuiſſet ſibi æquè irrationabile.

20. *Ad quartum.*

Ad aliud, quãdo dicitur quòd quæcunque virtus, quæ fatigatur, aliquãdo ceſſabit, ſecundũ Philoſoph. Dico quòd nõ ſequitur è cõuerſo, ſcilicet quòd id quod ceſſat, propter hoc fatigetur, quia talis motus à volũtate eſt, & ideò poteſt ceſſare.

Motus cæli eſt perfectio eius ſecundùm quid.

Ad aliud, quando dicitur quòd in innouatione mũdi nulla perfectio tolletur corpori cæleſti; igitur nec motus, qui eſt perfectio; Dico quòd motus eſt perfectio illi corpori ſecundùm *quid*, quia motus ille circularis reddit vel vertit cælũ ad diuerſas partes terræ, vt poſſit res generare, & diuerſa producere, & ſi ſtaret ſuper vnũ hemiſphærium, & ſuper vnum corpus de iſtis inferioribus illud incineraret, & ſic perfectio motus cæli eſt, vt poſſit alias, & alias res producere, quia quies eſt perfectio in ſe.

Quomodo perfectius ſit cælo ſtare quàm moueri.

Sed quid eſt ſimpliciter perfectius mouere, vel quieſcere? Dico quòd ſimpliciter perfectius eſt idẽ eſſe, & permanere in *eſſe*, & habere ſẽper idẽ *eſſe*, quàm ſuccedere aliud, & aliud *eſſe* per motũ, & ſimpliciter eſt melior idẽtitas, ſiue vniformitas in eſſendo, quàm illud poſitiuuũ, quod dicit motus. Sed idẽ *eſſe* ſuccedere, quãdo eſt motus, & iſte motus perfectior eſt quàm ſit illud negatiuũ, ſcilicet *nõ ſuccedere*, quod dicit quies. Sed habere idẽ *vbi* perfectius eſt ſimpliciter quàm non habere *vbi*, cælum autem non habet *vbi* dum mouetur. Sunt igitur duæ poſitiones, & duæ priuationes, poſitiones autem ſimpliciter perfectiores ſunt priuationibus: & ita patet quomodo perfectius eſt ſtare cælum, quàm moueri, quia ſimpliciter; licèt

licèt ſecundùm *quid* perfectiùs ſit moueri, inquantum ei opponitur quies, vt eſt priuatio motus.

Ad ſecundũ. Ad aliud, quando dicitur quòd motus cæli eſt naturalis, & perpetuus, non autem violentus; Dico quòd *naturale* & *violentum* non ſunt differentiæ oppoſitæ diuidentes motum, vel aliquid aliud, quia poteſt eſſe neutrum, & ita eſt in propoſito, quia dictum eſt *ſuprà*, quòd iſte motus eſt voluntarius, non propriè naturalis, vel violentus.

Motus cæli neuter.

Ad primum arg. pro ſententia Philoſophi n. 10.

Ad rationes pro opinione Philoſophi. Ad primam, quando dicitur quòd nobiliſſima ſubſtantia ſortitur finem nobiliſſimum, hoc autem eſt in communicando, & dando *eſſe* alteri, quod non poteſt fieri niſi per motum: Dico quòd verum eſt primum dictum de fine, qui eſt perfectio rei, & de fine, qui neceſſariò ſequitur ad talem rem: ſic enim verum eſt, quòd nobiliſſima ſubſtantia ſortitur nobiliſſimum finem, ſed talis finis non eſt cõmunicare *eſſe* alteri per motũ; hoc enim neceſſariò non conſequitur ad ſubſtantiam ſeparatam, ſed contingenter, & voluntariè, ſiue liberè, licèt neceſſariò amet, & conſideret illud bonum ſecundùm Philoſophum: non autem vult hoc pro ſemper, ſed tantùm pro illo inſtanti, vel tempore, pro quo vult illud *eſſe* communicare eis.

Calum dare eſſe alteri per motum eſt finis contingenter & ſecundum quid ipſius.

Ad ſecundũ Ad aliud, quando dicitur, quòd Intelligentiæ ſint perpetuæ, & quòd in eis non poteſt eſſe aliqua difformis habitudo ad orbẽ, &c, Dico quòd non eſt verum, & hoc nos negamus. Si enim Deus moueret orbem immediatè (quia dicimus quòd Intelligentia mouet orbem) voluntariè, & liberè moueret; & ſicut voluntariè incepit mouere, ita voluntariè continuat motum: & illa voluntate antiqua vult tunc non mouere, ſicut priùs voluit mouere. Et ita dicimus quòd primum mouens aliqua nolitione poteſt ſe habere difformiter ad cælum, & poteſt cauſare nouum effectum, quòd negat Philoſophus, & Commentator 8. *Phyſicorum*. Tamen rationes Philoſophi benè concludunt de agente naturali.

Intelligentia mouet orbem liberè.

Ad tertium. Ad aliud, quando dicitur quòd in cælo non eſt niſi neceſſarium, non autem in paucioribus, nec in pluribus, & quidquid non eſt in pluribus, nec in paucioribus eſt neceſſarium ſimpliciter: Dico quòd in cælo multa ſunt vt in paucioribus, non ex defectu agentis; ſed quia tales motus voluntariè dicuntur, & ex libertate agentis. Vnde quòd ſit Eclipſis Lunæ, vel Solis, hoc eſt vt in paucioribus, & tamen ſit modo naturali. Philoſophus autem diceret, quòd Eclipſis eſt neceſſarium, quia habet cauſam neceſſariam, & diceret quòd nihil eſt in cælo, vt in paucioribus.

DISTINCTIO XLIX.

De Beatitudine.

QVÆSTIO I.

Vtrùm beatitudo conſiſtat per ſe in operatione?

D. Thom. 1. 2. *q.* 3 *art.* 1. *& hic q* 1. *art.* 1. D. Bonau 1. *p. art.* 1. *q.* 4. Rich *art.* 1. *q* 4. Gab *q* 1. *art* 1. Ægid *quæſt.* 1. *art.* 2. Henr. *quodlib.* 13. *q.* 11. Valq. 12. *diſp* 8. *cap.* 3.

VIdetur quòd non, quia beatitudo eſt perfectio hominis beati, ſed habitus eſt perfectior, quàm operatio, quia maius bonũ, & magis inclinat habitus ad operandum. Quòd autem ſit maius bonum, patet ex Philoſopho 3. *Topic. cap.* 1. vbi dicit quòd *bona permanentia, & diuturniora ſũt meliora*; ſed habitus eſt permanentior operatione. 1. *Arg. primum negatiuum.*

Item, agens non perficitur operatione, quia omne agens mutaretur de imperfecto ad perfectum; ſed operatio eſt quædam actio; igitur quædam mutatio, beatitudo autem eſt perfectio beati; igitur non eſt operatio, *Secundum.*

Item, beatitudo, ſiue ſit finis, ſiue coniunctio cũ fine vltimo, & obiecto, neutro modo eſt operatio; non enim eſt finis vltimus, quia finis eſt extra operantem; operatio autem non eſt extra operantem, nec eſt coniunctio cum fine vltimo; quia coniunctio eſt quædam relatio, & per conſequens non eſt perfectio Beati. *Tertium.*

Contrà, Philoſophus primo Ethicorũ c. 8. & 9. *Omnino, quorum actus*, &c. ſed beatificabile poteſt habere actum. 2. *Ratio ad oppoſitum.*

Item ibidẽ, *felicitas eſt operatio perfecta, & optima*, & dicit hoc idem Philoſophus ex intentione.

Item, ibidem *felicitas non conſiſtit in habitu*, ſed in actu, quia aliàs dormiens, & nihil operans, eſſet beatus, haberet enim habitum.

Item 5. *Metaphyſ. text.* 31. actus eſt finis potentiæ, & probat hoc idem in naturalibus, & in potentiis acquiſitis.

Item 12. *Metaphyſ. text.* 51. loquens de motore diuino, *ſi nihil intelligat, quid igitur inſigne erit ei & venerabile*? Et paulò pòſt, text. 39. *Vita vtique exiſtit, etenim intellectus actus vita.* intellectus ibi accipitur genitiuè.

Item 2. de Cælo & mũdo text. 17. *operatio finis eſt cuiuſlibet operantis: omnis enim ſubſtantia, cuius eſt operatio, eſt propter operationem.* Ex omnibus iſtis igitur ſequitur quòd cùm beatitudo ſit finis, & finis potentis operari eſt operatio ſua; igitur beatitudo conſiſtit in operatione.

SCHOLIVM I.

Opinio Henrici beatitudinem conſiſtere in illapſu Dei in ipſam eſſentiam animæ, & inde redundare in potentias eius, ſuadetur tribus rationibus, ſed refutatur efficaciter & clarè, adductis rationibus Henrici ad oppoſitum, de quo latè agit Doctor in Oxon. hic quæſt. 2. *per totam.*

HIc eſt vna opinio, quæ ponit quòd beatitudo vno modo eſt in eſſentia animæ beatæ, & alio modo eſt in potentiis eius; ita quòd in eſſentia eſt principaliter, & in potẽtiis minùs principaliter, cũ perfectio operationis immediatius, & 3. *Opinio Henr. quodlib.* 13. *q.* 11.

& principaliùs est,vel cõpetit in potentiis,quàm in essẽtia.Modus istius positionis est,quia ad hoc

Dionys. *Amore transformatur amãs in amatum.*

deducunt Dionys.de Eccl.Hierarch.c.7.qui dicit quòd *amor est vis vnitiua,& transit in amatum*,per circumincessionẽ,quia nõ potest esse per illapsũ obiecti creati,sed increati, & sic est deiformis in ipso illapsu. Et formatur ad hoc talis ratio ; illud principaliùs beatificari debet, quod principaliùs perficitur obiecto,quod est essẽtialiter beatitudo: sed essẽtia animæ principaliùs perficitur obiecto beatifico,quia per essentiã,& per illapsum;igitur essentia principaliùs beatificatur,quã potentia,& per consequẽs beatitudo erit in aliquo actu primo,qui respicit illapsum,& non secundùm potẽtiam,nisi terminatiuè tantùm,scilicet inquantùm terminatur ad obiectum per operationẽ suã,& sic minùs principaliter beatitudo erit in operatione.

Prima probatio.

Secunda.

Item,illa ratio potest accipi ex dictis illius doctoris,vbi sic habet:Eo modo perficit beatitudo, quomodo perficit dispositio ordinata ad beatitudinem; sed huiusmodi dispositio est gratia , quæ perficit essentiam principaliter , & redundat ex ipsa in potentiam ; igitur beatitudo principaliùs est in essentia quàm in potentia.

Tertia.

Alia ratio est ad hoc,non fundamentalis , sed adducitur ad quæstionẽ,quæ talis est:Iustitia distributiua requirit vt secundùm dispositionẽ merentis perfectio meriti distribuatur perfectiori, sicut maius bonum:sed essentia est melior & nobilior potentiis;igitur à iustitia distributiua reddendum est maius præmium, vel æquale. Addit autem quòd quia potentia percipit, & degustat, scilicet per intellectum,& voluntatem,ideò per redundantiam beatitudinis essentiæ in potentias beatificantur potentiæ.

4. *Refutatur Henr primò.*

Sed hanc opinionẽ nõ capio.Quæro à te de illapsu illo,nõ enim per se est ratio habendi Deũ, nec per hoc quòd Deus sit præsens essentiæ animæ,quia similiter est præsens lapidi , & cuilibet creaturæ;nec erit , quia Deus se habeat aliter ad essentiam,nunc quàm priùs,nec sicut nouus illapsus,nisi quia aliqua forma est in essentia huius, quæ non est in essentia alterius,qui non est beatus,puta in Lucifero; ergo essẽtia beata erit sicut carbo ignitus per aliquam formam sibi datam, non autem obiectum ipsum. Ista autem forma quæ illabitur non potest esse immediata beatitudo eius,quia tunc illa forma,quæ illabitur , esset formalis beatitudo eius , quod est falsum , quia beatitudo est immediata coniunctio obiecto beatifico;sed per formam istam,cùm non sit operatio , sed quidam actus primus , vt dictum est, nõ potest essentia habere obiectum beatificum; igitur per illam formam non est formaliter beata,cùm sit tantùm in essentia,vbi nulla operatio est nisi mediante potentia,

Per illapsum non aliter se habet beatus nunc quàm priùs.

Impugnatur secundò. Ex Henr.dormiens æternũ posset esse beatus.

Item , illapsus prior est secundùm naturam, quàm operatio potentiarum,quia illapsus est primò in essentia , & secundò in potentiis,sequitur operatio;igitur sine aliqua cõtradictione primus actus,scilicet illapsus , potest separari à secundo, qui est operatio , & sic Michaël beatus erit sicut dormiens,non sicut operans.

Impugnatur tertiò.

Item , beati proportionabiliter beati sunt , vt Deus beatus:sed Deus non est formaliter beatus per hoc,quòd est in se per essentiam,& est idem sibi , sed per hoc,quòd essentia Dei est terminus intellectionis , & volitionis suæ , & quia habet operationem circa obiectum,aliàs non possemus concludere Deum esse beatum plus quàm lapidẽ,nisi intelligeret,&diligeret se;ergo anima nostra erit beata per aliquid aliud,quàm per illapsũ.

Deus est beatus per operationes immanentes.

Itẽ,ex medio illo,per quod probant quòd primò sit in essentia animæ,quàm in potentia;arguo oppositum,scilicet quòd essentia non primò perficitur gratia, sicut si idẽ perfectibile debet perfici per dispositionem aliquam,& id quod disponit sit gratia,nõ erit principiũ alicuius actionis, vel operationis.Probatio assumpti,quod perficit actum inquantùm illimitatũ ad plures actiones, perficit eum in comparatione huius actionis,vel illius,illimitatè & distinctè.Si enim aliquid perficit Solem,inquantùm est actiuus , non perficit eum inquantùm est productiuus vermis tantùm: sed gratia non perficit essentiam animæ inquantùm essẽtia est actiua cuiuslibet actionis animæ, sed tantùm inquantùm est actiua volitionis per voluntatem ; non autẽ inquantùm est actiua intellectionis , siue actionis intellectus,aliàs actus intellectus ante omnem volitionem esset gratus & acceptus Deo formaliter, quod est contra omnem opinionem ; quia intellectus, quoad actionem , quæ merè præcedit volitionem , nec est à voluntate imperatus, non est gratus:omnis autem actus volitionis , vel à voluntate imperatus, potest esse cum gratia , & esse gratus : de hoc dicetur aliàs ;igitur,&c.

5. *Rationem secundã Henr. adducit ad oppositum.*

Gratiam non perficere primò essentiam, sed potentiã.

Actus intellectus,vt præcedens omnem actum voluntatis,non est gratuitus.

Item,cõtra illud,quod prædictum est de iustitia distributiua,nõ cogit, imò videtur esse ad oppositũ,quia melius est essentiæ,quòd immediatè possit coniungi cum obiecto beatifico per operationem ; & maius bonum est, quòd beatitudo cõferatur sibi per operationem,qua possit attingere vltimum finem,quàm per formã illam , per quam non possit attingere vltimũ bonum;quia non potest coniungi Deo per formã illã,quæ est primus actus sine secundo actu,qui est operatio.

*In 2.d.29. 6. *Tertiam etiã Henr rationem adducit ad oppositum.*

Vnde si arguatur quòd anima est aliquid nobilius oculo;igitur meliùs formatur visio in anima , quàm in oculo ; non valet , quia visio non cõpetit animæ,nisi mediãte oculo;ita nec beatitudo competit essentiæ, nisi mediãte operatione potẽtiæ,&ita ratio Doctoris illius nõ concludit.

Instantia removetur.

Ad illud,quod addit,quòd potentiæ percipiũt beatitudinem , & degustant , ita quòd illi actus nõ sunt nisi quædam perceptio de obiecto beatifico : Hoc non capio, quia tunc beatitudo non esset delectatio, siue delectans secundùm se , & de se;esset enim quid non perceptum, perceptibile tamen ab intellectu, & voluntate : sed tantùm eius perceptio est delectabilis, sicut sanitas non est de se delectabilis , nisi mediante sensu percipiente sanitatem ; hoc autem est inconueniens , scilicet quòd beatitudo de se non sit delectabilis , quia sic pro oppositio damnatio , vel miseria nõ esset de se tristabilis,sed tantùm esset quædam perceptio consequens ad miseriam, quod falsum est , quia miseria ex natura sua includit tristitiam,& perceptionem intellectus, & voluntatis.

Beatitudo includit essentialiter delectationem, sicut miseria tristitiam.

SCHOLIVM II.

Explicat optimo discursu, quomodo beatitudo consistat in coniunctione ad optimum, cui aptum est coniungi beatificabile ; & coniunctionem hanc non posse fieri , nisi per operationem , alioquin , vt contra Henricum allatum est , semper dormientes possent esse beati. Hanc probant omnia adducta contra illapsum Henrici.

Respondeo

6. *Sententia Authoris.*

REſpondeo igitur ad quæſtionem, & incipio à notiori vniuerſaliori, nam omnes concedunt quòd beatus eſt, cui completè bene eſt, ſicut miſer eſt, quando complemento ſui *eſſe* caret. Ex hoc arguo ſic: quicquid natum eſt coniungi alij à ſe tanquam bono ſuo, non completè eſt benè ſibi, niſi coniungatur illi, quia ſi non coniungitur ei, caret coniunctione illius, quod eſt bonum ei. Similiter caret bono extrinſeco, quia non eſt bonum ſuum, niſi inquantùm illi coniungitur, & ſic nec completè ſibi bene eſt. Ex eodem habeo, quòd ſi ſibi non coniungatur ſicut ſuo optimo, & non coniungatur vltimatè, ſuo caret maximo bono, & intrinſeco, & extrinſeco, quia caret coniunctione, quæ eſt ſibi bonum intrinſecum, & caret bono illo extrinſeco, ſcilicet obiecto beatifico. Ex hoc ſequitur illa ratio communiſſima beatitudinis, ſiue commune dictum de beatitudine, quòd ſcilicet beatitudo non eſt ſine coniunctione vltimata ad ſuum optimum: non pono modò aliquam definitionem beatitudinis. Iſto modo non eſt viſus beatus, niſi coniungatur perfecto viſibili, ſicut anima non eſt beata, niſi gratia, vel Deus coniungatur ei, & ita hoc eſt verum in generali, de quacunque potentia, cui perfectè benè eſt, & viſui, & intellectui hoc competit, ſicut & voluntati.

Probatur primò.

Beatitudo eſt vltimata coniunctio ad ſuum optimum.

Vlteriùs, quodlibet natum eſt coniungi ſuo optimo vltimatè; quæcunque autem non poſſunt habere pro bono ſuo, niſi materialia, & corporalia, non poſſunt coniungi ſimpliciter optimo: ſed probatum eſt *primo libro, diſtinctione ſecunda* *, quòd aliquid eſt optimum, & eſt alicuius immediatè optimum, non curo cuius, quia ſi non immediatè illud optimum ſit alicuius, erit proceſſus in infinitum, nec erit vltimus, nec primus reſpectu alicuius.

Probatur ſecundò.

* q. 1, & 2.

7. *Beatitudo alia ſimpliciter, alia ſecundùm quid.*

Ex his poteſt alicui benè eſſe in ſe, ſed non ſimpliciter; vnde eſſe ſic eſt coniunctio cum diminuto vltimo, & diminutè competit illi benè eſſe: ſed coniunctio cum perfecto optimo competit benè eſſe ſimpliciter & perfectè. Prima ergo propoſitio, quæ eſt quòd beatitudo eſt in coniunctione cum bono ſuo optimo, diſtinguitur; quia coniunctio cum bono ſuo optimo eſt dupliciter; vel quando coniungitur ſuo optimo, & perfectè optimo, & ſic eſt beatitudo ſimpliciter; vel quia coniungitur non perfectè cum ſuo optimo, & ſic eſt beatitudo ſecundùm *quid*. Iſta autem coniunctio cum optimo, quando eſt perfecta ſimpliciter, non poteſt eſſe niſi per aliquid intrinſecum. Beatitudo autem ſimpliciter erit perfectio ſimpliciter coniungens ſuo optimo, & beatitudo ſecundùm *quid* erit perfectio coniungens ſecundùm *quid* ſuo optimo. Sic igitur oportet quòd ſit aliquid in illo, quod eſt natum coniungi, quo formaliter coniungatur ſuo optimo: hæc eſt autem beatitudo. Ex hoc apparet ſolutio quæſtionis, & habentur multæ deſcriptiones beatitudinis.

Beatitudo conſiſtit in operatione.

Vlteriùs dico quòd quilibet actus primus ordinatur ad attingendum ſuum optimum per operationem, tanquam per medium finem, & ſic ſequitur quòd beatitudo ſit in operatione, ſiue quòd ſit per operationem. Hoc apparet à ſimili de beatitudine, quæ eſt ſecundùm *quid*, quia coniunctio quæcunque localis, vel quæcunque alia ſine operatione, non eſt vltimata, ſed eſt vlterior aliqua alia.

Ex his patet ratio, & deſcriptio beatitudinis, & explanatio Auguſtini, Boëtij, & Ariſtotelis de beatitudine. Vnde Auguſtinus 13. de Trinitate capite vltimo: *Beatus eſt, qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult*, ibi accipit *omnia* non diſtributiuè pro ſingulis, ſed vnitiuè, & excellentiùs in illo optimo, cui coniungitur, quàm in ſe, & ideò beatus non eſt ſimpliciter, qui habet quæ vult in vita iſta, quia non habet omnia, quæ poteſt velle, & ideò dicitur *quæ vult*, id eſt, ordinatè poteſt velle; ſimpliciter enim mali habent quæ volunt, ſed non aliud, & ideò additur *nihil mali vult*. Similiter patet deſcriptio beatitudinis, quam ponit Boëtius 3. de Conſolat. proſa 2. *Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.* Scilicet ſtatus, in quo habet in aggregatione omnia ſibi conuenientia, & quæ deſiderare poteſt. Iſtæ autem definitiones datæ ſunt de beatitudine ſecundùm *quid*.

8. *Definitio beatitudinis ex Aug.*

Deſcriptio Boëtij.

Item, patet ſimiliter de definitione Philoſophi, quam ponit primo & decimo Ethicorum, vbi dicit quòd *felicitas eſt operatio optima in vita perfecta.* Dicitur autem *operatio optima*, quia coniungens ſecundùm ſe vltimatè perfectè obiecto. De perpetuitate autem non curauit, quia illa non eſt eſſentialis operationi, & beatitudini ſecundùm eum, ita quòd ante operationem non eſt potentia, niſi aliquid in ſe, ſed poſt operationem, potentia eſt bonum in ſe, & in alio. Sic igitur patet, quòd beatitudo èſt alicui vltimatè benè eſſe, & non eſt niſi per operationem, ſecundùm quamlibet rationem, vel deſcriptionem beatitudinis.

Definitio Philoſ.

9. *Ad primum principale. Duplex beatitudo formalis & obiectiua.*

Ad primum, quando dicitur quòd Beatitudo, &c. Dico quòd beatitudo eſt duplex: quædam formalis, & quædam ſubiectiua. Beatitudo formalis eſt, quæ eſt perfectio coniungens optimo finiſ: ſed beatitudo ſubiectiua, & obiectiua eſt ipſe Deus. Et quando dicitur quòd habitus perfectior eſt actu, & diuturnior; dico quòd falſum eſt cæteris paribus, ſicut dicetur de hoc in 3. libro *. Vnde de omni habitu eſt falſum, quòd ſit nobilior actu, imò è cõtrario actus omnis eſt nobilior habitu, & de habitibus acquiſitis poteſt demõſtrari, & de infuſis eſt probabile, vniuerſaliter enim ſpecies ſua, ſcilicet actus, eſt nobilior ſpecie habitus.

* d. 14 q. 1. & d. 13.

Actus omnis eſt nobilior & perfectior ſuo habitu.

Ad id, quod pòſt additur in probatione, quòd habitus eſt nobilior, quia diuturnior, & permanentior. Dico quòd omnes cõſiderationes Philoſophi in illo libro intelliguntur cæteris paribus. Vnde dicit *non vt diſtant, ſed ſi diuturniora alio*, non quòd diuturnitas addat de ſe aliquam rationẽ bonitatis, etſi ex natura ſua dicitur diuturnum. Ad propoſitum ergo dico, quòd actus ita natus eſt durare, & eſſe diuturnus, ſicut habitus, & ita perpetuus eſt quantùm eſt in ſe, & in ſtatu beatitudinis actus erit ita perpetuus, ſicut habitus.

Actus beatificus ita perpetuus ſicut habitus. Ad ſecundum.

Ad aliud, quando dicitur quòd agens non perficitur operatione, & quòd operatio eſt actio; Dico quòd agens nõ eſt perfectior ex hoc, quòd agit, ſed ex hoc, quòd producit. Et quando dicitur in minori, quòd operatio eſt actio. Dico quòd mihi eſt demonſtratio, quòd nulla operatio eſt actio de genere Actionis; ſed operatio eſt perfectio operãtis, & qualitas, ſcilicet de genere Qualitatis, vt *in primo libro* * oſtenſum fuit.

Nulla operatio eſt actio.

* diſt 3 q. 6. num. 2.

Ad

10. *Ad tertium.* Ad aliud, cùm dicitur quòd beatitudo, ſiue ſit vltimus finis, ſiue coniunctio cum fine vltimo, neutro modo eſt operatio. Dico quòd nec beatitudo eſt finis vltimus, nec coniunctio cum fine vltimo. Et licèt beatitudo quædam ſit finis vltimus, non tamen illa, de qua nũc loquimur. Quòd autem beatitudo dicitur *coniunctio*, iſta prædicatio non eſt formalis, ſed cauſalis. Vnde aliquando dicimus quòd beatitudo eſt operatio, aliquando quòd beatitudo eſt in operatione; & tamen ſunt ſubſtantiua, & concreta. Vnde beatitudo fortè non eſt niſi beatitudo vltimati boni, vel ſufficientia boni; nec eſt magis propria prædicatio, quàm quòd beatitudo ſit operatio, licèt poſſet dici inquantùm operatio dicitur de beatitudine concretiuè, & eſt quoddam concretum, id eſt, cum operatione.

Quomodo beatitudo dicitur coniunctio ad vltimum finem.

Auguſt. Quòd autem dicatur habitio vltimati boni, patet per Auguſtinum vbi ſuprà, quando dicit quòd *beatus eſt, qui habet quidquid vult, &c.* Vnde formaliter non dicit niſi ſufficientiam, vel habitionem vltimi boni. Et ita dicitur beatitudo de hac operatione, & de illa, beatitudo autem dicitur perfectio, inquantùm eſt principium coniungens optimo ſuo fini, id eſt, operatio illa eſt beatitudo, vel in illa operatione eſt beatitudo.

QVÆSTIO II.

Vtrùm beatitudo ſimpliciter & per ſe conſiſtat in actu intellectus?

D. Thom. 1. 2. *q.* 3. *art.* 4 & 8. *& hic q.* 1. *art.* 2. Richard. *art.* 1. *q.* 7. Durand. *q.* 3. Sotus *q.* 1. *art.* 3. Gabr. *q.* 2. *art.* 2. Maior. *q.* 5. Vaſq. 1. 2. *d.* 11. *c.* 3. & 4. Scot. *in* Oxon. *hic q.* 4.

1. *Argument. 1. affirmatiuũ.* DEINDE quæro quæ ſit iſta operatio, in qua beatitudo conſiſtit, ſeu, Vtrùm beatitudo ſimpliciter, & per ſe conſiſtat in actu intellectus? Videtur quòd ſic, Ioannis 10. *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te, &c.*

Secundum. Item, Auguſtinus 1. de Trinit. cap. penultimo dicit quòd *ſumma merces eſt viſio Dei*, & multæ aliæ auctoritates Auguſtini ſunt ad hoc.

Tertium. Item, Philoſophus 10. *Ethicorum & Primo*, dicit quòd beatitudo, ſiue felicitas conſiſtit in ſpeculatione ſapientiæ, quia in hoc ſumus maximè ſimiles Diis, & ideò 10. *Ethicorum cap.* 10. probat ex intentione quòd nulla operatio virtutis competit eis, quia tales operationes non ſunt in Deo, niſi ſapientiæ ſpeculatio.

Quartum. Item, *felicitas eſt bonum per ſe ſubſiſtens ſufficiens*: primo Ethicorum cap. 10. ſed maxima ſufficientia eſt in actu intellectus. Vnde Ioannis 14. dixit Philippus: *Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.*

Ratio ad oppoſ. Auguſt. Contrà, Auguſtin. 13. de Trinitate cap. 5. *Beatus eſt, qui habet, quicquid vult, & nihil mali vult.* Si enim aliæ potentiæ animæ haberent quicquid competit eis, tamen per hoc voluntas non habet quidquid vult; igitur in actu intellectus non erit vltimata perfectio beatitudinis.

Auguſt. Item, Auguſtinus primo de doctrina Chriſt. poſt medium, ſiue cap. 6. dicit quòd *ſumma merces eſt inhærere Deo*, hoc eſt fruitio per amorem; igitur, &c.

SCHOLIVM I.

Sententia D. Thom. beatitudinem eſſentialiter conſiſtere in actu intellectus, & accidentaliter in actu volun-

tatis, ſuadetur tribus rationibus: reiicitur primò, quia immediatius vltimo, & optimo, eſt magis volendum: ſed velle eſt immediatius optimo, & vltimo, quia immediatè tendit in illud, vt in finem; ſecundò, quia, vt dicit Anſelm. lib. cur Deus homo. cap. 1. ordo peruerſus eſt velle, propter intelligere. *Soluit rationes D. Thomæ.*

2. RESpondeo, hîc ſunt opiniones. Vnum tamen eſt hîc manifeſtum ex dictis in præcedenti quæſtione, ſcilicet quòd beatitudo eſt in operatione coniungente immediatè optimo, & nihil materiale eſt tale, nec aliqua operatio materialis poteſt coniungere immediatè ſuo optimo; igitur beatitudo conſiſtit in operatione immateriali; beatitudo igitur eſt vel in operatione intellectus, vel voluntatis, & hoc loquendo de beatitudine qualibet, ſiue in Deo, ſiue in Angelis, ſiue de beatitudine noſtra.

3. *Opinio D. Thom. hîc art. 1. q. 1. ad 2. quæſtiunculam. Probatur 1.* Eſt igitur opinio cuiuſdam Doctoris, quòd beatitudo ſit in actu intellectus. Et ponit ad hoc duas rationes, de quibus miror quòd inter eas multa verba miſcet, quia alibi ſic non facit. Et eſt prima ratio ſua talis, & credo eam formare ita fideliter, ſicut poſſum: Beatitudo eſt primum volitum; actus voluntatis non poteſt eſſe primum volitum: igitur beatitudo non eſt in actu voluntatis. Maior probatur, quia beatitudo eſt vltimus finis. Minor probatur dupliciter, primò, quia nulla potentia poteſt habere actum ſuum pro primo obiecto, aliàs actus reflexus eſſet actus primus, vnde intellectus priùs habet obiectum antequam intelligat ſe intelligere.

Secundò ſpecialiter ita: nam cùm actus voluntatis ſit reſpectu finis, nihil aliud eſt actus voluntatis, niſi ordinare ad finem, vel circa aliquid ordinatum ad finem; ſed tale non habet rationem finis vltimi; igitur actus voluntatis non habet rationem primi voliti.

Secundò. Secunda ratio aſſignatur ad hoc talis; beatitudo intrinſeca non poteſt eſſe per ſe finis vltimus; igitur beatitudo intrinſeca erit aliquid, quod immediatè coniungit cum fine vltimo, vel fini vltimo: ſed actus voluntatis non poteſt immediatè coniungere: quia deſiderans, vel qui delectatur non coniungitur. Probo, quia non habens finem non coniungitur, fine adepto præſupponitur finis haberi. Non enim quia delectatur, vel quietatur in fine, ideò habet eum. Probatio, quia priùs conuenit intellectui, quia primo habuit; igitur oportet quòd finis primò præhabeatur, & hoc non eſt niſi per actum intellectus, quæ habitio prior eſt omni quiete, & delectatione.

Confirmatur duobus exẽplis. Confirmatur hoc per duo exempla, primò de pecunia, quæ eſt finis extrà, & poſſeſſio eſt finis intrà, non autem delectatio, quæ ſequitur ex pecunia poſſeſſa; & ita eſt in propoſito. Beatitudo eſt poſſeſſio per actum intellectus, ad quem ſequitur delectatio in voluntate. Aliud exemplum eſt de ſenſu, & ſenſibili, & eodem modo dicitur, nam ſenſatio tactus eſt finis intrà, & ſenſibile finis extrà. Applica ſicut habes in ſumma*, &c.

* D. Thom. 1. 2. q. 3. art. 4. in corp.

Reprobat primam rationem. 4. Reſpondeo, proceſſus erit primò de iſtis motiuis. Et arguo ſic contra primum motiuum, ſiue quantùm ad primam rationem eius, quia finis extrà eſt ſimpliciter vltimum bonum; igitur quod eſt immediatiùs coniunctum fini extrà, vt talis, eſt magis bonum; & quod eſt magis bonum, eſt magis volendum: ſed *velle* ſimpliciter eſt imme-

Velle eſt ſimpliciter immediatius vltimo fini quàm intelligere.

diatius vltimo bono, quàm *intelligere*; igitur poſt primum bonum ſimpliciter *velle* eſt magis bonũ.

Confirmatur ratio, quia illud recta volitione libera eſt magis eligendum quod actu naturali appetitur, quàm quod non; ſed volitio eſt talis, quia immediatiùs vnitur vltimo; igitur melius; igitur appetitu libero eſt rectè appetendum.

Refutatur 2. Velle non eſt propter intelligere, ſed potiùs è conuerſo.

Item, ſi voluntas non vult primò ſuum *velle*, poteſt tamen velle ſuum *velle*, ſicut intellectus poteſt intelligere ſe intelligere. Quæro igitur tũc an ſecundùm rectam rationem voluntas vult illud ſuum *velle* propter *intelligere*, vel propter *velle*? Non autem vult ſuum *velle* propter *intelligere*, quia hoc manifeſtè eſt contra Anſelmum 2. Cur Deus homo c. 1. qui dicit quòd *velle* eſt propter *eligere*: igitur *velle* eſt propter *velle*, & non propter *intelligere*; igitur *velle* habet magis rationem voliti, quàm *intelligere*, & per cõſequens recta ratione plus debet velle ſuum *velle*, quàm ſuũ *intelligere*.

Anſelm.

5.

Soluitur prima ratio D. Thomæ.

Per hoc ſoluitur prima ratio, quæ non habet apparentiam, beatitudo enim extrà eſt primum volitum extrà, non intrà, quia ſimpliciter primum intelligibile eſt extrà, & primum volibile; non autem primum volitum intrà, ſicut nec *intelligere* eſt primum intellectum ſimpliciter. Si autem loquaris de primo obiecto, quod eſt citra primum extrà, tunc dico quòd poſt ſimpliciter primum eus primum volitum eſt ipſum *velle*, vel *amare*, & plus quàm *intelligere*, quia ideò eſt *intelligere* vt amet, & ratio illa non probat plus de intellectu, quàm de voluntate. Et ideò nulla eſt ratio ad propoſitum; debet enim probare quòd *intelligere* ſit magis volitum, quàm *velle*. Ex hoc autem apparet quòd voluntas non minùs vult perfectionem ſuam propriam, quàm ſit appetitus alterius perfectionis, imò magis appetit bonum ſuum, quàm alterius, & poſt bonum ſuum volitum erit velle ſe velle illud; non autem ipſum *intelligere* erit primum volitum poſt ſuum *velle*.

Velle non eſt vltimus finis.

Vlteriùs, ex hoc ſequitur quòd *velle* non eſt vltimus finis, ſed quòd erit vltimi finis, & cum hoc apparet quòd *velle* erit vltimus finis, qui erit ſub fine, non autem ſimpliciter vltimus finis.

6.

Ad ſecũdam rationem.

Ad ſecundam rationem, quando dicitur quòd beatitudo intrinſeca non poteſt eſſe per ſe vltimus finis, ſed eſt aliquid quod immediatè coniungit cum fine vltimo; aut intelligis quòd primò, & immediatè coniungit de primitate generationis, vel de primitate perfectionis? Secundo modo æqualiter eſt in coniunctione ſenſus, & in appetitu ſenſibili. Si intelligas de primitate generationis, concedo coniunctionem intellectus priorem eſſe generatione coniunctione voluntatis. Sed ex hoc oppoſitum habetur, non propoſitum, quia priora generatione, poſteriora ſunt perfectione. 9. *Metaphyſicæ text.* 15. Vnde ex hoc probat ibidem Philoſophus actum meliorem eſſe potentia, quia licèt potentia ſit prior generatione, actus tamen eſt prior perfectione. Si autem intelligas de primitate perfectionis, non generationis, non eſt verum quòd intellectus immediatè coniungat cum fine vltimo; imò voluntas ſic coniungit priotitate, & immediatione perfectionis. Vnde hoc argumentum procedit ac ſi voluntas non haberet alium actum, quàm paſſionem tantùm, ex habitione, putà, gaudium, vel delectationem, quod falſum eſt; imò voluntas habet alium actum, qui eſt operatio diſtincta contra paſſionem, & per iſtam operationem perfectam coniungetur immediatè vltimo fini.

Intellectus priùs coniungit prioritate generationis fini vltimo, voluntas verò priùs prioritate perfectionis.

Actus eſt prior potentia perfectione.

Vnde dico quòd deſiderium eſt actus ante habitionem, & poſt habitionem finis per intellectum, eſt alius actus à delectatione, quo perfruetur, & perfectè coniungetur cum fine vltimo, plus quàm per deſiderium, vel per intellectum, & per hunc actum perficitur, ſiue perfruetur voluntas, non autem patiendo per gaudium, & delectationem, imò per operationem voluntatis, ex quo actu ſequitur delectatio, & quietatio.

Confirmatur.

Hoc confirmatur per Anſelmum de Conceptu Virginali c. 4. vbi dicit quòd *voluntas eſt ſola domina, & figit ſe*, & quòd ſola voluntas principaliter præmiatur operatione ſua, ſiue ſit operatio à ſe, ſiue ab obiecto. Similiter videtur magis quòd delectatio ſequatur operationem voluntatis, quàm intellectus, ſicut delectatio, quæ eſt diſpoſitio, & paſſio appetitus ſenſibilis magis ſequitur appetitum, quàm ipſam ſenſationem. Vnde beatus, & miſer non æqualiter ſentiunt *, imò magis beatus, cùm minùs triſtatur, & alius non.

Delectatio magis ſequitur operationem voluntatis quàm intellectus.

* De immutatione ſenſus beati & damnati vide ſuprà diſt. 44. q. 3. n. 17.

Per hoc patet ad deductionem; quando dicit quòd beatus non habet ſibi finem coniunctum, niſi per actum intellectus, falſum eſt: quia per voluntatem habet immediatiùs, id eſt, perfectiùs, vt dictum eſt. Hæc de rationibus iſtius Doctoris.

SCHOLIVM II.

Occaſione huius quæſtionis, diſputatur, an intellectus ſit nobilior voluntate, vel è contra? & pro intellectu adducitur ratio D. Thomæ 1. p. q. 82. art. 3. ſcilicet, quòd verum, *quod eſt obiectum intellectus, eſt nobilius* bono, *quod eſt obiectum voluntatis. Hanc rationem reijcit Doctor, quia hîc non eſt diſtinctio realis; ergo neque maior nobilitas realis, quia ſecundùm D. Thom. differunt tantùm ratione: ergo iſta maior nobilitas eſt tantùm rationis, etſi hæc comparentur ad perſonas diuinas; ſic Filius eſſet nobilior Spiritu ſancto, ſi fiat comparatio ad actus potentiarum, erit circulus; vide hoc clariùs tractatum à Doctore in Oxon. hîc q. 4. à num. 10. Alia ratio D. Thomæ pro intellectu, quòd habet nobiliſſimum habitum, ſcilicet ſapientiæ, reiicitur; quia voluntas habet charitatẽ, quæ omni alio habitu nobilior eſt: & reiicit ſolutionẽ ad hoc. Tertia ratio, ex actu, quia intellectus eſt cauſa æquiuoca actus voluntatis, ergo perfectior eo Doctor è contra quòd voluntas imperat intellectui, admittit intellectum eſſe cauſam æquiuocam volitionis, de quo diſt. 25. ſed partialem, quæ non eſt perfectior effectu.*

7.

D. Tho. 1. p. q. 82. art. 3.

SImiliter arguitur hîc ex potentiis, quòd beatitudo conſiſtit in actu intellectus, ex comparatione iſtarum potentiarum, & ex nobilitate vnius ad alteram. Sed dubium eſt quæ ipſarum eſt nobilior. Similiter ſi potentia ſit idem in eſſentia, & cum eſſentia animæ, nihil valent rationes, quæ procedunt ex ratione potentiæ, vel ex comparatione earum.

Prima ratio D. Thomæ.

Arguitur æqualiter hîc ex obiectis iſtarum potentiarum, quia in actu illius potentiæ debet poni beatitudo, cuius obiectum eſt nobilius; ſed *verum*, quod eſt obiectum intellectus, eſt nobilius, quàm *bonum*, quod eſt obiectum voluntatis, & per conſequens actus nobilior. Probatio minoris, ſcilicet quòd *verum* ſit nobilius; quia illud, quod eſt propinquius perfectiſſimo, eſt nobilius: ſed *verum* eſt huiuſmodi, quia eſt propinquius nobiliſſimo, & perfectiſſimo, ſcilicet enti: nam ens, vt ens, eſt ſimpliciter perfectiſſimum, quod continet virtualiter in ſe omnem ſpecialem rationem cuiuſcunque entitatis, & huic immediatè annectitur ratio *veri*, ſiue verum, vt verum; igitur, &c.

Sed

Retorquetur. Bonum eſt abſolutè tale; verum tantùm participatiuè, ſeu ſecundùm quid.

Sed accipiendo eandem maiorem, concludo oppoſitum, ſcilicet quòd ratio *boni* ſit nobilior, quia quod eſt per ſe & per eſſentiam bonũ, eſt melius, quàm quod per participationem bonum; bonum eſt per eſſentiam bonum, & abſolutè bonum; *verum* autem non eſt bonum, niſi participatione boni. Hîc ſunt aliqua ſuppoſita, in quibus alius Doctor * conuenit cum prima opinione, tamen mihi eſt dubium, quòd talia ſunt obiecta intellectus & voluntatis.

* Vide Henr. quodl. 1. quæſt. 14.

8.

Reſpondeo igitur, & dico quòd nobilitas non ſequitur rationes in rebus, ſed exiſtentias in re; ſed iſtæ rationes, ſcilicet *verum* & *bonum*, ſunt rationes eiuſdem rei, & ideò non debet attendi nobilitas penes nobilitatem eorum, ſed ex natura ſic exiſtentis. Sed eſtne ibi nobilitas rationis, ita quòd vna ſit nobilior altera? Dico quòd nobilitas rationis poteſt accipi tripliciter, vel ex nobilitate rei in ſe, & tunc eſt realiter. Secundò in comparatione ad priora, & tunc non poteſt eſſe nobilitas iſtarum rationum, ſcilicet quòd vna ſit nobilior altera, quia eadem res habet huiuſmodi rationes prioritatis & poſterioritatis, vt in diuinis, & fortè in anima eſt cadẽ res ſub ratione intellectus & voluntatis. Quòd autem intellectus & voluntas, vt comparantur ad priora, vna ratio ex illis non ſit nobilior altera, patet, quia in diuinis habentur Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, & nullus eſt nobilior altero, nec re, nec ratione, etſi pater ſit prior origine filio, & filius Spiritu ſancto. Tertio modo, poteſt accipi nobilitas iſtarum rationum, vt in comparatione ad poſteriora, puta ad actus iſtarum potentiarum intellectus & voluntatis; & tunc concludimus nobilitatem potentiarum ex actibus, & actus voluntatis nobilior eſt actu intellectus; & ſic concedo quòd comparando ad poſterius, vna potentia nobilior eſt altera, ſecundùm rationẽ, & tũc malè vtitur ratione ad propoſitũ, quia ſupponit quod debet probare.

Nobilitas rationis triplex.

9.

Refutatio aliorum.

Ad rationem de obiectis, ſcilicet de comparatione *veri* & *boni*. Reſpondeo quòd argumentum eſt ad oppoſitum, quia quod eſt propinquius potentiali eſt imperfectius; ſed ens eſt potentiale reſpectu aliarum rationum, quæ ſunt pòſt: igitur *verum* cùm ſit propinquius enti, quàm *bonum*, erit minùs nobile.

Reijcitur. Ducit rationẽ D. Thom. ad oppoſitum.

Sed hoc eſt falſum, quòd ens ſit potentiale, eo quòd ens non ſe habet ad alias rationes, ſiue paſſiones, ſicut materia ad formam; ſed ſicut ſubiectum ad paſſiones. Vnde ſi eſſet diſtinctio realis inter ens, & alias rationes, eſſet habitudo entis ad eas, ſicut cauſa effectiua ad ſua cauſata, eo modo, quo dicimus quòd ſubiectum eſt cauſa ſuarum paſſionum, & per conſequens ratione entis eſt nobilior, & actualior omni alia; non igitur magis potentialis, & quantò propinquior eſt ei aliqua paſſio, erit tantò nobilior. Vnde ſicut dixi aliàs *, qualitas ſimpliciter nobilior, & perfectior forma eſt quantitate, quia actualior, & ideò propinquior ſubſtantiæ, quia eſt perfectior, quàm quantitas: ita eſt in propoſito de intellectu, & voluntate.

* Suprà hîc d. 12. q. 2.

10.

Ad rationem D. Thoma.

Reſpondeo igitur quòd ad idem ens in actu poſſunt comparari aliqua prius & poſterius in diuerſo ordine, & illud quod eſt perfectius imperfectiori ordine, illud eſt ſimpliciter perfectius. Vnde ens habet ordinem ad potentias, vt ad effectus. Comparando igitur *verum* & *bonum* ad potentias, ſic *verum* eſt *nobilius bono*, quia eſt propinquius enti in iſto ordine. Comparando autem *verum* & *bonum* in ordine ad cauſalitatem, & actum communicandi *eſſe* alteri, & perfectionem eſſentialem, ſic *bonum* eſt nobilius *vero*, quia ſui communicatiuum, & ſimpliciter perfectior eſt ratio *boni* quàm *veri*, quia in perfectiori ordine, ſcilicet communicandi *eſſe*, eſt propinquius enti, ſicut qualitas ſimpliciter eſt perfectior quantitate, licèt quantitas in alio ordine imperfectiori ſit propinquior ſubſtantiæ, ſcilicet in ordine menſurandi ſubſtantiam, non in ordine informandi, ſeu qualificandi, quæ eſt perfectior. Et ſimili modo *verum* in ratione, vel ordine obiectiuæ potentiæ immediatius eſt enti, quàm *bonum*, & ſic ſecundùm *quid* nobilius *bono*.

Quòd eſt proprius imperfectiori ordine, eſt perfectius.

11.

Secunda ratio D. Thomæ.

Ex habituum comparatione ſimiliter arguunt aliqui: ſicut nobiliſſimus habitus eſt ſapientia, igitur actus diſponens & generans hunc habitũ, eſt nobilior omni alio; ſed actus intellectus eſt diſponens ad ſapientiam; igitur, &c. Antecedẽs patet *ex 6. Ethic. c. 8.* vbi Philoſophus cõparat iſtos habitus.

Refutatur.

Sed contra hoc arguit alius Philoſophus noſter, ſcilicet Paulus, qui dicit quòd caritas excellentior eſt, 1. Corinth. 13. & Auguſtinus 15. de Trinit. cap. 19. *Nullum donum excellentius eſt charitate.* Ad hoc reſpondent aliqui, quòd dictum Pauli eſt intelligendum in via, quia ſic charitas excellentior eſt ſapientia, non autem in patria.

Reſponſio D. Thom. impugnatur.

Sed contra hoc eſt Hugo, in commento ſuper Angelica hierarchia ſuper illud *calidum & ſuper feruidum*, &c. & loquitur ibi de ordinibus Angelicis in Patria. *Supremus ordo denominatur à charitate.* Item, ſi non ſufficit auctoritas Hugonis, eſt alia probatio talis: perfectiſſimus habitus in vna perficit voluntatem ſecundùm capacitatem eius in via: ſed talis habitus eſt charitas; igitur perficit animam ſecundùm perfectiſſimam eius capacitatem, quam poteſt habere in via; igitur ſimiliter capacitas voluntatis perfectior eſt in via, quàm capacitas intellectus; igitur ſimiliter & in patria, quia non eſt alia capacitas hîc & ibi.

Impugnatur ſecundò.

Charitas eſt nobiliſſimus habitus in via & in patria.

De iſto igitur dico quòd videtur mihi abſque dubio, quòd habitus perfectiſſimus ſimpliciter in patria & in via, non erit habitus intellectualis, ſicut nunc eſt habitus charitatis, quia maioris capacitatis ſimpliciter eſt voluntas, quàm intellectus hîc & in patria.

12.

Ad auctoritatem Philoſophi.

Ad auctoritatem Philoſophi, dico quòd (ſicut fortè de hoc dicetur aliàs in 3.) Philoſophus nunquam diſtinxit in libris ſuis ex principiis operandi voluntatis & intellectus in ratione ſpecifica ipſorum, ſiue intra, ſiue extra intellectum, & voluntatem, ſed vt ſunt vnum mouens, vel vnum principium operandi à propoſito. Vnde aliquando vocauit Philoſophus iſtud principium operandi *prohæreſim*, aliquando *propoſitum*, & in 3. Ethicorum loquitur vt ſunt vnum principium. Sed de actu intellectus pluries loquitur Philoſophus, quàm de actu voluntatis, quia nobis eſt magis manifeſtus. Et quando dicit quòd Philoſophus non dicit hoc de habitu, vel de actu voluntatis; dico quòd nec contrarium affirmauit; argumentum autem ab auctoritate negatiuè non tenet. Sancti verò, & Doctores noſtri vltra hoc exquiſierunt.

13.

Tertia ratio pro D. Thom. ex actibus.

Vltimò arguunt aliqui hîc ex comparatione actuum in habitudine cauſarum effectiuarum, ſic efficiens æquiuocum nobilius eſt effectu; ſed intellectus per actum ſuum eſt efficiens æquiuocum: igitur, &c.

Sed adducitur ad oppoſitum.

Sed contrarium arguo ex eodem medio, & maiori ſic: efficiens æquiuocum eſt nobilius ſuo effectu:

Voluntas quia imperat intellectui est ipso nobilior.

fectu; sed voluntas est causa æquiuoca motus intellectus imperando. Vnde Philosophus 9. *Metaphysica, text.* 15. dicit quòd quando est electio, & determinatio circa contraria, fit determinatio per voluntatem, & sic voluntas imperando determinat intellectum ad vnum.

Refutatur 2. ex Anselm.

Præterea Anselmus *de libertate arbitrij*, 19. & 14. dicit quòd voluntas vtitur omnibus aliis potentiis: igitur videtur habere aliquam causalitatem, & efficaciam æquiuocam in imperando

* In 2. d. 25. actus earum, sed de ista efficacia dicetur aliàs *.

14. *Dubium an intellectio causat volitionem, vel è contra.*

Respondeo igitur quòd si obiectum intellectus & phantasma habeant causalitatem, & efficaciam respectu actus intellectus, vel voluntatis, non tamen totalem respectu actus voluntatis, quoniam quandoque fit processus, vel circulus in causis, & effectibus; si tamen prima causa in processu est naturalis, vel primus actus, totum quicquid postea fit, est naturale, dum scilicet durat ille processus, & nihil erit in potestate agentis, licèt possit impediri.

Si intellectio esset causa totalis volitionis tolleretur libertas.

Si igitur phantasma mouet naturaliter, & illud mouetur, & discursus erit naturalis, & discursus mouet naturaliter voluntatem, ita quòd omnes alij motus sunt naturales, & per consequens in omni actu suo est naturalis; nam sicut discursus mouetur naturaliter ab alio, ita mouet aliud, sicut enim mouens est motũ, ita & mouens.

Ratio D. Thom. pro intellectu non concludit, secus ratio Doctoris pro voluntate.

Est igitur causa partialis, & hoc non concludit maiorem nobilitatem, tamen argumentum factum pro voluntate, quòd sit causa, & habeat efficaciam super alios actus, benè concludit; quia etsi superior causa, puta Sol, non sit totalis causa effectus inferioris, tamen in ordine suo est totalis causa superiorum, & simpliciter totalis causa in ordine illo, quia motiua & imperatiua, & similiter superior est causa proxima imperans, & applicans eam actui; certum autem est quòd imperans est nobilior potentia exequente, & per consequens voluntas nobilior est intellectu.

SCHOLIVM III.

Quarta ratio pro voluntate, quia eius actus est eligibilior, quia facit simpliciter bonum habentem, & eius oppositum, scilicet odium, est peius opposito scientiæ. Quintò, intellectio est dispositio, medium, seu prærequisitum ad amorem: ducit rationes aliorum ad oppositum. Sextò, quòd actus voluntatis est purior, quia eius corruptio peior. Septimò, per actum voluntatis possidetur obiectum perfectiori modo, quia tenditur in ipsum, vt in se. Circa istas septem rationes habet pulcherrimam doctrinam, & in singulis ducit aliorum rationes ad oppositum.

15. *Quarta ratio pro D. Thom. Actus voluntatis est eligibilior simpliciter actu intellectus.*

SImiliter arguitur de eligente, & eligibilitate; illud enim est perfectius, quod est eligibilius sine alio: sed intellectio est eligibilior sine volitione, quia non erit tunc ibi nisi appetitus naturalis, si volitio esset sine intellectione sicut inclinatio grauis ad centrum. Sed arguo ad oppositum eodem modo, scilicet ex eadem maiori, & opposito minoris, quæ erit ista: simpliciter est eligibilior volitio, & electio sine intellectione, quàm intellectio sine volitione.

Probatur 1.

Probatio huius maioris dupliciter est. Primò sic. Illud est eligibilius simpliciter, quo habens est simpliciter bonus, quàm illud quo non: sed *velle* est, quo habens est simpliciter bonus, non autem *intelligere*, per Augustinum 11. de Ciuitate Dei, cap. 28. *neque*, inquit, *quisquam bonus, quia bonum scit, sed quia bonum vult*, vel bonum diligit.

Auguſt. *Per velle habens est simpliciter bonus.*

Probatur 2. eadem maior.

Item, alia probatio maioris. Illud est simpliciter eligibilius, cuius oppositum est odibilius; sed tale est odire Deum, quod est essentialiter odibile, & nullo modo eligibile, quia malum, quod est ex ignorantia contraria intellectioni, non est ita odibile; odire autem Deum, qui est actus contrarius volitioni, & delectationi est simpliciter pessimus actus, solus sine quocunque alio actu intellectionis: igitur, &c.

Odium est peius ignorantia.

Probatur 3. Intelligit Doctor qui actualiter vel habitualiter non diligit.

Item, eodem modo potest argui ex oppositis contradictoriè. Habito eo, quod sufficit ad amare, tenetur quis ad eliciendum actum amandi, & sit vituperabilis, & peccat quando cogitat, vel intelligit, si non diligit: sed habito, eo quod sufficit ad intelligendum, non est vituperabilis, nec peccat aliquis si non eliciat intellectionem; igitur *velle* & *diligere* est simpliciter melius quam *intelligere* & perfectius, quia non diligere, vt dictum est, magis est vituperabile, quàm non intelligere. Vnde dico quòd istæ rationes concludunt pro volũtate; quòd sit nobilior intellectu.

Non diligere est magis vituperabile, quàm non intelligere.

16. *Ad rationem D. Thomæ.*

Ad rationem igitur, quando dicitur quòd intellectio est simpliciter eligibilior sine volitione, quàm è conuerso. Dico quòd non: imò volitio simpliciter est eligibilior sine intellectione.

Voluntas siue separata, siue coniuncta intellectui ex sua ratione formali est illo nobilior & perfectior.

Ad probationem de graui, dico quòd est falsa imaginatio, ex qua procedunt multa inconuenientia. Voluntas enim est quædam potentia sicut intellectus, & si separet intellectum à voluntate, adhuc voluntas est nobilior intellectu, & hoc habet voluntas ex sua formali ratione: non enim est inclinatio tantùm in voluntate, sicut formaliter ratio eius; & sic est in appetitu naturali, imò si separentur, sunt diuersæ naturæ, secundùm diuersas rationes formales, voluntas & intellectus; igitur modò quando non separantur, sunt diuersæ rationes formales, & vna nobilior altera, & si separentur ab inuicem, esset vna natura nobilior alia.

17. *Quinta ratio D. Thom. ex dependentia voluntatis ab intellectu.*

Item, arguitur adhuc, quòd intellectus sit nobilior voluntate ex ratione dependentiæ sic: illud est nobilius, quod est independens, quàm quod dependet: sed voluntas dependet ab intellectu in actu volitionis, & non è conuerso; igitur intellectus est perfectior voluntate.

Ratio ducitur ad oppositum.

Sed contra hoc arguo ex eodem medio sic. Secundùm Philosophum 9. *Metaphysica, text.* 15. illa quæ sunt posteriora generatione, sunt perfectiora, & posteriora generatione dependent ex prioribus: sed voluntas quoad actus suos est posterior intellectu; igitur in intellectu quoad actus suos dependet, & ordinatur ad voluntatem, sicut ad aliquid perfectius eo, & ista ratio concludit propositum.

Ad rationem.

Ad rationem, cùm dicitur quòd illud est nobilius, quod est independens; concedo, & quando additur in minori, quòd intellectus est absolutior voluntate, quia Deus posset separare actus intellectus ab actu voluntatis, non tamen è conuerso: dico quòd hoc est dubium, si Deus de potentia absoluta posset facere actum voluntatis sine actu intellectus; tamen dico quòd hoc argumentum non valet, quia ista dependentia nõn est à perfectiori, sed à priori.

Dubium an posset esse volitio sine notitia de potentia absoluta,

Exemplũ est de materia & forma, quia secũdùm eos materia nõ potest fieri sine forma de potentia

Dei

Dei abſoluta, ita quòd materia prior eſt, non tamen magis independens; imò minùs eo quod dependet à perfectiori, ſcilicet forma. Similiter ad exemplum de qualitate & quantitate, quia ſecundùm iſtos, Deus non poteſt facere albedinem ſine quantitate de potentia abſoluta, tamen è conuerſo quantitas poteſt fieri ſine qualitate; igitur quantitas minùs dependet à qualitate reſpectu diuinæ operationis, quàm è conuerſo, & tamen qualitas eſt ſimpliciter perfectior quantitate. Et eodem modo poteſt argui de intellectu & voluntate.

Non eo ſemper perfectior quo minus dependet.

18. *Sexta ratio pro D. Thom. ex puritate intellectus.*

Item, arguunt ex puritate intellectus, quia in actu intellectus nullo modo includitur ratio malitiæ, actio enim intellectus mali non eſt mala; ſed voluntas non eſt ita pura à malitia, quia actio malæ voluntatis eſſentialiter eſt mala; igitur intellectus eſt nobilior voluntate.

Septimò ex immaterialitate intellectus.

Item, arguunt ex immaterialitate intellectus reſpectu voluntatis, ſic; illud eſt purius quod eſt immaterialius; ſed *intelligere* eſt immaterialius, quàm *velle*, quia *intelligere* eſt motus rei ad intellectum, & *velle* è conuerſo, & ſic magis materialis; ergo purior eſt actus intellectus, quàm voluntatis.

Illud eſt mobilius & perfectius cuius corruptio eſt peior.

Sed contra hoc arguo ex his ad oppoſitum ſic; illud nobilius, & perfectius eſt, cuius corruptio eſt peior; ſed actus voluntatis eſt talis reſpectu actus intellectus; nam corruptio actus intellectus non eſt mala; igitur, &c. Similiter ex eo, quod arguitur de materiali, eſt ad oppoſitum, & ex his ſequitur propoſitum; tamen credo quòd vtrumque ſit æquè immateriale, vel æquè materiale, & ideò falſum eſt, quando dicitur quòd intellectus eſt immaterialior. Et quando dicitur, quòd ideò immaterialior, quia eſt motus rei ad intellectum; dico quòd ex hoc ſequitur manifeſtè, quòd intellectus eſt ignobilior voluntate reſpectu ſuperiorum, vtpote reſpectu Dei, & Angelorum, qui ſunt nobiliores intellectu noſtro. Ex hoc igitur arguo ſic: Philoſophus *in* 3. *Topicorum*, *cap.* 4. comparando ſpeciem ad ſpeciem arguit ſic: Si optimum eſt nobilius optimo, in illo genere; illud eſt nobilius, & perfectius ſimpliciter. Si igitur voluntas in ſuperiori & optimo in genere intellectualium eſt nobilior intellectu, inquantùm voluntas actu ſuo mouetur ad volendum, & diligendum ſuperiorā intelligibilia, & terminatur ad ea magis, quàm intellectus, qui non mouetur nec ad ſuperiora, nec ad inferiora; ſed ad ipſum omnia intelligibilia terminantur, cùm intellectus noſter ſit minùs nobilis in genere intelligibilium; igitur voluntas ſimpliciter eſt nobilior intellectu.

Septima ratio ducitur ad oppoſitum.

Ad rationem ſeptimam. Poſſe habere actum bonum & malum eſt perfectio in voluntate.

Ad rationem igitur de puritate intellectus, reſpondeo quòd actio intellectus non dicitur mala, quia non eſt in poteſtate intellectus eligere intellectionem, & hoc eſt imperfectionis, ſed ex volũtatis perfectione eſt quòd actus ſuus poſſit eſſe malus, & impurus; quia tamen ex debitis circumſtantiis ad voluntatem pertinet elicere actum debitè circumſtantionatum: aliter circa quodcunque obiectum malum paſſum habere actum bonum voluntatis, ſcilicet *nolle*; ſed intellectus non habet de ſe actum in malum formaliter, & elicitiuè, niſi imperatum à voluntate.

Ad rationem de immaterialitate intellectus.

Ad illud de immaterialitate intellectus, nihil eſt, quia vtrobique eſt eadem abſtractio reſpectu eiuſdem obiecti; igitur vtraque eſt æquè immaterialis.

19. *Vltima ratio pro D. Thoma.*

Vltimò arguitur ad oppoſitum ex ratione perfectionis, quam habet intellectus in ſe, ſic. Id eſt perfectius & nobilius, quod habet perfectionem in ſe, quàm quod habet perfectionem in tendentia quadam extra ſe: ſed intellectus habet ſuam perfectionem in ſe, quia *intelligere* eſt motus à rebus ad intellectum, & ſecundùm Philoſophum 6. Metaphyſicæ, text. 62. *Verum & falſum ſunt in intellectu*, voluntas verò tendit in res extrà, quia ibidem dicitur *quòd bonum & malum ſunt in rebus*; igitur, &c. Ex hoc arguo ad oppoſitum: illud eſt perfectius ſimpliciter, quod habet vltimum perfectum modo perfectiori ex parte illius obiecti perfecti, id eſt, in re: ſed in modo habendi voluntas habet perfectiori modo, perfectio enim modò maior eſt inquantùm voluntas coniungitur per ſe iſti obiecto perfecto, quàm ſit perfectio in habendo intellectualiter à parte obiecti, quia res habet *eſſe* diminutum in intellectu, in re autem habet *eſſe* perfectum. Dico tamen quòd neutra ratio concludit, nec de voluntate, nec de intellectu; nam vtraque potentia habet in ſe obiectum, ſcilicet Deum, per illapſum, & vtraque habet in ſe aliquam formam formaliter, & operationem, & vtraque potentia habet obiectum per ſe exiſtens extrà, circa quod operatur, & ideò non eſt magnum quid de iſta operatione, &c. Vnde dico quòd omni modo ita ſuam perfectionem habet intrà, & extrà voluntas, ſicut intellectus, & è conuerſo.

Adducitur ad oppoſitum. Perfectiori modo poſſidetur ob obiectum per voluntatem quàm per intellectum.

Intellectus & voluntas æque habent ſuas perfectiones.

20. *Ad auctoritatem. Ariſtot.*

Ad auctoritatem Philoſophi de *vero* & *falſo*, quòd ſunt in intellectu, & *bonum* & *malum* in rebus; dico quòd *verum* & *falſum* ſunt in intellectu, non tamen diſcurſiuo modo, ſed quòd *verum* & *falſum* ſolùm poſſint eſſe in anima, verum eſt de recognita cognitione abſtractiua, non autem de recognita cognitione intuitiua extrà; quod enim in tali cognitione intuitiua non ſit res præſens tunc, eſt contradictio in dicto; ſed ſicut verum & falſum & de re intuitiua ſunt extra terminatiuè, & intrà in intellectu, id eſt, in actu intellectionis, ſic bonum & malum ſunt extra in rebus, & cum hoc ſunt intra in actu volendi, quia operatio voluntatis eſt in voluntate, ſicut intellectio in intellectu, & ſunt in obiecto terminatiuè.

Quomodo verum & falſum ſunt in intellectu, bonum & malũ in rebus.

Dico igitur ad quæſtionem, quòd beatitudo ſimpliciter eſt eſſentialiter & formaliter in actu voluntatis, quo ſimpliciter, & ſolùm attingitur bonum optimum, quo perfruatur.

Beatitudo eſt formaliter in voluntate.

Ad primum principale, quando dicitur, quòd *hæc eſt vita æterna*; dico, ſicut ſuprà in alia quæſtione dixi, quòd ſine Gloſſa actus intellectus, ſiue cognitio eſt vita, & ſecundùm Philoſophum 12. *Metaphyſicæ, text.* 39. & Commentatorem *ibidem*. Et amatio ſimiliter eſt vita, & ſi eſt æterna, eſt vita æterna, & veritas ſimiliter æterna eſt vita æterna.

Ad primum principale.

Sed quid eſt perfectius vita; dico quòd volitio, ſiue dilectio eſt ſimpliciter vita æterna, beata, & perfecta. Sed dicis, quod hoc non eſt in Euangelio. Et ego dico, quòd intellectio ſit vita æterna ſine dilectione, hoc non dicitur in Euangelio.

Dilectio eſt vita æterna ſimpliciter perfecta.

Vnde dico, quòd *hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te*, inhærendo cum amore perfecto. Similiter dicunt hoc Sancti de laude.

Ad illud Auguſtini de Trinitate, quòd *viſia eſt ſumma merces*; dico quòd viſio eſt ſummum præmium potentiæ præmiatæ hoc præmio, ſed non

Ad ſecundum.

Visio est tota merces intellectus, non verò hominis.

sequitur, igitur visio est summum præmium hominis, sicut dos corporis est summum bonum, & præmium corporis, non autem hominis. Et quando dicitur quòd *visio est tota merces*; verum est tota merces intellectus, sed de toto homine non habent auctoritatem, quòd visio sit tota merces.

Ad tertium.

Ad aliud, quando dicitur 1. & 10. *Ethicorum*, quòd *felicitas consistat in speculatione sapientiæ*, iam solutum est suprà de habitibus intellectus, & voluntatis, quis eorum sit nobilior, & perfectior, quia caritas, & quare Philosophus expressiùs loquitur de actu, & habitu intellectus, quàm voluntatis, quia est nobis magis manifestus.

Ad quartum.

Exponitur illud Philippi Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis.

Ad aliud, quando dicitur quòd visio per se est sufficiens, secundùm illud Ioannis de Philippo, qui dixit: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*: dicendum quòd istud *sufficere* potest habere plures sensus, primò sic: sufficit nobis vt ostendatur, quia non ostenditur Deus Pater, nisi cum sufficientia, non tamen intelligitur quòd sufficiat ostensio. Vel aliter potest dici, quòd discipuli viderant Iesum, vt hominem, & non viderant vt Deum, ideò sufficit, inquit, nobis vt ostendas Patrem, quantùm ad instructionem nostram in fide, quam prædicasti nobis. Et erant carnales, & ignorantes in fide, sed non propter hoc sequitur; igitur sufficit nobis quantùm ad perfectam beatitudinem, sicut ratio concludebat.

QVÆSTIO III.

Vtrùm beatitudo consistat per se simul in actu intellectus & voluntatis?

D. Thom. 1. 2. *q.* 3. *a.* 4. *& vlt. & hic q.* 1. *a.* 1. D. Bonau. 1. *part. q.* 5. Rich. *a.* 1. *q.* 6. Gabr. *q.* 2. *a.* 2. Sotus *q* 1. *a.* 3. Valq. 1. 2. *d.* 10. *c.* 1. 2. Vega 7. *in Trident. c.* 3. Cord. *d.* 1 *q.* 42.

1. *Arg. primum affirmatiuè.* Auguſt.

VIDETVR quòd sic, Augustinus 13. de Ciuitate Dei, cap. 5. *Beatus est, qui habet, quidquid vult.* Item, ex eadem auctoritate sic: habere quicquid vult, non est per actum voluntatis tantùm, nisi intellectus habeat perfectionem suam per actum suum, quia tunc non esset aliud habere quidquid vult, quàm velle quicquid vult, & hoc nihil est habere de beatitudine, quia non est nisi velle, aliàs omnis viator esset beatus habens quemcunque actum volendi circa aliquod obiectum volitum, quod falsum est. Igitur ad beatitudinem requiritur actus intellectus.

Secundum.

Item, per rationem, & est multùm apparens: illud pertinet essentialiùs ad beatitudinem, per quod distinguitur beatus à non beato: sed sola visio distinguit beatum à non beato, non autem per actum, vel habitū voluntatis & charitatis, saltem distinctione speciali, quia idem numero habitus charitatis est hîc & in patriâ; igitur actus intellectus, qui est visio non solùm requiritur ad beatitudinem, imò principaliùs, quàm actus volūtatis.

Ratio ad oppositum.

Contrà: de ratione cuiuslibet ordinis essentialis est quòd status sit in vno; igitur vnus vltimus finis est, ad quem terminatur iste ordo, & sicut vnus finis est extrinsecus, ita vnus finis est intrinsecus: sed intellectus, & voluntas non habent actus, qui sunt vnum essentialiter; igitur cùm inter illos actus est essentialis ordo, sicut terminatur ad vnum finem extrinsecum, scilicet in obiecto beatifico, sicut in efficiente beatitudinem, sic oportet quòd terminetur ad vnum finem intrinsecum formaliter, & sic visio erit sicut causa materialis beatitudinis, & fruitio sicut ratio formalis; igitur formalis ratio beatitudinis consistit in vno tantùm actu voluntatis, non intellectus.

SCHOLIVM I.

Sententia D. Bonau. beatitudinem essentialiter consistere in vna operatione vtriusque potentiæ. Sententia D. Thom. eam consistere in vna operatione; & vtriusque fundamenta referuntur.

3. Opinio Rich. in præs. d 2. 1. quæst. 6. *Prima ratio.*

RESpondeo. De illa opinione, quæ dicit, quòd beatitudo est in solo actu intellectus, nihil modò. Alia tamen opinio est, quæ dicit quòd beatitudo per se & essentialiter sit in vtroque actu, scilicet intellectus & voluntatis. Et ratio principalis ad hoc talis est: beatitudo consistit in perfecta vnione naturæ beatificabilis ad obiectum beatificum immediatè; sed ista perfecta vnio requirit vtramque potentiam, scilicet intellectum & voluntatem, quarum quælibet potest vniri immediatè obiecto beatifico, licèt voluntas, quia non diligit nisi cognitum, non possit vniri obiecto suo, nisi mediante actu intellectus.

Secunda. Per virtutem quo aliquid mouetur in terminum, quiescit in termino.

Præterea, per illud competit alicui quiescere in termino, secundùm quod competit ei moueri; sed natura beatificabilis mouetur per vtramque potentiam ad obiectum beatificum, non tantùm secundùm voluntatem; ergo natura beatificabilis secundùm vtramque potentiam quiescit in obiecto beatifico.

4. *Tertia.*

Item, addo ad hoc aliam rationem, ad perfectionem alicuius in *esse*, vel in actu primo, requiruntur plura, & ad perfectionem actus secundi similiter plura requiruntur; vnde in *esse*, vel actu secundo ignis, pertinet & requiritur leuitas, vel ascendere sursum, sicut in actu primo calefactionis requiritur calor, sic in proposito ad perfectionem actus primi, scilicet intellectionis & volitionis requiritur vtraque potentia: ergo & ad actum secundùm beatitudinis pertinebit vtraque, & vtriusque actus.

Confirmatur.

Hanc rationem confirmo, quia impossibile est naturam perfectè esse beatam, & perfectè quietari, nisi tota quietetur, & non secundùm *quid*: igitur per se non potest quietari voluntas sine intellectu, nec è conuerso, quia quælibet est potentia vnius totius naturæ, & per consequens beatitudo consistit in perfectione potentiæ vtriusque.

5. Opinio D. Thom. hîc q. 1. a. 1. & 2. q. 3 art. 4. *vbi Thomista.*

Alius modus dicendi est rectè oppositus isti, scilicet quòd beatitudo consistit in actu vnius potentiæ tantùm, nam felicitas secundùm Philosophum 1. & 10. Ethicorum, text. comm. 10. *est operatio secundùm optimam virtutem.* Ex ista possunt tria media, vel tres rationes formari. Primò, sicut impossibile est plures virtutes optimas esse in diuersis potentiis, siue accipiatur verbum pro potentia, siue pro habitibus, siue pro potentiis naturalibus, siue secundùm vtrumque, impossibile est duas tales virtutes optimas, siue habitus, vel operationes optimas esse in diuersis: sed beatitudo est operatio secundùm optimam virtutem; igitur non oportet esse nisi vna potentia.

Probatio prima.

Beatitudinē consistere in vna operatione. Secunda.

Item, arguitur ex operatione duobus modis, primò sic; operationes differunt specie, scilicet actus intellectus & voluntatis.

Sed impossibile est duas species in vniuerso esse æquè optimas, siue esse æquales in

in optimitate; igitur nec beatitudo erit formaliter in vtraque, ſed tantùm in vna.

Tertia. Item, impoſſibile eſt duas ſpecies eſſe æquè proximas primò, quia ſicut illud primum eſt omnino vnum, ita impoſſibile eſt quòd aliquid ſit ſibi propinquum, niſi vnum: igitur aliud non erit ita propinquum illi, nec ſic primum.

SCHOLIVM II.

Conuenit Doctor cum D. Thoma, quoad vnitatem operationis, & explicat optimè duplicem immediationem tendendi in obiectum, reſoluens beatitudinem ſimpliciter conſiſtere in actu voluntatis. Si tamen ſumitur extenſiuè, petit operationes omnium potentiarum, quæ immediatè tendunt in obiectum beatum.

6. *Sententia Doctoris.* SEd inter iſtas duas opiniones oppoſitas poteſt mediari ſic: Beatum eſſe eſt in complero benè eſſe: hoc autem eſt vel ſimpliciter, vel ſecundùm *quid*, & cùm natura aliqua poſſit habere vnum ſimpliciter vltimum, & optimum, ſic & operatio illius naturæ ſimpliciter optima.

Ex iſtis ſequitur vna diſtinctio, ſcilicet quòd *immediatum* poteſt dici dupliciter, vel quòd immediatè coniungit, ita quòd nihil mediat in ratione coniungentis: ſiue quòd nullum eſt medium vniens, vt agens principale, & perfectum attingit paſſum immediatiùs, quàm agens per inſtrumentum, vel imperfectum. Alio modo dicitur *immediatum*, quia nullum aliud immediatiùs coniungit in illa immediatione, & iſto modo immediatius non eſt aliud, quàm perfectio optimè coniungens, excludens omnem aliam perfectionem vnientem. Poſſunt enim eſſe duæ immediationes duorum, quorum neutrum eſt medium coniungendi alterum; ſicut duo agentia immediata circa aliquod paſſum, vnum tamen perfectiùs agit, quàm aliud. Sicut igitur diſtinguitur de *immediatione vniente*, ſic ſimiliter diſtinguitur in propoſito de hoc, quod dicitur *vltimatè coniungens*, vel ſimpliciter, vel in ordine ad ſuam beatitudinem.

Coniungere immediatè ſtat dupliciter.

7. Sic igitur beatitudo immediatè coniungens ſimpliciter, vel omnimoda immediatione, vel vltimatione, vel omnimoda intimatione in tota natura, non eſt aliqua talis, niſi vna tantùm operatio: aliàs includeret contradictionem, loquendo de immediatione, vel vltimatione ſimpliciter, quia in natura non eſt niſi vna operatio, quia immediatè vna immediatione coniungitur illi optimo, & hoc modo dico quòd vna natura, quantumcunque habeat plures potentias, non eſt vnibilis immediatè tali immediatione illi fini, niſi ſecundùm vnam potentiam, quia aliter non poteſt natura ſic vltimatè, & immediatè attingere illud vltimum, niſi ſit vnum re & ratione, ſicut illud vltimum, quod attingitur, eſt vnum re, & ratione.

Beatitudo intenſiua cõſiſtit in vna tantùm operatione.

Si autem accipiatur vltimatè, & immediatè in tali natura, vel potentia, ſecundùm alium modum prædictum immediationis, ita quòd tendat in illud, & ordinet potentiam in illud; ſicut omnis potentia actiua vltimatè agit, & omnis operatio cuiuſcunque potentiæ vltimatè, & immediatè vnit. Quare natura iſto modo non habet vltimatè in duobus, vel in centum potentiis, vnde potentiæ ſenſitiuæ ſi haberent immediatum ordinem circa Deum, ſic vnirentur Deo immediatè per ſuas operationes, ſicut potentia voluntatis, vel intellectus, ſed non habent iſtum ordinem. Intellectus tamen & voluntas ſunt immediatè, & eſſentialiter ordinatæ potentiæ, & opefationes earum in vltimum. Sed omnes iſtæ vltimationes & immediationes potentiarum ſunt ſecundùm *quid*.

Beatitudo extenſiua cõſiſtit in variis operationibus.

Alia eſt immediatio naturæ, vel potentiæ, quæ non habet niſi vnam coniunctionem vltimatam. Loquendo autem de potentiis, ſimiliter ſunt multæ, ſicut ſunt naturæ multæ inquantùm naturâ coniungitur cum potentiis.

Si autem loquamur de habitibus, ſic dicendum eſt, ſicut ſuprà de ſapientia & charitate. Si autem ambæ potentiæ concurrunt ad beatitudinem, ſic illa, quæ eſt principalior potentia, habet principaliter beatitudinem, & ſic voluntas magis quàm intellectus. Si autem accipias ſecundùm aliam vltimationem, ſic tantùm voluntas vltimatè beatificatur.

8. Ad primum argumentum quando dicitur, quòd *beatus eſt, qui habet quidquid vult*, &c. dico quòd *quidquid* non diſtribuit ibi pro ſingulis volibilibus in ſe, ſed prout ſunt in aliquo vno eminenter, & tunc eſt ſenſus: beatus eſt, qui habet quidquid, vel omnia, quæ vult, id eſt, quidquid eſt rectè volendum eminenter in ipſo ſummo volibili, & ſic habere quidquid eſt rectè volendum, eſt habere obiectum beatificum, & obiectum nobiliſſimum; & ſic dico quòd habet quidquid vult, id eſt, obiectum infinitum & beatificum.

Ad argum. 1. principale in initio q. n. 1.

Et quando dicitur in minori, quòd vult videre, & habere, *videre* iam accipitur hic pro *videre*, quod eſt perfectio intrinſeca, & ita non continetur ſub maiori, quia in maiori propoſitione accipitur *habere* de extrinſeco obiecto, & ſic voluntas tantùm habet quidquid vult extra ſe: vel dicendum quòd illud *habere* eſt *velle*: ſed non quodcunque *velle*, ſed *amare* reſpectu obiecti beatificabilis præſentis. Et tunc eſt ſenſus, *beatus eſt, qui habet quidquid vult*, id eſt, qui amat quidquid vult rectè volendum, & nihil mali vult, id eſt, quidquid eſt rectè volendum. Vnde ſenſus eſt: beatus eſt, qui fruitur ſummo bono; & ideò illud *velle*, non eſt aliud, quàm fruitio rei præſentis; & tunc *velle* non eſt acceptum, vel determinatum in facto, ſiue in actu, quia ſic viator eſſet beatus, ſed accipitur ibi *velle* pro *poſſe* rectè volendo.

Beatus eſt, qui habet quidquid vult, *explicatur.* Vide de his in q. 1. n. 10. & q. 2. n. 1.

Ad aliud, quando dicitur quòd per viſionem diſtinguitur beatus à non beato, non autem habitum, vel actum voluntatis: hoc dicetur ampliùs in ſequenti quæſtione. Interim non capio quæ ibi dicuntur, ſcilicet quòd homo per excellentius conueniat cum aſino, & differat per imperfectius. Tamen de hoc dicetur poſt: vnum dico quòd non tantùm diſtinguitur beatus à non beato per actum intellectus, imò & per actum voluntatis.

Ad ſecũdum.

9. Ad primum argumentum primæ opinionis, quando dicitur quòd beatitudo conſiſtit in perfecta vnione, quæ requirit vtramque potentiam, dico quòd non eſt ibi niſi vna vnio naturæ. Ad probationem, quando dicis quòd quælibet potentia poteſt perfectè, & immediatè vnire per operationem ſuam; dico quòd vna vnio, vel immediatio ordinatur ad aliam; vna enim eſt vnio, quæ eſt prior, ſcilicet vnio naturæ.

Ad argum. 1. opinionis D. Bonau.

Ad aliud, quando dicitur quòd vtraque potentia tendit, & mouetur in obiectum beatificabile; igitur quælibet in eo quietatur, & beatificatur: dico quòd argumentum poteſt ad oppoſitum adduci, quia *intelligere* non tendit in rem, ſiue in

Ad ſecũdam.

obiectum extrà, niſi mediante actu voluntatis; vel aliter poteſt dici, dato quòd intellectus tendat in obiectum, non tamen eſt immediata, & vltimata vnio ſimpliciter, ſed tantùm per actum illum voluntatis vltimatum quieſcit in obiecto beatifico.

Ad tertium. Ad aliud, quod additur, quòd quando ad perfectionem actus primi requiruntur plura, tot requiruntur ad perfectionem actus ſecundi; dico quòd ſi illa plura requiruntur in actu primo, ita & in actu ſecundo, accipiendo illa plura vniformiter, nihil inconuenientis ſequitur. Vnde dico quòd ad perfectionem integratam actus primi requiruntur plura ordinatè. & ſimiliter dico quòd plura ordinatè occurrunt ad perfectionem in actu ſecundo. Sed ad perfectionem naturalem vltimatam in primo actu eius, vel *eſſe*, non requiruntur plura, ſed vna tantùm, & ſic in actu ſecundo vltimato non concurrit niſi vnum tantùm, ſicut *ſuprà* dictum eſt in fine quæſtionis *.

* q. 3. n. 19.

Ad confirm. Non eſt perfecta beatitudo extenſiua vſque ad reſurrectionem, Ad confirmationem de quietatione, quando dicitur quòd non poteſt quietari tota natura, niſi in vtraque potentia; dico quòd ad integram quietationem naturæ concurrit quietatio cuiuſcunque potentiæ, & ita quietatur ſenſus ſicut intellectus, ſic & dotes corporis ſunt de integritate beatitudinis, & perfectæ quietationis, ſed vna tantùm eſt vltimata quietatio, & hæc eſt vna tantùm operatio, & ſub vna tantùm ratione formali beatitudinis.

Soluit rationes D. Thom. Ad illa argumenta pro altera opinione, poteſt dici quòd requiritur vtraque potentia, & vtraque operatio, tamen ſunt ibi ſub ordine eſſentiali, & non eſt ibi, niſi vna vltimata operatio, ſicut patet ex dictis in quæſtione.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm beatitudo ſimpliciter præcisè conſiſtat in actu voluntatis, qui eſt fruitio?

D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 11. *art.* 3 Richard. *hic art.* 3. *quæſt* 3. Durand. *quæſt.* 4 Soto *quæſt.* 1. *art.* 3. *& alij citati quæſt.* 2. Scot. *in Oxon. hic quæſt.* 5. *& 1. d.* 1. *q.* 1. *& 3.*

1. *Argum. primum.* VIDETVR quòd non, quia beatitudo non præcisè conſiſtit in illo actu, qui non diſtinguit non beatum à beato; ſed fruitio non diſtinguit non beatum à beato; igitur, &c. Probatio minoris, quia frui eſt velle alicui bonum, vel benè eſſe propter ſe: iſte autem actus competit tam beato, quàm non beato.

Reſponſio. Sed dicitur hîc quòd diſtinguitur actus hîc, & in patria, quia viator habet actum deſiderij, vel deſiderandi; beatus autem in patria habet actum fruendi, & per conſequens diſtinguitur beatus à non beato per actum fruitionis.

Impugnatio. Contrà, quia actus deſiderij non poteſt poni ex parte fruitionis, quia per talem actum deſiderij non adhæretur obiecto, nec habetur; igitur illo non fruitur.

Secundum. Item, in illo ſolo actu non conſiſtit beatitudo, qui poteſt competere non beato; ſed actus fruitionis poteſt ineſſe non beato abſque habitu charitatis, quia viſo illo obiecto beatifico per intellectum, voluntas poteſt frui perfectè illo bono ſine aliquo habitu in voluntate illo ſolo viſo, & tamen ſine charitate non poteſt eſſe aliquis beatus, ſecundùm Auguſtinum 15. *de Trinit. cap.* 18.

Tertium. Item, omnia inferiora, quæ quietantur, ſuo modo beatificantur, ſiue ſecundùm *quid*, beatificantur in amore concupiſcentiæ, quia ſecundùm appetitum quietantur in amando aliquid ſibi, & in delectando in bono præſenti: ſed fruitio non eſt actus huiuſmodi, igitur, &c.

Quartum. Item, tertio videtur actus eſſe voluntatis, & pertinens ad beatitudinem, quia tertio ſuccedit ad perfectionem ſpei, quæ eſt perfectio viæ, & ſpes eſt in voluntate; igitur & tertio, & tertio non eſt fruitio; igitur beatitudo non eſt in ſola fruitione.

Ratio ad opp. Contrà Auguſtinus primo de doctrina Chriſtiana vltra medium. *Beatitudo eſt frui ſummo bono*, ſed actus fruitionis eſt in ſola voluntate; igitur, &c.

SCHOLIVM I.

Beatitudinem conſiſtere in fruitione, id eſt, amore amicitiæ, ſeu obiecti beati propter ſe ipſum. Probatur, quia non in actu intellectus, ex quæſt. 2. *nec in* nolle *voluntatis, nec in amore concupiſcentiæ; ergo.*

2. REſpondeo ad quæſtionem, circa quam pono duas concluſiones. Prima eſt, quòd in ſolo actu fruitionis conſiſtit fœlicitas. Secunda, quòd fœliciras non conſiſtit in omni fruitione, ſed in aliqua tantùm, & in aliqua non. De prima, oſtendo quòd fœlicitas ſit in ſolo actu fruitionis In genere enim eſt duplex actus volantatis, ſcilicet *velle* & *nolle*, excludendo delectationem, de qua dictum eſt aliàs in primo libro diſtinctione prima. Vnde voluntas per actum poſitiuum, ſcilicet *velle*, reſpicit per ſe bonum, & per actum oppoſitum, id eſt, *nolle*, reſpicit bonum per accidens. Sicut intellectus per *intelligere* reſpicit verum per ſe, & falſum per accidens. Vlteriùs velle bonum per ſe eſt dupliciter, vel propter bonum voliti, & hoc *velle* pertinet ad amicitiam. Secundò, propter bonum volentis, & iſte actus volendi eſt *velle* concupiſcentiæ, ſic igitur in genere eſt duplex actus voluntatis, ſcilicet *nolle* & *velle*, & *velle* ſubdiſtinguitur in *velle* amore concupiſcentiæ, & *velle* amore amicitiæ, & hoc vltimum *velle* tantùm eſt frui: ſcilicet inhærere alicui obiecto propter ſe, non propter bonum volentis, ſed ipſius voliti.

Beatitudo in ſola fruitione conſiſtit.

Velle reſpicit bonum per ſe, nolle verò per accidens.

Amor amicitiæ.

Amor concupiſcentiæ.

Frui eſt velle aliquid propter ipſum.

3. *Obiectio. Auguſt.* Sed obiicio contra hoc, ſcilicet contradictionem prædictam, quia ſecundùm Auguſtinum 9. de Trinit. cap. vlt. *appetitus inhiantis*, ſiue *deſiderium abſentis*, *ſit amor fruentis*; ſed amor inhians eſt amor concupiſcentiæ; igitur amor fruens ſuccedens illi, ſimiliter erit amor concupiſcentiæ.

Soluțio. Appetitus militantis ſit amor fruentis, explicatur. Reſpondeo quòd viator habet duplicem actum, ſiue appetitum in voluntate; vnum, quo vult alteri benè eſſe, & alium, quo vult ſibi benè eſſe. Deus autem eſt hîc obiectum volitum; nihil autem eſt in illo obiecto volito ſibi futurum propter *velle* meum, ſed tantùm eſt aliquid mihi futurum; & ideò deſidero tantùm iſtud obiectum mihi, non ſibi, & ita amor inhians concupiſcentiæ fit amor fruens alicuius, ſcilicet ejus, qui fruitur, non boni, quo fruitur, & tunc verbum Auguſtini debet conſtrui ſic, *ſit amor fruentis*, id eſt, eius, qui fruitur, & ſic eſt, quòd *appetitus inhiantis ſit quidem amor fruentis*, id eſt, inhiat perfectiùs frui, cui ſuccedit fruitio, qui eſt amor amicitiæ.

Suppoſi

4. *Beatitudo nõ conſiſtit in nolle.* Suppoſita igitur diuiſione, & procedendo de membris diſtinctionis, dico quòd beatitudo non poteſt eſſe in actu voluntatis, qui eſt *nolle*, quia talis actus non habet pro proximo, & per ſe obiecto niſi ipſum malum, bonum autem eſt obiectum remotum ipſius, & per accidens.

Obiectum per ſe nolitionis malum. Præterea, beatitudo, ſiue actus beatificus formalis, eſt primus actus voluntatis, *nolle* verò non habetur in voluntate, niſi mediante *velle*, & hoc tanquam per actum elicitum, vel ſaltem per habitum inclinantem. Vnde Anſelmus de caſu Diabol. cap. Credo 3. dicit quòd quando quis non vult tenere aliquid niſi propter aliquod, nec niſi propter aliud vult deſerere, & magis vult aliud, quod non poteſt habere, niſi deſerat quod tenet; tunc velle deſerere prius eſt, quàm nolle tenere.

Anſelm. *Nolle ſupponit aliquod velle.* Et ponit exemplum de auaro. Auarus namque cùm vult tenere nummum, & quia vult panem, quem nequit habere, niſi nummum det, priùs vult dare, id eſt, deſerere nummum, quàm non velit tenere: non enim ideò vult dare, quia non vult tenere, ſed ideò non vult tenere, quia vt panem habeat, neceſſe habet dare. Sic igitur patet quòd *velle* eſt primus actus, & *nolle* ſemper præpræſupponit aliquod *velle*, & per conſequens beatitudo non erit in nolle aliquid.

5. *Beatitudinẽ non conſiſtere in amore cũcupiſcentiæ. Probatur 1.* Loquendo autem de *velle*, vt eſt actus concupiſcentiæ, quo amo Deum, vt bonum mihi, dico quòd non eſt in tali actu beatitudo, quia talis actus poteſt eſſe inordinatus, & peccatum mortale, & credo quòd illo peccato peccauit Angelus, vnde niſi iuſtitia refrænet, erit *ſumma peruerſitas*, ſecundùm Auguſtinum lib. 83. qq. quæſt. 30. *vtẽ fruendis*. Et ideò dico quòd iſte actus, qui eſt velle amore concupiſcentiæ, non eſt bonus, niſi ex circumſtantia: ſed beatitudo non poteſt eſſe in aliquo actu, qui ex ſua ratione formali non eſt optimus, quia actus beatificus ex hoc quòd vnit bono & optimo, formaliter eſt optimus.

Beatitudo eſt amor amicitia. Si autem loquamur de velle amore amicitiæ, quo vult ſibi benè eſſe propter bonum voliti, ſic dico quòd talis actus volendi eſt bonus ex ſe formaliter ex illo ſolo obiecto, quo vult frui, & non poteſt eſſe actus malus in volendo illud.

Confirmatur hoc, quia amore commodi non poteſt aliquis iuſtè velle.

Probatur 2. Ex hoc arguitur: quod competit ſuperiori, inquantùm ſuperius eſt, perfectius eſt, quàm illud, quod ſibi competit inquantùm eſt commune cum aliis: ſed affectio iuſtitiæ, ſiue illud quod conuenit alicui ſecundùm affectionem iuſti tantùm, conuenit ſuperiori, ſecundùm quòd ſuperius eſt, ſcilicet voluntati, inquantùm liberæ; affectio autem commodi eſt communis omni appetitui cognoſcitiuo, non inquantùm liber, quia ſic non conueniret non habenti libertatem; igitur perfectio eſt affectio iuſtitiæ, quàm commodi, ſiue concupiſcentiæ, in perfectiori autem affectione eſt beatitudo; igitur, &c.

Tertiò. Item, ex obiecto poteſt argui ſic; affectus amicitiæ tendit in Deum, in quem tendit affectus concupiſcentiæ, ſed modo diuerſo, quia affectus iuſtitiæ tendit in illud obiectum ſub ratione abſoluta in ſe, id eſt, in obiecto, ſed affectio commodi tendit in idem obiectum vt bonum ſibi; igitur imperfectior eſt affectio commodi, quàm iuſti, & per conſequens non erit beatitudo, niſi in affectione perfectiori. Sic igitur patet prima concluſio, quòd beatitudo non eſt niſi in ſolo actu fruitionis, qui eſt actus voluntatis; non autem in actu voluntatis, qui eſt *nolle*, nec in actu voluntatis, qui eſt *velle* amore concupiſcentiæ; igitur reſtat quòd ſit in actu voluntatis, qui eſt in *velle* amicitiæ.

Actus concupiſcentiæ neſt ſecundũ affectionem commodi.

SCHOLIVM II.

Diſputat an fruitio viæ, & patriæ ſpecie differant, & putat veroſimilius quòd ſic, quia requirunt per ſe intellectiones ſpecie diſtinctas, ſiue hæ cauſent amorem, ſiue non; & ſupra quæſt. 2. admittit quòd ſit partialiter, & id reliquit ſub dubio in 2. d. 25. ſed de hac diſtinctione ſpecifica nihil aſſerit, vt patet hîc ad tertium.

6. *Non omnis fruitio beata.* SEcundò principaliter oſtendo quòd beatitudo non eſt in omni actu fruitionis, quia actus fruitionis poteſt competere viatori licèt non habeat obiectum præſens. Ratio enim fruitionis eſt in hoc, quòd voluntas inhæret alicui obiecto propter ſe, & hoc per *velle*, ſiue per amorem amicitiæ, qui poteſt eſſe de obiecto abſente, beatitudo ergo non eſt in omni actu fruitionis.

Fruitio quæ? Sed diſtinguuntúrne iſtæ fruitiones ſpecie? ſcilicet illa fruitio, quæ eſt in via de Deo non viſo, & illa, quæ eſt in patria? Videtur quòd non; imò quòd ſint idem ſpecie, quia impoſſibile eſt diuerſum actum ſpecie produci ab eadem potentia, & ab eodem habitu, & circa idem obiectum: ſed potentia eſt eadem & habitus, ſcilicet charitatis, & obiectum idem in vtraque fruitione; igitur, &c.

7. *An amor viæ & patriæ ſpecie differant.* Maior probatur, quia ad actum beatificum, vel quemcunque alium, non concurrunt eſſentialiter niſi tria, potentia, habitus, & obiectum. Similiter minor patet, quia idem habitus charitatis manet hîc, & in patria ſecundùm Apoſtolum 1. Cor. 13. igitur, &c.

8. *Probat differre.* Si dicatur quòd iſtæ fruitiones ſunt eiuſdem ſpeciei, tunc dicendum erit quòd differunt ſecundùm gradus intenſionis & remiſſionis.

Sed iſtud videtur mihi abſurdum dicere, quia gradus intenſionis & remiſſionis & forma ſunt certi & determinati. Accipio igitur gradum ſupremum poſſibilem viatoris, & gradum infimum comprehenſoris; tunc arguo. Aut iſti duo gradus, ſcilicet ſupremus fruitionis in via, & infimus fruitionis in patria, attingunt ſe, vel non? ſi attingunt ſe, tunc beata Virgo fuit beatior in via, quàm Linus in patria. Si autem non attingunt ſe tales gradus, tunc poteſt addi aliquid illi gradui, qui non attingit alium, & in fine attinget illum, & ſic in via poterit aliquis eſſe beatus, quod eſt falſum.

Similiter manifeſtè videtur ſequi quòd ex quo vterque gradus eſt eiuſdem ſpeciei, debet concedi quòd vterque ſit beatus, licèt imperfectiùs eſt beatus vnus altero.

9. Videtur igitur mihi eſſe dicendum quòd iſtæ fruitiones differunt ſpecie, ſecundùm gradus determinatos, ità quòd gradus fruitionis citra *A.* dicantur gradus fruitionis in via; & gradus fruitionis vltra *A.* dicantur gradus fruitionis in patria.

Ratio quare hæ fruitiones differunt ſpecie. Aſſignatur autem hîc ratio ſecundùm vnam opinionem, cur iſtæ fruitiones differant ſpecie. Intellectio eſt aliqua cauſa voluntatis per ſe ad eliciendum actum ſuum; ſed variata quacunque cauſa poteſt variari ſpecies in eſſentialiter ordinatis; licèt enim aliquæ cauſæ ordinatæ concurrant,

rant, & aliquæ non: tamen ſemper in eſſentialiter ordinatis quæcunque variatio cauſæ facit differre ſpecie effectus conſequentes: ſed ſi cauſæ non dependent inter ſe eſſentialiter, tunc non faciunt differre effectus, ſed fruitio, quæ eſt hîc in via, non dependet à viſione, nec eſt ordo eſſentialis inter hanc fruitionem, & viſionem; fruitio verò, quæ eſt in patria, dependet à viſione, ſicut ab aliqua cauſa per ſe fruitionis; igitur iſtæ fruitiones differunt ſpecie. Sed iſtud tenetur, quia iſta fruitio, quæ eſt hîc, dependet à viſione ænigmatica eſſentialiter, & alia non, ſequitur quòd ſunt fruitiones diſtinctæ ſpecie.

Fruitio in via non dependet à viſione eſſentialiter, ſecus verò fruitio in patria.

Alia ratio pro eodem.

Dico hîc quòd ſicut ſenſus communis, & particularis differunt ſpecie, ita appetitus, & paſſiones conſequentes differunt ſpecie. Sic aliquo modo eſt in propoſito de iſtis fruitionibus, quia alia approximatio ſpecie eſt obiecti quantùm ad actum intellectionis manifeſtantis obiectum voluntati hîc in via, & alia ibi in patria, & diuerſa approximatio obiecti ad voluntatem videtur ſufficere ad diuerſitatem fruitionis in ſpecie. Vnde ſi iſta fruitio, quæ eſt hîc, creſceret in infinitum aſcendendo, cùm ſemper eſſet infra ſpeciem fruitionis huius, nunquam eſſet aliquis beatus per talem fruitionem; nec è conuerſo, ſi fruitio patriæ decreſceret inferiùs in infinitum, nunquam veniret ad gradum aliquem fruitionis in via, quia ſunt gradus diuerſæ ſpeciei, & ita non poſſunt fieri non beati per quemcunque deſcenſum.

Quantumuis fruitio in via creſceret, non redderet fruentem beatum.

10. *Ad 1. princ.* Ad primum principale, quando dicitur quòd non conſiſtit in illo actu præcisè, qui non diſtinguit beatum à non beato; concedo maiorem, accipiendo fruitionem ſecundùm eandem ſpeciem, quia non beatus non poteſt frui, niſi fruitione alterius ſpeciei à fruitione beatitudinis. Et tunc dico ad probationem minoris, quando dicitur quòd *frui* eſt velle inhærere bono propter ſe, &c. dico quòd iſta adhæſio, vel approximatio ad obiectum propter ſe eſt alterius ſpeciei hîc & ibi, & ideò nullus actus fruitionis eſt communis beato, & non beato. Vnde non ſequitur quòd ſi beatitudo non conſiſtat in actu fruitionis vnius, ſcilicet, in via, quòd non ſit in actu alterius fruitionis, ſcilicet in patria.

Ad ſecundum. Ad ſecundum, quando dicitur quòd voluntas poteſt perfectè frui illo bono abſque habitu charitatis, & tamen non poteſt eſſe beatus ſine charitate; dicendum hîc ſecundùm duas opiniones, quarum vna vult dicere quòd ſine charitate formaliter inhærente non poteſt haberi fruitio. De hoc dictum *eſt in primo libro diſtinctione 17. quæſt. 4.* Sequitur enim quòd ſi iſta potentia, ſcilicet voluntas non eſt in *eſſe* ſupernaturali quantùm ad actum primum per habitum charitatis informantem, nec erit in *agere*, ſiue in actu fruitionis in illo.

An poſſet voluntas ex ſe amare Deum clarè viſum, de quo in 1. d. 1. q. 4. Alio modo poteſt dici, quòd ex quo obiectum eſt viſum & ſufficienter approximatum, videtur quòd poſſit frui. Si enim voluntas poteſt frui obiecto imperfectè approximato ſine omni habitu charitatis, quando eſt ſufficienter approximatum, & viſum, & tamen non ſequitur quòd voluntas ex hoc ſit beata, quia non competit ſibi fruitio correſpondens proportionabiliter perfectæ viſioni, nam gradus, qui eſt beatitudinis, vt beatitudo eſt ex perfecta viſione, & ex perfecta charitate, in qua conſiſtit perfecta fruitio, quæ eſt beatitudo.

11. *Ad tertium.* Ad aliud, quando dicitur à ſimili, quòd iſta inferior ſecundùm *quid* quietantur, & beatificantur, ſcilicet in amore concupiſcentiæ, ſecundùm quòd delectantur in bono præſenti; dico quòd non valet ſimilitudo, vbi eſt vnum ſolum tale; ſolus autem appetitus rationalis eſt liber, & ideò ſolus poteſt velle bonum alteri propter ſe, & non propter bonum volentis, vt dictum eſt ſuprà. Vnde dico quòd argumentum concludit ad oppoſitum, quia ſi alij, vel aliæ potentiæ beatificantur ſecundùm *quid*; igitur voluntas, vt ſic beatificatur, & vt conuenit cum eis, erit beata ſecundùm *quid*, & hoc amore concupiſcentiæ, & boni commodi. Si igitur voluntas ſit beata ſimpliciter, non erit iſto amore concupiſcentiæ beata, igitur erit beata ſimpliciter amore amicitiæ, quod eſt propoſitum.

Quando non valet argumentum à ſimili.

Ad aliud detentione, quando dicitur quòd eſt voluntatis, ſicut actus ſpei; & quòd pertinet ad beatitudinem, non autem ad fruitionem, dico quòd non omne, quod ſuccedit alicui, vel intellectui in via, erit de eſſentia beatitudinis, licèt neceſſariò requiratur ad beatitudinem. Vnde ſicut multa requiruntur ad integritatem alicuius, & tamen non omnia ſunt de eſſentia eius, ita eſt in propoſito, & multò magis eſt verum hîc de duobus actibus eiuſdem potentiæ, quàm de duobus actibus diuerſarum potentiarum. Magis enim videtur vnus actus eiuſdem potentiæ ſufficere ad beatitudinem, qui ſuccedit alteri actui eiuſdem potentiæ, puta fruitio patriæ, quæ ſuccedit fruitioni viæ, quàm ſi talis actus ſuccederet alicui alterius potentiæ, ſicut viſio ſuccedit fruitioni. Sed viſio licèt ſuccedat fruitioni in patria, non tamen in ea conſiſtit formaliter beatitudo; ergo minùs in tentione, quæ ſuccedit fruitioni, cùm ſit actus eiuſdem potentiæ, ſcilicet voluntatis, conſiſtit beatitudo formaliter.

Adquartum.

Nec viſio, nec tentio ſunt de eſſentia beatitudinis.

QVÆSTIO V.

Vtrùm ad eſſentiam beatitudinis requiratur ſecuritas perpetua?

D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 3. *art.* 4 *& hîc quæſt.* 1. Gabr. *quæſt.* 2. *art.* 3. Ocham. *quæſt. vlt. art.* 4. *dub.* 6. Palud. *quæſt.* 7. Sotus *quæſt.* 3. *art.* 4. Vaſquez 1. 2. *d.* 21. *cap* 3. Scot. *in Oxon. hic quæſt.* 5. Vide eundem 9. *Metaph. q.* 15.

VIDETVR quòd ſic. Auguſtinus 13. de Trinit. cap. 7. quod eſt omnino beatiſſimum, ita ſemper fore certiſſimum erit: Deus ſicut erit affluens omnibus, ita ſemper fore: ſed certum erit, quando Deus omnibus erit beatiſſimum: igitur erit ſecuritas perpetua.

1. *Argumentum primum affirmatiuum.*

Item, de eſſentia beatitudinis eſt, quòd ſit vltima perfectio beatificabilis naturę, & ideò excludit omnem priuationem reſpectu eius, igitur de ratione beatitudinis eſt quòd conſtituat ſubiectum intranſmutabile, & per conſequens incorruptibile, & ſic ſequeretur perpetuitas, & ſempiternitas.

Secundum.

Item, Philoſophus 1. Ethicorum, cap. 8. in definitione felicitatis, addit *vitam perfectam*; inconueniens autem eſt apud eum, quòd aliquis felix ſit miſer poſteà. Igitur perpetuitas eſt de ratione felicitatis.

Tertium.

Item, ad perfectionem Viatoris concurrunt tres virtutes Theologicæ: igitur ad perfectam beatitudinem comprehenſionis ſuccedunt tria correſpondentia eis, ſed tentio correſpondet ſpei, quæ

Quartum.

quæ eſt vna virtus in via; & ſi tentio; igitur ſecuritas perpetua.

2. Contrà, Philoſophus dicit primo Ethicorum, cap. 6. quòd *non eſt aliquid perfectius eò, quod eſt diuturnius*; ergo beatitudo non erit perfectior propter diuturnitatem, & per conſequens non erit perfectior propter ſecuritatem.

Ratio 1. ad oppoſ.

Secunda. Item, iſta ſecuritas eſt alicuius potentiæ actus: non autem intellectus, quia non pertinet ad beatitudinem; ſi autem ſit actus voluntatis, aut igitur eſt idem quod fruitio: quia fruitio eſt obiectum ſecuritatis, inquantùm de ea eſt ſecuritas, ſed impoſſibile eſt quòd idem actus ſit obiectum ſui ipſius; igitur ſecuritas non eſt actus fruitionis; ſi autem ſecuritas eſt alius actus à fruitione; igitur non pertinet ad beatitudinem.

SCHOLIVM I.

Beatitudinem eſſe perpetuam probat ex ſacra Scriptura, & Auguſt. Definitur in 6. Synodo in ep. Sophronij, & cap. Firmiter, *de ſumma Trinit. Oppoſitum errorem Origenis refert Hieronymus ep. 59. & Auguſt. 21. Ciuit. cap. 7. Eundem errorem tribuit Ruffinus Hieronymo, propter quædam verba ipſius in cap. 1. & 2. ad Epheſ. & Dial. contra Pelag. Sed ipſe ſe purgat Apol. contra Ruffin. Vide Sixtum Senenſ. lib. 6. Bibl. annot. 290. circa cauſam huius perpetuitatis, varietas opinionum eſt, prima ait beatitudinem eſſe ex natura ſua perpetuam, ſicut forma quæ, cui ſemel ineſt, ſemper ineſt. Reiicitur primò, quia non minùs dependet à Deo, quàm ſubiectum eius. Secundò, ſubiectum eſt prius ea tempore, ergo poteſt ſtare ſine ea.*

3. REſpondeo, & dico hîc duo. Primò de perpetuitate beatitudinis. Secundò de ſecuritate. De perpetuitate planum eſt ex Scriptura, quia ſic habetur Matth. 25. *Ibunt iuſti in vitam æternam*, & 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei.* Similiter Auguſtinus 13. de Trinit. cap. 8. Ponit ad hoc rationem congruam ſic: quia ſi beatus amitteret ſuam beatitudinem, aut amitteret eam volens, aut nolens? ſi volens, quomodo igitur tunc eſſet beatus, quia tunc eſſet miſer, dum eſſet beatus, quia eſſet amiſſio maximi boni, & ſi priùs appeteret illam amiſſionem, ſemper erit miſer: ſi autem nolens; igitur non eſt beatus, quia non habet quidquid vult, inquantùm amittit, quod vult amittere, & ſicut dicit ibidem Auguſtinus, idem erit eodem modo de amiſſione beatitudinis, ſicut de amiſſione vitæ illius, vel *eſſe*. Sic ergo patet quòd Beatus non poteſt amittere beatitudinem, & ideò perpetuitas erit ſemper ibi, ſed licèt perpetuitas ſit ibi, & hoc planum ſit, de modo tamen ponendi quare ita ſit, eſt diſſimile.

Auguſt. Congruum fuit beatitudinem fuiſſe æternam.

4. Eſt vnus modus dicendi, quòd beatitudo eſt talis forma, ſiue operatio de natura ſua, & ratione formali, quòd cui ineſt, incorruptibiliter ineſt, & non poteſt non ineſſe manente ſubiecto, quod eſt incorruptibile. Pro iſto eſt ratio illorum talis. Forma illa, quæ perfectiſſima eſt inter omnes materiales, tollit à materia ſua omnem priuationem, & ideò conſtituit compoſitum totaliter incorruptibile.

Cur beatitudo ſit perpetua. D. Thom. quodl. 1. q. 1. art. 1. & 1. 2. q. 10. art. 1. Henr. quodl. 9. q. 11. *Prima ratio illorum.*

Secundò, ſicut finis includens omnium entitatum perfectionem, & finium, tollit incorruptionem in fine illo, ſiue in his, quæ ſunt ad finem illum. Sicut enim forma prima tollit omnem corruptibilitatem, ſic & finis iſte, qui eſt obiectum beatificum, includit perpetuitatem.

Secunda.

Tertiò, ſi beatus poſſet eſſe miſer, non eſſet ſecurus de ſua beatitudine, & ſic eſſet ſemper quodammodò miſer, & ſemper eſſet in timore amittendi eam; igitur perpetuitas eſt de ratione beatitudinis.

Tertia.

Reſpondeo quòd beatitudo non habet maiorem rationem incorruptibilitatis, quàm ſubiectum ſuum, nec aliter poteſt eſſe magis incorruptibilis. Non enim video quòd beatitudo poſſet magis eſſe incorruptibilis, quàm Angelus, vel anima. Beatitudo enim eſt quoddam accidens in alio non ſecundùm ſe; igitur non magis habet rationem incorruptibilis, quàm ſubiectum, quòd ſubiectum conſeruatur à Deo, non neceſſariò, ſed contingenter; igitur multò magis nec accidens, quod eſt ipſa beatitudo, & ſic vtrumque conſeruatur contingenter; igitur beatitudo ex natura ſua non perficit iſtud ſubiectum incorruptibiliter.

5. *Reprobatur.*

Si dicatur quòd beatitudo non eſt ſic incorruptibilis ſicut Deus, qui eſt ſimpliciter incorruptibilis, tamen incorruptibilis eſt manente ſubiecto, quod perficit; igitur, &c.

Euaſio.

Contra hoc: ſi Deus conſeruat contingenter illud, quod eſt prius, conſeruat contingenter illud, quod eſt poſterius; quia non eſt contradictio prius eſſe ſine poſteriori, & ſimiliter non erit inconueniens conſeruari prius ſine poſteriori: ſed ſubiectum, id eſt, anima rationalis, vel Angelus eſt prius beatitudine ſua; igitur beatitudo non perficit ſubiectum incorruptibiliter ex natura ſua.

Refellitur. Prius poteſt conſeruari ſine poſteriori.

Ad rationem eorum primam, quando dicunt quòd forma perfectiſſima inter omnes materiales tollit omnem priuationem à materia ſua, & conſtituit compoſitum totaliter incorruptibile; dico quòd hæc eſt fictio quædam, ſicut magis oſtenderetur *in 2. libro* *. Impoſſibile enim eſt vt forma tollat priuationem niſi contrariam ſibi & propriam, quia limitata eſt quæcunque forma in ſe. Non poterit igitur forma aliqua tollere priuationes alias, niſi aliæ priuationes ſint in priuatione alterius, nec in priuatione cœli poteſt tollere alias priuationes inferiores puta ignis in ſe, quin de ſe etiam eſt capax, ſed tantùm tollit iſtas priuationes inferiorum, vt in ſe eminenter continet eas, non autem vt ſunt in ſeipſis, quia tunc oporteret quòd talis forma eſſet infinita, includens actualiter perfectionem omnium formarum, ex quo priuatio eius eſſet priuatio omnium. Tales igitur, qui ſic dicunt, miſcent Philoſophiam cum Theologia.

6. *Ad primum argumentum. Superiorís opinionis.*

*diſt. 14. q. 1.

Forma cœli non tollit omnem priuationem firmarũ inferiorum.

Ad illud de fine, quòd tollit imperfectiones, & priuationes omnium aliorum finium. Reſpondeo quòd verum eſt, dum vnitur illi fini extrinſeco, tollitur omnis priuatio, ſed illud, per quod vnitur formaliter, eſt forma finita & limitata, nec includens in ſe perfectionem omnium formarum, & ſic non tollit priuationes aliarum formarum, licèt ſit forma media, quæ coniungit illi fini extrà, qui eſt Deus. Iſte tamen finis extra tollit propter infinitatem, & illimitationem ſuam priuationes omnium formarum, ſiue omnium finium extrinſecorum, dum vnitur.

Ad ſecũdum.

Quare finis intrinſecus non tollit omnem priuationem ſicut finis extrinſecus vltimus.

Ad aliud, quando dicitur quòd ſi beatus poſſet eſſe aliquando miſer, ſemper eſſet miſer, eo quòd ſemper timeret amittere beatitudinem. Dico quòd de hoc magis dicetur *in ſecundo* * quando agetur de poſſibilitate peccandi. Vnde dico quòd

* diſt. 23.

quòd non est contradictio de potentia absoluta, quòd sicut priùs in via erat capax miseriæ de natura sua, ita & modò dum est beatus: non enim est perpetuitas naturæ in se perficiendo.

SCHOLIVM II.

Sententia D. Thom. 1.2.q.10.art.2.& aliorum, intellectum, & voluntatem in beatitudine necessitari ad continuandos suos actus, & sic fieri perpetuitatem. Reiicitur, quia nullus habitus necessitat voluntatem ad vnum, nec etiam obiectum eam necessitare potest. de hoc latè Doct. 1.d.1.q.4.& col.15.16.17.

7. Secunda opinio cur Beatitudo sit perpetua. D. Thom. 1. 2. q.10. a.2.

VNde igitur est hæc perpetuitas? Aliqui dicunt hîc quod perpetuitatis causa est ex habitu charitatis, & lumine gloriæ inclinante; ratione quorum semper inclinatur ad actum æternum ratione obiecti æterni, & sic perpetuitas beatitudinis est ex perpetuitate potentiarum, quæ tendunt in illud obiectum perpetuum, per actus & operationes mediatè.

Refutatur primò.

Sed hoc non capio, & arguo sic: habitus non est prima ratio agendi potentiæ, nec est prima causa operationis, vel actus, sed secunda; igitur aliunde oportet quærere perpetuitatem in beatitudine. Cùm igitur habitus sit causa secunda in eliciendo operationem beatitudinis, non potest determinare causam primam, sed è conuerso; cùm igitur causa prima, & principalis ipsius actus, scilicet potentia, non sit perpetua, nec erit habitus, qui est vt causa secunda.

Perpetuitas Beatitudinis non est ex habitibus.

Reiicitur 2. Charitas Beatæ Virginis in via fuit maior aliorum in patria.

Item, possibile est aliquem in via, vtpote, Virginem beatam, habere tantum habitum charitatis, quantum habet aliquis in patria, & si sic, est habitus causa perpetuitatis in beatitudine, tunc necessariò inclinabit in obiectum beatificum, quia manente principio necessariò tendendi in obiectum, manebit perpetuitas; igitur beata Virgo, vel quicunque, qui habuisset huiusmodi habitum, fuisset necessariò beatus, quod est falsum. Eodem modo arguo de lumine, sicut de charitate; nihil enim horum est causa perpetuitatis in beatitudine.

8. *Dubium. An voluntas coniungat memoriam visioni in actu beatifico.*

Vnde similiter iuxta hoc, est quæstio: Vtrùm voluntas beata coniungat memoriam visioni? & videtur quòd sic, quia perfectus actus, siue perfecta actio intellectus est gignitio verbi: sed applicatio intellectus ad obiectum per voluntatem præcedit gignitionem verbi; igitur voluntas beata coniungit memoriam visioni, & sic cùm perpetua sit visio, oportet quòd voluntas coniungat perpetuò memoriam visioni.

Solutio dubij,

Sed contra hoc sic arguo: si voluntas perpetuò coniungat memoriam visioni, tunc videtur quòd voluntas non posset se auertere à visione, sed hoc est falsum, quia non est contra rationem, & naturam voluntatis, quòd possit se conuertere, cùm sit libera; igitur tunc non necessariò vellet istam visionem, & per consequens non necessariò coniunget memoriam visioni; nec igitur ex habitibus; nec ex potentiis istis, est in actibus beatitudinis perpetuitas, quia ex se non sunt determinati ad necessariò agendum.

9. *Tertia sententia ponit hanc perpetuitatem ex naturæ potentiarum.*

Tertia opinio, siue tertius modus dicendi est, quòd ex natura potentiarum cum obiecto præsente, est perpetuitas in actu beatitudinis: nam de natura intellectus est necessariò tendentia in obiectum præsens. Similiter de natura voluntatis est tendentia in obiectum tale visum, quod non habet in se rationem mali; & ideò necessariò tendit in illud per suum actum, qui est velle, quia nulla ibi est ratio mali, & ideò nec actus nolendi concurrit.

Sed contrà. Quidquid sit in re de necessitate intellectus circa obiectum, vel actum, non curo modò, tamen de voluntate oportet (vt dixi in primo libro, distinctione prima * dicere non quòd necessariò tendat in obiectum, videlicet finem suum.

* quæst. 2. *Voluntas liberè amat Deum clarè visum.*

SHCOLIVM III.

Beatitudinem esse perpetuam ex Dei decreto libero de eius conseruatione. Expendit duo dubia. Primum, quomodo beati sint impeccabiles? & sunt ex Dei decreto libero, non ex necessitate aliqua intrinseca. Secundum, an æternitas gloriæ cadit sub meritum: & respondendum quòd sic, Dei supposito promisso; posset tamen peccata ad mensuram punire, & merita præmiare, sine æternitate. Vide Scholium d.46.

10. *Sententia Doct. Beatitudo vna intensiuè, alia extensiuè.*

AD quæstionem igitur istam respondeo, quòd beatum esse non est, nisi cum vltimatè benè est in coniunctione perfecta ad optimum. Ista autem coniunctio perfecta potest intelligi dupliciter, intensiuè, vel extensiuè. Loquendo de perfectione vnionis intensiuè, sic dico quòd potest esse in instanti, vel cum instanti temporis, siue mensuretur æuo, siue non, Deus potest eam tantùm conseruare pro tunc, & non plus, & sic est ita perfecta beatitudo pro illa hora, sicut si semper duraret, & sic in raptu posset aliquis esse beatus. Accipiendo autem perfectionem beatitudinis extensiuam, dum natura manet, & ad quam est inclinatio naturalis potentiæ, sic beatitudo est perfecta, & perpetua non solùm raptim, sed semper.

Perpetuitas beatitudinis ex Dei beneplacito.

Vnde igitur hæc perpetuitas? Dico quòd sola causa est voluntas diuina, quæ sicut disposuit beatificare hominem vltima perfectione intensiua, ita & vltima perfectione extensiua: opera enim Dei nesciunt imperfectionem, quia omnia sunt perfecta; & sicut voluntariè Deus disposuit beatificare naturam intellectualem pro instanti, ita & conseruat perpetuam pro toto æterno, perficit enim naturam vt est perfectibilis: sed natura humana perfectibilis est vtroque modo, scilicet beatitudine intensiua & extensiua.

11. *Corollarium.*

Ex hoc sequitur vnum corollarium, quia beatitudo cùm mensuretur æuo secundùm omnes, imò simpliciori æuo, quàm Angeli, & æuum nullam habeat successionem, sequitur quòd perpetuatio beatitudinis non est receptio alicuius noui, quia beatus post primum instans æui nihil à Deo recipit, quia duratio est consubstantialis rei durabili, & tunc secundùm istam opinionem, esset dicendum quòd per perpetuitatem nihil additur beatitudini, nec intrinsecum, nec extrinsecum, & de hoc dicetur *in secundo d.2.q.1.* si æuum habeat successionem, vel non? Si autem dicatur quòd æuum habeat successionem secundùm aliam opinionem, tunc esset dicendum quòd aliquid additur beatitudini in perpetuitate, non autem essentiæ, sed mensuræ eius; neutra enim opinio dicit quòd perpetuitas sit de essentia beatitudinis.

An æuum habeat successionem.

12. *Dubium 1.*

Sed tunc sic dicendo, occurrunt duo dubia. Primum dubium est, quia secundùm hoc si voluntate diuina continuatur perpetuò beatitudo, cùm illa continuatio perpetuitatis in beatitudine faciat

Impeccabilitas in Beato ex quo oriatur. Auguſt.

ciat non peccare Angelum beatum; igitur tunc Angelus per nihil ſui eſt peccabilis, & per conſequens eſt ſimpliciter impeccabilis, quod eſt contra Auguſtinum 3. *libro contra Maximinum c.* 13. vbi dicit quòd ex gratia diuina eſt, quòd Angelus ſit impeccabilis, non autem ex natura ſua ſimpliciter. Et in Enchiridio cap. 86. vel 73. *Ita beatus eſt, qui nec poterit velle, &c.* Aliud dubium eſt, quòd ſi perpetuitas non ſit de ratione beatitudinis; igitur in ratione præmiorum non cadit perpetuitas, niſi concomitanter; nec eſt in ratione meritorum, & tunc non meretur homo præmium æternum; hoc autem non videtur probabile.

Dubium 2.

Soluitur 1. dubium. Duplex impeccabilitas.

Reſpondeo ad primum dubium, & dico quòd impeccabile non eſt aliud, quàm non poſſe peccare. Hoc autem dupliciter poteſt intelligi; primò, quòd poſſibilitas peccandi intelligatur excludi à cauſa ſecunda, propter aliquid intrinſecum, vel propter aliquid extrinſecum, ſcilicet ex parte cauſæ primæ. Si primo modo, ſic dico quòd quilibet beatus erit impeccabilis ex natura ſua, quia ex ſua voluntate habet quòd non poſſit in aliquid oppoſitum beatitudini; tunc enim non poterit vti voluntate, vel poteſtate ſua ad oppoſitum, ſicut poterat priùs in via. Quòd autem non poſſit vti poteſtate ſua ad oppoſita beatitudinis, hoc eſt propter actionem ſuperioris cauſæ mouentis ad oppoſitum.

Beatus eſt impeccabilis ex Dei decreto, & non ex natura rei.

Si autem quæramus de impoſſibilitate peccandi præcedente actum beatitudinis priùs natura, ſic quærimus nodum in ſcirpo, quia nulla alia cauſa impeccabilitatis eſt ibi, niſi per actum ſecundùm conſeruatum continuè à voluntate diuina. Habitus tamen charitatis, & lumen gloriæ, benè inclinaret ſemper ad non peccandum, non tamen neceſſariò, nec ex natura ſua, vnde ex iſto oppoſito veniunt omnes iſtæ fictiones, ſcilicet, quòd ſtatus gratiæ & gloriæ faciunt hominem impeccabilem, &c.

13. *Ad ſecundum dubium.* * dist. 44. q. 3. & dist. 46. q. 4. n. 25. *Pœna æterna per accidens.*

Ad ſecundum dubium dixi *ſuprà* * de damnatis, quòd Deus potuit taxare vnam pœnam intenſam correſpondentem culpæ per modicum tempus, quæ pœna intenſiſſima, ſi Deus vellet, poſſet punire culpam magnam. Dico tamen quòd culpa in damnatis eſt æterna, ideò pœna eis correſpondet æterna.

Ratio D. Thomæ & aliorum.

Sed potéſtne ſic eſſe de præmio, ſicut de pœna, quòd ſcilicet eſſet pro modico tempore ita intenſum quòd poſſet præmiare pro magno merito? Hîc dicitur quòd non eſt ſimile de pœna, & præmio, ſicut nec de culpa, & merito, dicitur enim quòd culpa eſt infinita, & per conſequens malitia infinita, quia infinitus eſt Deus, & ideò offenſa infinita; igitur pœna correſpondens culpæ debet eſſe æterna. Sed contra hoc ſic; iſta verba ſunt metaphorica, quòd dicatur eſſe *infinita* culpa, quia ſeparat ab infinito, ſcilicet à Deo, quia nulla culpa infinita habet malitiam determinatam. Si autem culpa dicatur infinita propter obiectum infinitum, eodem modo pœna eſt infinita in quadam relatione ad Deum, ſi ſit ita acerba, & intenſa, quòd non poſſit ab alio infligi, niſi à Deo, & ſic nec pœna de ſe, nec culpa habent infinitatem, nec perpetuitatem; ſed in damnatis, quia culpa continuatur, vt dixi, ideò & pœna eis continua correſpondet. Dico tamen quòd non eſt ſic de præmio, ſicut de pœna, nec de merito ſicut de culpa; quia Deus eſt liberalis ad dandum vltra condignum, & eſt ita miſericors ad parcendum, quòd ſemper punit citra condignum. Vnde dico quòd

Reiicitur illa ratio.

Nec pœna nec culpa habent infinitatem de ſe.

tantum valent merita noſtra, quantum placet Deo ea acceptare, & ſi fuiſſent mille merita, & infinita ab initio, nunquam meruiſſent vitam æternam. Sic ergo dico, quòd Deus ita poſſet præmiare in vno inſtanti, vel in tempore modico, quòd amplius non duraret. Ex his igitur patet quòd perpetuitas beatitudinis tantùm eſt ex conſeruatione diuina, & impeccabilitas, ſiue impoſſibilitas peccandi ex voluntate diuina.

Perpetuitas præmij beati eſt ex liberalitate Dei.

SCHOLIVM IV.

Reſoluit Beatos ex reuelatione reddi certos de perpetuitate ſuæ gloriæ, & inde reſultare ſecuritatis paſſionem, oppoſitam timori irraſcibili.

14. *De ſecuritate Beatitudinis.*

SEcundò principaliter videndum eſt hîc de ſecuritate, quæ eſt in beatitudine. Et de iſto dico, quòd eſt per ſe oppoſitum timori. Sed timor eſt duplex; eſt enim aliquando de malo infligendo, & interdum de malo inflicto continuando; & non eſt de dubio ſolo, ſed de certo. Vnde in *Gallico* *, & in omni lingua non idem ſignificat *dubito & timeo.* Sicut igitur timor eſt de malo apprehenſo in futuro, vel de malo inflicto, quod eſt in continuando, ſic ſecuritas eſt duobus modis, vel de bono futuro apprehenſo, ita quòd ſit apprehenſio certa, & de bono apprehenſo, & habito continuando; illa enim ſecuritas, quæ eſt in beatitudine, debet ſequi aliquam apprehenſionem boni.

* Innuit hoc verbum in Gallia, videlicet Pariſiis hæc legiſſe.

Securitas duplex ſicut & timor.

Vnde certitudo Beatorum de perpetuitate beatitudinis.

Sed quomodo in Beatis poteſt eſſe iſta certa apprehenſio? dico quòd Beati habent certam apprehenſionem de perpetuitate beatitudinis ſuæ, non per rationem naturalem, nec iſta ſecuritas eſt de ratione & eſſentia beatitudinis, & in hoc ſoluo quæſtionem, qua poteſt quæri, vel ad hoc fieri.

Si iſta ſecuritas eſt tantùm ex reuelatione diuina, ſiue ex inſpiratione, non autem, vt dixi, per rationem naturalem, quia talis ſecuritas contingenter dependet à voluntate diuina. Vnde Michaël ſibi derelictus non haberet per rationem illam ſecuritatem, quia beatitudo non eſt circa aliquod obiectum creatum, ſed iſtud obiectum ſic apprehenſum, eſt aliquid creatum: igitur ſecuritas de tali obiecto apprehenſo non erit de eſſentia beatitudinis.

Beatorum certitudo de perpetuitate ex reuelatione.

Si igitur Beatus non habet iſtam ſecuritatem per eſſentiam ſuæ beatitudinis, nec per rationem naturalem habet certam apprehenſionem ſecuritatis; ergo oportet quòd habeat hoc per reuelationem, & hæc eſt reuelatio generalis quantùm ad ſecuritatem beatitudinis, & præmij: ſicut etiam in damnatis ad perpetuitatem damnationis, & pœnæ. Quòd autem Beatus ſit ſecurus reuelata perpetuitate, & ſecuritate non dubito. Sed de reuelatione in damnato, & qualis eſt certitudo, poſſet eſſe alicui dubium. Dico itaque quòd certitudo illa in Beatis licèt ſit de contingentibus, de quibus tantùm fiunt reuelationes, tamen illud ita eſt neceſſarium, & ita eſt certum, ac ſi eſſet neceſſarium. Vnde ſicut non dubito, ſed certus ſum me ſedere, dum ſedeo, ita certi ſunt Beati de ſecuritate beatitudinis; nec plus timent amittere, quàm ſi beatitudo eſſet certa, imò certitudinaliter inquantùm Deus erit Deus, ſciunt ſe eſſe beatos.

15. *Vnde certitudo damnatorum de perpetuitate pœnarum.*

Sed quid ſequitur iſtam apprehenſionem? dico quòd iſtam ſequitur quædam paſſio, ſcilicet tentio; vnde iſta paſſio, quæ eſt ſecuritas, ſiue tentio,

non ſequitur operationem virtutis concupiſcibilis, quia amare Deum, in quo conſiſtit beatitudo, non eſt actus concupiſcentiæ, ſed amicitiæ, vt dictum eſt *ſuprà*. Sed dico quòd iſta paſſio, quæ ſequitur ſpem, eſt in virtute iraſcibili, ſicut ſpes, cui ſuccedit, quæ non eſt de eſſentia beatitudinis, ſed concomitans, vel conſequens ad ipſam.

Securitas eſt in iraſcibili.

16. *Tentio quadrupliciter ſumitur.*

Ex hoc apparet quid ſit dicendum de tentione, ſi concurrat ad beatitudinem? dico autem quòd tentio quadrupliciter poteſt accipi. Vno modo tentio pertinet ad memoriam, prout tenet in habitu actum primum. Secundo modo eſt actualis viſio obiecti, quod tenet, primum pertinet ad memoriam, ſed ſecundum pertinet ad intelligẽtiam. Tertiò accipitur tentio ipſe actus amandi, tenens bonum præſens ſibi, & iſta tentio ſuccedit deſiderio, quo volo Deum mihi bonum, & iſta tentio eſt amor concupiſcentiæ, quo vult Deum ſibi bonum. Alia eſt tentio, quæ eſt operatio voluntatis, & amor amicitiæ, quo vult Deum ſibi, non ratione vt bonum ſibi, ſed quia bonum in ſe, aliàs in beatis eſſet vſus fruendorum, & iſta tentio ſuccedit ſpei, & eſt bonum virtutis, & operatio voluntatis, & amor amicitiæ, vt dictum eſt. Quarto modo accipitur tentio paſſio, id eſt, ſecuritas, quæ conſequitur operationem, quæ eſt beatitudo, de qua dixi *ſuprà in ſecundo articulo huius quæſtionis*, ſi ſecuritas ſequitur ſpem paſſionem, ſicut tentio tertio modo dicta ſequitur ſpem virtutem ſequens ex apprehenſione boni continuandi ſemper.

Tentio ad voluntatem ſpectans ſuccedit ſpei.

De tentione primo modo dicta quæritur: vtrùm pertineat ad eſſentiam beatitudinis, & ſit in beatitudine tanquam præmium? ſed circa hoc eſſet dicendum ſecundùm diuerſas opiniones de memoria. Oportet enim quòd ſit in memoria, vel ſine ſpecie, vel cum ſpecie; quia ſi nulla ſpecies eſt formaliter in memoria, tunc nihil eſt in memoria, niſi quod tenet obiectum præſens. Si autem ſecundùm aliam opinionem ſint ibi ſpecies, tunc tentio nihil eſt aliud, quàm continuè tenere ſpeciem repræſentantem obiectum, & neutro modo pertinet ad eſſentiam beatitudinis, vt dictum eſt *ſuprà*, nec ſecundo modo, nec minùs quarto modo. Sed tentio tertio modo ſequitur ſpem virtutem, & concomitatur beatitudinem, & alio modo ſequitur beatitudinem, ſecundùm quòd tentio eſt quædam paſſio, conſequens eam, ad quam ſequitur ſecuritas & delectatio, vt quædam paſſiones.

Tentio nullo modo ſpectat ad eſſentiam beatitudinis & tertio modo concomitatur tantùm beatitudinẽ.

17. *Ad primum principale.*

Ad rationem primam, quando dicitur de Auguſtino, quòd *ita ſemper fore, certum erit*; dico quòd eſt beatiſſimum ſemper fore cum certitudine; & hoc addit aliquid ad beatitudinem, ſed non eſt de eſſentia eius.

Ad ſecundum.

Ad aliud, de perfectione beatitudinis, dico quòd non excludit omnem priuationem niſi quæ eſt nolitio abſolutè, nec beatitudo poteſt excludere à voluntate alias priuationes, quin ſaltem ſit capax, ſcilicet natura beatificabilis aliarum priuationum; ſic enim albedo, quando ineſt, expellit nigredinem, ſed quin ſit capax nigredinis, hoc non habet ſubiectum per hoc, quòd ei ineſt actu albedo, & ſic in propoſito de forma beatitudinis.

Nulla forma finita excludit omnem priuationem à ſuſceptiuo.

Ad tertium.

Ad aliud, quando dicitur quod Philoſophus addit in definitione felicitatis *vitam perfectam*; dico quòd mirum eſt de Philoſopho, qui voluit dicere verum de præterito, quod fuerit felix, quod tamen nunquam eſt verum de præſenti. Et poteſt dici quòd verbum Philoſophi verum eſt de vita perfecta, quæ eſt de eſſentia felicitatis intenſiuè, non autem extenſiuè accipiendo vitam perfectam pro perpetuitate.

Ad aliud, quando dicitur quòd ad perfectionem Viatoris concurrunt tres virtutes Theologicæ, & tria correſpondentia eis concurrunt in beatitudine; dico quòd, ſicut patet ex dictis, ſunt tria, quæ concomitantur, & ſequuntur beatitudinem; non autem quòd ſint de eſſentia beatitudinis præcisè eam accipiendo ſecundùm eius rationem formalem.

Ad quartum.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm ad eſſentiam beatitudinis pertineat gaudium de ipſa beatitudine adepta.

D. Thom. 1. 2. *q.* 4. *art.* 2. Rich. *art.* 3. *quæſt.* 6. Durand. *quæſt.* 4. Vaſq. 1. 2. *d.* 11. *cap.* 6.

VÆRO conſequenter de concomitante beatitudinem. *Vtrùm ad eſſentiam beatitudinis pertineat gaudium de ipſa beatitudine adepta?* Videtur quòd ſic. quia ſecundùm Auguſtinum 10. Confeſſionum circa medium, *gaudium de te erit beata vita, &c.*

1. *Argument. 1. affirmatiuũ.* Auguſt.

Item, de eſſentia huius beatitudinis eſt vltimata quietatio; ſed gaudium eſt quædã quies; ergo, &c.

Secundum.

Item, beatitudo eſt bonum vltimum; ſed delectatio eſt tale bonum, quia alia quærimus propter delectationem, ipſam autem delectationem quærimus propter ſe; gaudium autem eſt delectatio; igitur, &c.

Tertium.

Item, beatitudo eſſentialiter vltimo modo perfectiſſimè vnit; ſed hoc non poteſt aliqua potentia, niſi operando, & mediante operatione circa ipſum bonum, & per conſequens delectando: huiuſmodi eſt gaudere: igitur, &c.

Quartum.

Contrà, Philoſophus primo de Anima text. 64. *Nihil aliud eſt dicere animam gaudere, vel triſtari, quàm texere, vel ædificare*; quia huiuſmodi paſſiones non ſunt in anima: igitur, &c.

Ratio 1. ad oppoſ.

Item, nihil eſt de eſſentia beatitudinis, niſi quod pertinet ad potentias, & ad operationes illius; ſed delectatio, vel gaudium non ſunt operationes, vel paſſiones aduenientes & conſequentes; igitur, &c.

Secunda.

SCHOLIVM.

Sententia, quæ videtur D. Thomæ, quamque tenet Durand. hîc delectationem eſſe de eſſentia beatitudinis, ſuadetur tribus rationibus: ſed reiicitur, quia delectatio eſt paſſio ex 1. diſt. 1. q. 3. & 3. d. 15. & hæc non coniungit optimo, ſed ſupponit coniunctionem. Secundò, paſſio reſpicit obiectum beatum, non vt obiectum, ſed vt efficiẽs.

REſpondeo, hic ſupponendum eſt quod fuit declaratum in primo libro, diſtinctione prima * de *fruì*, vbi oſtenſum eſt quòd delectatio non eſt idem operationi. Eſt autem quædam opinio, quòd delectatio eſt de eſſentia beatitudinis, quia ſi eſſet aliud realiter à beatitudine, Deus poſſet ſeparare vnum ab altero, & ſic aliquis poſſet eſſe beatus, & non gaudens, nec complacens ſibi in illa, quod videtur abſurdum.

2. *quæſt. 3. D. Tho. opinio in 4. d. 48. q. 3. a. 1. Rich in præf. art 3. q. 6. Probatur 1.*

Item, perfectius eſt aliquid, ſi de eſſentia, cuius eſt, ſit aliqua perfectio, ſiue quando includit eſſentia

Secundò.

eſſentialiter perfectionem aliquam, quàm ſi non eſſet niſi concomitanter; ſed de ratione beatitudinis eſt quòd ſit maxima perfectio; magis autem eſſet perfectio, ſi de eſſentia eius eſſet delectatio.

Tertiò. Item, addo vnam rationem; pœna eſſentialiter eſt triſtitia; igitur eſſentialiter præmium erit gaudium. Antecedens patet, quia omnem actum voluntatis voluntas elicit voluntariè, & delectabiliter, & nihil tale poteſt eſſe pœnale, quia omnis actus, præter triſtitiam, eſt voluntarius, & delectabilis, reflectendo ſe ſuper actum: ſicut enim volens volo me velle, ita nolens nolo me nolle aliquid; ſed nullum voluntarium poteſt eſſe pœnale; igitur eſſentialiter, & formaliter præmium non videtur eſſe niſi gaudium, & delectatio, ſiue actus delectabilis.

Confirmatur. Confirmatur hoc, quia malum, quod eſt inhoneſtum, per ſe pertinet ad pœnam; igitur omne bonum honeſtum per ſe pertinet ad præmium, & malum pœnæ per ſe pertinet ad triſtitiam; igitur bonum commodi ad gaudium, hoc enim eſt voluntarium, & delectabile, ſicut illud eſt inuoluntarium, & triſtabile. Sic videtur igitur quòd præmium includat eſſentialiter gaudium, & delectationem.

Pro iſto poteſt adduci Philoſophus 10. Ethicorum cap. 1. & 2. in ratione Eudoxij, per quam probat quòd *felicitas ſit in delectatione, & non in operatione, quia omnes appetunt operationem propter delectationem.*

3. *Refellitur ſuperior opinio primò.* Sed hanc opinionem non ſequor, quia videtur mihi oppoſitum probabile, licèt iſta etiam ſit probabilis, & rationabilis: alia tamen opinio eſt mihi probabilior, ſcilicet, quòd delectatio non ſit de eſſentia beatitudinis, quia nulla perfectio intrinſeca eſt beatitudo, quia in ſe eſt talis perfectio; tunc enim eſſentia eſſet magis beata per ſe, quàm per quodcunque aliud, & quàm quodcunque aliud, quod falſum eſt; igitur beatitudo eſt talis maxima perfectio, inquantùm coniungit alteri per operationem, quod facit aliquem beatum, hoc autem non facit paſſio, ſed operatio, quam ſequitur paſſio ad ſe.

Ratio beatitudinis ſumitur à coniunctione ad beãs quod non facit paſſio.

Reiicitur 2. Paſſiones non habent obiecta propria. Item, paſſiones non habent obiecta propriè, quaſi ſint ratio rendendi in obiecta, quia tunc eſſent operationes, benè tamen paſſiones habent operationes, ſicut pro cauſis efficientibus: ſed operationes habent per ſe obiectum, ſicut cauſam effectiuam formalis beatitudinis.

Reiicitur 3. Item, per aliquid ſimilis rationis coniungitur potentia ſuo obiecto in via, & in patria; ſed in via non coniungitur paſſione; igitur nec in patria. Coniungitur autem in via per operationem; igitur in patria.

Delectatio non eſt præciſa ratio quare aliquid appetimus. Pro iſto facit Philoſophus 10. *Ethicorum cap.* 3. qui dicit quòd multas operationes appeteremus, etſi nulla delectatio ſequeretur, ſicut patet de actibus virtutum, quos frequenter non exercemus propter delectationem; ſed delectatio eſt ſolùm propter operationem.

4. *Sententia auctoris. Gaudium nõ eſt de eſſentia beatitudinis.* Dico igitur ad quæſtionem, quòd delectatio non eſt de eſſentia beatitudinis, nec beatitudo eſt delectatio voluntatis. Voluntas tamen poteſt dupliciter conſiderari, vel prout eſt actiua actus ſui, vel prout eſt paſſiua; non inquantùm recipit actum, ſed inquantùm eſt receptiua paſſionum ſpiritualium, de quibus paſſionibus loquitur Auguſtinus, *de moribus Eccleſiæ*, vbi omnes paſſiones voluntatis reducit in amorem. Vo-

Auguſt.

luntas igitur vtroque modo accepta, ſiue vt actiua, & elicitiua, ſiue vt paſſiua, perficitur vltimato. Nam voluntas primo modo dicta perficitur vltimata operatione. Similiter ſecundo modo dicta perficitur paſſione vltimata, & ſic quilibet perficitur vltimato in ſuo ordine, & ſic delectatio concomitatur beatitudinem, quæ eſt operatio, & gaudium, ſiue delectatio, quæ eſt paſſio, & magis concomitatur beatitudinem, quàm ſecuritas, quia delectatio, ſiue gaudium, eſt in eadem potentia cum beatitudine, quia eſt in concupiſcibili. Vnde delectatio quietat voluntatem, vt eſt ſuſceptiua paſſionum, ſicut fruitio perficit voluntatem, vt eſt ſuſceptiua operationum; ſecuritas autem paſſio non eſt in virtute concupiſcibili, ſed iraſcibili, quia ſequitur ſpem.

Gaudium magis pertinet ad beatitudinem, quàm ſecuritas.

5. *Ad primum principale.* Ad primum principale, quando arguitur de Auguſtino, quòd gaudium de Deo erit beata vita; dicendum quòd gaudium, & delectatio quædam vita eſt, ſicut omnis paſſio ſpiritualis. Vnde in vita beata gaudium & fruitio erunt ſimul, & ſic intendit Auguſtinus, quòd gaudium erit vita beata, ſcilicet cum fruitione, quam conſequitur gaudium, & delectatio.

Ad ſecundum. Ad aliud, quando dicitur quòd beatitudo eſt vltimatum bonum, & delectatio eſt iſtud bonum; dico quòd nunquam quietatio in ſe eſt per quietationem in alio. Vnde dico quòd creatura nunquam quietatur in ſe per delectationem, quia delectatio non habet in ſe formaliter quietationem, niſi per operationem; & ideò ſolùm per operationem poteſt aliquis quietari in vltimo bono.

Ad tertium. Ad aliud, quando dicitur quòd beatitudo eſſentialiter vnit bono vltimo; dicendum quòd non omne vltimum eſt finis, ſed optimum, & ideò beatitudo non eſt de bono vltimo, niſi ſit optimum. Ad delectationem autem non ordinatur fruitio, ſed delectatio ſequitur fruitionem; igitur fruitio magis vnit optimo, quàm delectatio.

6. *Inſtantia.* Sed quomodo beatitudo conſiſtet in fruitione, & non in delectatione, quia videtur contrarium eſſe verum. Suprà enim probatum fuit quòd beatitudo conſiſtit in fruitione, & non in viſione, quia perfectior operatio eſt, cùm ſit vltimior: illa enim quæ ſunt vltima generatione, ſunt perfectiora, & priora perfectione; ſed delectatio eſt vltimior fruitione, ſecundùm te; igitur & prior perfectione, & per conſequens beatitudo erit in delectatione, & non in fruitione.

Solutio. Reſpondeo quòd delectatio & omnis paſſio eſt poſterior generatione, quàm operatio, quam conſequitur; ſed non propter hoc ſequitur quòd ſit prior perfectione, quia illa regula Philoſophi intelligitur quando priùs & poſterius ſunt in eodem genere, puta in genere operationis, ſicut viſio & fruitio, vel in genere paſſionum. Non igitur tenet propoſitio Philoſophi in diuerſis generibus, quia ſubſtantia prior eſt generatione accidentibus, non tamen accidens eſt perfectius ſubſtantia, & ita in diuerſis generibus communiter oppoſitum illius propoſitionis eſt verum. Dico *communiter*, non dico *ſemper*, quòd ſit ſicut hîc comparando viſionem ad fruitionem, licèt ſint in genere operationis, vt tranſcendenter accipitur operatio, nõ tamen in eodẽ genere proximo, quia vna eſt in genere apprehenſiui, & alia in genere appetitiui, ſed hîc in propoſito nõ fit comparatio

Non ſemper generatione poſteriora ſunt perfectiora.

inter operationes, ſed operationis ad paſſionem, & ideò non tenet, nec eſt contra dictum meum ſuprà de fruitione, & viſione.

7. *Ad quartum.* Ad aliud, quando dicitur quòd vnitur vltimato per delectationem; Dico quòd non vnitur vltimato ſimpliciter, ſed tantùm vnit voluntatem vltimato obiecto in ordine paſſionum, quas voluntas recipit, & inquantùm eſt receptiua paſſionum non operationum, per operationem voluntas vnitur vltimato ſimpliciter obiecto, & ideò in ea tantùm eſt beatitudo.

Ad argum. ex Philoſ. in oppoſitum. Ad argumentum Philoſophi, qui probat quòd *gaudere & triſtari in anima, non eſt niſi ſicut texere.* Dico quòd tales paſſiones cum tranſmutatione non ſunt in anima, ſiue in parte intellectiua, tamen aliter poſſunt eſſe ibi, ſcilicet illæ, quæ ſequuntur operationem intellectus, & voluntatis, quæ conſiſtunt in quiete, & non in tranſmutatione: nec Philoſophus negat hoc, imò probat quòd delectatio eſt conſequens operationem optimam, in qua fœlicitas conſiſtit 10. *Ethicorum*, &c.

8. *Ad 1. argum. pro ſententia D. Thomæ.* Ad primum argumentum alterius opinionis, quãdo dicit quòd ſi delectatio eſſet aliud realiter à beatitudine, Deus poſſet ſeparare vnum ab altero. Dico quòd eodem modo per iſtud poſſet argui quòd fruitio poteſt eſſe ſine viſione, quia Deus de potentia abſoluta poteſt ſeparare vnum ab altero, & tunc erit aliquis beatus ſine viſione, & è conuerſo. Similiter poteſt cauſare viſionem in Angelo ſine fruitione, & tunc erit beatus in ſola viſione, quantùm ad illum actum, ſi tamen beatitudo conſiſteret in viſione. Dico igitur quòd ſi delectatio ſeparetur à fruitione, adhuc remaneret beatus, ſed non haberet omnia, quæ requiruntur ad beatitudinem, ſcilicet conſequentia ad eam, haberet tamen neceſſaria & prima. Sic igitur dico quòd de potentia abſoluta Dei poteſt eſſe aliquis beatus ſine delectatione.

De potentia abſoluta poteſt gaudium ſeparari à beatitudine.

Ad ſecũdum. Ad aliud, quando dicitur quòd beatitudo eſſet perfectior, ſi delectatio & gaudium eſſent de eſſentia eius. Dico quòd verum eſt, ſi poſſet eſſe de eſſentia eius; ſic enim homo ſecundùm iſtam rationem eſſet perfectior, ſi aſinus eſſet de eſſentia eius. Hîc autem delectatio non poteſt coniungere cum obiecto, imò contra naturam delectationis eſſet, ſi eſſet de eſſentia beatitudinis, quæ eſt operatio, & ponitur tantùm eſſe obiecti, & finis vltimi, & iſtud non poteſt eſſe de ratione delectationis, quia præſupponit huiuſmodi vnionem, & coniunctionem potentiæ cum obiecto.

9. *Ad tertium.* Ad aliud, quando dicitur, pœna eſt triſtitia eſſentialiter; igitur præmium eſt eſſentialiter gaudium; nego conſequentiam, quia non eſt ſimile, eò quòd nihil eſt pœna, niſi pro quanto eſt inuoluntarium. Præmium autem nihil eſt niſi voluntarium: pœna igitur non poteſt eſſe actus voluntatis, quia omnis actus voluntatis, ſiue ſit *nolle*, ſiue *velle*, ſemper eſt voluntarius; præmium autem ſemper eſt actus voluntatis. Et ſic eſt in actu; non igitur eſt paſſio, nec in paſſione; omnis autem pœna eſt paſſio, quia triſtitia, vel cum triſtitia.

Pœna non poteſt eſſe actus voluntatis, præmium verò ſic.

Inſtantia. Sed ſi arguatur de miſeria, tunc magis apparet argumentum, quia illa eſſentialiter opponitur beatitudini; ſed miſeria eſſentialiter non eſt niſi triſtitia; igitur præmium, vel beatitudo, eſt eſſentialiter gaudium; igitur delectatio eſt de eſſentia beatitudinis.

Miſeriã eſt eſſentialiter, nec pœna, nec triſtitia, ſed culpa tantũ. Reſpondeo, negando antecedens, quia miſeria non eſt eſſentialiter pœna, vel triſtitia, ſed eſt eſſentialiter culpa, & ſola culpa facit hominem miſerum. Et ſi dicas, quòd miſeria eſt eſſentialiter triſtitia. Dico quòd non eſt, niſi ratione culpæ, ſed culpa eſt malè velle, ſic per oppoſitum præmium erit benè velle in operatione, & ſic bonum commodi poteſt eſſe voluntarium, & præmium maximum Beati, & maximum gaudium ſibi.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm natura humana ſit inferior natura, quæ eſt capax beatitudinis?

Gabriel *hic quæſt.* 1. *art.* 3. *dub.* 2. Baſſol. *quæſt.* 5. *art.* 1. & 2. Nyphus 2. *Metaph. d.* 3. *cap.* 6. Vaſquez 1. 2. *d.* 20. *cap.* 6. Vide Scot. 5. *Metaph. quæſt.* 1.

VIDETVR quòd non, quia anima humana eſt magis infima natura, quàm natura humana, quæ eſt ex corpore & anima; igitur natura humana non eſt infima natura capax beatitudinis. 1. *Argumẽtum primum negatiuum.*

Item, gradus diuerſi ſunt attingendo finem vltimum; ſed hoc non eſt niſi quia ſunt diuerſi gradus in natura; igitur, &c. *Secundum.*

Item, aliæ naturæ inferiores vltimatè quietantur: ergo vltimo beatificantur, & ſic natura humana non erit infima in capacitate beatitudinis. *Tertium.*

Item, Deus eſt primum efficiens omnium; ſed primo efficienti correſpondet vltimus finis; igitur Deus eſt finis immediatus omnium, & per conſequens omnis natura erit æquè capax beatitudinis, & ſic natura humana non erit infima natura capax beatitudinis. *Quartum.*

Contrà, Auguſtinus 14. de Trinit. cap. 28. *eo capax eſt beatitudinis, inquantùm eſt imago Dei*, imago non eſt in natura inferiorum. *Ratio ad oppoſ.* Auguſt.

Item, inferiores quàm natura humana non operantur niſi per potentias organicas: non autem poteſt eſſe potentia organica capax beatitudinis, quia talis potentia non eſt circa obiectum immateriale: ſed anima rationalis poteſt eſſe circa obiectum immateriale, & ſic eſt natura infima, quæ poſſit eſſe capax beatitudinis.

SCHOLIVM.

Oſtenſo ex Scriptura naturam humanam eſſe beatificabilem; ponit ſententiam Philoſophi, qui videtur nobis negare aliam notitiam de prima ſubſtantia poſſibilem, niſi confuſam, & obſcuram. Reijcitur primò, quia obiectum beatitudinis eſt ſub obiecto adæquato intellectus. Secundò, potentia ſenſitiua cognoſcit intuitiuè: ergo & intellectus. Ratione ergo naturali probabiliter ſuadetur poſſibilitas intuitiuæ viſionis Dei. De quo latè Doctor q. 1. *prologi, &* 1. *d.* 3. *q.* 3.

RESPONDEO, quòd hominem eſſe capacem beatitudinis planum eſt ex Scriptura. Vnde primæ Corinth. 4. cap. & primæ Ioannis, cap. 3. dicitur quòd *beati erunt æquales Angelis in patria*, &c. Vnde certum eſt ex hoc quòd erit natura humana capax beatitudinis. 2.

Sed vtrùm ſit capax ſecundùm intentionem Philoſophorum, de hoc eſt dubium. Vnde Philoſophus ponit in communi definitionem beatitudinis in primo Ethicorum, & ſpecialiter in 10. Sed vtrùm de beatitudine in ſpeciali, quam nos ponimus, poſſemus rationem habere, vel aliquem certum, & ſpecialem conceptum? dicerent Philoſophus, *Quæ Philoſophi de beatitudine, vt ſic & de noſtra quam ſperamus, ſenſere.*

pnus, quòd non, quia non poſſumus habere aliquem conceptum de beatitudine, niſi ex ſenſibilibus, *Primo Poſteriorum*, & per ſenſibilia, & hoc per cognitionem abſtractiuam tantùm, igitur per naturalem rationem non poteſt inquiri propria ratio beatitudinis, ſed tantùm in vniuerſali inquantùm conſiſtit in cognitione primæ ſubſtantiæ in vniuerſali confusè, & obſcurè cognitione abſtractiua, & per conſequens non ſumus capaces beatitudinis ſecundùm eius propriam rationem.

3. *Varia rationes, & inſtantiæ pro & cõtra Philoſophos.*

Sed tunc arguitur quòd deſiderium naturale eſt ad cognoſcendum illud obiectum beatificum, vt præſens clara, & nuda viſione; cùm igitur deſiderium naturale non ſit fruſtra, tunc natura humana videtur eſſe capax beatitudinis ſecundùm propriam eius rationem, ſicut nos ponimus; & quod hoc eſt probabile per rationem naturalem, quia ad hoc eſt deſiderium naturale, vt dictum eſt.

Sed hoc nihil valet, quia antè oportet probare quòd hoc deſiderium ſit naturale, & deſideratum poſſibile, quàm oſtendatur eſſe in anima humana tale deſiderium. Et hoc ſi loquaris de deſiderio ſequente naturaliter rationem rectam, non phantaſticam, ſicut de hoc dictum eſt *ſuprà*. Vnde nec Philoſophus ſciuit aliam felicitatem, nec deſiderauit alium ſtatum ex ratione, quàm ponendo illam felicitatem, quam poſuit.

Sed contrà, appetis, & ſcis Deum, & tamen non habes, niſi notitiam confuſam, & obſcuram de Deo; eodem modo poteſt eſſe deſiderium naturale beatitudinis ſecundùm rationem propriam eius.

Sed appetísne aliquid vltra confuſum & cognitum? Philoſophus diceret quòd non, & quòd Sol eſt magis viſibilis in ſe, quàm ego viderem, & quòd viſio aquilæ eſt clarior, quàm viſio oculi mei, non tamen ex hoc concluditur quòd deſiderem illum videre in rora ſua, quia non competit oculo meo, niſi quòd ſic tantùm videam.

Sed appetísne deſiderio naturali ampliùs videre Solem, & habere aliam viſionem perfectiorem? Dico quòd non, & Philoſophus etiam diceret quòd non.

4. *Sententia Doctoris.*

Dico igitur duo ad propoſitum. Primò, quòd natura humana eſt capax beatitudinis, ſecundùm propriam eius rationem, ſicut nos ponimus beatitudinem. Secundò, oſtendo quòd nulla alia natura inferior ſit capax iſtius beatitudinis, quæ eſt ſimpliciter beatitudo. Primum poteſt probari ſic, & eſt ratio ſatis probabilis; Omnis potentia, quæ habet aliquod primum obiectum adæquatum, poteſt per ſe in quodlibet contentum ſub illo obiecto ex natura ſua: ſed primum obiectum intellectus humani eſt ens, vel verum in communi, vt non limitatur ad ſenſibilia; igitur impoſſibile eſt quòd quieretur, niſi in optimo, ſicut apparet de viſu, qui habet omne viſibile pro obiecto, non quietatur niſi in pulcherrimo; igitur beatitudo non erit tantùm in conceptione vniuerſali niſi habeat præſens obiectum.

Probat primò ex parte obiecti naturam humanam eſſe capacem veræ beatitudinis.

5. *Quid ſit obiectum intellectus noſtri?*

Sed dices, quòd fortè Philoſophus reſponderet ad minorem, dicens quòd primum obiectum intellectus noſtri non eſt ens in analogia ad omnia entia, ſed tantùm ens, quod eſt commune ad quiditates materiales. Sed Philoſophus ſi ſic diceret, tunc nihil reſponderet, & etiam ſic deſtrueret dicta ſua, quia ſub ratione vniuerſaliori, quàm ſit quiditas materialis, poteſt aliquid à nobis intelligi, & hoc habemus per experientiam, vt ipſe dicit 4. *Metaph. text.* 1. quòd eſt quædam ſcientia, quæ ſpeculatur ens inquantùm ens, quæ eſt Metaphyſica; talis ſcientia eſt poſſibilis homini ſecundùm eum; igitur intellectus noſter habet aliquid communius pro obiecto adæquato, quàm ſit quiditas rei materialis.

Si dicatur: volo quòd conſideratio & cognitio vniuerſalioris obiecti, quàm ſit quiditas materialis, ſit poſſibilis intellectui noſtro; ſed hoc non eſt niſi vt eſt conceptus cauſabilis à quiditate materiali, & ſic ſtabit cognitio noſtra circa materialia, & ſenſibilia.

Sed iſtud non eſt niſi fuga, & arguo contra ponendo hanc rationem. Impoſſibile eſt felicitatem naturalem eſſe in illo actu, qui eſt imperfectior cognitione rei ſenſibilis, ſiue qui eſt de ente per actum ſenſuum: ſed quicunque conceptus de ſenſibilibus habitus per intellectum, eſt perfectior ſimpliciter, quàm cognitio ſenſibilis; ergo, &c. Probo minorem, quia impoſſibile eſt obiectum cum intellectu agente cauſare aliquem conceptum perfectiorem ſuo verbo concepto, quia illud verbum conceptum eſt adæquatum memoriæ; igitur ſi cauſaret alium conceptum, non erit perfectior, quia quicunque conceptus, qui poteſt haberi de iſtis ſenſibilibus, eſt imperfectior alio, qui poteſt haberi de ipſis in ſe: igitur impoſſibile eſt ex ſenſibus haberi aliquem conceptum de Deo perfectiorem, vel ita perfectum, quàm ſit alius, qui non eſt ex ſenſibus, ſed aliunde poſſibilis haberi.

Ex ſenſibilibus non cauſatur conceptus perfectior conceptu rei ſenſibilis.

6. *Probat 2. ex parte actus.*

Item, ex parte actus arguo ſic: in actu cognitionis, vt cognitio eſt, perfectius eſt attingere obiectum in ſe; ſi ergo hæc conueniant inferiori potentiæ, multò magis conueniunt ſuperiori: ſed ſenſui competit cognitio intuitiua, quæ habetur ad obiectum in ſe vt præſens: igitur hoc competit cognitioni intellectiuæ, & eſt capax intuitionis obiecti. Et probatur quòd ſit perfectio intellectus noſtri talis cognitio intuitiua; quia aliter niſi per iſtam cognitionem non cognoſceretur actus viſibilis inhærens intellectui; igitur ſi intellectus poteſt habere cognitionem intuitiuam reſpectu alicuius intelligibilis, erit ſimpliciter capax talis intellectionis reſpectu cuiuſcunque intelligibilis, ſicut viſus reſpectu omnis viſibilis habet intuitiuam: & ſic poſſibile eſt per actum intellectus noſtri conceptu proprio non cauſato ex ſenſibilibus, neque ex creaturis, tendere intuitiuè in tale obiectum; igitur intellectus eſt capax beatitudinis propriè & in ſpeciali dictæ ſecundùm propriam rationem obiecti beatifici, quod poteſt vt præſens intueri.

Perfectio cõpetens ſuperiori conuenit etiam inferiori in eodem genere.

7. *Nulla natura inferior humana eſt beatificabilis.*

De ſecundo principali, dico quòd nulla alia natura inferior, quàm ſit natura humana, poteſt ſimpliciter eſſe capax beatitudinis, vt natura ſenſitiua, niſi tantùm beatitudinis ſecundùm *quid*. Quòd autem inferior natura non ſit ſimpliciter capax beatitudinis, probo, quia nulla potentia organica poteſt coniungi obiecto immateriali, ſed omnis natura, vel potentia ſenſitiua eſt cum organo corporali; igitur, &c.

Addo etiam quòd aliqua natura inferior eſt capax beatitudinis ſecundùm *quid*, quod ſic probo. Quæcunque potentia poteſt coniungi vltimatè ſuo obiecto, eſt beatificabilis in illo, licèt non ſit ſimpliciter optimum, & dico *non ſimpliciter optimum*, quia non melius ſe; nulla enim potentia ſenſitiua coniungitur ſuo obiecto optimo,

Bruta beantur ſecundùm quid.

niſi propter operationem. Omnis autem operatio ſenſitiui eſt animati, obiectum autem ſuum nec eſt animatum, nec perfectio animati, ſicut ſunt ſenſus, & ſenſationes, ſiue operationes; ſic igitur non poſſunt coniungi potentiæ ſenſitiuæ ſuo proprio obiecto, & vltimo, vt meliori ſe, ſed nec ita perfectiori, & per conſequens non eſt ſimpliciter beatificabilis in illo, ſed tantùm ſecundùm *quid*.

8. *Quæ carent omni operatione licèt habeant factiones, nec ſecundũ quid beata poſſunt.*

Ex hoc ſequitur quòd quædam naturæ non poſſunt beatificari ſecundùm *quid*, ſicut ſunt illa, quæ ſunt factiua tantùm, & non operatiua; vnde talia non ſunt perfecta, ex hoc quòd aliquid faciunt: non enim perfectior eſt aliquis in ſe, quia facit aliquid, vel producit, & ideò omnia inferiora ſub potentiis ſenſitiuis, licèt habeant actiones & perfectiones, non tamen habent operationes immanentes, & ideò non niſi ſecundùm *quid* poſſunt beatificari.

Inſtantia remouetur.

Si dicas quòd graue quieſcit in centro, & habet actionem, & operationem circa centrum, & beatificatur ſecundùm *quid*, inquantùm quieſcit ibi ſecundùm operationem. Dico, quòd graue non habet operationem, & ſi habet actionem, quæ eſt motus grauis, non tamen circa centrum aliquid operatur, quia non eſt niſi quædam actio, & motus, ex quo cauſatur illud *vbi*, in quo, vel per quod dicitur graue in centro quieſcere.

Quietari in centro non eſt operatio.

Sola natura humana eſt beatificabilis ſimpliciter.

Sic igitur dico, quòd natura humana eſt ſimpliciter beatificabilis, & ſimpliciter capax beatitudinis creatæ circa obiectum beatificum, & etiam aliqua alia ſunt beatificabilia ſecundùm *quid*, vt quæ habent actionem, vel factionem tantùm.

9. *Ad primum principale.*

Ad primum argumentum, dicendùm eſt quòd conſequentia non valet; non enim ſequitur, anima eſt beatificabilis; igitur aliqua natura inferior homine eſt beatificabilis; anima enim eſt infima natura beatificabilis, non pars; ſed cuius forma eſt immediatè ſuſceptiua, eius totum mediatè ſuſcipit, & ideò ex quo beatitudo primò eſt in anima, ſequitur quòd homo beatificatur.

Ad ſecũdum.

Ad ſecundum, cùm arguitur quòd in ordinatione ad finem quædam attingunt finem illum immediatiùs. Dico quòd omnis natura intellectualis immediatè attingit finem per operationem, licèt ſit ordo inter attingentia ſecundùm gradus perfectionis. Vnde in ordinatis ad finem eſt ordo in perfectione attingendi finem, quia quædam perfectiùs, quædam imperfectiùs. Sed non eſt ordo per mediationem, & immediationem in actu attingendi, vt per finem medium, vel ſine fine medio, quia omnis intellectus habet totum ens pro obiecto; ideò nullus poteſt quietari, niſi in optimo obiecto in genere entium, ſicut vnus ſi haberet totum genus viſibilium pro obiecto, non quieſceret, niſi in obiecto perfectiſſimo viſibili.

Potentia tantùm in optimo contento ſub ſuo obiecto quietatur.

10. *Ad tertium.*

Ad tertium, quando arguitur quòd aliqua inferiora quietantur vltimatè, dico quòd verum eſt, vltimatè debita, & competente eis, ſed non vltimatè ſimpliciter, quia non ſunt capaces illius quietudinis, & ideò nec ſimpliciter beatificantur.

Ad vlt.

Ad vltimum, quando arguitur quòd omnia immediatè attingunt Deum, vt finem ſuum. Dico quòd finis dupliciter accipitur. Vno modo pro cauſa finali: alio modo accipitur pro vltima perfectione rei. Primo modo Deus eſt immediatus finis omnium, ſicut eſt immediata cauſa finalis omnium, nam cauſa finalis non eſt niſi per quam amatam producens producit effectum; Deus autem vniuerſa propter ſe creauit, vnde Deus diligens ſe propter ſe fecit hæc, non autem propter finem ſecundo modo. Quando igitur arguitur: Deus eſt immediatus finis omnium; verum eſt de cauſa finali. Et quando dicitur, igitur omnia immediatè attingunt Deum, vt finem; verum eſt arguendo vniformiter. Et quando infertur, igitur omnia habent finem, in quo beatificantur, variatur finis, quia beatitudo eſt vltima perfectio coniungens optimo, & hoc non conuenit omnibus entibus.

Deus eſt cauſa finalis omnium, ſed non finis, explicatur.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm omnes homines ſummè, & de neceſſitate velint beatitudinem?

D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 5. *art.* 8. & 1. *part. quæſt.* 12. *art.* 1. Henric. *quodl.* 3. *quæſt.* 7. D. Bonauent. *hic art.* 2. *quæſt.* 2. Rich. *art.* 2. *quæſt.* 1. Durand. *quæſt.* 8. Palud. *quæſt.* 7. Soto *quæſt.* 1. *art.* 1. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 22. Scot. *id Oxon. hic. quæſt.* 9. Vide 9. *Metaph. quæſt.* 15.

VIDETVR non videtur. Primò, quia *nihil amatur, niſi cognitum*, ſecundùm Auguſtinum 1. de Trinitate, cap. 1. Sed non omnes homines cognoſcunt beatitudinem, ſicut patet ex diuerſis operationibus diuerſorum circa beatitudinem 1. *Ethic. cap.* 2. igitur, &c.

1. *Argum. negatiuum primum.* Auguſt.

Item, damnati non appetunt beatitudinem: illud enim, de quo quis deſperat, non appetit, aut tenuiter, ſecundùm Auguſtinum 10. *de Trinit. cap.* 1. ſed damnati deſperant de beatitudine conſequenda; igitur eam non appetunt.

Secundum.

Et confirmatur, quia oſtenſum, ſiue apprehenſum ſub ratione impoſſibilis non appetitur: nihil enim apprehenditur, niſi inquantùm apprehenditur, vt bonum poſſibile ſibi, ſed damnati apprehendunt beatitudinem, vt impoſſibilem eis eſſe: igitur eam non appetunt.

Confirmatur.

Item, quòd non omnes neceſſariò appetunt, quia ſi neceſſariò homines appeterent beatitudinem, mererentur in appetendo eam. Conſequentia patet, quia nullus meretur in eo, quod vitare non poteſt: nec demeretur, cùm ſit voluntarium peccatum, & meritum: conſequẽs videtur falſum, quia in appetendo ea, quæ ſunt ad finem, aliquis meretur: ſed ea, quæ ſunt ad finem, appetuntur appetitu finis; vnumquodque autem propter quod, & illud magis; igitur meretur quis magis in appetendo, & volendo finem.

Tertium.

Item, quòd non ſummè omnes finem appetant, videtur, quia actus in ſummo conueniens alicui potentiæ, non compatitur ſecundùm alium actum; quantò enim magis eſt diſperſa ſecundùm diuerſos actus, tantò minus operatur intensè ſecundùm vnum actum: ſed appetitus finis compatitur ſecum alium actum: aliter enim voluntas appetens finem non poſſet vti eo quod eſt ad finem.

Quartum.

Contrà, Auguſtinus 13. de Trinitate cap. 8. *Beati omnes eſſe volunt, vt veritas clamat*; ſed quod contingenter conuenit alicui, aliquando conuenit ſibi, & aliquando non, igitur veritas non clamaret ſemper, quod omnes volunt eſſe beati.

2. *Ratio* 1. *Ratio ad opp.* Auguſt.

Item, Auguſtinus 18. de Trinitate, cap. 5. ait quòd *ſummè ardentiſſimo amore omnes finem appetunt.*

Secunda. Auguſt.

Item,

Tertia. Item, 2. Physicorum, text. 89. & 7. Ethicorum, cap. 12. *Sicut principium in speculabilibus, ita finis in operabilibus.* Sed intellectus necessariò & summè appetit vltimum finem, qui est beatitudo. Quòd appetat summè, ait Philosophus primo Ethicorum, cap. 1. *Bene dixerunt antiqui, quòd bonum est quod omnia appetunt.* Sed sicut simpliciter ad simpliciter, & magis ad magis, ita & maximè ad maximè; igitur maximum bonum, quod est beatitudo, maximè omnes appetunt.

Anselm. de concord. & lib. arb. c. 26. Præterea, secundùm Anselmum, voluntas non potest non velle summè bonum commodum: ergo, &c.

Iuxta hoc quæritur,

QVÆSTIO IX.

Vtrùm propter beatitudinem appetatur quicquid appetitur?

D. Thom. 1. 2. q. 1. a 6. & hic q. 1. art. 3. Durand. 2. d. 38. q. 4. Vasq. 1. 2. d. 23. c. 6. & Scot. in Oxon. hic quæst. 10. & 9. Metaph. q. 11. & citati pro quæstione præcedenti.

1. *Arg. primum affirmatiuè.* August. *Secundum.* VIDETVR quòd sic. Augustinus 13. de Trinit. cap. 5. *omnes beati esse volunt, & propter hoc cætera quæcunque appetunt*, &c.

Item, principium in vnoquoque genere est causa aliorum in illo genere, igitur in genere appetibilium, cùm primum appetibile sit beatitudo, erit causa appetibilitatis in aliis: igitur alia omnia appetuntur propter beatitudinem.

Tertium. Item, si aliquid aliud appeteretur, & non propter beatitudinem; igitur appetitur vt beatitudo; igitur si aliquid non appetitur propter beatitudinem, sequitur quòd appetitur secundùm beatitudinem; igitur quidquid appetitur, appetitur propter beatitudinem, vel vt beatitudo.

Ratio ad oppositum. Contrà, non omnis appetens cognoscit beatitudinem; igitur non omnis appetens appetit propter beatitudinem. Consequentia patet, quia nihil appetitur, nisi contingenter.

Secunda. Item, si omnis appeteret propter beatitudinem, quicquid aliud appetit, tunc quicunque appeteret, haberet simul duos actus appetendi in voluntate. Probatio consequentiæ, non potest quis appetere aliquid propter beatitudinem; nisi appeteret beatitudinem: igitur omnis appetens aliquid non solùm appeteret illud; sed etiam beatitudinem appeteret, & duos actus haberet simul.

SCHOLIVM I.

Ostenso appetitum naturalem non esse actum elicitum, nec distingui in re ab eo, cuius est; docet primò, beatitudinem etiam in particulari, naturaliter appeti à quocumque.

Decisio primæ quæstionis. RESpondeo ad primam quæstionem, quòd duplex est appetitus, siue voluntas; scilicet naturalis, & libera. Potest enim voluntas considerari, vt est quædam natura, & inquantùm habet inclinationem, & appetitum naturalem ad suam propriam perfectionem, sicut quæcunque alia natura. Primò igitur videndum est de voluntate quantùm ad eius velle naturale, inquantùm natura quædam; secundò quantùm ad eius velle liberum, inquantùm appetit liberè.

Appetitus naturalis & liberior, & de vtroque q. præcedent.

Quantùm ad primum videndum est, quis sit appetitus naturalis? Dico quòd non est actus elicitus, quia appetitus naturalis voluntatis se habet ad voluntatem, sicut appetitus naturalis intellectus se habet ad intellectum; sed in intellectu appetitus naturalis non est elicitus; igitur nec in voluntate. *Appetitus naturalis non est actus elicitus. Probatur primò.*

Item, appetitus naturalis perpetuò inest voluntati; si igitur esset actus voluntatis elicitus, aliquis actus elicitus perpetuò inesset voluntati; sed nullum actum elicitum perpetuò habet voluntas, quia illum tunc potuissemus experiri in nobis: inconueniens enim est operationem perpetuò inesse nobis, & illam nos latere; sed hoc est inconueniens, secundùm Philosophum de habitibus. *Secundò.*

Item, si esset actus elicitus in voluntate, essent duo actus oppositi in voluntate simul, quia voluntas potest velle liberè oppositum illius, quod appetit appetitu naturali; sicut Paulus, qui dixit secundùm appetitum naturalem, *nolumus expoliari, sed superuestiri*, 2. Corinth. 5. voluit appetitu libero ad Philip. 1. *dissolui, & esse cum Christo*; non ergo appetitus naturalis est magis actus elicitus in voluntate, quàm appetitus naturalis in lapide. *Tertiò.*

Quid ergo est? Dico quòd est inclinatio ad ipsam perfectionem, sicut in aliis non habentibus appetitum liberum. Et de isto appetitu loquitur Philosophus *primo Physicorum*; *text.* 81. quòd materia appetit formam, sicut imperfectum appetit suam perfectionem. De isto appetitu non libero, sed naturali, apparet quòd voluntas necessariò, siue perpetuò, & summè appetit beatitudinem; & hoc in particulari. Quòd *necessariò*, patet, quia natura non potest manere natura, quin inclinetur ad suam perfectionem. Tolle ergo istam inclinationem, & tolles naturam; sed appetitus naturalis non est nisi talis inclinatio ad propriam perfectionem. Similiter voluntas vt natura necessariò appetit suam perfectionem, quæ maximè est beatitudo, & hoc appetitu naturali. 5. *Appetitus naturalis quis. Voluntas necessariò summè & perpetuò appetit beatitudinem. Probatur primò.*

Quòd *summè* appetit, probatur, quia summa inclinatio naturæ est ad summam perfectionem. Si ergo natura appetat suam perfectionem, summè appetit summam perfectionem. Sic arguit Philosophus primo Metaphysicæ in procemio. *Si omnes homines naturaliter scire desiderant; igitur maximam scientiam summè desiderabunt.* Cùm igitur summa perfectio voluntatis sit beatitudo, sequitur quòd voluntas vt natura summè appetit. *Secundò.*

Item, si necessariò vt natura appeteret eam; igitur summè appetit eam. Consequentia patet, quia in cuius potestate non est tendere, in eius potestate non est remissè tendere; igitur si voluntas vt natura determinetur necessariò ad appetendum beatitudinem: igitur summè vt natura appetit eam. *Tertiò. In cuius potestate non est timere, in eius non erit remissè tendere.*

Quòd in particulari sic naturaliter appetit beatitudinem, patet, quia ille appetitus est ad perfectionem, in qua voluntas realiter perficitur; sed perfectio realis non est aliquid vniuersale, sed singulare; igitur appetit beatitudinem in particulari. *Beatitudinem appeti in particulari appetitu naturali.*

Item, illud *appetere* non est actus sequens cognitionem, quia tunc non esset naturalis, sed liber: vniuersale autem non non est, nisi obiectum intellectus, vel aliquid consequens operationem intellectus; igitur iste appetitus in voluntate est respectu beatitudinis in particulari.

SCHOLIVM II.

Secundò, de appetitu elicito, ponit ſententiam D. Thomæ tenentis eum eſſe neceſſarium reſpectu beatitudinis in vniuerſali, ſed non in particulari; quam reijcit clarè, de quo in Oxon. 1. d. 1. q. 4. & ſuprà hac d. q. 5. & collat. 15. 16. & 17. Probat quinque rationibus claris, non poſſe neceſſitari ad beatitudinem in vniuerſali, quin neceſſitetur ad eandem in particulari. Reſoluit ergo ad neutram neceſſitari; vt in pluribus tamen, voluntas actu elicito, vult beatitudinem vtramque, quando oſtenditur, quia difficile eſt non ſequi appetitū naturalē.

Henr. quodl. 3. q. 7. & D. Thom. vbi ſuprà. An beatitudo in particulari ſummè appetitur,

QVantùm ad ſecundum articulum de appetitu libero, an omnes iſto appetitu, neceſſariò, & ſummè appetant beatitudinem? eſt vna opinio, quæ ponit quòd ſic, in vniuerſali tamen, & non in particulari. Rationem primi aſſignant talem, quia illud neceſſariò appetitur, in quo eſt nulla ratio mali, nec defectus boni; huiuſmodi eſt beatitudo in vniuerſali; igitur ex hoc ſequitur quòd ſummè appetitur, quia in cuius poteſtate non eſt actus, ſiue agere, in eius poteſtate non eſt intensè, vel remiſsè agere. Dicunt quòd in particulari non neceſſariò appetitur, quia tunc non poſſet aliquis peccare.

* Diſt. 1. quæſt. 3.

Contra hanc opinionem diffusè fuit argutum in primo libro * in illa quæſtione: *An apprehenſo in vniuerſali ſine neceſſe ſit frui illo.* Quantùm tamen ad præſens videtur mihi quòd iſta contradictionem implicant, quòd omnes appetant neceſſariò beatitudinem in vniuerſali apprehenſam, & tamen non in particulari; quia ſi beatitudo in vniuerſali apprehenſa appetitur neceſſariò propter hoc, quia in ea eſt omnis ratio boni, & nulla ratio mali, nec defectus boni; & cùm in beatitudine in particulari pleniùs inueniatur omnis ratiò boni, & nulla ratio mali, nec defectus boni, quàm in beatitudine in vniuerſali, ſequitur quòd tunc finem, ſiue beatitudinem in particulari apprehenſam neceſſariò omnes appeterent.

Contradictio eſt omnes appetere beatitudinem in vniuerſali, & non in particulari,

Item, vniuerſale non includit perfectionem maiorem, quàm particulare, imò particulare magis videtur addere perfectionem ſupra vniuerſale; igitur beatitudo in vniuerſali non dicit maiorem perfectionem, quàm beatitudo in particulari. Si igitur impoſſibile ſit non appetere beatitudinem in vniuerſali apprehenſam, quia in ea non eſt aliqua ratio mali, multò minùs poterit finis in particulari non appeti.

Item, ſi voluntas neceſſariò appeteret beatitudinem in vniuerſali; iſta neceſſitas in volendo debet poni propter inclinationem naturalem voluntatis ad beatitudinem: ſed inclinatio naturalis eſt ad aliquid particulare, & non ad vniuerſale, vt priùs patuit; igitur multò magis ponetur neceſſitas in voluntate in appetendo vltimum finem in particulari.

Item, quomodo ſtant ſimul quòd voluntas neceſſariò appetat beatitudinem in vniuerſali comprehenſam, & intellectus non dubitet, ſed dictet quòd beatitudo non ſit niſi in iſto fine particulari, & tamen quòd voluntas non neceſſariò velit illum finem in particulari? Hoc non eſt aliud quàm dicere quòd voluntas idem appetat neceſſariò, & non neceſſariò.

7. *Mens Doctoris.*

Reſpondeo igitur quantùm ad iſtum articulum, quòd ſi voluntas viatoris vt in pluribus velit beatitudinem in vniuerſali apprehenſam, & in particulari quando intellectus non dictat in illo particulari eſſe beatitudinem, tamen non neceſſariò vult beatitudinem, nec in vniuerſali, nec in particulari. Ratio eſt ad hoc, quia neceſſitas in cauſa ſuperiori non poteſt eſſe à neceſſitate cauſæ inferioris, quia cauſa inferior non poteſt determinare modum agendi cauſæ ſuperioris, ſicut nec poteſt determinare ad agendum: igitur cauſa ſuperior ſi neceſſariò agat, hoc habebit per intrinſecum ſuum *eſſe*, & ex propria natura. Si igitur voluntas habet neceſſitatem ad volendum aliquid, illa neceſſitas conuenit ei ex ratione ſui, & non ex alia cauſa inferiori.

Non neceſſitatur cauſa ſuperior ex neceſſitate inferioris.

Tunc vlteriùs arguo: Cauſa ſuperior ſi neceſſariò agat, eadē neceſſitate mouet inferiores cauſas ad agendum, quarum actiones neceſſariò requiruntur ad actionem ſui; cùm igitur ad actionem voluntatis in volendo requiratur apprehenſio in intellectu, ſequitur quòd ſi voluntas neceſſariò velit beatitudinem, neceſſariò determinaret intellectum ad ſemper conſiderandum de beatitudine, quod falſum eſt.

Si voluntas neceſſariò vellet beatitudinem intellectus, eam neceſſariò apprehenderet ſemper.

Dico igitur quòd contingenter vult finem, & 8.
beatitudinem, tam in vniuerſali, quàm particulari; quamuis, vt in pluribus appetat beatitudinem in vniuerſali, & etiam beatitudinem in particulari, quando intellectus priùs non dubitat quòd beatitudo conſiſtat in illo particulari. Vnde ſi aliquis appetat beatitudinem, & ſimul credat quòd beatitudo ſimul conſiſtat in fruitione eſſentiæ diuinæ, vt in tribus perſonis, pro tunc vult illum finem in particulari appetitu libero, ſed non eodem vult media, quibus attingitur ille finis, quia non vult virtuosè viuere.

Quòd autem vt in pluribus voluntas velit beatitudinem, hoc ideò eſt, quia voluntas, vt in pluribus, ſequitur inclinationem appetitus naturalis; impoſſibile enim eſt quòd voluntas per aliquem habitum habilitetur, ſiue inclinetur ad volendum aliquid, niſi per inclinationem appetitus naturalis. Cùm igitur per habitum poteſt voluntas tantùm habilitari, quòd vt in pluribus ſequitur inclinationem illius habitus, imò delectabiliter operatur ſecundùm eius inclinationem; multò magis voluntas vult, vt in pluribus, illud ad quod inclinat appetitus naturalis; & ideò iuſtus iſto habitu, vel quocunque habitu cum difficultate eligit mortem, & eſt ſibi materia patientiæ, quia eſt contra inclinationem naturalem.

Voluntas vt in pluribus vult beatitudinem in vniuerſali & particulari,

Cùm igitur omnes appetitu naturali appetant beatitudinem, vt prædictum eſt, ſequitur quòd voluntas vt in pluribus appetit, vel vult beatitudinem.

SCHOLIVM III.

Explicat optimè, nullo modo neceſſitari voluntatem ad nolendum miſeriam; ſed tantùm, quòd non poſſit illam velle. Sicut nec beatitudinem nolle, & exponit quomodo ſuſceptiuum poſſit priuari aliquo ſine eo, quòd determinetur ad oppoſitum.

SEd eſtne iſte actus voluntatis naturalis, quo 9.
ipſa vult beatitudinem? Dico quòd non propriè, quia non eſt inclinatio naturalis ad beatitudinem, quæ dicitur *velle* naturale voluntati vt natura eſt, poteſt tamen dici actus naturalis, quatenus eſt conformis inclinationi naturali; propter quod dicit Auguſtinus in Enchiridio, c. 105. *culpanda eſt voluntas, aut voluntas non eſt, aut libera dicenda non eſt, qua beati eſſe ſic volumus, vt eſſe miſeri non ſolùm nolimus, ſed nequaquam prorſus velle poſſimus*

Quomodo volitio liberæ beatitudinis dicitur naturalis.

ſimus, vnde ſicut dicitur aliquod *velle* virtuoſum, non quia intellectus elicit illum actum, quia, vt credo, nullus habitus eſt totale principium elicitiuum actus: ſed ideò dicitur actus virtuoſus, quia eſt conformis inclinationi virtutis, & elicitur ſecundùm inclinationem virtutis. Sicut in oppoſito de volitione beatitudinis, quæ poteſt dici naturalis, quia eſt conformis inclinationi naturali voluntatis, & non quòd ſit actus merè naturalis, ſed eſt liber, non tamen eſt *velle* deliberatum; hæc enim, volitio ſcilicet, deliberatiua eſt eorum, quorum eſt electio, vt eorum, quæ ſunt ad finem, & de illo quod concluſum eſt per ſyllogiſmũ practicũ.

Fundamentum Superioris opinionis ſoluitur.

10. *An neceſſariò nolumus miſeriam.*

Sed hîc eſt vnum dubium, quòd ſi, ſecundùm Auguſtinum in dicta auctoritate, non poſſumus velle miſeriam, igitur ſimiliter non nolle miſeriam. Sed ſequitur; ſi neceſſariò nolo miſeriam, igitur neceſſariò volo beatitudinem. Hæc conſequentia patet dupliciter, primò, quia non eſt minor habitudo beatitudinis ad *velle*, quàm mali, ſiue miſeriæ ad *nolle*. Secundò, quia actus nolendi non eſt niſi in virtute alicuius volitionis, ideò enim nolo aliquid, quia volo aliud; ſed cauſa eſt perfectior ſuo effectu; igitur magis neceſſariò volo beatitudinem, quum nolo miſeriam.

Quomodo ſe habet voluntas circa beatitudinem ſibi oſtenſam.

Voluntas poteſt ſuſpendere omnem actum poſitiuum circa obiectum oſtenſum.

Non neceſſariò nolumus miſeriam nec volumus Beatitudinẽ.

Reſpondeo, quòd nec neceſſariò volo beatitudinem, nec neceſſariò nolo miſeriam. Vnde non ſequitur, non volo *eſſe* miſer; igitur nolo miſeriam, ſiue nolo *eſſe* miſerum. Nec ſequitur, non poſſum velle *eſſe* miſerum, ergo de neceſſitate nolo *eſſe* miſerum, quia *nolle* eſt actus voluntatis poſitiui, ſicut & *velle*, & ita liberum eſt vnum ſicut & aliud. Ideò neutrum neceſſariò elicit circa quodcunque obiectum, & ideò poſſum non elicere *nolle* circa malum, ſicut & *velle* circa bonum, tamen ſicut circa malum oſtenſum non poſſum elicere actum voluntatis niſi *nolle*, ita nec circa bonum niſi *velle*: ideò deberet ſic arguere; non poſſum velle *eſſe* miſerum, igitur non poſſum odire beatitudinem; ſed hoc non ſequitur, igitur neceſſariò volo beatitudinẽ, quia nullum *velle* neceſſariò elicitur à voluntate, vt *ſuprà* oſtenſum eſt.

Malum eſt obiectum nolendi ſicut bonum volendi.

11. *Obiectio.*

Sed adhuc dicetur obiiciendo, quòd nullus actus neceſſariò aufertur ab aliqua potentia, niſi propter determinationem eius ad actum oppoſitum; ſicut ab igne non aufertur neceſſariò frigus, niſi propter determinationem eius ad calorem: nec à ſuperficie, à qua aufertur aliquis color, niſi propter determinationem eius ad oppoſitum colorem; igitur in voluntate non eſt impoſſibilitas ad nolendum beatitudinem, niſi quia neceſſariò determinatur ad actum oppoſitum, ſcilicet ad volendum beatitudinem.

Soluitur. Non poſſumus velle miſeriã, nec nolle beatitudinem.

Reſpondeo, quòd à voluntate excluditur actus volitionis reſpectu miſeriæ, & actus nolitionis reſpectu beatitudinis, quia miſeria non eſt nata eſſe obiectum volitionis, nec beatitudo nolitionis; ſicut actus videndi diſgregando excluditur à viſu reſpectu nigredinis, quia non eſt nata eſſe obiectum talis actus. Sic in propoſito; vnde voluntas non eſt capax talis actus reſpectu talis obiecti. Dico igitur quòd voluntas ſic determinatur ad volendum beatitudinem, & nolendum miſeriam, quòd ſi eliciat aliquem actum circa obiecta iſta, neceſſariò, & determinatè elicit actum nolendi circa miſeriam, & volendi circa beatitudinem, non tamen abſolutè determinatur ad vnum actum eliciendum, nec ad alium.

12. Ad rationem alterius opinionis, quando arguitur quòd illud, in quo non eſt aliqua ratio mali, nec defectus boni, neceſſariò eſt volitum à voluntate, dico quòd falſa eſt, quia voluntas reſpectu cuiuſcunque actus volendi, aut nolendi libera eſt, & à nullo obiecto neceſſitatur, non tamen poteſt voluntas nolle odire beatitudinem, nec velle miſeriam. Vnde deberet argũi ſic; quòd voluntas non poteſt reſilire ab illo obiecto, in quo eſt nulla ratio mali; nec defectus boni; igitur non poteſt odire, nec deteſtari beatitudinem, quod verum eſt. Sed ex hoc non ſequitur quòd neceſſariò velit beatitudinem.

Si dicas quòd ſi voluñtas nec neceſſariò velit beatitudinem, nec neceſſariò odit, ſiue deteſtatur beatitudinem, qualem igitur actum habet voluntas circa beatitudinem, quando ſibi ab intellectu oſtenditur? Dico quòd vt in pluribus, habet actum volendi, ſed non neceſſariò aliquem actum. Vnde poteſt ſuſpendere ſe ab omni actu oſtenſa beatitudine. Aliter enim ſimplices quando apprehendunt aliquid, quod pertinet ad finem vltimum, de quo neſciunt an ſit de ratione finis vltimi, tenerentur ad volendum illud. Vnde quodlibet obiectum poteſt voluntas non velle, nec nolle, & quolibet actu in particulari poteſt ſe ſuſpendere ab hoc, vel illo, & hoc poteſt experiri quilibet in ſe ipſo, cùm quis offert ſibi aliquod bonum, etiam ſi oſtenderet ſibi bonum, vt bonũ conſiderandum, & volendum, poteſt ſe ab hoc auertere, & nullum actum voluntatis circa illud elicere.

SCHOLIVM IV.

Ad ſecundum, docet damnatos appetitu naturali, & elicito inefficaci velle beatitudinem; & rem optimè explicat, de quo in Oxon. 2. d. 6. q. 1. vbi docet malos Angelos velle impoſſibile inefficaciter, & d. 7. latè probat eos poſſe velle bonum naturæ, & etiam in eſſe moris incompletè.

13. *Ad primum principale.*

AD primum argumentum principale, quando arguitur quòd non omnes cognoſcunt beatitudinem; igitur non omnes appetunt, dicendum quòd concluditur de actu voluntatis elicito; illo enim actu non omnes appetunt beatitudinem, quando non cogitant de illa, ſed appetitus naturalis non eſt talis actus.

Ad ſecundum. An in damnatis ſit appetitus naturalis beatitudinis. An illam appetant actu elicito.

Ad ſecundum, quando arguitur de damnatis, ſi illi appetant beatitudinem? Circa hoc videtur eſſe duplex dubitatio, vna de appetitu eorum naturali, quia ſi appetunt naturaliter beatitudinem, videtur quòd appetitus ille ſit fruſtrà in eis, cùm ſit ad impoſſibile. Aliud dubium: ſi actu elicito optant beatitudinem cùm apprehendant eam? Poſſunt enim habere aliquem actum voluntatis circa quodcunque apprehenſum, & non actum nolendi circa beatitudinem; igitur actum volendi. Sed tunc videtur dubium quomodo poſſunt velle hoc, cùm ſciant beatitudinem eſſe eis impoſſibilem?

Ad primum dubium.

Quantùm ad primum, dico quòd in eis eſt appetitus naturalis reſpectu beatitudinis, quia, vt *ſuprà* dictum eſt, appetitus naturalis non addit aliquid abſolutum ſupra naturam, ſed ſolam inclinationem ad perfectionem naturæ, & ideò manente natura manet ille appetitus.

Inſtantia removetur.

Si dicas quòd ille appetitus tunc eſt fruſtrà; ita dicam tibi quòd damnati fruſtrà ſunt homines, vel Angeli, cùm appetitus naturalis non addat aliquid abſolutum ſupra naturam. Vnde dico quòd licèt illud ſit fruſtrà, quod caret ſua perfectione, & fruſtratur ea ſecundùm totam ſuam ſpeciem,

Appetitus naturalis nihil abſolutũ addit ſupra naturam. Illud ſolum eſt fruſtra quod caret ſua perfectione in tota ſpecie.

ſpeciem, non tamen ſi caret illo in aliquo individuo, vt patet in monſtruoſis. Sic autem non eſt in propoſito, quia aliqui ſunt beati, & perficiuntur ſecundùm eorum appetitum naturalem. Tamen illi, qui ponunt Angelos omnes differre ſecundùm ſpeciem, habent ponere quòd plures appetitus naturales ſunt fruſtrà, quia habent impoſſibilitatem conſequendi perfectionem in tota ſua ſpecie.

14. *Ad ſecũdum dubium.*

Sed quantùm ad *velle* elicitum, dico quòd ſi habent cognitionem de beatitudine, & eam conſiderant, poſſunt habere volitionem ſequentem appetitum naturalem, ei conformem, & ideò poſſunt *velle* elicito appetere beatitudinem, ſicut & mali in via, affectione tamen commodi immoderata, quia non moderata affectione iuſtitiæ, quomodo appetunt iſti beatitudinem, vt commodum eis.

Concedo igitur quòd damnati appetunt beatitudinem: non enim credo quòd aliquis habitus poteſt dari eis, qui magis inclinaret voluntatem ad non appetendum, ſiue ad deteſtandum beatitudinem, quàm eorum appetitus naturalis inclinet ad volendum eam, & ideò in eis nullus eſt habitus obſtinationis, vt magis delectabiliter inclinetur in oppoſitum beatitudinis, quàm ſecundùm appetitum naturalem velint actu elicito beatitudinem, qui actus eſt conformis eorum inclinationi naturali.

15. *Ad confirmationem.*

Quando igitur arguitur, quòd beatitudo oſtenditur damnato vt ei impoſſibilis, & ſub ratione impoſſibilis, & vbi non eſt ſpes de aliquo conſequendo, vel omninò non appetitur, vel tenuiter ſecundùm Auguſtinum; dico quòd duplex eſt volitio; vna efficax, quæ eſt reſpectu finis per media ordinata ad illum finem conſequendum. Alia eſt volitio ſimplex, ſiue conditionalis, quæ eſt reſpectu alicuius finis, non exequendo media ad illum finem conſequendum, ſed ſimpliciter appetitur finis, & vellet tendere in ipſum, ſi poſſet, & obiectum eſſet præſens. Primo modo non eſt volitio alicuius apprehenſi ſub ratione impoſſibilis, ſed tantùm apprehenſi ſub ratione poſſibilis, vt ſi ſanitas oſtendatur alicui, vt impoſſibilis conſequi, non appetit eam volitione efficaci procurando media, per quæ ſanitas poteſt induci.

Volitio duplex efficax & inefficax, ſeu conditionalis.

Volitio ineffi cax, ſiue conditionalis, poteſt eſſe circa impoſſibile, in qua dari poteſt ratio meriti & demeriti. Vide in 2. d. 6. q. 1.

Secundo modo poteſt eſſe volitio reſpectu impoſſibilis, & etiam maximè intenſa; & in tali volitione etiam poteſt eſſe meritum, & demeritum: vt ſi quis appetat fornicari, quando impoſſibile eſt ipſum habere opportunitatem ad fornicandum; & ſic damnati volunt beatitudinem maximè, & bonum commodi, & fortè intenſiùs quàm nos in via, licèt eam apprehendant vt impoſſibilem eis, & maximè delectarentur in conſideratione illius obiecti, ſi permitterentur.

In hoc fortè maximam pœnam habent, quia ſic detinentur ab igne in conſideratione ſua, quia non permittuntur conſiderare Deum, vt eſt obiectum naturalis beatitudinis, in quorum conſideratione obiecti & actus, quo tenderetur in obiectum, maximè delectarentur.

16. *Ad tertium.* Rich. hìc art. 2. q. 5. Hear. & D. Thom. concedunt actum volendi finem in vniuerſali non eſſe meritorium.

Ad aliud, quando arguitur quòd non neceſſariò, quia non meretur quis in appetendo finem; concludunt aliqui quòd non eſt meritum in volitione finis in vniuerſali, ſed tantùm in particulari, quia circa finem in particulari contingit errare, & non errare; non autem circa finem in vniuerſali. Si hoc eſſet verum, tũc ad hoc quòd actus ſit meritorius, requiritur quòd contingenter contueniant voluntati comprehenſo obiecto, quod videtur difficile contra aliquos. Vel ſi hoc non requiritur, tunc poteſt dici quòd actus eſt meritorius, quia bonus moraliter, & acceptus Deo. Actus autem voluntatis, qui eſt circa finem vltimum, maximè eſt bonus; imò eo ipſo, quòd circa talem finem propter ſe, bonus eſt, & tunc poteſt ſaluari quòd actus voluntatis circa finem vltimum eſt meritorius. Vnde apprehenſo fine vltimo voluntas neceſſariò, vel non neceſſariò velit illum, non tollit meritum.

Alia reſpõſio.

Aliter etiam poteſt dici, quòd licèt voluntas velit neceſſariò vltimum finem, vt eſt bonũ commodi, nõ tamen vt eſt obiectũ honeſtũ. Iſto autem ſecundo modo actus voluntatis tendens in vltimum finẽ, eſt meritorius, & non primo modo, &c.

Ad quartum.

Ad aliud, quando arguitur, quòd non ſummè; patet reſponſio, quia ſummè appetitu naturali, ſed non ſemper ſummè appetitu elicito, quia non neceſſariò, & tunc cõpatitur ſecum alium actum.

17. *Ad rationem primã in oppoſitum.*

Ad primum in oppoſitum, quando dicitur ſecundùm Auguſtinum, quòd *beati omnes eſſe volumus*; verum eſt appetitu naturali, vel appetitu libero, vt in pluribus.

Ad ſecũdam.

Ad aliud, quando arguitur, quòd omnes ardentiſſimo amore beatitudinem appetunt; dicendum appetitu naturali, vel libero, vt in pluribus.

Ad tertiam.

Ad aliud, quando dicitur quòd finis ſe habet in operationibus, ſicut principium in ſpeculabilibus; dicendum, ſicut ad hoc reſponſum eſt in primo libro *, quòd ſimilitudo eſt ex parte obiectorum; finis enim ſic ſe habet ad ea, quæ ſunt ad finem, ſicut principium ſe habet ad concluſiones deducendas ex principio. Sed non tenet ſimilitudo comparando ea ad ſuas potentias; vt ſicut potentia vnius neceſſariò fertur in vnum, ita alia potentia neceſſariò fertur in aliud.

*q. 3. prol.

Sicut principium in ſpeculabilibus, ita finis in operabilibus exponitur.

Ad aliud, quando dicitur ſecundùm Anſelmum, quòd non poteſt voluntas non velle affectionem commodi; dico quòd ipſe finxit vnum Angelum creatum ſecundùm affectionem commodi, & verum eſt quòd voluntas talis non poteſt non velle affectionem commodi. Vnde affectio commodi, ſi eſſet ſine libertate, & ſine affectione iuſtitiæ, non poſſet non appeti à tali appetitu ea apprehenſa, ſicut nec appetitus ſenſitiuus poteſt non appetere bonum commodi, eo apprehenſo. Vbi tamen eſt vtraque affectio, non eſt neceſſe quòd neceſſariò appetatur affectio commodi, ſed poteſt voluntas libera eam non appetere, & per affectionem iuſtitiæ eam moderare.

SCHOLIVM V.

Ad quæſtionem nonam, reſoluit, appetitu naturali, omnia alia propter beatitudinem appeti, ſed non appetitu elicito; quia poteſt quis appetere fornicationem, aduertens eam eſſe incompatibilem beatitudini.

18. *Deciſio q. 2.*

AD ſecundam quæſtionem, dicendum quòd loquendo de appetitu naturali, voluntas quidquid appetit, appetit propter beatitudinem, quia ſecundùm appetitum naturalem appetit ſecundùm quòd eſt perfectio eius. Sed quæcunque perfectio appetitus naturalis eſt eius perfectio in ordine ad vltimatam eius perfectionem. Et ideò cùm appetitu naturali appetat quidquid appetit, in ordine ad bonum appetit, & hoc eſt beatitudo eius, ſequitur quòd quidquid voluntas appetit naturali appetitu, illud appetat propter beatitudinẽ.

Si

Non oportet quòd voluntas appetat omnia propter finem vltimum appetitu libero, benè tamen naturali.

Si autem quæstio quærat de appetitu voluntatis, pro vt est actus elicitus; sic dico quòd non oportet quòd voluntas appetat quidquid appetit propter finem vltimum, & propter beatitudinem negatiuè, & contrariè. Negatiuè, quia potest appetere aliquid, & non considerare de fine vltimo beatitudinis, & per consequens tunc non appetit propter beatitudinem, cùm non cognoscat eam tunc. Similiter potest appetere aliquid non ordinando illud ad aliud; igitur tunc non appetit propter beatitudinem.

Contrariè & negatiuè quis potest velle aliquid non propter beatitudinem.

Potest etiam appetere aliquid non propter beatitudinem contrariè, quia potest appetere aliquid, quod habet contrarietatem ad beatitudinem, vel non ordinatur ad beatitudinem, quia potest aliquis fidelis concipere beatitudinem in particulari, vt quòd sit respectu fruitionis essentiæ diuinæ, quæ vna est in tribus personis, & potest concipere aliquid, quod nullo modo ordinatur ad illam beatitudinem, vt fornicationem: stante igitur ista apprehensione de fornicatione, quòd nullo modo sit ordinabilis ad beatitudinem, potest appetere fornicationem, sed sic appetendo fornicationem, non appetitur in ordine ad beatitudinem. Potest igitur voluntas appetere aliquid non propter beatitudinem.

19. Ad primum principale.

Ad primam rationem, quando dicitur secundùm Augustinum quòd quæcunque appetimus, appetimus propter beatitudinem; verum est de appetitu naturali, vel de appetitu libero actu elicito, vt in pluribus.

Ad secùdum.

Ad secundum, quando arguitur, quòd primum in vnoquoque genere est causa omnium aliorum in illo genere; concedo quòd hoc verum sit, & quòd bonum secundùm se appetibile, quod est vltimus finis, sit causa voluntatis aliorum; non tamen sequitur quòd sit causa necessaria aliorum inquantùm sunt volibilia à potentia volitiua.

Ad tertium.

Ad tertium, quòd si aliquid appetatur, & non propter finem vltimum; igitur propter se, dico quòd illud appetitur propter se negatiuè, quòd non in relatione ad aliud, non tamen propter se, vt ly *propter se* dicit circumstantiam vniuersalis finis, & ita non appetitur propter se contrariè fruendo illo, nec etiam in ordine ad aliud, & ideò nec vtendo, nec fruendo. Multi enim sunt actus tales in nobis in voluntate, quibus nec vtimur actu, nec actu fruimur. Si enim semper tenemur in quocunque actu voluntatis vti, vel frui, multi actus in nobis essent peccata, quando non consideramus de fine vltimo, agendo aliquid per voluntatem.

Quod quis vult propter se negatiuè, non vult vt finem.

Ad primam rationem in oppositum.

Ad rationem primam in oppositum, dicendum quòd concludit de actu libero, qui actus est elicitus; illo enim non semper appetimus vltimum finem, quia non semper de illo cogitamus.

Ad secùdam.

Ad secundam rationem, quando arguitur quòd appetens aliquid haberet simul duos actus appetendi, si propter finem appeteret; dico quòd vno modo potest quis appetere aliquid propter finem, sicut vno actu intelligendi discurrit intellectus à principio ad conclusionem. Actus enim discursiuus est vnus actus intelligendi, nec est inconueniens quòd plura sint obiecta vnius actus, quando habent vnitatem ordinis.

An volitio medij propter finem sit vnus actus, & an in eadem potentia possint esse simul duo actus distincti.

Sed dubium est, an cum illo actu vno, quo voluntas appetit aliquid propter finem, stent illi duo actus proprij, quorum vnus est circa finem, & alius circa illud, quod est ad finem? sicut est dubium de actu intellectus discursiuo, an cum illo actu intellectus simul habeat propriam notitiam principij, & aliam propriam notitiam conclusionis? Si verò dicatur quòd illi actus priores proprij stent cum actu comparatiuo, tunc possent plures actus simul esse in eadem potentia, nec impediunt se, sed requiruntur propter actum comparatiuum discursiuum, vel voluntatis, quo vult vnum propter aliud, vt si visus videret album & nigrum, & videndo iudicaret differentiam illorum ab inuicem cum illo actu, quasi comparatiuo staret actus proprius visionis albi & visionis nigri.

Qvæstio X.

Vtrùm homo ex puris naturalibus posset consequi beatitudinem?

D. Thom. 1. *p. q.* 12. *art.* 3. 4 *& hic q.* 1. Richard. *art.* 2. *q* 6. *& art.* 3. *q.* 1. *&* 5. Durand. *q.* 2. Soto *q.* 1. *art.* 2. Occam 4 *q.* 12. *ad* 2. Suar 1. *p. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *&* 9. Vasq. 1 *p. disp.* 11. Scot. *in* Oxon. *hic q.* 11. *& in Theor.* §. Non potest probari hominem.

VIDETVR quòd sic: Philosophus 2. de Cœlo & mundo, text. 50. & 59. dicit quòd *frustrà dedisset natura stellis motum progressiuum, si non dedisset eis organa ad illum motum*; ex quo accipitur, quòd natura non priuat entia necessariis ad consequendum perfectionem suam. Si igitur beatitudo sit perfectio hominis, ad quam homo naturaliter inclinetur, & ordinetur, sequitur quòd natura dedit homini principia sensibilia, quibus poterit consequi suam perfectionem vltimam, quæ est beatitudo. 1. *Arg. primum. affirmatiuè.*

Confirmatur ratio, sensus non ordinatur ad aliquam perfectionem, quam non potest consequi ex puris naturalibus; igitur nec intellectus, vel voluntas. *Confirmatur.*

Item, omni potentiæ passiuæ in natura correspondet potentia actiua in natura; sed in homine est potentia passiua, quæ naturaliter est receptiua beatitudinis; igitur sibi correspondet aliqua potentia actiua naturalis; igitur ex naturalibus, siue actione naturali potest consequi beatitudinem. *Secundum.*

Item, habitus non est principium agendi, sed sic agendi; aliter enim habitus esset potentia; igitur homo habet, quo simpliciter potest acquirere beatitudinem, licèt non habeat quo sic potest in beatitudinem, nisi mediante aliquo habitu. *Tertium.*

Item, perfectio inferior potest vnitiuè contineri in perfectione superiori, vt patet in ordine essentiali specierum; sed accidens quodcunque est imperfectius, quàm sit natura intellectualis; igitur si aliqua natura intellectualis indigeat aliquo habitu ad consequendum suum finem, fiat alia natura intellectualis perfectior in tanto gradu, in quanto habitus est necessarius naturæ intellectuali inferiori; igitur ille poterit ex puris naturalibus consequi beatitudinem. *Quartum.*

Contrà ad Rom. 6. *Gratia Dei est vita æterna*, sed hæc est beatitudo; igitur beatitudo conuenit homini per gratiam, & non per naturam. *Ratio* 1. *ad oppos.*

Item, hoc videtur maior error, quàm Pelagij, qui posuit hominem ex puris naturalibus mereri vitam æternam siue beatitudinem, & ita solùm posuit quòd ex puris naturalibus possit homo in dispo- *Secunda.*

diſpoſitionem ad beatitudinem; igitur maior error eſt ponere quòd homo ex puris naturalibus poſſit conſequi beatitudinem.

SCHOLIVM I.

Sententia Richardi ideò viſionem Dei eſſe ſupra naturam noſtram, quia modus eſſendi eius eſt ſupra noſtram; D. Thomæ, & aliorum ratio, quia Deus non ſe habet ad nos per modam informantis. Item, quia milleſima pars grani milij magis proportionatur viſui, quàm Deus infinitus noſtro intellectui. Doctor hoc refutat ſolidè, & clarè, oſtendens rationes horum nihil conficere. Tangit hìc, an dabilis ſit ſpecies Dei? de quo fusè 2. d. 3. quæſt. 9.

2. REſpondeo, quòd omnes Doctores concordant in concluſione, quòd nulla creatura rationalis ex puris naturalibus poteſt conſequi beatitudinem, videndo Deum per eſſentiam; ſed ad hoc diuerſi diuerſas rationes adducunt. Quidam Doctor hoc probat ſic. Cognitio ſit ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis; igitur cuiuſlibet cognoſcentis cognitio eſt ſecundùm modum ſuæ naturæ. Si igitur modus eſſendi alicuius rei cognitæ excedat modum naturæ cognoſcentis, oportet quòd cognitio illius rei ſit ſupra naturam cognoſcentis; ſed eſſentia diuina, quæ eſt ſuum *eſſe*, excedit modum naturæ cognoſcentis creati: igitur cognitio eſſentiæ diuinæ ab intellectu creato eſt ſupra naturam cognoſcentis creati; igitur non poteſt intellectus creati Deum per eſſentiam videre, niſi inquantùm Deus per ſuam gratiam ſe intellectui creato coniungit, vt intelligibile ab ipſo.

Ratio Rich. in præſ. d. a. 2. princip. q. 6.

3. Alius Doctor arguit ſic. Illud obiectum non poteſt naturaliter cognoſci ab vllo cognoſcente, quod non poteſt eſſe in eo ſecundùm modum, qui ſibi competit; ſed bonum increatum non poteſt eſſe naturaliter in intellectu ſecundùm modum, qui competit eſſe in intellectu creato; igitur eſſentia diuina in ſe non poteſt ab intellectu creato videri naturaliter. Probatio minoris. Modus, quo obiectum eſt naturaliter in intellectu cognoſcente, eſt eſſe in eo ſecundùm propriam informationem obiecti: ſed eſſentia diuina non poteſt per ſpeciem eſſe in intellectu creato, qua cognoſcitur, vt reputat iſte Doctor, ſe ſufficienter hoc oſtendiſſe alibi.

Ratio prima D. Tho. in hac d. q. 6. art. 2. & Henric. quodl. 3. q. 3. & quodl. 4. q. 7.

Secunda ratio D. Thom.

Secunda ratio iſtius Doctoris eſt iſta: obiectum cognoſcibile ab aliqua virtute requirit determinatam quantitatem virtutis, vel molis ad illam virtutem, vt patet per Philoſophum *libro de ſenſu & ſenſato*: ſed eſſentia diuina non habet determinatam quantitatem, nec ſimilitudinem in comparatione ad virtutem cognitiuam creatam; ergo non poteſt naturaliter eſſentia diuina ſecundùm ſe videri ab intellectu increato. Minor probatur. Magis proportionatur milleſima pars grani milij quantitati virtutis viſiuæ, quàm quantitas, & ſimplicitas eſſentiæ diuinæ cognitiuæ creatæ proportioni; quia virtus potentiæ viſiuæ poteſt creſcere vſque ad tantam limpiditatem, quòd proportionetur quantitati, & ſimplicitati milleſimæ parti milij cùm ſit inter illa determinata diſtantia, & finita; ſed intellectus creatus non poteſt creſcere ad tantam limpiditatem, vt ſit proportionatus eſſentiæ diuinæ, quæ eſt infinita. Patet igitur quòd eſt maior proportio inter illa, quàm inter hæc: ſed milleſima pars milij fallit viſum, quod non poteſt percipi ab eo; igitur eſſentia diuina non poteſt naturaliter ab intellectu creato cognoſci.

4. *Refutat. 1. rationem Rich.*

Sed iſtæ rationes non cogunt. Prima non, quando arguitur quòd ſi cuiuſlibet cognoſcentis cognitio eſt ſecundùm modum ſuæ naturæ; igitur ſi modus eſſendi alicuius rei cognitæ excedit modum naturæ cognoſcentis, oportet quòd cognitio illius rei ſit ſupra naturam cognoſcentis; dicendum quòd non ſequitur, arguit enim ex propoſitionibus non ſyllogiſticis. Nec video quòd conſequentia illa teneret, niſi iſto modo arguendo, quòd ſi modus cognitionis ſit ſecundùm modum cognoſcentis; igitur nulla cognitio naturalis excedit modum naturæ cognoſcentis; cùm igitur modus cognitionis ſit ſecundùm modum cognoſcibilis, ſi modus eſſendi rei cognitæ excedit modum cognoſcentis, cognitio illius erit ſupra naturam cognoſcentis. Sic arguendo tenet argumentum. Sed tunc vna propoſitio eſt falſa, videlicet hæc, modus cognitionis eſt ſecundùm modum cognoſcibilis, & hæc ſimiliter, quòd nulla cognitio naturalis eſt de obiecto, cuius natura excedat modum naturæ cognoſcentis, quia licèt cognitio non ſit ſupra naturam cognoſcentis; eſt tamen obiecti habentis modum cognoſcibilis, & modum naturæ vltra modum naturæ cognoſcentis; aliter nunquam imperfectius cognoſceret perfectius naturaliter, nec tunc Angelus infimus poſſet cognoſcere naturaliter Angelum ſupremum.

Modus eſſendi obiecti poteſt excedere modum eſſendi cognitionis.

Similiter ſi ratio concluderet, tunc intellectus Beati cum lumine, & cum quocunque habitu claritatis non poſſet pertingere ad viſionem eſſentiæ diuinæ, quia modus cognoſcentis cum omnibus illis exceditur à modo rei cognitæ; igitur totum illud non eſſet adhuc ſufficiens principium cognoſcendi.

5. Vnde dico quòd non oportet inter obiectum & potentiam eſſe proportionem æqualitatis, ſed potiùs diſſimilitudinis, quæ eſt inter actiuum & paſſiuum, quæ non eſt ſecundùm proportionem quantitatis, ita quòd vnum aliquotiens ſumptum ſecundùm ſuam quantitatem virtutis reddat quantitatem virtualem alterius. Sed debet eſſe proportio motiui ad mobile, ita quòd hoc poſſit moueri & mutari ab illo, vt quòd obiectum ſit motiuum, & potentia receptiua illius motionis. Vnde obiectum debet proportionari potentiæ recipienti motionem, ſicut operatum proportionatur termino ſuæ operationis, & non quantùm ad proportionem triplicis, vel duplicis, vel alicuius talis. Similiter ordinatum immediatè ad finem proportionatur illi fini in attingendo ipſum, & tamen ordinatum ad finem cum omnibus additis eſt finitum, & finis eſt finitus. Sic in propoſito, licèt cognitum in ſe ſit natura infinita, poteſt tamen cognoſci naturaliter à cognoſcente habente naturam finitam.

Inter obiecta & potentiam non requiritur proportio æqualitatis, nec ſimilitudo, ſed potiùs diſſimilitudo.

Inter potentiam & obiectum ſufficit proportio motiui ad mobile.

Si autem arguitur ſub hac forma; illud obiectum, quod eſt eſſentia diuina, excedit improportionabiliter in ente potentiam cognitiuam ipſius cogniti creati; igitur improportionabiliter excedit in intelligente; igitur non eſt obiectum intelligibile proportionatum virtuti eius cognitiuæ: dico quòd ſi loquamur de proportione Geometrica, tunc nulla eſt proportio finiti ad

Inter finitum & infinitum nunquam poteſt dari proportio Geometrica.

ad infinitum, quia finitum quotieſcunque ſumptum nunquam reddit infinitum; & iſto modo ſicut entitas creata eſt improportionata entitati increatæ, ita eſt ſibi improportionata in intelligibilitate, ita quòd intelligibilitas vnius multoties ſumpta non reddit intelligibilitatem alterius. Sed ex hoc non ſequitur quòd non ſit intelligibile proportionatum virtuti cognitiuæ ipſius cognoſcentis: ſed proportio obiecti ad potentiam eſt de alio foro.

6. *Refutat primam rationẽ D. Thom. & Henr.*

Ad primam rationem alterius Doctoris, dico quòd deſtruit ſe, ſecundùm enim omnem opinionem, oportet negare maiorem, vel minorem: ſi enim ad cognitionem alicuius obiecti non requiritur ſpecies impreſſa, tunc maior eſt falſa; ſcilicet quòd obiectum non poteſt cognoſci naturaliter ab intellectu, in quo non poteſt eſſe ſecundùm modum ſui, ſcilicet, per informationem. Tunc enim obiectum præſens ſufficeret ad imprimendum actum cognoſcendi. Si autem ponatur obiectum præſens per ſpeciem, & ſpeciem requiri ad cognitionem, tunc eſt minor falſa; nec rationes eius, quibus alibi oſtendit quòd ſpecies non requiritur in intellectu beati ad videndum Deum, concludunt vt alibi* patet, quicquid ſit de cognitione in ſe.

* in 2. d. 3. q. 2.

Item ſecundam.

Ad ſecundum, quando arguitur quòd obiectum requirit determinatam quantitatem reſpectu potentiæ cognitiuæ; dico quòd iſta ſunt verba metaphorica. Nam actiuum & paſſiuum corporalia requirunt determinatam quantitatem ad hoc quòd agant, quia actio corporalis non recipitur niſi in quanto. Sic autem non requiritur in intellectu in intelligendo, quia intelligit omne ens. Concedo tamen quòd quantitas obiecti cognoſcibilis, ſcilicet eſſentiæ diuinæ, & eius ſimplicitatis, eſt proportionabilis in ratione obiecti cognoſcibilis quantitati virtuali potentiæ intellectiuæ cognoſcentis.

Et probationem.

Ad probationem quando dicitur quòd ſimplicitas eſſentiæ magis eſt improportionata intellectui, quàm milleſima pars grani milij viſui; dico quòd tu petis, quòd dicerem quòd eſſentia diuina in ratione obiecti cognoſcibilis non diſtat in vno gradu à virtute cognitiua intellectus, licèt plus diſtet in natura. Similiter ratio concluderet quòd numquam poſſemus videre Deum quibuſcunque additis, quod totum eſt falſum. Et per conſequens plus diſtat ab eſſentia diuina, quàm ſit diſtantia potentiæ viſiuæ ab illa parte milij. Similiter etiam intellectus per nullam informationem obiecti poterit habere proportionem ſecundùm quantitatem virtutis ad eſſentiam diuinam; igitur nunquam per quamcunque informationem poſitam poterit videre.

Eſſentia diuina eſt proportionata in eſſe intelligibili intellectui cognoſcenti.

SCHOLIVM II.

Primum dictum, naturam humanam per ſe eſſe immediatè ſuſceptiuam beatitudinis. *Secundum*; intellectum noſtrum non eſſe ſufficienter actiuum ad Deum videndum; quia non habet ipſum præſentem in ſe; nec aliquid, in quo eminenter contineatur. *Definitur in Concilio Vien. & habetur Clem.* Ad noſtrum. *de hæret. Tertium*, ſi ponatur intellectus paſſiuus, non eget lumine gloriæ ad Deum videndum. *Quartum, hic dubium eſt*, an ponendum ſit lumen gloriæ, *& videtur magis velle ponendam eſſe ſpeciem eſſentiæ: tamen lumen ponit* 1. *diſt.* 17. *q.* 2. *fine; & 3. d.* 14. *q.* 1. *art.* 3. *& hic q.* 11. *art.* 3. *& q.* 1. *Prologi, & 2. diſt.* 3. *q.* 9. *docet nullum poſſe naturaliter videre Deum, quod ſufficit ad intentum Clem.* Ad noſtram. *de quo dixi q.* 1. *Prolog. & quodl.* 14. *Itaque nihil cogit ponendum eſſe lumen gloriæ inhærens; poni tamen probabilius eſt.*

REſpondeo igitur ad quæſtionem, duas concluſiones declarando. Prima eſt, quòd natura humana in ipſis naturalibus eſt immediatum ſuſceptiuum beatitudinis. Secunda, quòd natura humana in ipſis naturalibus non eſt ſufficienter actiua ad viſionem beatam, ex quibus ſequitur propoſitum, quòd homo ex puris naturalibus non poteſt conſequi beatitudinem.

7. *Sententia auctoris.*

Prima concluſio probatur ſic; naturæ humanæ ad hoc quòd ſit ſuſceptiua beatitudinis, non additur aliqua alia natura eſſentialiter, quia tunc natura humana manens eadem non beatificaretur, nec etiam per aliquid accidentale ſuperadditum, vt per habitum, eſt immediatum ſuſceptiuum beatitudinis; quia ratio recipiendi beatitudinem non poteſt eſſe habitus, quia nec modò per habitum recipitur actus, quia habitus, cùm generetur ex actibus, ſequitur actus; igitur habitus non eſt ratio recipiendi actum in via; igitur multò magis nec in patria.

1. *Concluſio naturæ humanæ ex ſe eſt immediatè ſuſceptiua beatitudinis. Probatur primo.*

Item, ſuſceptiuum quòd ordinatur ad multas formas ordinatas, maximè ordinatur ad perfectiſſimam: ſed anima humana ordinatur ad plures formas ſupernaturales, quarum perfectiſſima eſt beatitudo; igitur anima humana maximè ordinatur, vt perficiatur beatitudine; igitur ſi anima humana ſit immediatum ſuſceptiuum alicuius illarum, maximè erit immediatum ſuſceptiuum beatitudinis, quia illa maximè perficitur.

Secundò.

Dicetur quòd habitus requiritur vt perfectiùs perficiatur beatitudine. Vnde habitus requiritur tunc propter perfectionem beatitudinis.

Reſponſio.

Contrà, tunc ſequitur quòd anima humana ſecundùm *quid* perficitur beatitudine, ſed habitus ſimpliciter: & tunc habitus videret Deum, & charitas diligeret Deum, & anima humana non niſi per accidens, & ſecundùm *quid*; ſicut ſuperficies eſt per ſe colorata, & primò; ſubſtantia tamen non niſi per accidens mediante ſuperficie. Ideò dico primò quòd anima humana in puris naturalibus eſt immediatum ſuſceptiuum beatitudinis.

Refutatur.

8. *2. Concluſio naturæ humanæ non eſt ſufficienter actiua ad videndum Deũ. Probatur 1.*

Secundò dico, quòd natura humana non eſt ſufficienter actiua ad conſequendum actum viſionis ex puris naturalibus; quia impoſſibile eſt quòd intellectus ſit cauſa cognitionis viſiuæ, niſi intellectus habeat obiectum in ſe, vel in aliquo, in quo obiectum eminentiùs continetur: ſed natura humana ex ſe non habet eſſentiam diuinam in ſe præſentem ſibi in ratione obiecti, nec in aliquo, in quo eminentiùs continetur, quia in nullo alio poteſt eminentiùs contineri; igitur ex ſe non ſufficit ad habendum viſionem eſſentiæ diuinæ.

Probatur 2.

Item, viſio eſt cognitio rei intuitiua in ſe: ſed natura humana ex ſe non poteſt habere eſſentiam diuinam ſibi præſentem in ratione obiecti, licèt ſit ſibi præſens per illapſum; igitur non poteſt ex ſe habere viſionem eſſentiæ diuinæ.

Ex hoc ſequitur corollarium; quòd ſi in beato aliquid erit ſupernaturale prius operationibus, illud non erit propter receptionem, ſed propter actionem, vt eliciatur operatio in beato, qua attingat Deum. Non enim poni poteſt aliqua

forma in Beato ſolùm ad decorem, & pulchritudinem, & quòd non ordinatur ad operationem, & per conſequens, cùm nihil requiratur in Beato propter receptionem beatitudinis, vt oſtenſum eſt, ſequitur quòd ſi ſit aliqua forma ſupernaturalis, & ſpiritualis in anima Beati prius operatione, quòd illa requiritur propter operationem eliciendam. Et tunc vlteriùs, aut requiritur ex parte obiecti, aut ex parte potentiæ, & cùm potentia concurrens ad operationem in Beato ſit intellectus & voluntas, poteſt propter vtramque talis forma requiri, vel poni.

Quidquid ſupernaturale præſupponitur intellectui, eſt propter operationem, & non propter receptionem.

Si autem propter hæc tria ponantur formæ ſupernaturales præcedentes operationem, tunc ponentur tres formæ ſupernaturales priores operatione, vna correſpondens obiecto, quæ dicetur ſpecies intelligendi in memoria: ſecunda ex parte intellectus, quæ dicitur lumen ſupernaturale. Tertia ex parte voluntatis, quæ eſt charitas. Si autem obiectum beatificum in ſe præſens ſufficit ad actionem viſionis cauſandam, quantùm requiritur ex parte obiecti, tunc non requiritur ſpecies.

9. *Si intellectus ſe habet tantùm paſſiuè non eget lumine gloriæ.*

Si autem intellectus ſit merè paſſiuus, ſe habens ad actum viſionis ſolùm in ratione receptiui, tunc propter receptionem non requiritur aliqua forma ex parte intellectus, vt *ſuprà* oſtenſum eſt, & tunc lumen gloriæ non requiritur. Si etiam voluntas ſit merè potentia paſſiua reſpectu fruitionis, tunc ex parte voluntatis non requiritur charitas. Vnde ponentes voluntatem paſſiuam merè reſpectu actus fruitionis, tollunt charitatem, cùm ex parte voluntatis non requiratur aliqua forma ad recipiendum fruitionem, quia ipſa ſecundùm ſe eſt ſummè diſpoſita ad recipiendum eam.

Charitas neceſſariò ponenda eſt in Beato vt eliciat amorem.

Sed quia ſecundùm fidem & ſacram Scripturam habemus ponere charitatem, cùm ſaltem neceſſe ſit in Beato ponere charitatem propter operationem eliciendam; lumen autem gloriæ aliud à viſione beata, non videtur mihi neceſſe ponere; quantò enim obiectum eſt magis lux, tantò propter ipſum minùs requiritur de lumine; nec requiritur propter receptionem, vt dictum eſt. Vnde minùs videtur mihi neceſſe ponere lumen quàm ſpeciem, quia ſpecies ſi ponatur, habet poni vt ſit memoria perfecta intelligibilitatis. Teneo ergo quòd ſaltem neceſſe eſt ponere charitatem propter operationem eliciendam, & per conſequens aliquam operationem poteſt voluntas beata cum charitate elicere, quam non poteſt ex ſe ita intenſam. Et ſic patet ad formam quæſtionis, quòd nullam operationem beatitudinis poteſt homo habere ex puris naturalibus.

De lumine gloriæ hic nihil aſſerit, tamen ponit illud 1. d. 17. q. 2. & 3. d. 14. q. 1. a. 3.

10. *Ad primum principale.*

Ad primam rationem dicendum, quòd natura dedit homini organa ad conſequendum beatitudinem, vt potentias paſſiuas receptiuas eius, & actiuas, non tamen vt ſtatim eam conſequantur, ſed habitis diſpoſitionibus requiſitis.

Ad Conſir.

Ad aliud, dicendum quòd non eſt ſimile, quia ſenſus non poteſt eſſe niſi potentia organica, & ideò non poteſt eleuari ad aliquid immateriale apprehendendum; poteſt tamen eleuari ad materiale comprehendendum, vt viſus Beati; intellectus autem habet pro obiecto totum ens, & ideò ad quodlibet cognoſcendum poteſt eleuari.

Ad ſecũdum.

Ad aliud, quando arguitur, quòd cuilibet potentiæ paſſiuæ naturali correſpondet aliqua actiua naturalis; diceret Philoſophus, verum eſt in toto ente, quia diceret quòd Deus quidquid ageret, neceſſariò ageret, ſicut ſi eſſet agens naturale. Sed ſecundùm Theologos oportet dicere quòd cuilibet potentiæ paſſiuæ correſpondet aliqua potentia actiua, ſed non ſemper naturalis, ſed libera, & voluntaria, cuiuſmodi eſt potentia actiua diuina, ſicut dictum eſt ſuprà.

Cuilibet potentiæ paſſiuæ naturali non correſpondet actiua naturalis. Ad tertium.

Ad aliud, concedo quòd habitus non eſt potentia, nec principium recipiendi, & ideò intellectus ſimpliciter poteſt recipere beatitudinem, & cognitionem Dei, ſed nunc eſt in potentia remota, in patria eſt in potentia propinqua, & hoc ſi ponatur intellectus tantùm potentia receptiua. Si autem ponatur quòd intellectus actiuè ſe habeat, & voluntas reſpectu actus beatitudinis, tunc ſi ponitur habitus concurrere, non concurret vt tota cauſa actus, ſed vt cauſa partialis cum potentia.

Sic ponit lumen gloriæ tenendo intellectum eſſe actiuum viſionis.

Ad aliud, dico quòd aliqua perfectio inferior poteſt contineri vnitiuè in ſuperiori, aliqua verò non, quia ſi fieret ſumma voluntas, eodem modo ſe haberet ad beatitudinem, ſicut infima: quia vtraque eodem modo ſe habet ad ſuam beatitudinem, licèt illa ſit maioris beatitudinis capax, & tunc vt ſic conſiderando vtramque præter habitum illum, tunc ſumma eſt ſimpliciter magis imperfecta; quia quantò aliquid eſt aptum ad maiorem perfectionem, ſi ea careat, tantò eſt imperfectius, nec illa perfectio, per quam hoc debetur inferiori, eſt quòd ſit in ſumma, vel in ſuperiori vnitiuè, quia hoc eſt impoſſibile, quia illa voluntas infima non eſſet eius capax.

Ad quartum. Beatitudo non poteſt eſſe naturalis alicui naturæ creabili.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm homo in vita mortali poſſit conſequi beatitudinem?

Tertull. *l. 1. contra Praxeam cap. 4.* Athan *ſerm. contra Arian.* Rich. *art. 1. q. 6.* Vaſq. *1. 2. d. 55. c. 4. Expoſitores in Exod. 33. Non videbit me homo, &c. & in 1. Tim. 6. quem nemo hominum vidit.*

QVÆSTIO hæc non eſt eadem cum præcedente, quia non ſequitur, ſi non poteſt ex naturalibus acquirere, igitur non poteſt in iſta vita mortali. Nec ex eodem affirmatio ſequitur, quòd poſſit conſequi in hac vita. Vnde ex puris naturalibus conſequi beatitudinem eſt indifferens, ſiue in hac vita, ſiue in alia. 1.

Videtur igitur primò quòd poſſit conſequi beatitudinem in hac vita mortali. Primò ſic: Chriſtus in hac vita mortali fuit beatus, quia comprehenſor; ſed tunc fuit eiuſdem ſpeciei nobiſcum; igitur non repugnat homini beatitudo in hac vita mortali. *Arg. primum.*

Item, Auguſtinus lib. 83. qq. ad Oroſium quæſtione antepenultima, dicit de Paulo, quòd vidit eſſentiam diuinam ſicut eam vident Beati, & tamen Paulus fuit in hac vita mortali. Cùm igitur poſſit Deus conſeruare quidquid poteſt creare, potuit viſionem beatam in Paulo per totam vitam eius conſeruare, & tunc fuiſſet beatus; igitur, &c. *Secundum.*

Item, corpus non eſt ſuſceptiuum beatitudinis, ſed anima, quia conſiſtit in operatione intellectuali; igitur nihil ex parte corporis repugnat beatitudini; igitur nec mortalitas, cùm ſit conditio corporis. *Tertium.*

Item,

Quartum. Item, ſi mortalis vita repugnat beatitudini, cùm ſit naturale deſiderium ad beatitudinem, eſſet naturale deſiderium ad mortem, quia quidquid naturaliter deſiderat vnum oppoſitorum, naturaliter fugit ſuum oppoſitum; igitur homo naturaliter deſideraret mortem, & fugeret vitam, quod eſt contra Apoſtolum 2. Cor. 5. qui dicit *nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri.*

Quintum. Auguſt. Item, *incognitum* ſecundùm Auguſtinum 18. Trin. cap. 3. *amari non poteſt*; ſicut igitur aliquid amatur, ſic cognoſcitur; ſed Deus in hac vita amatur immediatè; igitur immediatè cognoſcitur, & videtur: igitur, &c.

2. *Ratio ad oppoſ. Auguſt.* Contrà 13. de Trinitate cap. 8. probat Auguſtinus, quòd *non eſt vita beata, niſi ſit immortalis*; quia ſi eſſet mortalis; vel igitur perder eam nolens, & tunc dicitur eſſe miſer, tum quia perdit, tum quia ſi ſciuit ſe perditurum eam, habuit triſtitiam; vel volens, & tunc quomodo eſſet ſummum bonum ſuum? Vel indifferenter ſe habendo, nec volendo, nec nolendo; quia non eſt credibile quòd non curaret amittere maximum bonum ſuum.

Item, Exodi 33. *Non videbit me homo, & viuet. gloſſ.* ibi, *Deus in hac vita mortali videri non poteſt.*

SCHOLIVM.

Non repugnare hominem in hac vita beari, nec ex parte Dei, neque ex parte hominis, & explicat optimè, quid ibi impedimenti ſit ex parte hominis: Paulum in hac vita vidiſſe Deum tenet Chryſoſt. hom. 26. in 2. ad Cor. Aug. 12. de Geneſ. ad lit. c. 27. & 28. & lib. 83. qq. q. 81. Anſel. in 2. Corint. c. 12. D. Thom. 2. 2. q. 175. art. 4. Scot. in Oxon. 2. d. 3. q. 9. & hic. Negant Hier. Dial. 3. contrà Pelag. in fine. Iſid. lib. 1. de ſummo bono, & alij.

3. REſpondeo quòd iſta quæſtio poteſt habere duplicem intellectum; vnum, vtrùm homo in hac vita poſſit conſequi beatitudinem ſecundùm illos actus, quos modò experimur in nobis, & ſecundùm iſtum intellectum eſt quæſtio determinata ſuprà*, cùm pertractata fuit opinio Philoſophi, qui diceret quòd ſic, & de iſto intellectu quæſtionis nihil ad præſens. Alius eſt intellectus quæſtionis, qui ſupponit vitam noſtram mortalem, & ponit beatitudinem in actibus, quos nos experimur in nobis in vita iſta, vt in viſione eſſentiæ diuinæ & fruitione, & ſub iſto intellectu quærit an homo in hac vita poſſit conſequi huiuſmodi beatitudinem?

* hîc q. 7. n. 2.

Deciſ. quæſt. Et ſecundùm hunc intellectum reſpondeo ad quæſtionem, & dico quòd impoſſibilitas alicuius effectus recipiendi in aliquo poteſt eſſe ex parte agentis, vel ex parte paſſi. Ex parte autem paſſi poteſt eſſe dupliciter. Vno modo ſecundùm *quid*, vt quia non eſt in proxima diſpoſitione ad formam recipiendam; alio verò modo ſimpliciter, quia ſuſceptiuo ſecundùm ſe repugnat talem formam recipere. Exemplum vtriuſque. Alio modo eſt impoſſibilitas in catulo ante nonum diem ad videndum, & alio modo in lapide. Prima impoſſibilitas ſecundùm *quid* conuenit dupliciter, vno modo negatiuè, quia ſuſceptiuum caret forma, quæ eſt proxima diſpoſitio ad aliam formam recipiendam. Alio modo contrariè, quia in ſuſceptiuo eſt forma contraria repugnans formæ ſuſcipiendæ, vt dum aliquid eſt album repugnat ſibi receptio nigredinis.

Impoſſibilitas ad aliquid recipiendum duplex.

4. Ad propoſitum: ſi lumen gloriæ, vel charitas requiritur ad hoc quòd recipiatur beatitudo in aliquo, tunc illud ſuſceptiuum, quod eſt homo in vita mortali, habet impoſſibilitatem ſecundùm *quid* primam negatiuam, quia non haber illam diſpoſitionem primam, quæ eſt lumen gloriæ ad beatitudinem. Si verò lumen gloriæ non requiratur, tunc eſt ſecundùm ſe immediatum ſuſceptiuum illius, & ſecundùm hoc eſt poſſibile quòd recipiat ab agente dante illam. Si etiam requiratur lumen, & non habet ipſum, poteſt ſaltem illud lumen recipere, cùm eius ſit immediatum ſuſceptiuum; igitur non eſt impedimentum ex parte paſſi, quin conſequatur beatitudinem. Et ſecundùm hunc modum comparando paſſum ad agens, vt ad Deum, eſt dicendum quòd agens de potentia ſua abſoluta, poſſet dare illi ſuſceptiuo beatitudinem, & lumen, ſi non haberet, quia hoc poteſt agens creatum in actione ſua. Si enim aliquod paſſum ſit diſpoſitum vltimata diſpoſitione ad formam, tunc agens creatum poteſt inducere formam. Si autem non ſit diſpoſitum, tunc agens creatum ſi poteſt in diſpoſitionem, ſicut in formam, inducit diſpoſitionem.

Non repugnat ex parte agẽtis nec abſolutè in hac vita beari aliquem.

5. Dico tamen quòd Deus de potentia ſua ordinata non poteſt hominem ſic beatificare in vita mortali, Deus enim cuius perfecta ſunt opera, non diſpoſuit perficere hominem per beatitudinem, niſi ipſum perficiat ſecundùm totum; & ideò non diſpoſuit perficere hominem ſecundùm animam, niſi etiam perficiat eum ſecundùm corpus. Patet igitur quòd non eſt repugnantia ex parte agentis, nec per dictum modum ex parte paſſi.

Congruentia cur Deus de facto non beat hominem in hac vita.

Quærimus igitur etiam huius impoſſibilitatis rationem ex parte paſſi ſecundùm alios modos, vt propter repugnantiam ex parte paſſi ſecundùm formam in eo contrariam formæ recipiendæ, vel ſecundùm repugnantiam paſſi in ſe, ad formam recipiendam? Et dico quòd ſecundo modo non poteſt poni repugnantia, quia natura illius recipiui manet eadem, etiam quando totus homo erit beatus. Si igitur eſt alia repugnantia, illa eſt ratione alicuius formæ in receptiuo, vel ſuſceptiuo, vt mortalitatis repugnantis formæ recipiendæ, vt beatitudini. Hæc autem repugnantia in proposito non poteſt eſſe formalis, quia tunc Deus de potentia ſua abſoluta non poſſet facere vt eſſent ſimul; & tamen ita quod factum eſt, & oppoſitum tenemus per fidem; quia in Chriſto ſimul fuit mortalitas & beatitudo; fuit enim ſimul viator, & comprehenſor; non igitur eſt repugnantia formalis.

Quænam ſit repugnantia inter beatitudinem & vitam iſtam.

Sed eſtne alia repugnantia inter illas duas formas, ſcilicet beatitudinem & mortalitatem? Dico quòd ſic: non repugnantia formalis, vt dictum eſt, ſed virtualis. Hæc autem poteſt poni duplex in proposito. Vna vt cauſæ efficientis vt in pluribus, ad oppoſitum ſui effectus. Quando enim cauſa eſt determinata vt in pluribus, ad productionem alicuius effectus, oppoſitum illius effectus repugnat virtualiter illi cauſæ, quia cauſa per virturem ſuam nata eſſet producere illum effectum; ſicut igni repugnat non eſſe ſurſum, vel ferri deorſum. Talis autem repugnantia ponitur in proposito; quia enim ordo potentiarum in homine eſt naturalis, ideò naturale eſt voluntati quòd compatiatur appetitui ſenſitiuo, ſicut naturale eſt intellectui dum eſt modò in corpore, quòd moueatur in actu ſuo à phantaſmate. Naturale igitur eſt quòd in voluntate cauſetur paſſio ſpiritualis, vt triſtitia, vel delectatio intellectualis, pœna exiſtente in appetitu ſenſitiuo.

6. *Repugnantia virtualis duplex.*

Cauſa naturali repugnat oppoſitum ſui effectus in pluribus.

Sed poſita fruitione beatifica in voluntate cauſatur delectatio perfecta & ſumma in voluntate; nunc autem ſecundùm Philoſophum 1. *Ethicorum* c. 28. delectatio perfecta excludit triſtitiam non ſolùm oppoſitam, ſed contingentem. Ideò beatitudine exiſtente in voluntate, non poteſt cauſari paſſio triſtis, quæ nata eſſet cauſari in ea, paſſione triſti exiſtente in appetitu ſenſitiuo in corpore mortali; eſt ergo hæc repugnantia cauſæ vt in pluribus, ad oppoſitum ſui effectus, vel cauſæ inferioris ad cauſam ſuperiorem cauſantem oppoſitum illius effectus, qui natus eſſet ſequi cauſationem cauſæ inferioris. Intellige tamen quòd non eſt oppoſitum formale delectatio derelicta ex fruitione triſtitiæ, quæ nata eſſet cauſari in voluntate ex paſſione in appetitu ſenſitiuo; quia in Chriſto fuit ſumma delectatio, & tamen triſtitia magna ex paſſione; ſed tamen regulariter ad dolorem in parte ſenſitiua, ſequitur triſtitia in voluntate.

Repugnant beatitudo & mortalitas ſicut cauſa naturalis & oppoſitum ſui effectus.

Delectatio non opponitur formaliter triſtitiæ.

7. Alia repugnantia virtualis eſt in propoſito, vt effectus prioris ad oppoſitum effectum poſterioris naturæ, quia licèt corpus non ſit beatificabile beatitudine propriè dicta, quæ conſiſtit in operatione intellectus & voluntatis, tamen ſiue anima per beatitudinem ſuam ſic cauſet beatitudinem in corpore, ſiue vtraque beatitudo ſit immediatè à Deo; tamen regulariter ad beatitudinem animæ ſequitur beatitudo in corpore, & ideò quòd anima ſit beata, & tamen quòd corpus ſit mortale, eſt ponere effectum priorem cum oppoſito effectus poſterioris. Exemplum, ſi ponitur quòd Sol immediatè cauſat lumen in qualibet parte aëris, tamen priùs in parte ſibi propinquiori quàm in parte poſteriori: ſi tunc ponatur obſtaculum nè poſſet cauſare in parte remotiori, tunc ponitur effectus prior cum oppoſito effectus poſterioris, vel tanquàm cum effectu oppoſito effectus poſterioris.

Beatitudo & mortalitas repugnant etiam vt effectus prioris, & oppoſitum effectus poſterioris.

8. Sed contra hoc arguitur primò ſic: ſi non ſit alia repugnantia, quàm ſit illa, quæ dicta eſt, tunc videtur quòd eodem modo poſſit mortalis eſſe beatus ſicut immortalis, probo. Immortalis non poteſt eſſe beatus, niſi ab obiecto immutante immediatè ad ſui viſionem; ſed intellectus alicuius exiſtentis in vita mortali poteſt ſic immediatè immutari ab obiecto beatifico, quia non inuenitur aliquid oppoſitum illi immutationi in intellectu mortali; igitur nihil repugnat quin mortalis ſit beatus, ſicut immortalis.

Obiicitur 1. contra dicta.

Secundò. Item, quando aliqui duo actus ſunt eiuſdem ſpeciei, quæcunque virtus poteſt in vnum, poteſt & in alium, & ſi vnus actus ſit intenſior alio, tunc virtus perfectior eiuſdem rationis poterit in actum perfectiorem: ſed actus, quo modò cognoſcitur Deus, & quo cognoſcetur in patria, ſunt eiuſdem ſpeciei, quia obiectum eſt idem, & potentia eadem; igitur intellectus ſi ex puris naturalibus poterit in vnum illorum, poterit in alium.

Ad primam obiectionem. Ad primum, dicendum quòd non eſt ſimile, quia ipſius mortalis ad viſionem eſt repugnantia, quæ eſt eſſe ad oppoſitum ſui effectus, vt *ſuprà* dictum eſt; & hæc eſt talis repugnantia, quæ non ſtat niſi per miraculum; regulariter enim Deus aſſiſtit cauſis naturalibus in actionibus ſuis, ſed quòd non aſſiſtat, hoc eſt miraculoſum, quia ſecundùm Auguſtinum 7. de Ciuit. c. 30. *Deus ſic res adminiſtrat, vt eas proprios motus habere ſinat.* Deus autem dicitur non poſſe de lege communi, quod non poteſt facere ſine miraculo. Aliter igitur eſt poſſibile quòd mortalis fiat beatus, aliter quòd immortalis; quia mortalis non poteſt eſſe beatus, niſi Deus per miraculum faciat cauſam cum oppoſito ſui effectus, vt paſſionem in appetitu ſenſitiuo ſine paſſione, quæ nata eſt conſequi in voluntate. Sed in immortali non eſt talis repugnantia, & ideò quòd aliquis ſit beatus & immortalis, non eſt nouum miraculum.

Sine miraculo in hac vita nemo beatus.

Per hæc ad formam primæ rationis, quando dicitur quòd obiectum beatificum poteſt æquè immutare intellectum in vita mortali, ſicut in immortali; dico quòd non eſt æqualis poſſibilitas, quia in mortali non eſt hoc poſſibile ſine nouo miraculo; ſed in immortali eſt hoc poſſibile ſine nouo miraculo. Sic igitur abſolutè mortalis poteſt conſequi beatitudinem, ſed non ſine nouo miraculo, quòd oportèt quamdiu manet mortalis & beatus, quòd cauſa maneat cum oppoſito ſui effectus.

9. Ad ſecundum, dicendum quòd illi actus non ſunt eiuſdem ſpeciei; ſed differunt dupliciter, primò ex parte obiecti formalis. Idem enim poteſt eſſe obiectum materiale ſub mille rationibus formalibus obiectiuis; nam homo vt intelligitur ſub ratione animalis, & ſub ratione rationalis eſt aliud obiectum formale, & ſic de aliis rationibus in homine: nunc autem intellectus per actum intelligendi non eſt tendens in Deum ſub illa ratione, ſub qua per viſionem tendit in ipſum, quia Deus non cognoſcitur modò à nobis, niſi in aliquo conceptu communi abſtracto à creaturis, non vt eſt hæc eſſentia, ſub qua ratione eſt obiectum viſionis. Et ideò ſicut actus intelligendi hominem, vt homo & animal, non reſpiciunt hominem ſub eadem ratione formali obiectiua, ſic eſt in propoſito.

Ad ſecũdam obiectionem. Actus quo cognoſcitur Deus hic & in patria differunt ſpecie dupliciter.

Alia eſt differentia iſtorum ex parte actuum in ſe: nam poſito quòd vterque eſſet reſpectu eiuſdem obiecti formalis, adhuc differrent ſpecie, ſicut cognitio abſtractiua, & intuitiua differunt ſpecie; licèt ſint reſpectu eiuſdem obiecti formalis. Sed quomodo eſt hoc poſſibile? Dico quòd ad cognitionem abſtractiuam non concurrit obiectum cognitum ſecundùm ſeipſum, ſed ſecundùm aliquid, quod ſupplet vicem eius. Vnde abſtractiua cognitio non eſt niſi in virtute alicuius ſupplentis vicem obiecti, ſed in cognitione intuitiua obiectum ſecundùm *eſſe*, quod habet in ſe, concurrit ad actum cognoſcendi; obiectum verò vt cognitum in ſe efficaciùs mouet ad cognitionem, & perfectiùs, quàm vt habet *eſſe* in alio, vt in ſpecie, quæ ſupplet vicem eius. Vnde non mouet ita perfectè per ſpeciem, ſicut quando obiectum eſt in ſe præſens, & ideò non eſt æquè motiuum in vno, & in alio actu.

Quomodo cognitio abſtractiua & intuitiua differunt ſpecie.

10. Ad primum principale dico, quòd in Chriſto fuit duplex miraculum vſque ad inſtans mortis ſuæ; vnum quòd corpus Chriſti non fuit glorioſum, ſiue gloria corporis ſit effectus animæ glorificatæ, vt quidam ponunt; ſiue fuerit immediatè effectus Dei, qui de lege communi non dat beatitudinem animæ coniunctæ, niſi ſimul det dotes corpori. Aliud miraculum erat, quòd paſſiones in parte ſenſitiua redundabant in voluntatem, in qua fuit perfectiſſima delectatio; ſimul enim fuit in ea perfectiſſima delectatio, & triſtitia in paſſione, ſed quomodo hoc fuit poſſibile, dictum eſt in tertio *

Ad primum principale.

Miraculum continuum Chriſtũ fuiſſe beatum & mortalem.

Ad ſecundum de Paulo, dicendum quòd non eſt

*Diſt. 15. *Ad ſecũdum.*

est certum quòd in illa visione, in qua raptus fuit, fuerit in corpore, sicut ipse testatur. Posito tamen quòd fuerit in corpore, adminùs mirabile fuit, quòd illa beatitudo non redundabat in corpus: & similiter, quòd passio in parte sensitiua, si quam tunc habuit, non redundabat in voluntatem.

Ad tertium. Ad tertium, dicendum quòd corpus non est susceptiuum alicuius alterius, quod repugnat beatitudini in voluntate, & hoc dico, non repugnantia formali, sed regulatiter sibi repugnat, quia regulariter ad beatitudinem in voluntate sequitur impassibilitas corporis.

Ad quartum. Ad quartum, dicendum quòd si argumentum debeat valere, deberet sic arguere; quòd si naturaliter appetimus beatitudinem, odimus vitam mortalem, inquantùm repugnat beatitudini; non autem repugnat beatitudini, nisi sub ratione mortalitatis; igitur vitam mortalem odimus sub ratione, qua mortalis est, verum est. Vnde debet concludi, quòd odimus vitam, inquantùm est mortalis; naturaliter enim appetimus vitam immortalem.

II. *Ad quintum.* Ad quintum, quando dicitur quòd Deus amatur hîc immediatè; igitur sic cognoscitur, dicunt aliqui quòd consequentia non valet, quia secundùm Hugonem lib. de modo orandi cap. 5. *affectus intrat vbi intellectus foris stat.* Alij verò derident hanc solutionem, dicentes quòd nihil est amatum secundùm aliquam rationem, nisi secundùm illam sit cognitum. Sed respondeo sic, sicut Deus à Viatore diligitur immediatè, sic cognoscitur immediatè: nam in cognitione abstractiua Dei, quæ habetur ex creaturis, post discursum ab effectu ad causam, non sto in cognitione creaturæ, quia tunc starem in principio discursus, sed sto in cognitione Dei immediatè; & dico *immediatè*, non illa immediatione, qua attingitur obiectum in se secundùm propriam quiditatem eius, sed immediatè quia in aliquo conceptu, in quo nihil concipio nisi ipsum Deum, & sicut sic immediatè concipio, & cognosco, sic immediatè diligo ipsum, & volo; & in hoc conuenit beatitudo naturalis, quæ est beatitudo secundùm *quid*, non autem beatitudo simpliciter.

Hugo.

In fine discursus cognitionis Dei habeo conceptum de Deo immediatè.

12. *Corollarium.* Ex dictis sequitur corollarium, quòd ex quo anima beata non potest esse coniuncta corpori mortali de lege communi, & potest esse beata coniuncta corpori immortali, sequitur quòd corpus sit capax alicuius beatitudinis, non tamen capax beatitudinis simpliciter, sed secundùm *quid*. Corpus etiam non beatificatur secundùm *quid*, vt distinguitur contra animam, quia, vt *suprà* patet, beatitudo secundùm *quid* tantùm competit operatiuis, quæ per operationem possunt attingere optimum, si igitur solum corpus est beatificabile secundùm *quid* in *esse* priùs illis perfectionibus, quæ insunt sibi propter animam, potest autem aliqua perfectio conuenire corpori, vt est perfectibile ab anima, per quam fiat conueniens perfectibile ab anima; & hæc est immortalitas, vt fiat perfectibile immortale sicut & anima est immortalis. Alio modo potest esse perfectio eius, vt est instrumentum, & organum animæ in operando, & sic assignantur sibi aliquæ dotes, vt agibilitas, claritas, subtilitas, & impassibilitas, de quibus quatuor dotibus corporis consequenter quærendum est per ordinem. Et primò de immortalitate, siue corporis impassibilitate.

Beatitudo corporis in quo consistit.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm corpus Beati post resurrectionem erit impassibile?

D. Thom. *in addit. q. 82. art. 1. & 4. d. 44. q. 2. art. 1.* Richard. *art. 2. q. 1. 2. & 3.* D. Bonau. *2. p. art. 2. q. 1.* Durand. *q. 5. & d. 44. q. 4.* Suar. *3. p. tom. 2. d. 48. sect. 23.* Scot. *in Oxon. hic q. 13. & 9. Met. q. 14. & in Theor. §.* Non potest probari hominem, &c.

VIDETVR quòd non. Gregorius homilia 26. in Euang. *quod palpabile est, corrumpi necesse est*; sed corpus Beati est palpabile, sicut apparet de Christi corpore. Lucæ 24. *Palpate & videte*: igitur, &c. 1. *Arg. primum negatiuum.* Greg.

Item, si corpus Beati esset impassibile, tunc Beatus non posset sentire; consequens est inconueniens, quia sentire est quædam perfectio secunda, qua inconueniens est priuare Beatos. Vnde est quòd beatitudo secundùm *quid*, verius est beatitudo, quàm beatitudo corporis, quæ non consistit in operatione. Probatio consequentiæ: omnis sensus potest pati à sensibili, & per consequens corrumpi ab excellenti sensibili, vt habetur 2. *de anim. text. c.* 123. igitur, &c. *Secundum.*

Item, *nullum violentum potest esse perpetuum*, ex primo de Cœlo & mundo text. com. 15. sed elementa in mixto habent inclinationem naturalem ad sua loca; igitur non possunt perpetuò in mixto permanere. *Tertium.*

Item, primo de Cœlo & mundo text. 124. & 138. *Idem non potest esse corruptibile ex se, & necessarium ab alio, vel ex alio.* *Quartum.*

Et Commentat. 12. Metaphysicæ, com. 41. Nihil quod est ex se possibile, potest perpetuari ab alio, nisi motus: nullum igitur permanens, quod est ex se corruptibile, potest esse necessarium ab alio, sed corpus humanum est ex se corruptibile; igitur. *Quintum.*

Contrà, Corinth. 15. *Oportet mortale hoc induere immortalitatem.* *Ratio ad oppos.*

SCHOLIVM I.

Corpus Beati futurum impassibile patet ex ratione ad oppositum, & ex Rom. 6. Lucæ 24. Matth. 25. ita Aug. 20. Ciuit. 18. & in Enchir. c. 90. & 91. Greg. 14. Moral. 29. vel 32. Hier. in Amos 5. Lactant. lib. 7. Diuin. inst. c. 46. Impassibilitatem non oriri ex qualitatum absentia, neque earum adæquatâ proportione, vt in se mutuò non agant; neque ex dominio animæ super corpus, probat clarè & solidè.

2. *Ponit duas congruentias pro impassibilitate corporis beati.* RESpondeo, primò videndum est quia ita est, secundò quomodo hoc est. Primum istorum, scilicet, quòd corpora Beatorum erunt incorruptibilia & impassibilia, patet ex locis multis sacræ Scripturæ, & ex præcedentibus, quia sic dictum est de lege communi, in vita mortali non potest aliquis esse beatus simpliciter, & ideò non potest aliquis beatificari, nisi fiat immortalis; & quia omne corruptibile est passibile passione, quæ abiicit à substantia, non quòd abiiciat aliquid ipsius substantiæ, si substantia sit indiuisibilis, sed quia disponit ad abiectionẽ ipsius, ideò ex oppositò, si erit incorruptibile, oportet quòd fiat impassibile tali passione abiiciente à substantia. Et hoc quidẽ congruum est, quia homo est nobilius compositum aliis cõpositis corporalibus, & aliqua alia composita perpetuò manent, vt corpora cœlestia,

congruum eſt, vt fiat impaſſibile, vt ſic permanere poſſit.

Item, totus homo meruit, & congruum eſt ſicut meruit, ita præmietur; igitur totus homo beatificabitur, ſed beatitudo in eo, qui beatificatur, requirit immortalitatem per ſe; igitur impaſſibilitatem: patet igitur quia ita eſt.

3. *Corpus beati vnde erit impaſſibile.*

Secundò videndum eſt qualiter ita eſt, dico primò, non ideò quia qualitates naturales elementorum actiuæ & paſſiuæ non manent in mixto, & quòd propter hoc ceſſet actio & paſſio, quia ſublatis qualitatibus illis non eſſet mixtio. Similiter tunc corpora Beatorum quantùm ad illas qualitates, quæ ſunt de perfectione elementorum, erunt imperfectiora elementis.

Qualitates ſequentes mixtionem manent in corpore glorioſo.

Secundò dico, quòd illa impaſſibilitas non eſt ideò, quia qualitates illæ licèt maneant, tamen non remanent vt contrariæ, quia reducuntur ad medium quoddam, quia neceſſe eſt manere illas qualitates ſecundùm quòd conueniunt complexioni humanæ, & corpori humano, vt perfectibile eſt ab anima; ſed ſi reducerentur ad tale medium non eſſe corpus conueniens animæ humanæ; igitur. Vnde corpus eſt perfectibile ab anima ſecundùm determinatam complexionem; ſi enim qualitates ad medium reducantur; ſicut in auro, non eſſet perfectibile ab anima, & ita non maneret ibi calidum & frigidum, & ita abſque alia harmonia.

Qualitates mixti manent vt contraria in corpore glorioſo.

4. Vide D. Bon. d. 49. 2. p. a. 2. q. 1. Vatr. q. hac.

Tertiò dico, quòd huiuſmodi cauſa non poteſt eſſe, quia contrarietas tollitur ab eis propter hoc, quòd non ſunt nata ſuccedere inuicem in eodem ſuſceptiuo, vt vnum expellat aliud; hoc enim nihil eſt dicere, quia ſic nunquam aliquid eſſet contrarium alteri, quia iſte calor corrumpens iſtud frigus, non ſuccedit ſibi in eodem ſuſceptiuo; igitur non contrariaretur ſibi, quod eſt falſum.

Item, ſi illa eſſet ratio contrariorum, tunc nunquam aliquod ſubiectum determinaret ſibi alterum contrariorum, quia illi in eodem ſubiecto non poteſt contrarium ſuccedere, quod tamen falſum eſt, & contra Philoſophum *in Prædicamentis, cap. de ſubſtan. text.* 10. vbi vult quòd aliquod ſubiectum determinat ſibi alterum contrariorum.

Diffinitio contrariorum explicatur.

Item, ratio nihil valet, nam illa definitio contrariorum, quòd *nata ſunt fieri circa idem*, debet intelligi ſecundùm ſpeciem, & non ſecundùm indiuiduum, quia natura vnius nata eſt ſuccedere naturæ alterius in eodem ſuſceptiuo, & quodlibet indiuiduum vnius ſecundùm naturam repugnat cuilibet indiuiduo alterius. Sic non poteſt dici quòd cauſa iſtius impaſſibilitatis eſt, quia paſſum non remanet, quia eadem materia manet, quæ priùs, & eadem forma, quæ priùs; ergo idem corpus ſuſceptiuum.

Nec poſſet dici quartum, quòd cauſa impaſſibilitatis eſt, quia non eſt receptiuum contrarij; quia ſi non poteſt recipere, nec manet receptiuum; ergo nec manet idem paſſum virtualiter, vnde poſſunt eſſe oppoſita, & de hoc nos quærimus. Nec etiam poſſumus dicere quòd impoſſibile ſit quòd paſſum non remaneat, quia eadem materia manet quæ priùs, eadem forma quæ priùs: ergo idem corpus; igitur idem receptiuum.

Nec poteſt dici quòd hoc ſit, quia tollitur priuatio ab obiecto; hoc eſt enim impoſſibile, quòd priuatio tollatur ab apto nato, niſi per habitum; igitur ſi paſſum non habet formam huius priuationis, remanet priuatio.

Sed dices quòd non remanet, quia licèt non detur forma, per quam tollitur, vt per propriam formam, tollitur tamen per formam ſuperiorem. Dico quòd hoc eſt impoſſibile; nulla enim forma tollit priuationem alicuius formæ ab apto nato, niſi includat illam formam oppoſitam priuationi; igitur nec tollit eam. Præterea, anima tunc erit eadem, quæ & modò: ſed modò non tollit priuationem à materia ſua, quin poſſet recipere formam oppoſitam illi; igitur nec tunc, non ergo quantùm eſt in ſe, anima tollit illam priuationem, niſi aliunde detur ei.

Repugnat tolli priuationem non poſita forma.

Vnde ergo oritur quòd ibi non erit actio & paſſio? agente enim & patiente diſpoſito, & ſibi mutuò approximatis, non poteſt agens non agere, niſi impediatur. Impedimentum hoc poteſt eſſe duplex. Vnum poſitiuum, & aliud priuatiuum. Poſitiuum duplex, & ſimiliter priuatiuum duplex. Dicunt quidam quòd illud impedimentum poſitiuum eſt anima, quæ perfectè dominatur ſuo inferiori, & ipſum perfectè ſubiicit, ſicut ipſa perfectè ſubiicitur Deo; ſed inclinatio ipſius animæ eſt ad *eſſe*, & ad *viuere*; ideò in corpore ſuo non poteſt eſſe aliqua mutatio contra diſpoſitionem illam, qua perficitur ab anima, & ſic impedit omnem formam contrariã recipi in ſuo ſubiecto.

5.

D. Thom. in 4. d. 44. a. 2. q. 1. Rich. a. 4. q. 1. & D. Bonau. ſupra cit.

Contrà, hoc non poteſt ſtare, quia anima intellectiua ſi impedit actiua contraria, hoc eſt, quia repugnat eis; ſed non repugnat eis, nec vt contraria, nec vt actiua, nec vt corruptiua ſunt. Quod probo, quia ſi repugnaret eis, vt ſic, non eſſent diſpoſitio neceſſaria ad ipſam: ſed ſunt diſpoſitio neceſſaria; ergo nõ poteſt dici quòd impediat ſuſceptiuum à receptione, licèt non impediat actiuum ab actione. Quod patet, quia poſterius non habet impedire priùs à ſuſceptione eorum, quæ priùs recipit, quàm illud inſit; ſed ſuſceptiuum animæ recipit illa antequam infundatur anima; igitur, &c.

Impaſſibilitas non oritur ex domnio animæ ſuper corpus.

Præterea, ſi dicit quòd impedit per libertatem ſuam perfectam, quam habet anima, hoc non credo poſſibile, quia quæcunque creatura ſola voluntate poſſet impedire aliquem effectum naturalem; igitur nec anima, hoc enim eſt ſolius Dei; igitur, &c.

SCHOLIVM II.

Reiicit ſententiam Henrici, dicentis impaſſibilitatem conſiſtere in quadam qualitate fluente ex anima, & reſiſtente corruptioni. Eadem ſententia videtur D. Thom. 1. p. q. 97. art. 2. Reſoluit impaſſibilitatem conſiſtere in decreto Dei de non coagendo ad corrumpendum, vel ladendum corpora Beatorum, & explicat, quo ſenſu dos ſit in dotato non Phyſicè; ſed quia in eo eſt ius meriti ad dotari à Deo, quod deeſt damnatis, & elementis, & ideò non habent dotem; licèt corrumpi nequeant.

6. Henr. quodl. 9. q. 16. *An impaſſibilitas proueniat ex aliqua dote.*

A Lij dicunt quòd hoc eſt per aliquid poſitiuum, quòd ſcilicet eſt dos, quæ eſt qualitas quædam influens ab anima in corpus, vel à Deo immediatè, ſicut & beatitudo animæ, & ſiue ſic, ſiue ſic, hæc qualitas eſt neceſſaria actioni cuiuſcunque contrariæ; ſiue receptioni cuiuſcunque contrarij. Et pro iſta opinione videtur eſſe quædam auctoritas Auguſtini ad Dioſcorum epiſtola 56. *Tam potenti natura fecit Deus animam, vt ex eius pleniſſima beatitudine, quæ in fine temporum Sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quæ eſt corpus, non beatitudo quærentis & intelligentis eſt propria: ſed plenitudo ſanitatis,*

Auguſt.

nitatis, id est, incorruptionis vigor, & hoc erit formaliter impassibilitas, & per hanc constituitur corpus in *esse* tali, vt nec ab agente intrinseco, nec extrinseco pati possit.

Refutatur opinio Henr. primò. Impassibilitas non est qualitas nec corporis cœlestis, nec mixti, nec elementaris.

Contrà, ista qualitas non erit qualitas corporis cælestis, quia hæc non posset esse in corpore hominis; non enim credo quòd corpus meum erit stella; vel igitur erit qualitas mixti, vel elementi? Tales enim qualitates non sunt nisi duæ, lux, & diaphanitas, vel perspicuitas. Sed non credo quòd fiant corpora perspicua vt lux, quæ non competeret animæ. Erit igitur qualitas corporis mixti. Sed quomodo est possibile illam esse incorruptibilem insuper, & tale *esse* dare supposito?

Refutatur secundò.

Præterea, illa qualitas est vna, & vnius rationis; sed mirabile est quomodo qualitas vnius rationis impedit omnem actionem contrariam in subiecto.

7. *Tertiò.*

Præterea, omnes formæ receptibiles in eodem susceptibili sunt eiusdem generis: sed omnes formæ eiusdem generis vel sunt contrariæ, vel mediæ; sed istæ qualitates actiuæ, & passiuæ fundatæ sunt in eodem genere subiecti; igitur vel sunt contrariæ, vel mediæ.

Quartò.

Præterea, si ista qualitas impedit actionem aliorum, vel hoc est, quia contraria eis; vel quia repugnat effectibus; vel quia impedit susceptiuum ad susceptionem facere. Et probatur: prius est susceptiuum, quàm superaddatur dos. Nec etiam quia repugnat effectibus eorum, quia qua ratione repugnat illis effectibus ignis, eadem ratione & omnibus eiusdem speciei; sed actu stat cum aliquibus eiusdem rationis: igitur, &c.

Vna qualitas non repugnat actionibus omnium qualitatum.

Patet igitur quòd nihil positiuum est causa impassibilitatis, nec anima, nec dos: igitur oportet dare aliam causam huius priuatiui. Et dicunt quidam cessationem motus cæli esse causam huius, quia cessante primo motu, scilicet cœlorum, vt habetur 8. *Physic. text. com.* 73. cessat actio, & passio in elementis, vt ostensum est *suprà* *.

Opinio Philosophorum text. com. 37. & inde.

* dist. 48. q. 2.

Contrà: ad generationem nihil facit motus, nisi quod adducit generans; vt habetur 2. *de Gener. text.* 55. vnde cælum per formam suam absolutam non est causa illorum effectuum, vt dictum fuit *suprà* *.

Impassibilitas non oritur ex cessatione motus cæli.

* Ibidem loco citato.

Igitur non restat nisi causa priuatiua, quæ est priuatio voluntatis diuinæ, quæ non vult ea pati, & illud asserо, licèt aliud non nego, quòd voluntas diuina facit hoc, quòd non patiantur corpora gloriosa à contrariis non coagendo, ad hoc contrariis. Et hoc est possibile, quia Deus omnem effectum extrinsecum merè contingenter vult, elementa igitur, Deo non coagente, corrumpi non possunt, quia causa non potest in aliquem effectum, nisi supposita actione causæ primæ, vel concurrente.

8. *Vera ratio impassibilitatis est voluntas diuina non coagens contrariis.*

1. *Obiectio.*

Contrà obiicio: solùm ex hoc quòd causa impassibilitatis non est aliud nisi voluntas diuina non coagens contrariis, sequitur quòd impassibilitas non sit dos: dos enim debet esse aliquid in ipso dotato; igitur, &c. Sed hoc est contra Apostolum primæ Corinth. 15. vbi dicit, *quod seminatur in corruptione, surget in incorruptione*, & ibi de aliis consequentibus ad resurrectionem.

Secunda.

Præterea, si non est aliud dos nisi, quia causa prima non coagit ad corruptionem causis secundis; cùm igitur elementa non corrumpantur post resurrectionem, elementa habebunt dotes.

9. *Ad primam.*

Respondeo, dos est donatio facta sponsæ in desponsatione à patre; sic in desponsatione hominis resurgentis, pro dote datum est homini, quòd de cætero nunquam patiatur, quia ex tunc Deus non coagit alicui agenti contrario in ipsum.

Non requiritur dotem esse formaliter in dotato.

Et si dicas: igitur dos non est in eo, cuius est dos; dico quòd ad rationem dotis non requiritur necessariò quòd sit forma aliqua in dotato. Vnde si pater sponsæ daret decem milites in dotem, qui custodirent dotatam, per hoc nihil acquireretur in dotata absolutum. Ita hîc, dos non est aliquid absolutum, nec aliqua, nisi ordo quidam voluntatis diuinæ ad præcauendum nè patiatur corpus glorioſum, siue quòd contraria non agant in ipsum.

Alia responsio. Quid est dos impassibilitatis.

Vel si hoc non sufficit ad rationem dotis, tunc dicendum quòd dos est ius habendi istum actum diuinum, quo impediuntur agentia illa contraria. Est igitur dos ius non patiendi à contrario, non quòd habet hoc à se, quia nullus hoc habere potest à se, sed ab alio non cooperante agenti contrario, scilicet à Deo.

Instantia.

Et si dicas, igitur similiter dicemus de elementis, quòd est ius quoddam, quòd non patiantur, & corrumpantur; non enim ad hoc coagit eis Deus; dico quòd in elementis non est; quia hoc ius non patiendi est acquisitum à Beatis per meritum, quia ex quo Beatus acquisiuit ius videndi Deum, rationabile est quòd acquisiuerit ius non patiendi à contrariis, quia passio talis virtualiter repugnat beatitudini, & sic quicunque habens impassibilitatem, non tamen ex meritis, non dicitur dotatus. Ideò dicunt Doctores, & benè, quòd licèt etiam Angeli habeant illud, quod est dos, non tamen habent ipsum per modum dotis.

Soluitur.

Incorruptibilitas damnatorum quare non est dos.

Aliter dico de elementis & de damnatis, quòd habeant impassibilitatem, non tamen per modum dotis, quia non habent ex meritis suis: sed damnati habent ex demeritis ad afflictionem.

10.

Ex hoc patet quòd ista conseruatio corporum non est miraculosa, esto quòd approximentur contraria; quia de lege communi magis tenetur Deus præseruare iustum, quàm coagere causæ secundæ, quæ corpus eius corrumperet, si relinqueretur sibi, & ideò si suspendat effectum in me per aliquid in illa contraria, vel per effectum alium in me, hoc non est miraculum.

Impassibilitas corporis glorioſi quare non est miraculosa.

Potest etiam aliter dici, quòd non est miraculum, quia sic disponit, & in talibus non est miraculum. Et tunc est respondendum ad auctoritatem Augustini, quòd illa non dicit circumstantiam causæ efficientis, quia anima non est causa illius impassibilitatis; sed dicit circumstantiam causæ meritoriæ, sicut inest meritoria causa effectus prioris qui est beatitudo, quam consequitur impassibilitas.

SCHOLIVM III.

Ad secundum, admittit visum, & auditum in Beatis habere suos actus; de aliis sensibus dubitat. Vide Schol. in Oxonienſi hîc q. 3. num. 18. vbi habes notanda de operationibus sensuum in Beatis.

11. *Ad primum principale.*

AD primum argumentum dico quòd passibile propriè non palpatur, nisi secundùm duritiem; igitur durum est illud, quod est propriè palpabile; at dico quòd tangibile sibi derelictum, necesse est corrumpi, potest tamen à causa superiori præseruari.

Ad secundum.

Ad aliud, dico quòd sicut vegetatiua vis non fit in actu suo, quoad aliquas operationes, sic nec sensus

ſenſus deſeruientes vegetatiuæ, vt eſt guſtus. Credo tamen quòd aliqui erunt in actu, vt viſus, & auditus, quia cum impaſſibilitate corporis ſtat quòd ſenſus ſint in actu, quia non eſt neceſſe quòd cum immutatione intentionali concurrat immutatio realis. Sed eſto quòd ſint omnes in actu ſuo, dico ad argumentum quòd paſſio intentionalis modò non poteſt fieri ſine mutatione reali, non tamen eſt ibi eadem mutatio, & ideò vna poteſt ſeparari ab alia, nec per calorem videtur calor, ſed calefactio fit per calorem: ſed viſio fit per ſpeciem, quæ immutationes non ſunt eiuſdem rationis, ſicut nec immutantia, ſic nec etiam paſſa ſunt eiuſdem rationis proximè; & dico quòd licèt ſit idem organum ſenſus, & calefactibile, tamen ſecundùm mixtum hac mixtione non eſſet organum; poſſet tamen eſſe calefactibile, & ſic vel eſt idem quòd mutatio mutatione reali, vel intentionali, vel coniunctum; ſed in beatis non erunt ſimul, quia voluntas diuina poteſt cooperari ad vnam actionem, & non ad aliam.

An in beato erunt ſenſationes & quomodo?

In beatis erit tantùm immutatio intentionalis.

12. *Ad tertium.* Ad aliud, cùm dicitur quòd violentia non poteſt eſſe perpetua; dico quòd appetitus ſunt ordinati ſecundùm perfectius, & imperfectius, & dum ſaluatur appetitus ad perfectius, licèt ſit appetitus violentus reſpectu imperfectioris, eſt ibi violentia ſecundùm *quid*, & naturale ſimpliciter. Cùm verò perficitur appetitus reſpectu imperfectioris, & non reſpectu ſuperioris, eſt violentia ſimpliciter; ſicut graue aſcenderet antequam derelinqueretur vacuum, & in illo eſt appetitus, & ſuperior in natura ad excludendum vacuum, quamquam graue ſit deorſum: & ideò quamdiu eſt ſurſum, nè relinquatur vacuum, eſt ſecundùm *quid* violentia, & naturaliter ſimpliciter. Si conſeruatio eius, ad quod eſt inclinatio appetitus ſuperioris, eſt ſimpliciter naturalis, ſecundùm *quid*, erit violentia. Sic dico, eſto quòd elementa ſic ſint in mixto, appetitu, qui eſt eorum in ſe, volunt eſſe in propriis locis: ſed appetitus mixti eſt ſuperior, & appetitus adhuc animati ſuperior, & ſic eſt perpetuò violentia ſecundùm *quid* & naturalitas ſimpliciter.

Non eſt violentum graue eſſe ſurſum ad impediendum vacuũ.

13. *Ad quartum.* Ad aliud, cùm dicitur quòd illud, quod eſt corruptibile ſecundùm ſe, non poteſt perpetuò conſeruari. Aliqui dicunt quòd ratio Philoſophi contra Platonem eſt ad probandum, quòd nullum perpetuum ſit corruptibile, quia ſi poteſt corrumpi, ponatur in *eſſe*, iam non eſt, ſi eſt perpetuum, tunc eſt; igitur ſimul eſt, & non eſt. Sed iſti nec percipiunt rationem Philoſophi, nec ad eam reſpondent; quia ſi ego ſedeo per diem, & adhuc poſſum non ſedere tali hora, ponatur in *eſſe*, & tunc ſimul ſedeo, & non ſedeo, manifeſtum eſt quòd ex poſitione potentiarum in *eſſe*, reſultat noua incompoſſibilitas. Ideò dico quòd ſi Plato poſuit quòd cælum eſt corruptibile ab intrà, & cum hoc, quòd Deus neceſſariò conſeruat omne perpetuum, quod conſeruat, ratio Ariſtotelis eſt bona contra eum. Quia ſi hoc de ſe eſt corruptibile; igitur de ſe poteſt corrumpi; & Deus neceſſariò ipſum conſeruat: igitur non poteſt corrumpi. Vel ſi debeat poni poſſibile in *eſſe*, debet poni reſpectu neceſſarij, quia ſi illud poteſt non eſſe, & de neceſſitate conſeruatur, ponitur in *eſſe*, & tunc probatur repugnantia per hanc regulam: *Cuicumque actui repugnat neceſſitas potentiæ ad eundem actum repugnabit eadem neceſſitas.* Si tamen Plato dixit quòd Deus contingenter agit, & conſeruat cælum perpetuò, ſicut nos Theologi ponimus, non valet ratio Ariſtotelis contra eum, quia ſtant ſimul, quòd cælum poſſit eſſe perpetuum, ſi Deus perpetuò velit conſeruare, & tamen quòd quantùm eſt de ſe, poſſit non eſſe. Eo modo dico de corpore poſt reſurrectionem, quòd ſibi derelictum poſſit non eſſe, & poteſt ab illo perpetuò eſſe.

14. *Ad quintum.* Ad vltimum, dico quòd permanens habet totum *eſſe* ſimul. Ideò poſuit Commentator, quòd non poteſt fieri perpetuum, niſi ſit neceſſarium; quia ex quo totum ſimul, oportet quòd in quocumque inſtanti habeat tantam neceſſitatem ſicut in vno: ſed *eſſe* conſiſtit in accipiendo partem nouam poſt partem; ideò noua neceſſitas formalis eſt in permanente, niſi ſimul habeat ſuam neceſſitatem in ſuſceptiuo, non ſic Theologi, quia ponunt permanens poſſe eſſe perpetuum ab alio, & ex ſe poſſibile.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm corpora Beatorum erunt agilia?

Quæſtio hæc cum ſequentibus vſque ad finem libri, hinc verbatim tranſlatæ ſunt ad ſcriptum Oxonienſe. Vide cenſuram præfixam operis initio.

FINIS.

INDEX

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc Tomo continentur.

Prior numerus ad paginam, posterior ad numeros Marginales remittit.

A B

Ablativvs *quomodo construatur cum verbo actiuo, & verbo substantiuo.* 107. 12

Ablutionem *an oporteat esse simul cum prolatione verborum.* 601.q.4.n.3

Abstentia *non est de ratione obiecti spei.* 528.16

Absoluendus *non est, qui restituere non vult.* 726.28

Absolutum *est ad se formaliter.* 677.2

Absolutum formaliter non est formaliter relatiuum. 257.6

Absolutum nihil requiritur ad potestatem vt sic. 614.6

Absolutum nullum nouum ponitur ex vnione cum Verbo. 422.3

Absolutum prius non potest esse sine absoluto posteriori. 321.4

Absolutum omne est commune in Diuinis. 143.3

Absolutum omne quod conuenit vni personæ, an conueniat & alijs. 448.9

Absolutum quodlibet in Deo quomodo melius est ipsum, quàm non ipsum. 138.8

Absolutum quomodo posset conuerti in respectiuum. 666.9

Absoluta differunt ante comparationem. 10.33

Absoluta expellunt se mutuò. 644.33

Absoluta non desinunt esse in toto propter nouum vbi, *vel respectum.* 649.14

Absoluta possintne pluralificari in eodem. 144.5

Absoluta, quæ sunt eadem res, non componunt. 138.6

inter Absoluta simul naturâ non est ordo essentialis. 677.3

Abstractio *quid sit?* 142.7

Abstractio triplex à subiecto, ab hoc, & fundamento, & suppositò & indiuiduis. 59.5

Abstractum de concreto identicè tantùm verè predicatur in Diuinis. 683.17

Abstractorum predicatio vt sit bona identicè, vnum saltem illorum debet esse infinitum. 115.9

de Abstractis vltima abstractione regula. 59.5

A C

Accepturi *à Deo dicetur aliquid tripliciter.* 96.4

Acceptatio *Dei ratio completiua meriti.* 497.9

Acceptatio passionis potuit esse voluntaria. 483.14

Acceptiones *potentiæ quomodo differant.* 734.8

Accidens *absolutum, & respectiuum.* 677.2

Accidens absolutum potest esse sine subiecto. 677.3

Accidens cur non posset produci absque subiecto secundum Philosophum. 226.9

Accidens denominatiuè vniuocè dicitur de nouem generibus. 678.6

Accidens est subiectum proximum accidentis. 682.13

Accidens habet proprium esse *in subiecto.* 443.5

Accidens nec separatum, nec coniunctum attingit substantiæ productionem. 686.8

Accidens non potest esse ratio formalis producendi substantiam. 216.6

Accidens non producit substantiam in virtute substantiæ. 684.3

Accidens per accidens procedit sæpè ab eo, in quo est. 372.23

Accidens producit cognitionem Dei, nullam tamen substantiam. 705.24

Accidens quodcunque respectiuum implicat esse sine subiecto. 677.2

Accidens, secundùm Thomistas, immediatè producit substantiam. 38.10

Accidens separatum dependet actu à solo Deo. 679.9

Accidens separatum non habet aliud esse *ab eo quod habuit coniunctum; idem est de materia separata.* 323.11

Accidens separatum potest immutare sensum, & corrumpere contrarium. 685.7

Accidens vnum non potest esse in duobus subiectis. 425.9

Accidentis duplex est genus. 447.6

Accidentis essentia vna est, & simplex. 677.3

Accidenti ex sua natura semper competit inhærere. 683. 13

Accidenti non conuenit actu esse in alio, sicut substantiæ actu esse per se. 679.9

Accidenti repugnat esse per se, sicut substantia esse in alio. 677.5

Accidens indiuiduare substantiam repugnat. 324.4

Accidens posse esse sine subiecto cur negauerit Aristoteles. 683.14

per Accidens possunt aliqua esse, & tamen necessaria. 320. 23

in Accidente nihil est ipso nobilius. 685.3

Accidentia disparata non possunt sibi accidere, nisi prius subiecto accidant. 683.14

Accidentia faciunt differentiam numeralem, & quomodo. 325.11

Accidentia ignis separata non possunt guttam aquæ corrumpere. 688.17

Index Rerum.

Accidentia inſeparabilia habent ideas. 209.12
Accidentia non inducunt gradum incompoſſibilem cum forma corrumpenda. 687.16
Accidentia non pertinent ad primum terminum huius conuerſionis. 646.3
Accidentia remanent in Euchariſtia poſt conuerſionem. 672.23
Accidentia ſeparata an poſſint alterare vſque ad gradum incompoſſibilem formæ eius in quod agunt. 687.13
Accidentia ſeparata poſſunt agere ſicut vnita. 684.1
Accidentia ſimul duratione cum ſubiecto non faciunt mutationem. 282.10
Accidentia ſolùm in Euchariſtia ſunt ſimul ſine ſubiecto. 691.5
Accidentibus non ſubſtare eſt à magna imperfectione, vel ſumma perfectione. 79.10
Actio *accidentis eſt triplex.* 685.7
Actio ad tria comparatur. 150.15
Actio agentis naturalis tripliciter poteſt impediri. 67.3
Actio cauſæ naturalis non poteſt impediri à voluntate creata. 301.5
Actio cur nequeat eſſe fundamentum relationis. 153.27
Actio de genere actionis, qualis non eſt intelligere, *ſemper perficitur aliquo producto.* 66.5
